image
not
available



HISTORIÆ FRISINGENSIS
TOMUS II.





Cosmas Asam delin. Monachy. *Ioh: Henr. Stercklin sculps. A. V.*





Cosmas Asam delin. Monachy. Joh. Henr. Störcklin sculps. A. V.



HISTORIÆ FRISINGENSIS

TOMUS II.

POSTERIORA QUINQUE
AB ADVENTU S. CORBINIANI I. EPISCOPI
SÆCULA,
SEU
RES
AB ANNO CHRISTI MCCXXIV. USQUE AD ANN. MDCCXXIV.
FRISINGÆ GESTAS
EXHIBENS.

PARS PRIMA HISTORICA,
In qua
Acta posteriorum XXXI. Antistitum Frisingensium, à Geroldo usque ad
JOANNEM FRANCISCUM,
Ordine LVI. continuata,
Atque
Tum ex coævis Codicibus, membranis & Instrumentis, partim in hac, partim in Altera Parte Instrumentaria, recitandis:
tum è Synchronis aliisque Scriptoribus deprompta,




JUSSU ET AUSPICIIS
Ejusdem
Reverendissimi ac Celsissimi S. R. I. Principis
JOANNIS FRANCISCI
Episcopi Frisingensis,




Intermixtis, quantum opus videbatur, publicis Ecclesiæ atque Imperii Actis
Cum erudito Orbe communicantur
A P. CAROLO MEICHELBECK,
Benedictino Benedictoburano, Reverendissimi ac Serenissimi Principis & Episcopi Frisingensis, &c. &c. nec non Reverendissimi ac Celsissimi Abbatis & Principis Campidonensis Consiliario Ecclesiastico.
His accedit Mantissa, in qua Acta quatuor succedentium annorum percensentur.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus MONASTERII BENEDICTOBURANI,
Prostat verò apud DAVID. RAYMUND. MERZ, & JO. JACOB. MAYER,
ANNO MDCC XXIX.



REVERENDISSIMO
AC
SERENISSIMO
PRINCIPI
AC
DOMINO,
DOMINO
JOANNI
THEODORO
EPISCOPO FRISINGENSI
&
RATISBONENSI,
UTRIUSQUE BAVARIÆ
&
SUPERIORIS PALATINATUS
DUCI,
COMITI PALATINO RHENI,
LANDGRAVIO LEUCHTENBERGÆ &c.
PRINCIPI
AC
DOMINO, DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.



REVERENDISSIME

ET

SERENISSIME

PRINCEPS,

DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME &c. &c.



D Te properat hic Tomus II. Frisingensis Historiæ, Serenitatis Tuæ fulgidis radiis illustrandus, SERENISSIME PRINCEPS Tuus est, quia de Ecclesiæ Tuæ nobilissimæ rebus,

actis, & fulgoribus agit. Tuus eſt, quia ejus ſcriptionem, mox ut clavum Regiminis feliciſſimè ſuſcepiſti, benigniſſima dignatione, atque fauſtiſſimo futuri feliciſſimi Regiminis omine ratam gratamque habuiſti. Tuus eſt, quia inſuper clementiſſimam approbationem, & quidem ab uno Reverendiſſimo ac Nobiliſſimo Cathedralis Collegii & Conſilii Eccleſiaſtici membro, jam antehac a Celſiſſimo Deceſſore Tuo, ac poſtea a Reverendiſſimo Capitulo Regnante delecto, adjici præcepiſti. Reverendiſſimus ac Celſiſſimus claræ memoriæ Epiſcopus ac Princeps Joannes Franciſcus, cum in vivis degeret, omnibus conſiliis & votis egit, ut Eccleſiæ ſuæ curæ in humeros tuos poſt mortem ſuam transferrentur, idque etiam præmonito & annuente Summo Pontifice Innocentio XIII. comprobante Auguſtiſſimo Maximoque Cæſare Carolo VI. nec non applaudente Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Collegio Cathedrali feliciſſime eſt conſecutus. Quis verò hodie ignorat, prudentiſſimo illi ac ſapientiſſimo Principi inter curas fere primores fuiſſe Hiſtoriam Eccleſiæ ſuæ? Ergo & eam curam in Te transfudit: factumque eſt, ita diſponentibus bonis Superis, ut ab Ejus ex hac vita ad meliorem tranſitu Sereniſſimo No-

mini Tuo Tomus hic II. inſcribi debuerit, ac novo Titulo iterum Tuus ſit. Dignare itaque Reverendiſſime & Sereniſſime Princeps librum hunc, è prælo tandem eluctatum, Clementiſſimo obtutu reſpicere, intra pluteos Tuos recipere, & aliquando etiam in gratioſiſſimas manus admittere. Id faciendo, & Anteceſſorum Tuorum res geſtas perluſtrando imitaberis Illuſtriſſima Sereniſſimorum Majorum Tuorum exempla, quippe quibus ſemper jucundum fuit, congeſtas ab Aventinis, Velſeris, Hundiis, Gewoldis, Brunneris & aliis Scriptoribus Majorum Suorum Hiſtorias legere, volvere, expendere. Procul equidem a me eſt, ut meam ego tenuitatem magnis illis nominibus comparare audeam, nedum ambiam. Quia tamen Reverendiſſimus cumprimis Deceſſor Tuus in re antiquaria verſatiſſimus, illiusque digniſſimus Nepos Excellentiſſimus, Illuſtriſſimus & in omni literatura dudum conſummatus D. Baro Eckerus, Serenitatis nunc Tuæ ſummo ſuo merito Miniſter, operam ſuam copioſe adjungere dignati ſunt, plane non deerit, quod Sereniſſimis oculis gratum accidere valeat. Sane quod hic liber non prodeat locupletior, veniam clementiſſimam mihi promittere auſim. Feci ego, quantum potui, ſolatioque

mihi

mihi est illa Varronis sententia, qua ajebat, *neminem fuisse reprehensum, qui stipulam reliquisset ad spicilegium.* Quod confirmans Columella de re rustica: *in magna sylva*, inquit, *boni venatoris est, feras indagare, quàm plurimas capere: neque cuiquam culpæ fuit, non omnes cepisse*, præsertim (ut subdit Joannes Baptista Marus) cum *munere suo quisquis bene fungitur, si avido Lectori famem utcunque sedat, quamvis non penitus eximat.* Scriptores Rer. Ital. T. 6. Superest, REVERENDISSIME ET SERENISSIME PRINCEPS, ut labores meos qualescunque pro gloria amplissimæ Diœcesis Tuæ impensos clementissimè suscipias, & quoniam præcipuè Abbas meus, Reverendissimus D. Magnus, Serenitatis Tuæ obsequiis constanter manet addictissimus, Monasterii hujus Benedicto-Burani totiusque Ordinis, apud Frisingenses ab ipsis Episcopatus cunabulis notissimi, semper Clementissimus fautor ac Protector esse benignissimè pergas: dum interim Serenitati Tuæ cumulatissimam Dei gratiam, Divini Spiritus charismata, & omnem cœlestem benedictionem devotissimo spiritu apprecor, atque cum bonis omnibus cœlo supplico, ut, quemadmodùm e Serenissima Domo Tua originaria Witelspachia jam octo Serenissimi præstantissimique

 Prin-


Principes Frisingensi Ecclesiæ ultra 190. annos præfuerunt, ita etiam TU in lustra plurima gloriosè provivas, & ejusdem Ecclesiæ gubernacula felicissime modereris. Dabam in Monasterio Benedicto-Burano, die 11. Jul. Translationi Divi Benedicti sacra. A. 1728.

REVERENDISSIMÆ
SERENITATIS
TUÆ

humillimus

P. Carolus Meichelbeck,
Prof. Benedictoburanus.

CEN-



CENSURA.



Ussus à Reverendissimo ac Serenissimo Domino, Domino Joanne Theodoro è Ducibus Bavariæ, &c. &c. Episcopo ac Principe Frisingensi & Ratisbonensi, legi etiam hunc secundum Tomum Historiæ Frisingensis à principiis Regiminis Geroldi Episcopi usque ad finem Regiminis Joannis Francisci, accedente initio Regiminis Reverendissimi ac Serenissimi Joannis Theodori, authore Reverendissimo P. Carolo Meichelbeck, &c. In quo tantam eruditionem, scribendi gravitatem, ac profundam Historiæ, aliarumque scientiarum peritiam inveni, ut (repetitis, quæ in primo Tomo dixi, paucis multa addendo) elogium, quod ab undequaque Insignibus, eruditissimis, in Cathedris celeberrimis, ac etiam mitra fulgentibus Viris primo hujus Historiæ Tomo ipsemet dari audivi, confirmare, & etiam in hoc Secundo Tomo, Jure merito, repetere adigar, quòd *nempe* sit Opus

pror-

prorſus incomparabile, & inimitabile, ac magnum lumen & decus Eccleſiæ Friſingenſis. *Et quia inſuper nihil deprehendi, quod Fidem Catholicam, Principes, aut bonos mores offendere poſſit, ideo etiam hunc ſecundum Tomum publico prælo digniſſimum cenſeo. Legat illum Eruditus, & fiet memor verborum Salomonis Proverb. cap. 1. verſ. 5.* Audiens Sapiens Sapientior erit, & intelligens (*Hiſtoriæ*) gubernacula poſſidebit. *Ita cenſeo. Friſingæ die 5. Maji Anno 1728.*

FRANCISCUS ANTONIUS
S. R. I. Eques & Nob. Dominus de Fraporta, J. U. D. Eccleſ. Cathed. Friſingenſis Canonicus Capitularis, alte fati Reverendiſſimi ac Sereniſſimi Joannis Theodori, è Ducibus Bavariæ, &c. &c. Epiſcopi ac Principis Friſingenſis, &c. Conſiliarius Eccleſiaſticus.

IN

IN TOMUM II.
HISTORIÆ FRISINGENSIS.
DISSERTATIONES PROLEGOMENÆ TRES,

IN QUIBUS PARTIM AGITUR DE QUIBUSDAM DUBIIS, OCCASIONE TOMI I. HACTENUS OBORTIS, PARTIM AFFERUNTUR ALIQUA, QUÆ AD ILLUSTRANDUM TOMUM II. PERTINENT.

Prima tractat de Antiquitate Ecclesiarum Salisburgensis atque Frisingensis.

Secunda agit de Antiquorum Episcoporum atque Monachorum Frisingensium Sacro, ac novo cum aliis fœdere: item de Monachorum industria.

Tertia exhibet adjutores Tomi II. ac Censores Tomi I. extraneos: ac plura alia Lectorem monet.



DISSERTATIO PRIMA PROLEGOMENA.

De Antiquitate Ecclesiarum Salisburgensis, atque Frisingensis.



IN vita S. Ruperti, à diversis conscripta, plures periculosas salebras reperiri, certum est inter Scriptores. Illud tamen inter modernos minimè controvertitur, Eum obiisse die 27. Martii, in quam Pascha Domini inciderat. Id igitur contigit aut anno Domini 623. aut anno Christi 718. annis enim intercurrentibus Pascha nunquam in diem 27. Martii incidit, ut videre est apud Franciscum Pagium Tom. I. à pag. 634. ubi de Fastis Consularibus agit.

Breviar. Historic.

In Dissertatione Secunda Prolegomena Tom. I. nostræ Historiæ à pag. XI. ex accuratissimis Scriptoribus Mabillonio, ac Ant. Pagio adduximus argumenta quædam non minimi ponderis, quæ S. Ruperti obitum non ad Pascha anni 623. sed 718. reponendum esse indicare visa sunt. Neque defuere Viri quidam doctissimi, qui argumentorum illorum vim ac robur adverterent, ita tamen, ut antiquæ nihilominus traditioni insistendum esse existimarent. Recte hoc. Ast hic Rhodus, hic salta. Videamus, quid habeat sincera antiquitatis traditio?

In Codice quodam Salisburgensi, sæculo octavo scribi cœpto, & à nobis antehac sæpius laudato, quem oculis nostris conspeximus, à tempore S. Ruperti usque ad tempora S. Virgilii videntur statui Præsules septem, nempe Rupertus, Vitalis, Ansologus, Savolus, Ezzius, Flobargisus & Joannes, ita, ut Joannis Successor Virgilius juxta literam censendus sit ordine octavus Episcopus & Abbas Salisburgensis.

Verum

Verum hæc quomodo accipienda sint, indigemus antiquo interprete, qualem in Monumentis S. Emmerammi Ratisbonensibus Sæculo IX. scriptis deprehendit Mabillonius. Vixit ille Scriptor sub Annone Frisingensi Episcopo *Analect. T. 4. pag. 525. & alibi.* (qui anno Christi 875. mitram ac vitam posuit) ut patet ex iis verbis:

Ecce pius sedens præsens nunc Anno gubernat.

Hic Poëta non solum seriem Salisburgensium, verum etiam Comprovincialium Præsulum, puta Ratisbonensium, Frisingensium, Pataviensium ac Sabionensium accurate conscripsit. Et de Salisburgensibus quidem ita canit:

Dicta Juvavo fuit quondam Metropolis ista.
Quam primo fundans Hrodbertus rexerat almus.
Post hunc Vitalis Antistes rexit eamdem.
Ipsius inde Flobargisus qui est fultus honoris.
Quartus Joannes fuerat Sedemque regendo.
Advena Virgilius statuens quam plurima quintus.

Ubi vides, Lector, ex classe Salisburgensium NB. Episcoporum manifeste expungi Ansologum, Savolum, atque Ezzium; ac proinde S. Virgilium non dici octavum, sed *quintum* Episcopum Salisburgensem; veluti deinceps Arno vocatur *sextus*: Adalramus *septimus*: Liuphrammus *octavus*. Et in hoc Liuphrammo, qui post medium sæculum nonum decessit, definit Poëta, uti recensendo Frisingenses Episcopos definit in Annone, quod ex versu supra allegato perspicuum est. Ergo juxta sententiam hominum sæculi IX. Virgilius inter Salisburgenses Episcopos non censebatur octavus, sed *quintus*.

Id tanto redditur credibilius, S. Virgilius (qui diu post annum Christi 742. Sedem Salisburgensem adeptus est) adhuc viderit & allocutus sit discipulos quosdam S. Ruperti, uti manifestum est ex alio Instrumento domestico & coævo, quod Henricus Canisius *Tom. 6. antiq. Lect. pag.* 1155. producit. Sic enim ibi habetur: *Hæc omnia Virgilius Episcopus à viris valde senibus atque veracibus perquirere studuit, posterisque ad memoriam scripta dimisit. Quidam vero ex eis, qui ista dixerunt, discipuli S. Ruperti fuerunt.* Impossibile autem videtur hæc ita fieri potuisse, si S. Rudbertus jam obiisset anno Christi 623. alias

dicendum foret, discipulos illos post obitum Magistri sui Ruperti, ac post sex alios intermedios Præsules, adeoque annis plus quam 140. inter vivos fuisse superstites: quod nemo prudens sibi persuaderi permiserit.

Dükerus pag. 42. Mezgerus pag. 1040. His ulteriorem lucem affundit celebratissimus apud Scriptores Indiculus viri gravissimi, qui S. Virgilio in Sede Salisburgensi proximus successit, nempe Arnonis, primi Salisburgensium Archiepiscopi, in quo à tempore S. Ruperti usque ad tempora S. Virgilii non numerantur plures primarii, & quidem continui sibique immediate succedentes Bojariæ Duces, ex Agilophingicis ultimi, nempe Theodo: ejus filius Theodebertus: hujus filius Hugibertus. Ottilo: & hujus filius Tassilo, in quo Agilophingici Principes, uti eruditis est compertum, defecere. Utiloni autem ac Tassiloni convixit S. Virgilius, veluti rursus est innegabile: uti *cap. 28.* Hugiberto, Utilonis decessori, convixit S. Corbinianus, quod Aribo testatur, & nemo eruditorum unquam vocavit in dubium. Hugiberti decessor erat ejus parens Theodebertus, *Arib. c. 10.* sive quod idem est, Diotbertus, qui fuit fràter Grimoaldi, ad quem idem S. Corbinianus Frisingam venit. Theodebertum ac Grimoaldum fuisse fratres, laudati Theodonis filios, docet Scriptor gravissimus, & Ratisbonensium antiquissimus Arnolphus Comes, S. Emmerammi Monachus, iis verbis: *Theodo Dux filios habuit* (in diversis tamen Bojariæ partibus) *Diotbertum videlicet & Grimoaldum: post quos ducatum genti huic præbuit Hucbertus.* Et hic est Theodo, *sub quo clarissimus Christi Confessor Ruotpertus cum aliis Dei Servitoribus Juvavium devenit.* Uti idem Arnolphus testatur, & ipse Arnonis Indiculus demonstrat. Ad eundem autem Theodonem (post *ubi supra.* S. Rupertum) S. Corbinianus, Aribone teste, venit. Vides, Lector, Instrumentum S. Virgilii, Indiculum Arnonis, Aribonis ac Arnolphi assertiones antiquissimas optimè consonare, & ætatem Sanctorum Ruperti & Corbiniani neutiquam centum annis distingui, sed potius evinci, eos ad initium Sæculi octavi simul inter vivos fuisse: id quod etiam egregie colligitur ex alio Aribonis loco, ubi dicit, Corbi- *ibid.* nianum venisse (anno 723.) in Bojariam adhuc *rudem*, & *nuper ad Christianitatem conversam*, ac *novitiam.* Si enim S. Rupertus Bojariæ Apostolus jam obiisset ad initium Sæculi VII. Boji ad initium Sæculi VIII. non potuissent dici in fide *Novitii*, & *nuper conversi*, quippe quorum conversionem S. Ruper-

Rupertus jam ante ipsos centum annos absolvisset. Simillima ad *Cap. 44.* Pauli Diaconi de Gestis Langobard. notarunt Editores Scriptorum Rer. Italic. Tom. I. pag. 505. & quidem ex Anastasio & Calvisio, *Nota* 180. Videri etiam potest Freherus in Rer. Germanic. Scriptoribus *pag.* 91. *Tom. I. Edit. Struv.*

His ita, uti speramus, clare expositis, superest, ut disquiramus, num Antiquissimus ille Salisburgensium Episcoporum atque Abbatum Catalogus non admittat aliquam interpretationem, qua cum cæteris gravibus monumentis, hactenus recensitis, conciliari possit?

Lucem aliquam rei obscuræ afferre videtur Carmen, quod sub Gebhardo Archiepiscopo Sæculo undecimo fuit compositum in hæc verba:

Hæc loca Rudbertus sibi delegit Pateralmus,
Simul & hic Sedem construxit Pontificalem, Dikkr.
Ac Sedis primæ Regimen susceperat ipse,
Conducens late populos ad pascua vitæ.
Qui Successorem sibi fecerat esse Vitalem
Pastorem verum, cælesti nectare plenum.
Huic tres Abbates adeunt hoc ordine Sedes,
Ansologus, Savolus, post hos Ezzius venerandus,
Inde Flobargisus Pastoris nomen adeptus.

Ubi attendi merentur verba illa: *Huic tres Abbates* &c. quæ verba forte idem dicunt, *ac sub hoc Vitale* (apostolicis laboribus per vicinas amplas provincias identidem impedito) *tres Abbates præfuere Monasterio S. Petri*: *in Pastorali vero, seu Episcopali munere Vitali successit Flobargisus.* Nam cur Munus Episcopale post S. Vitalem quinquaginta & pluribus annis Salisburgi interruptum fuerit, nulla prorsus ratio congrua videtur assignari posse: neque enim idcirco, postquam S. Rupertus cum sociis suis Bojariam ad fidem convertit, & S. Vitalis excoluit, ritusque Catholicos uterque introduxit, jam non debebat Salisburgi haberi Episcopus. Imo servari ne quidem poterat institutio a S. Ruperto facta, nisi semper adfuisset Episcopus, qui Sacramenta Confirmationis, & Ordinum suis administraret, Ecclesias dedicaret, aras sacraret, & alia munia Episcopalia obiret: alias (quod cogitare indecens est) de SS. Ruperto & Vitale dici posset, quod cœperint ædificare, sed non potuerint per suos discipulos concontinuare Episcopatum fundatum, velut nemo non videt.

Tacemus cætera inconvenientia, quæ cessante Episcopali officio debuissent in populo non absque scandalo emergere. Certe Bojorum Principum, ceu liberalissimorum Fundatorum intentioni minime fuisset satisfactum. Profecto admissa illa interpretatione optime salvatur Catalogus antiquissimus Salisburgensium Præsulum, S. Virgilii cum discipulis S. Ruperti colloquium, ac maxime Carmen Sæculi IX. supra adductum, ubi asseritur, Rupertum fuisse Episcopum primum, Vitalem secundum, Flobargisum tertium, Joannem quartum, Virgilium vero fuisse in ordine Episcoporum *Quintum.* Ansologum vero Savolum atque Ezzium in antiquissimo illo Catalogo non nisi tanquam Abbates coævos aut Coabbates fuisse repositos: ideoque opus non fuisse, ut à posteris mors S. Ruperti usque ad annum 623. retraheretur. Certe Coabbatum exempla in Actis Ordinis nostri plura occurrunt. Sane qui contendunt S. Vitalem obiisse anno 646. Ansologum anno 674. Savolum anno 680. Ezzium anno 703. rem dicunt, quæ forte nullo prorsus vestigio coævæ antiquitatis probari possit, cum res gestas nemo illorum temporum ad annos Christi retulerit, neque referri possint, quando ipsa acta ignorantur. Illud quoque, quod scribit Dükerus, Flobargisum decessisse primum anno 745. manifeste est erroneum, cum S. Bonifacius anno 739. in Bojariam iterum delatus nullum ibi Episcopum, præter Vivilum Pataviensem, invenerit, atque idcirco Frisingæ Erimbertum, Ratisbonæ Gaubaldum, Salisburgi Joannem instituerit, eoque pacto Provinciam in quatuor Episcopatus diviserit. Institutionem enim illam a se factam Bonifacius perscripsit Gregorio III. Pontifici, ab eoque confirmationis robur obtinuit, ut luculenter patet ex literis ejusdem Gregorii III. quas Tomo I. *pag.* 34. & 35. recitavimus. obiit autem Gregorius III. anno Christi 741. uti post Baronium & alios tum Antonius Pagius in Critica: tum Franciscus Pagius in Breviario Pontificum demonstrant, & communissimus Historicorum sensus probat.

Sane mirum sit, tres illos Abbates Ansologum, Savolum & Ezzium fuisse veros, sibique continua serie succedentes Salisburgensium Episcopos, cum tamen de rebus ipsorum gestis nec litera, nec apex supersit, neque Dükerus neque Mezgerus quidquam, præter nomina, de iis in medium producere potuerit, quorum etiam nominum in Indiculo Arnonis prorsus nulla mentio fit.

Insignia

Insignia quoque gentilitia dictorum Virorum, & aliorum etiam Episcoporum ejus ætatis, à quibusdam venditata quid sunt, nisi liberalia figmenta? Quis enim Episcoporum aut nobilium iis temporibus aliqua insignia gentilitia habuit? quis unquam eruditorum in literis coævis & autographis aliqua expressa vidit? *Vid. Mabill. de Re Dipl. pag. 132. 146.*

Ex lapide sepulchrali S. Ruperti nihil probari alibi diximus. Annus enim Christi ibi positus sæculi illius consuetudini repugnat; & characteres illi ad sæculum XIV. pertinent, uti suo loco videbimus; adeoque post sexcentos annos parum aut nihil probant.

Plura de his apud Mabillonium, Pagium ac præcipue apud Scriptorem libelli, cui titulus: *Der allerneueste Staat des Erz-Bisthums Salzburg*, &c. Lector reperiet. Neque obest, quod autor Opusculi mox dicti fuerit acatholicus. Certum enim est, quod fundamenta sua nonnisi ex Catholicis Scriptoribus, nempe Bollando, Mabillonio, atque Antonio Pagio: aliqua etiam ex ipsis monumentis Salisburgensibus non inepte hauserit.

Et hæc quidem non alio animo hic adduximus, quam ut iis, qui deinceps de hac materia scripturi sunt, breviter exhiberemus difficultates, quæ ipsis superandæ erunt, si Mezgero atque Dückero adhærere voluerint.

Ex Catalogo Wormatiensium Episcoporum, qui hic solet adduci, nonnisi perquam infirmum argumentum pro S. Ruperti ætate duci potest, quia idem ipse catalogus (uti alii quam plurimi) circa vetustos Ecclesiarum Præsules sæpe non carent ingentibus difficultatibus, & frequenter nullis coævis Instrumentis nituntur. Asserunt Scriptores Salisburgenses, Corpus S. Amandi Archiepiscopi Wormatiensis fuisse a S. Ruperto translatum Salisburgum. & tamen juxta Catalogum Wormatiensium Episcoporum apud P. Gabrielem Bucelinum Amandus, (cui *Sancti* titulus apponitur) primum post S. Rupertum eam cathedram adiit. Quanta igitur in eo Catalogo confusio? Certe de illa ipse[a] P. Mezgerus videri potest. Hæc circa Antiquitatem Salisburgensis Ecclesiæ placuit breviter advertere, & pro solo veritatis studio aliorum discussioni exponere.

[a] *pag. 132.*

Circa Frisingensem Ecclesiam, ejusque antiquitatem nobis objectum fuit, quod sententiam Othonis Frisingensis, Scriptoris celeberrimi ac domestici ausi fuerimus evertere, qui S. Corbinianum, & per consequens initia

Frisingensis Ecclesiæ primum ad tempora Pippini Regis distulit.

Verum respondemus iterum, quod jam alibi respondimus, nempe Othonem reapse lapsum esse occasione nominis Pippini, quippe sub quo is Pippinum Regem, non vero Pippinum Heristallum, Regis cognominis Avum, intellexit, & sic S. Corbinianum usque ad annum 770. male distulit. Certum enim est, ne quidem duos S. Corbiniani successores usque ad annum 770. pertigisse, uti ex Tom. I. operis nostri, & documentis ibi adductis ad oculum demonstratur. Neque nos primi eum Othonis errorem deteximus, sed ante nos Baronius, Ant. Pagius, & Rerum Boicarum Scriptores idem sphalma dudum deprehenderunt, dum obitum S. Corbiniani non ad Pippini aut Caroli Regum tempora, sed ad annum Christi 730. reposuerunt; & bene quidem. alias enim S. Corbinianus a nemine posset dici primus, sed solum tertius Episcopus Frisingensis; quod toti veritati repugnat. Frustra igitur alicujus sive novitatis sive temeritatis arguimur.

In memoriam hic redit illa quæstio, quam Vir quidam non solum generis prosapia illustris, & dignitate Ecclesiastica fulgens, verum etiam eruditione clarissimus aliquando occasione Tomi I. Historiæ nostræ proposuit. Memorabat ille, sibi ex iis, quæ ibi Dissertatione IV. prolegomena adduximus, dubium nullum superesse, quin S. Corbinianus vere fuerit unus è D. Benedicti familia: at cupere se scire, quo tempore S. Corbinianus solennem Ordinis Professionem emiserit?

Respondemus, de circumstantia temporis, quo S. Corbinianus votis solennibus sese obstrinxerit, nihil etiam ab Aribone fuisse posteris nunciatum. Ast id mirum non est. In sacris paginis non occurrit expressa mentio, quo tempore, anno, vel loco Apostoli Baptismum susceperint? & tamen nemo fidelium dubitat, quin Apostoli a Christo Domino sacrum illud Regenerationis lavacrum, ceu unicam ad reliqua Sacramenta percipienda januam acceperint. Cur igitur de tempore Professionis D. Corbiniani quæstionem moveremus, si Eum Benedictinum fuisse alias credimus? Potuit jam in adolescentia sua votis monasticis sese devincire Corbinianus, & in solitudinem se abdere, quemadmodum in Cellula sua eas omnes præcipuas partes, quæ Monachis in Regula præscribuntur, potuit exacte adimplere, velut

velut ex Aribone alibi luculenter demonstravimus. Potuit denique etiam jam factus Episcopus in Monasterio recens a se Frisingæ instituto Monastica vota edere: id quod Eum fecisse Chronicon tertium, quintum & sextum insinuare videntur, uti in supra allegata Dissertatione videri potest. Neque enim verum est, quod nonnemo Gallorum scripsit, Episcopis nunquam factam esse potestatem profitendi Monasticen, & nullum ejus rei exemplum extare. Scriptori enim illi optime opposuit sequentia Mabillonius: *si exempla lubent*, ait, *ex innumeris pauca admetior*: nempe *Arnulfum Metensem, Claudium Vesontionensem, Wulframmum, & Amatum Senonenses, Hidulfum, Leidradum Lugdunensem, Adalbertum Apostolum Bohemiæ, Leonem Archi-Episcopum Ravennatem, Petrum Damiani Episcopum Ostiensem, aliosque innumeros, qui functi Episcopatu in Monasteria se receperunt; tantumque a Veritate abest* (quod Scriptor ille Gallus ulterius asseveraverat) *Episcopum factum Monachum suo gradu excidisse, ut S. Wulframmus, S. Adalbertus, aliique complures ex Monasteriis, in quæ se receperunt, cum veste Monastica redierint ad obeundas functiones Episcopales.* Ista Mabillonius in sua Apologia duplici, mihi pag. 33. ubi plura similia pertractat. Sane Professionem solennem votorum non obsistere dignitati Episcopali, & utramque posse simul stare, infinitis exemplis demonstrari posset, si res postularet. Certe in hanc usque diem non desunt e nostris Benedictinis, qui tametsi Episcopali, aut etiam Cardinalitia dignitate fulgeant, attamen juxta Decreta Conciliorum & exempla Virorum Sanctissimorum nec habitum nigrum Monasticum, minus vero Sacram Regulam dimittunt, uti oculis nostris spectamus. Idem etiam alii Episcopi ex aliis sacris familiis electi sancte observant. Scimus omnino, ex D. Thomæ sententia, Episcopos teneri esse *perfectos*, atque paratos, ut pro grege sibi commisso etiam animam suam ponant. At obsecro, credisne, bone Lector, Episcopos omnes ea perfectione eminere? quodsi vero ea perfectione non omnes gloriari possunt, quare iis non concedis facultatem emittendi vota Religiosa, nempe amplectendi media ad illam perfectionem proxime ducentia? Certe id sibi non licitum tantum, sed etiam utile & necessarium censuit S. Rembertus Bremensis Archi-Episcopus, qui statim a suscepta Archi-Episcopali dignitate, antequam ullum sui honoris munus obiret, in Corbejensi nostro, etiamnum hodie florenti Saxoniæ Monasterio eandem Monasti-

cen amplexus & professus est. Neque restitere consecratores Episcopi, imo eorum consilio statim post ordinationem suam ad Monasterium properans, assumpto Monastico habitu voto se obligavit, *ut conversationem suam & stabilitatem morum suorum, & obedientiam secundum Regulam S. Benedicti exhiberet, in quantum labor & occupatio suscepti Pontificatus permitterent;* veluti ex Vitæ Scriptore Mabillonius in Annalibus Ordinis Tom. III. pag. 117. demonstrat. Conferri etiam possunt, quæ habet idem Mabill. Præfat. II. in Sæculum IV. Ordinis S. Bened. Num. CLXXXIX. Sed de his satis.

DISSERTATIO SECUNDA
PROLEGOMENA.

De quorumdam Antiquorum Episcoporum ac Monachorum Frisingensium, Sacro ac novo cum aliis fœdere. item de Monachorum industria.

PLaceat benevolo Lectori in memoriam reducere ea, quæ in Dissertatione IV. Prolegomena Tomi I. de Monachatu tum S. Corbiniani, tum sociorum ejus late disseruimus, uti ea quoque, quæ sub Aribone Episcopo IV. §. 6. de Societate inter Episcopos & Abbates Sæculo VIII. inita ex optimis & publicis Sæculi illius actis deprompsimus. His non absimilia recensentur Capite primo Chronici Sacri Monasterii Casinensis, ubi agitur de Societate Casinensium cum aliis Monasteriis in hunc modum: *Circa hæc tempora Ugo * venerabilis Abbas Cluniacensis vir celeberrimæ vitæ ac famæ ad Patris Benedicti limina valde devotus advenit, quem venerabilis Desiderius * honorifice, ut tantum decebat Virum, suscipiens, & Societatem Cluniacensium Fratrum nostræ Congregationi adjungens, memoriam illorum apud nos, nostræque Congregationis apud illos in morte, & in vita iidem viri venerabiles in perpetuum habendam sanxerunt.* Ad quem locum Editores ejus Chronici ex pervetusto itidem Codice Casinensi hæc in Notis addunt: 3. *Kal. Maji Commemoratio Cluniacensium Fratrum. Pridie Nonas Maji Commemoratio omnium Fratrum Sancti Floriani. 6. Idus Octobris Commemoratio Fratrum nostrorum de Assisio. Kal. Octobris Commemoratio Augiensium Fratrum.* In quibus verbis obiter

Pag. 72.

Scriptores Rerum Italic. Tom. IV. pag. 467.

** S. Hugo de quo Martyrol. Rom. ad diem 29. April.*

** Abbas Casin.*

Willeburch
Heimerat Alurec
Thanch

Hilteburch
Sigerat

N

Fridebreht
Iring
Iring
Meginhart
Perehsind
Chonrat
Sigebold
During
Kiselbreht
Johannes
Einhart
Irimbrinc
Gaiterda
Luitpreht
Reginker
Hiltisind
Helidpreht
Kerdrud
Steuem
Otine
Wichere
Egilolf
Ruodpreht

Erchanbertus Episcopus
Herolf Chorepiscopus
Reginbertus
Marcuinus presbyter
Reginbertus Diaconus
Adalger Diaconus
Willihelm
Bern
Erchanpreth
Anthelm
Kerman
Cotahelm
Hitto
Heilrat
Gebehil Aba
Peretha, Ruaddrud
Cotasdiu
Rihlind, Tuoto
Wolvarat
Tagapreht
Matheus
Pabo, Pabo
Rihchere
Engildioh, Gisalpreht,
Egilolf
Flouganzo, Adalcoz,
Ruadho, Emicho
Wichram, Ruadolf
Irminolf, Richemunt,
Vogo
Horsgo, Helmcoz
Anthelf
Husito, Isanrih
Caraman, Wolvolt
Waltilo. Ellinger, Voalpr
Fridapreht, Erchanh
Eberhart
Pernhart.

Deo fartingen Luitgarth

re
anc
hart
ind
ath
frid
nc
EHT
rug
helm
ig
rt
hart
rt
breth
nt
nd
chanbold
salbrig
athart
rchanbold
dbruc
erethart
salmat
eilrat
erinbold
llinrat

Quam

obiter judicandum Lectori permitto, an in Benedictinorum monimentis nullum vestigium Cœnobii S. Floriani deprehendatur?

Porro ut ostendant laudati Editores, ejusmodi Societatum morem esse apud Benedictinos antiquissimum, & ab ipso S. Benedicto etiam ad quosdam Laicos aliquando propagatum, ex vita S. Placidi hæc subjungunt. *Tertullus* * *vero deosculata omni Congregatione, rogavit P. Benedictum, quatinus fratres eum dignarentur in suam recipere Societatem. Quod cum celeriter ea, quæ cum summa devotione poscebat, una cum Patritiis, Consulibus ac Senatoribus, qui cum eo venerant, impetrasset &c.*

* S. Placidi parens.

Solebant vero antiquitus eorum omnium, qui ad ejusmodi Societatem admissi fuissent, nomina in speciali Codice notari, uti constat ex vetustissimo Codice Societatum Monasterii S. Petri Salisburgi, quem jam sæpius laudavimus. Frisingenses quoque Monachos ejusmodi Societates cum aliarum etiam provinciarum Monasteriis instituisse, discimus ex antiquissimo Codice celebratissimi Monasterii Augiensis, seu Augiæ Divitis, quod est Cænobium Sueviæ, situ, ut ait P. Gabr. Bucelinus, ad miraculum eleganti, in Insula lacus Acroniani, omnibus naturæ gratiis exculta, à S. Pirminio haud multo post initium Sæculi VIII. fundatum, ubi reperitur Codex ille, in quo inter alia quam plurima Frisingensium Fratrum nomina exprimuntur, quæ etiam passim occurrunt in Instrumentis, quæ in Tomo nostro primo recitavimus. Catalogus ille a Clariss. Viro P. Bernardo Pezio Mellicensi nobiscum communicatus fuit, quem in folio hic inserto exhibemus.

Quam plura horum nominum attentus Lector reperiet in Instrumentis Frisingensibus Tom. I. a nobis editis, quorum præcipua sunt: *Atto Episcopus: Sigihart Chorepiscopus: Erchanbertus Episcopus: Herolf Chorepiscopus. Cozroh. Tagabert. Horsgo. Hunbreht. Wago. Bern. Adalger.* &c. Et ex fæminis Societati Frisingensium adscriptis: *Cotasdiu. Engilpuruc* &c. cum alis pluribus. Quæ causa fuit, ut hoc nobile monumentum hic recitaremus, ac ea, quæ alibi diximus, confirmaremus, atque illustraremus.

Cæterum hoc idem Documentum (uti alia innumera) egregie nos commonet, quam exacte olim res suas annotaverint Monachi nostri, qui tamen ab hodiernis quibusdam, maxime heterodoxis, ceu negligentissimi mire vapulant. Vide, Lector, quid de antiquis ac primis Germaniæ Mo-

nachis nostris Westphalus quidam haud ita pridem scripserit?

Inprimis Monachos illos universim vocat pigros, ac bonarum artium scientiarumque inimicos. Postea ad majus odium Monastico statui conflandum, speciatim adjungit, Monachos illos, qui ad Germaniæ conversionem missi fuere, cum essent meri Itali, ac Pontificiæ linguæ tenacissimi, fuisse Germanici idiomatis impatientes: & ideo antiquas Germanorum Scriptiones ceu res diabolicas diripuisse, & ignibus tradidisse: idioma ipsum Germanicum suppressisse adeo, ut cum colonus aliquis vel fimi quantitatem alteri vendere vellet, necesse deinceps fuerit, Contractum Instrumento quodam latino firmari. Scripsisse illos equidem aliqua, sed misere, fabulisque innumeris intermixtis. Inscitiam postea primum opera Lutheri fuisse proscriptam &c. Ita ille ausus est scribere, & scriptionem suam typis publicis committere.

Quid ergo ais, impudens dicacitas? Monachi ad Germaniæ conversionem missi, meri fuere Itali? Ergo tu credis, Sanctos Gallum, Magnum, Bonifacium, Rupertum, Corbinianum, Wilibaldum, Kilianum, Pirminium, Wilehadum, Adalbertum, Anscharium, aliosque viros celeberrimos ex Monachis ad cathedras Germaniæ assumptos: *Pag. mihi 119.* Monachos item Corbejæ Saxonicæ, qui, testibus Monumentis Paderbornensibus, Septentrionem pænè universum Christianæ Religionis luce collustrarunt, fuisse meros Italos? & quidem bonarum artium ac scientiarum inimicos, & idiomatis Germanici eversores? Quis unquam tam ab omni veritatis sensu alienus fuit, ut ista, non dico crederet & assereret, sed vel somniaret? quis tam impius, ut viris tantis tantam ruditatem, negligentiam atque malignitatem affingeret, universâ historiâ adversus impudentissimas hasce calumnias personante?

Deinde quis nescit, Romanos, non Monachos, sed Milites, Militumque Præfectos, cum Hispaniam, Galliam, *Mabill. de Re Diplom. pag. 55.* Germaniam subegissent, etiam Romanæ linguæ usum eis imposuisse, & id quidem demùm ab Hispanis & Gallis, non ita tamen à Germanis impetrasse, ut in hodiernum usque diem suo modo experimur. Et quid, obsecro, commodi retulissent Viri Apostolici, si monumenta antiquitatum germanico sermone conscriptarum (quæ quidem superstitiosis rebus caruissent) supprimere voluissent? quam gentis gratiam

tiam sibi conciliâssent? imò verò quis eam iis facultatem permisisset? quis scrinia illis reserâsset? Theodoricus Francorum Rex, qui Bojis aliisque Germaniæ provinciis leges imposuit, non alio eas idiomate, quàm latino conscripsit. Caroli quoque Magni Capitularia pro Saxonibus alióne quàm latino sermone fuêre exaratæ? Idipsum constat de Legibus ac Placitis publicis, quorum multa in Tomo nostro I. retulimus: quale etiam est illud, quod Dux Bojariæ Thassilo in Synodo Dingolfingana conditis legibus popularibus suppeditat? Si ergò verum esset, idioma Germanicum fuisse à quoquam (uti Hispanicum, Gallicumque) infestatum, id certè non ad Apostolicos Monachos, sed ad Reges, Imperatores, Principes, eorúmque, ut vocabant, Missos pertineret.

Vid. Basil. Herold. in originum ac germanic. antiquit. libris. Monument. Paderborn. mihi à pag. 301.

Verum audi, benigne Lector, quid de Germanorum antiquis moribus Tacitus scribat? *Viri*, inquit, *pariter ac fæminæ literarum secreta ignorant.* Quomodo ergo Majores nostri multa scripserunt? & quomodo eorum scripta potuerunt ignibus tradi?

Scio, Scriptorem nostrum Taciti dictum intelligi velle de solis literis amatoriis. Verum boni superi! quis credet, Germanos scil. antiquos novisse omnia legere & scribere: ad exarandas autem & legendas literas amatorias cæcos fuisse? Certè id aliud non est, quàm si diceremus, antiquos Germanos habuisse currus, quibus frumentum quidem in horrea induxerint, non verò fœnum in areas suas: & asciis suis usos fuisse ad arbores quidem dejiciendas, non verò ad exscindenda dumeta; quo quid ridiculum magis dici potest? Certè Germanos veteres à rebus venereis non adeò fuisse alienos, discimus ex Actis S. Bonifacii, qui eapropter pluribus in locis fæminas ex Ecclesiis proscripsit.

Profectò non nisi fortè paucissima Germanico idiomate olim fuisse conscripta, ex eo commode deducimus, quia in tot antiquitatibus, quas domi, forisque excussimus, vetustius vestigium Idiomatis Germanici hactenus nobis, ac fortè etiam aliis, non occurrit, quàm ubi in Concilio Liptinensi* An. 743. celebrato, exprimitur formula abrenunciationis faciendæ diabolo hunc in modum: *Forsachistu Diobolae?* & *Resp. Ec forsacho Diobolae. End allem diobol gelde. End allem Dioboles Wercum? Resp. End ec forsacho allum Dioboles Wercum und Wordum*, &c. Professio quoque fidei ibi exprimitur verbis sequentibus: *Gelobistu in Got almechtigan Fadaer? Resp. Ec gelobo in Got almech-*

** Liptinæ: locus, ubi hodie est monasterium Laubiense, Diœcesis Camerac.*

R. P. *Meichelbeck Hist. Frisf. Tom. II.*

mechtigan Fadaer. Gelobiſtu in Criſt, Godes Suno? Reſp. Ec gelobo in Criſt Godes Suno. Gelobiſtu in halogan Gaſt? ec gelobo in halogan Gaſt. Unde optimè conjicimus, Apoſtolicos illos viros conatos eſſe Germanis, ad fidem recens converſis, & alterius ſermonis ignaris, ſenſim verbis Germanicis exprimere, quæ ad baptismum erant cumprimis ſcitu neceſſaria. Nihil hìc dicimus de noſtro Rabano Mauro Abbate Fuldenſi, qui Gloſſarium Latinò-Theotiſcum in tota Biblia Sacra veteris & novi Teſtamenti compoſuit. Non ergò dici poteſt, Viros Apoſtolicos Germanicum idioma ſupprimere voluiſſe, ſed fidei articulos ac Evangelium in illud idioma transtuliſſe: id quod ex iis etiam egregiè demonſtratur, quæ *Tom. I. pag. 155.* de Verſione Evangelii expreſſimus.

Occurrit hìc mihi vetuſtiſſima quædam membrana Archivi noſtri, Benedictoburani, ex qua ulterius fit manifeſtum, Monachos neutiquam fuiſſe conatos idioma Germanicum ſupprimere. Ibi Monachus quidam noſter latina vocabula, ad rem potiſſimùm Oeconomicam pertinentia, conatus fuit explicare verbis Germanicis hunc in modum.

chornbus. ſpichari. ſtadel. khellari. khellari.
Granarium. Horreum. Scuria. Cellarium. Potheca.
kellnari. phiſtrin. Haſip. ovan. ſip.
Cellenarius. Piſtrinum. Sedarium. Clibanus. Cribrillum.
balla babela wanna chorp
Pila. Gramacula. Ganna vel Sporta. Corpis vel Coffi-
mutte mulin ſolari phalinza.
nus vel Qualus. Modius. Molendinum. Solarium. Palacium.
olpenta ros ſatel
Camelus. Caballus vel Sonipes. Sella. Caſtalarius
Heningeſt. folo fuli mericha
vel Spado. Poladrus. Pultrinus. Equa vel jumenta.
ſtuotari. ſtuot. eſil wilder eſil. ſatelros ſoumari
Mulio. Equaricia. Aſinus. Onager. Sellarius. Soumarius.
ohſinari ohſen ſueiga leichalmo wagen leitra
Bubulcus. Boves. Vacaria. Lorum. Plauſtrum. Scala.
wagenleiſina ſeyl rad ſpeiho. felga naba
Orbita. Funis vel reſtis. Rota. Radius. Cantus. Modiolus

ſloube

ſtouhe Aratrum.	*ſlouges boupit.* Buris.	*waganſo.* Vomer vel bidens.	*geiz.* Capra.	*kiz* Hedus.
ſuuin Porcus vel ſus.	*ber* Verris.	*ſu.* Scrova.	*farheli.* Porcellus.	*rudo* Moloſus.
hunt Canis.				

Hæc & his ſimilia, ſed quæ nimia vetuſtate detrita legi amplius non poſſunt, antiquus ille librarius noſter, haud dubiè ut Germanicum idioma addiſceret, non everteret.

Apage ergò inſolentes illas calumnias à Viris de Germania noſtra optimè meritis: de quorum rebus præclarè geſtis, Religione Chriſtiana, Scholis ac diſciplinis optimis introductis, ſuperſtitionibus atque paganiis (ut vocabant) ejectis, & actis Germaniæ cum ſummo Eruditorum commodo conſcriptis, atque ad poſteros transmiſſis, agunt Scriptores innumeri, etiam Acatholici: & nos paſſim in Tomo noſtro I. egimus & in II. iterùm agemus ſuis locis: ubi etiam novam Lutheri doctrinam (prout inſtituti noſtri ratio permiſerit) ad trutinam revocabimus. *Concil. Liptinenſe An. 743.*

At, inquis, multæ fabulæ in ejusmodi Monachorum Scriptionibus occurrunt? Audi, o bone! Monachi, quantum ad ſimilia, non fuerunt melioris conditionis, quàm homines alii cujuscunque ſtatûs, puta Reges, Principes, Nobiles, ignobiles, ſacri & profani, docti & indocti. Oſtende ſis verò hominum quoddam genus, è quo nullus unquam ſiniſtro aliquo rumore aut relatione, aut conjectura, aut vitiis librariorum, fuerit in errorem inductus? Quaſi verò ea omnia, quæ etiam eruditiſſimo hoc noſtro Sæculo inter tot ſubſidia literaria optima fide ſcribuntur, vera ſint, nihilque etiam exercitatiſſimis Viris aliquando in pennam veniat, quod à vero exerret? Si autem hoc feliciori tempore aliquando ſiniſtris ſcriptionibus, rumoribus, & relationibus imbuimur & ſeducimur, cur arguuntur antiqui ſcriptores (& quidem ſoli Monachi) quòd in ea temporum ſuorum tum ſimplicitate tum barbarie & iniquitate ex hominum paganorum relationibus fortè lapſi ſint? putásne ſolos Monachos eo privilegio debuiſſe eſſe præditos, ut falli non potuerint? Certè injuriam maximam inferremus celebratiſſimis cujusvis nationis & conditionis noſtri temporis ſcriptoribus, eò quòd in eruditiſſima eorum ſcripta aliqua irrepſerint,

rint, quæ reipsa aliter se habent. Quomodo igitur absque injuria soli Monachi vapulant, quòd scribendo aliquando cæspitàrint? Certum est, & quis sincerè eruditorum negare audebit, Monachos antiquos scriptis suis innumeris de posteritate præ omnibus aliis hominum generibus fuisse optimè meritos. Tolle antiquorum Monachorum scripta: quàm jejuna, quàm curta, quàm hiulca erit Historia non tantùm Ecclesiastica, verùm etiam Italica, Hispanica, Gallica, & maximè nostra Germanica, fatente ipso adversario nostro, *Scriptores Rerum Germanicarum ferè omnes fuisse Monachos.*

Hæc occasione Monacho-Mastigis illius breviter memoranda censuimus.

DISSERTATIO TERTIA PROLEGOMENA.

Exhibet Adjutores hujus Tomi II. ac Censores quosdam extraneos Tomi I. ubi accedunt alia ad Lectorem monita.

IN Tomi I. nostræ Historiæ Dissertatione sexta fideliter egimus de adjumentis, & adjutoribus operis nostri: quibus omnibus suam laudem hisce gratissimo animo stabilimus. Superest, ut Adjutores etiam hujus Tomi II. Posteris nunciemus.

Inter hos primum locum debemus Reverendissimo ac Amplissimo Domino Placido Abbati Ettalensi SS. Th. & J. U. D. Statuum Provincialium Deputato & Commissario &c. ex cujus alloquiis literisque complura didicimus. Quod idem de Reverendissimo D. Liebhardo Firstenfeldensium Abbate dictum esto.

Simillimam laudem Reverendissimis & Amplissimis DD. Aquilino, Canonicorum Regularium Undenstorffensium; & Præsidio Weyarensium Præpositis debemus.

Proximum locum sibi vendicat Reverendissimus, Perillustris ac Amplissimus Dominus Anton. Cajetanus ab Unertl, Collegiatarum Ecclesiarum B. V. Monacensis & S. Udalrici Habacensis tum Præpositus, tum Canonicus, percelebris Ecclesiæ S. Petri Monachii Decanus, Serenissimorum Principum

pum Electorum Coloniensis atque Bavari Consiliarius Ecclesiasticus &c. qui ex copioso dictæ S. Petri Ecclesiæ tabulario multa præclara Instrumenta, qualia ibi latere nunquam fuissemus suspicati, pro illustranda Historia nostra nobiscum communicavit collaborante Viro clariss. D. Philippo Saller, Canonico Regulari Pollingano, SS. Th. D. & Parocho in Forstenried, cui profectò pro numerosorum Instrumentorum laboriosa & accurata exscriptione & amica communicatione graviter obæratos nos gratô animô profitemur.

Observamus ordinem adventûs Religionum in Diœcesin Frising.

Multa alia subsidia literaria conquisivimus & feliciter obtinuimus à Patribus Ord. S. Francisci: à Patribus Eremitis S. Augustini: à PP. Capucinis: à PP. Minimis S. Francisci de Paula: à Patribus Carmelitis: uti etiam à Clericis Regularibus Theatinis: & Clericis in commune viventibus, aliisque, de quibus suò locò agemus: quibus omnibus publicas hasce gratias, ut par est, humiliter persolvimus, eorumque propensa studia ac labores omni laude dignos posteritati commendamus. Eorum vestigiis, si ii omnes, à quibus similia adjumenta diligenter expetivimus, institissent, dubium non est, quin Tomus hic II. plenior in lucem prodiisset, ac Frisingensi Historiæ major lux accessisset. Nunc cùm fortassis alicubi de uno & alio loco sacro, aut etiam de ipsis rebus Frisingensibus succinctior, quàm sperari poterat, mentio in hoc opere occurrerit, benignus Lector culpam non in nos, sed in defectum Informationum conjiciet.

Mirum sanè est, quàm sint diversæ hominum circa publicam antiquorum Instrumentorum editionem sententiæ. Quidam membranas suas antiquas tàm solerter in scriniis suis custodiunt, quasi, si eæ in lucem prodirent, omnem vigorem exhalaturæ essent, aut timendum foret, ne jura domestica periculo exponerentur, ipsique ceu malæ fidei possessores arguerentur. Cum hujusmodi possessoribus nihil agitur; qui interim timiditatem suam ultrò produnt, ac variis conjecturis sese reddunt obnoxios. Causam meliorem fovere se demonstrant, qui suas antiquitates toti orbi publicare non dubitant, præsertim cùm etiam intelligant, nullâ aliâ viâ commodiùs ac certiùs documenta antiqua incendiorum ac direptionum periculis subtrahi, quàm si typis impressa exemplaria in plurimorum manibus & oculis compareant. Pereant licèt postea aliqua impressa exemplaria in loco uno & altero: supererunt centena in Bibliothecis & pluteis aliis, ipsisque jura sua manebunt semper illæsa. Habemus ex ipsa

Aula Cæsarea gravissimas literas, Reverendissimum ac Celsissimum Episcopum ac Principem Joannem Franciscum (cujus anima nunc cum Deo vivit) ab Augustissimo ac Sapientissimo Cæsare Carolo VI. fuisse eximiè laudatum, quòd antiqua Ecclesiæ suæ jura toti orbi exponere non dubitàrit, optareque Cæsarem, ut Joannis Francisci exemplum etiam sequantur cæteri Germaniæ Præsules ac Principes. Simillima datis ad eundem Antistitem nostrum literis multi alii Principes ac Summorum Principum Ministri copiosè expresserunt, eidemque amplissimè congratulati fuerunt. Idem judicium fuit Virorum per Europæum Orbem eruditissimorum, è quibus non pauci non solum literis privatis, verùm etiam typis publicis, puta Frisingensibus, Augustanis, Monacensibus, Lipsiensibus & aliis consilium Joannis Francisci impensè collaudarunt, & etiamnum collaudant, semperque collaudabunt. Neque enim alia opportuniori via in sinceram rerum & Antiquitatum Germanicarum notitiam veniri potest, quàm si documenta è scriniis & pulveribus extrahantur, blattis subtrahantur, ac typis commendentur. Scimus autem, quantum intersit boni publici, ut sincera antiquitatis notitia habeatur.

Dicet hic fortassis nonnemo, fuisse è Lipsiensibus Censoribus aliquem, qui complura Historiæ Frisingensis loca acri Censura notaverit, adeoque Celsissimi Principis Joannis Francisci consilium non multum probarit.

Respondemus, Scriptorem illum, qui idiomate Germanico censuram suam edidit, & in publicum protulit, testibus etiam quibusdam Viris Acatholicis non ita esse attendendum. Certè nihil homini illi displicuit, quàm quod scribendo Lutheri stilum ac methodum declinaverimus, & ab Aribone ac Regulis Catholicæ Veritatis nòn deviaverimus. Id verò non in vituperium, sed in laudem nobis cedit. Interim alii Lipsienses Censores fuere longè modestiores, nobisque æquiores, ita, ut etiam hujus Tomi II. accelerationem non solum privatis literis, verum etiam publicis typis à nobis expetierint: quorum votis etiam libenter citiùs obsecundassemus, nisi impedimenta gravia (& inter hæc mors inexspectata Reverendissimi ac Celsissimi Episcopi & Principis) intervenissent. Norunt certè, qui nobiscum sunt, nos diuturnioris dilationis causam non esse. Poterat jam Mense Decembri anni 1726. impressioni dari initium. Cur id secutum non sit, iterum norunt illi, quibuscum eo tempore con-

conversabamur. Tacemus, post completam Scriptionem Tomi I. jussu Celsissimi Historiam Frisingensem (mille annorum) etiam idiomate Germanico à nobis debuisse scribi, ac panegyres, in maxima illa sæculari festivitate habitas, intermixta totius solemnitatis descriptione ad prælum parari: quæ omnia non minimum temporis spatium sibi postularunt, ac nobis eripuerunt. Cæterum duo illa nostra Opuscula tempore intermedio typis Frisingensibus in publicum jam ante triennium prodiere.

Illud etiam hìc monendum esse Lectorem censemus, quòd huic Tomo II. non totidem Instrumenta, quot primo, censuerimus esse inferenda: cujus rei nulla alia ratio est, quàm quòd ex literis posteriorum temporum nullo modo tanta eruditio erui, nulla tanta antiquitatis gratia hauriri possit, ac ex Documentis temporum antiquorum, quæ etiam longè majori luce indigebant, quàm sæcula nobis viciniora. Interea tamen experietur Lector, nos etiam ad illustranda sæcula posteriora non minimam curam adhibuisse. Tacemus, instrumenta recentiora plerumque nimia prolixitate sua Lectoris patientiam fatigare, ac molesta accidere: qua molestia eum liberandum esse existimavimus. Et quis ignorat, innocentiora esse Instrumenta, quæ ab annis nostris sunt remotiora: offendere verò facilè, quæ sunt propinquiora; & vel ideò delicatiùs esse tractanda?

Denique hic expungendus est error, qui in Tom. I. Historiæ nostræ de Abbatibus Campidonensibus irrepsit. Ibi Pag. 119. à lin. 37. sic scribendum fuerat: *Sub Carolo Rege, postea Imperatore, dicto Magno, malè omittitur Andogarius, sub Ludovico Pio Theotunus, & Tatto. Sub Ludovico Rege Germaniæ Erchambertus Episcopus Frisingensis. Sub Arnulpho Rege Waldo Episcopus Frisingensis. Sub Henrico I. Irminhardus. Sub Ottone Magno S. Udalricus Episcopus Augustanus. Giselfridus. Sub Ottone III. Roudolfus. Sub Henrico IV. Otenus: & Adelbertus.*


Hic erat potissimus error, quem in primo Tomo emendandum hactenùs deprehendimus. Neque diffitemur, ibi etiam aliqua alia occurrere emendanda: verùm ea ab attento ac benevolo Lectore facilè corrigi possunt. Interim longè plura, quæ passim contra quosdam Scriptores antehac adduximus, hodie à nobis possent egregiè confirmari, ac magis illustrari, si locus ferret. Nempe nobis idipsum contigit, quòd nemini Scriptorum non solet accidere, ut scilicet tractu temporis res antiquæ ex continuata Librorum ac

Codicum Lectione clariùs innotescant, dum non solùm *Dies diei eructat verbum*, verùm etiam *Nox nocti indicat scientiam*, veluti Spiritus Sanctus *Psalm. 18.* dudùm indicavit. Interim similia inter adversaria nostra diligenter annotavimus, quæ fortè aut nobis, aut Sodalibus nostris pro ulteriùs illustrando Frisingensis Historiæ Primo Tomo suo tempore poterunt deservire.

Quòd si benevolus Lector adverterit alicubi aliqua fuisse omissa, quæ in præsenti Tomo fuissent exspectata, credat, ea aut nobis fuisse planè incognita, aut non concessa, aut serò oblata, aut minùs digna visa, quàm ut publicæ Historiæ inseri mererentur: aut denique memoriam nostram (quam labilem esse, maximè post graves multorum annorum labores, libenter profitemur) subterfugisse.

Confidimus interim, præsentem Tomum non solùm ad res Bojariæ, sed etiam Austriæ: imò etiam Ecclesiæ & Imperii illustrandas aliquid lucis esse allaturum: quòd, Deo dante, per decursum patebit.

Obtestamur autem Lectorem, ut, priusquam ad legendam hanc Historiam se convertet, priùs Errata, in fine hujus Operis annotata, conspicere ne gravetur,



HISTO-

HISTORIÆ FRISINGENSIS SÆCULUM SEXTUM,

Ab anno Christi MCCXXIV. usque ad annum MCCCXXIV.

Sive

LIBER SEXTUS De Episcopis Frisingensibus.

CAPUT PRIMUM.

Prosecutio actorum Geroldi XXV. Episcopi Frisingensis.

§. I.

Res Geroldi Episcopi usque ad annum Christi MCCXXX.



Rosequendo Frisingensem Historiam, quam hactenùs propitio Numine usque ad añum Christi MCCXXIV. utcunque perduximus, incidimus in luctuosa tempora, dum anno subsequenti, Christi MCCXXV. hyems rigidissima, ac solito longè productior ingruit, fame gravissima ad biennium subsecuta, qua multi miserè periêre, ut notavit Tritthemius noster. Occurrit tristibus fatis in Thuringia sua Elisabeth Landgravii Uxor, ex regio Hungariæ sanguine orta, dum præclaram cogendarum in cœlo divinarum opum occasionem aucupata, ac pauperis manum Christi esse Gazophylacium arbitrata, terrenas, quas possidebat, opes in egenos admiranda pietate effudit. Neque minor fuit erga inopes S. Engelberti Coloniensis Archiepiscopi in fame misera vexatos charitas, quippe qui frumento in Moguntina provincia ingenti copia comparato, atque inde secundò Rhenô navibus vecto indigentibus subvenit, meritus, ut eodem an-

Fames in Germania.

Annal. Hirsaug. T. I.

Raynaldus.

no gloriosi Martyrii palmam consequeretur, à Friderico Comite de Ysenberg, sororis suæ filio, qui tenacem ejus pro justitia zelum ferre non poterat, octo & triginta vulneribus in itinere confossus. Corpus illius Coloniam reductum magnis prodigiis tamdiu claruit, donec ejus interfector Fridericus rotæ supplicium extra Coloniæ muros subiit, post cujus tamen mortem cessârunt Divi Martyris beneficia, quippe qui parricidæ dudùm ignoverat, neque vindictam cogitaverat, malens forrassis supplicibus deinceps non benefacere, quam vindictam interfectori suo illatam ulteriùs benefaciendo comprobare. Similia charitatis encomia tribui non posse Geroldo Episcopo nostro, quippe erga pauperes durissimo, infrà videbimus: ubi nihilominùs illius janitori ejusmodi laudem deberi, miraculô demonstrabimus.

Initia Episcopatûs Lavantini.

Ad supradictum annum 1225. Raynaldus refert institutionem novi Episcopatûs S. Andreæ in valle Lavantina, factam ab Eberhardo II. Truchsessio Archiepiscopo Salisburgensi, quam probavit Honorius III. Summus Pontifex, postquam à Geroldo Episcopo nostro, & duobus Abbatibus Salemitano, & S. Crucis in Austria edoctus fuit, nullum exinde præjudicium alteri Ecclesiæ imminere. Litteræ Pontificiæ ad Episcopum & dictos duos Abbates sunt tenoris sequentis:

vid. Hist. Salisb. à pag. 997.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Episcopo Frisingensi & dilectis filiis de Salem & de S. Cruce Abbatibus Constantiensis & Pataviensis diœcesium salutem & Apostolicam benedictionem. Venerabilis Frater noster Salzeburgensis Archi-Episcopus olim providè cogitans, quod, cùm haberet diœcesin valde diffusam, non sufficeret universis habitantibus in eadem pastorali sollicitudine imminere, vidensque, quod messis quidem multa, operarii verò pauci, rogavit dominum messis, ut operarios destinaret, quia primo à felicis memoriæ Innocentio Prædecessore nostro postulavit instanter, & tandem obtinuit novum Episcopatum in Ecclesia Chiemensi creari. Postmodùm quoque jam sentiens, quod onus divisum in plures facilius sustinetur, post validam precum instantiam & deliberationem à nobis prahabitam diligentem, impetravit Seccoviensem Ecclesiam fieri Cathedralem. Deinde vero considerans, quòd commissi sibi gregis dominici multitudo adhuc indiget alterius curâ Pastoris, cùm ipse propter viarum pericula vix valeat totam diœcesin visitare, apud nos opportunè institit importunè, ut in Ecclesia S. Andreæ de Lavent, in qua cùm ministraret unus Presbyter sæcularis, in ea Præpositum & Conventum Regularium noviter ordinavit, Episcopalem Sedem institueve dignaremur.

Cautelæ Pontificis in erigendo novo Episcopatu.

Sed nos rei circumstantias nescientes, utrùm videlicet Salzburgensis Ecclesia Capituli & Præpositi, & Conventûs S. Andreæ ad id assensus accederet, & an id Salzburgensi Ecclesiæ expediret, vel Ecclesia St. Andreæ servaretur indemnis, & ignorantes provisionem & diœcesin futuro Episcopo assignandas, ejusdem Archiepiscopi precibus tunc non duximus annuendum. Nuper autem per suas nobis litteras intimavit, quòd paratus erat futuro Episcopo unam diætam & dimidiam in diœcesi assignare, cui trecentas Marchas in annuis redditibus deputavit, post obtentam à nobis super hoc licentiam assignandas. Dictum quoque Salzeburgense Capitulum, nec non Præpositus & Conventus S. Andreæ se id acceptare, transmissis ad nos litteris profitentur. Quare supradictus Archiepiscopus preces supplices inculcavit, ut id dignaremur perducere ad effectum.

Volentes igitur adhuc in tanto negotio cum debita maturitate procedere, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs inquirentes super his omnibus diligentiùs veritatem, si ea inveneritis, sicut superiùs sunt expressa, & specialiter, si prædictorum Capituli, Præpositi & Conventûs ad id assensus accesserit, memorato Archiepiscopo, in prædicta Ecclesia S. Andreæ instituendi Episcopalem sedem tribuatis auctoritate Apostolica facultatem, reservatis per omnia privilegiis & honoribus Archiepiscopo & Ecclesiæ Salzeburgensi, sicut in duobus aliis Episcopatibus sunt servata, prout in nostro & felicis recordationis Innocentii PP. Prædecessoris nostri rescriptis pleniùs conti-

continetur. Quò si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu frater Episcope cum eorum altero ea nihilominùs exequaris. Dat. Reate VIII. Cal. Augusti Pontificatûs nostri anno nono.

Superiori anno, Christi 1224. Meinhardus Abbas Weihenstephanensis sacros fasces ultrò abjecerat, in ejus locum hoc anno subrogatus est Udalricus I. ex celebri Monasterio Attilensi accitus: qui tamen nonnisi anno unico provixit, nactus successorem Udalricum II. ex Seonensi Monasterio assumptum. Schyrensis quoque Abbas Conradus hoc anno Magistratu se abdicavit, *intuitu & amore Dei, non timore Ducis Ludovici*, ut ait Conradus Schyrensis Scriptor percelebris, qui addit, id accidisse præsentibus Episcopis Frisingensis & Eistetensis Ecclesiæ. Legimus in Salisburgensi Chronico, quod Vir cl. P. Hieronymus Pezius edidit ad annum Christi 1226. sequentia: *Frisinga duabus vicibus exusta est, tàm Civitas, quàm ædificia montis & Ecclesia.* Consonat sæpè laudatum Kalendarium Weihenstephanense, in quo manu coæva hæc notantur: *hoc anno Civitas tota combusta est Frisinga, tàm Ecclesia, quàm domus.* Simillima tradit Conradus Schyrensis apud P. Hier. Pezium. Id verum esse ex literis Gregorii IX. ad Geroldum Episcopum post biennium datis infra intelligemus, ubi etiam apparebit, incendium illud non fortuitò, sed ex pessimorum nebulonum studioso facinore accidisse. Honorius Pontifex hoc anno Beyhartinganis parochialem Duntenhusianam Ecclesiam confirmavit. Seraphicus verò Pater Franciscus ad immortalem gloriam evolavit, cujus sacræ soboli eodem anno Ratisbonæ domicilium obtigit operâ Conradi Episcopi, qui antehac hujus Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Præposituram gessit, ut alibi diximus.

Tom. II. Script. rer. Austr. col. 414. Novum incendium Urbis Frisingensis. *Tom. II. p. 414.* *N. 1. in parte Instr.*

Annno 1227. die 18. Mensis Martii extremum diem clausit Honotius III. Pont. Max. cui Hugolinus Cardinalis juxta Divi Francisci vaticinium statim postera die successit, qui Gregorii nomen sibi indidit, & sequenti anno eundem Seraphicum Patrem de Christiano orbe amplissimè meritum Sanctorum albo adscripsit. Fridericum verò II. Imperatorem, qui pactis cum * Suldano turpissimis, ut quidam opinantur, induciis sacrum bellum abruperat, è cœtu fidelium proscripsit. Verùm paulò post idem Gregorius Papa metu Friderici Imperatoris & Romanorum Civium ab eodem pessimè inductorum Perusium sese contulit. Ad eum, Perusii constitutum, Geroldus Episcopus noster literas dedit, quibus modum succurrendi Frisingensibus ruinis exposuit. Annuit Pontifex & Episcopo rescripsit in hæc verba:

Franc. Pagius in gestis Gregor. IX. Honorio III. succedit Gregorius IX. * al Saladino. *Raynald. ad ann. 1228.*

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Frisingensi salutem & Apostolicam benedictionem. Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum Ecclesia & Civitas Frisingensis sint incendio devastata, ac ad ipsius Ecclesiæ domoriumque suarum reparationem propria non suppetant facultates, absolvendi eos, qui de civitate ac diœcesi tua incendium commiserunt, ad Apostolicam sedem propter senectutem & alia impedimenta venire non possunt, ac convertendi in reparationem Ecclesiæ prædictæ, quæ ipsi expendere ad nos veniendo deberent, potestatem tibi concedere dignaremur. Nos ergo fraternitati tuæ in hoc gratiam facientes authoritatem tibi præsentium vigore concedimus postulatam, dum tamen iidem incendiarii de damnis passis satisfaciant congruenter. Dat. Perusii Kal. Julii Pontificatûs nostri An. XI.

Qui rescribit Geroldo nostro.

Ex his temporis notis perspicuè intelligimus, recitatas Pontificis literas ad annum Christi 1228. pertinere, cùm Gregorius Petri Cathedram conscenderit Anno Christi 1227. mense Martio ut supra monuimus. Cæterùm quinam fuerint flagriones illi, de quibus in responsione Pontificis agitur, quidve eos ad tantum flagitium committendum impulerit, divinare non vacat, dum interim miramur, eam rem Frisingæ non fuisse studiosiùs in tabulas relatam.

Circa idem tempus, & quidem Anno Christi 1227. Ordo Teutonicorum plantatus est in Germania, & anno sequenti Ordo Patrum Carmelitarum ex Asia

In Annal. Hirsaug. N. 2. progressus est in Europam, ut Trithemius noster scribit. Collegio S. Zenonis in Isen Geroldus noster Sacri Curionis loci illius munus ac fructus assignavit. Literas in parte altera referimus.

Imago Forstenriedensis Crucifixi. Anno 1229. duo religiosi Viri ordinis nostri Isaac & Bertholdus in inclyto Monasterio Seonensi professi, qui eousque in celebri Sacello Castri Andecensis Sacra administraverant, imminente arcis illius ob bella inter Principes exorta excidio sculptam crucifixi imaginem profanis militum manibus subtracturi, & ad suum Monasterium ceu Asylum secum deportaturi erant. Venerant autem in fuga sua ad non incelebrem pagum Forstenried dictum, uno ab urbe Monacensi milliari germanico distantem, & huic Frisingensi dioecesi subjectum: Cùm ecce! mora perquàm longa injicitur piis viatoribus. Divinitùs enim accidit, ut sacra imago inde aufferri non potuerit, tametsi duo illi sacri portitores nihil intentatum reliquerint, ut eam secum ducerent. Ita factum est, ut ipsi quoque iter suum absque thesauro suo prosequi minime vellent. Ergo substitêre in pago, & omnes reliquos vitæ suæ dies ibidem Crucifixo consecrârunt, post mortem tumulum ibi nacti, uti tum Andecenses, tum Pollinganæ tabulæ asseverant. Visitur adhuc ibi sacer thesaurus in Parochiali Ecclesia, & multis beneficiis clarescit, regularibus Divi Augustini Canonicis Pollinganis Sacra ibidem curantibus, & fidelium mentes ad ejusdem Crucifixi Servatoris nostri adorationem quà verbo quà opere religiosè stimulantibus.

Geroldus Neocellensibus beneficus. Eo tempore Geroldus Episcopus noster insignem donationem fecit Monasterio Neocellensi, uti ex sequentibus literis apparebit.

In nomine Domini Amen. Geroldus Dei miseratione Frisingensis Episcopus universis, qui presentem paginam inspexerint vel audierint salutem in nostre salutis auctore. Ut omnibus Ecclesiis, quas ad regendum sola Dei favente gratia suscepimus, & his maximè, que in sancta religione & Dei servicio die noctuque forcius laborare videntur cura & sollicitudine pastorali providere ac benefacere studeamus, & commissi nobis officii ratio deposcit, & ad hoc paterne caritatis inducit affectus. Hinc tam futurorum quàm presencium memorie duximus commendandum, quòd omne jus & proprietatem ad nos in curia in Alberhusen iuxta Ecclesia sita, quam à Chunrado filio Henrici comparavimus pertinentem, cujus oblegatio hereditaria succeffione ad nos fuit devoluta, Ecclesie beati Petri in Novacella & fratribus ibidem Deo famulantibus pro remedio anime nostre contulimus. Insuper advocatiam predicte Curie, quam nobis Illustris Dux Bavarie Ludwicus juxta rivum, qui volgo dicitur Haselfurte resignavit Ecclesie jam dicte simili modo tradidimus. Ut autem hec firma & inconvulsa permaneant, presentem paginam tam nostro quàm eciam Ducis memorati sigillis placuit roborari. Acta sunt hec Anno Incarnationis Domini MCCXXVIIII. Indictione secunda, Pontificatûs nostri anno VIIII. feliciter Amen. Hujus rei testes sunt Ludwicus Dux Bawarie, Fridericus Prepositus S. Andree, Ulscalcus Can. S. Marie & Prepositus S. Viti, Fridericus Canonicus S. Andree, Henricus de Abdorf & Can. S. Andree, Kalochus Comes de Kirchbere. De Ministerialibus Episcopi Eberhardus & Fridericus fratres de Swabingen, Heinricus de Utingen, Pertoldus de Gebolspac, Diepoldus de Gmhusen, Otho de Udemarsvelt. Ministeriales Ducis Ulricus Cyphus de Purchrain, Henno de Haselpach, Henricus de Zwainkirchen & frater ejus Wiemannus, Sigmarus filius Sibenbar, Pertoldus Pincerna deode, Chunradus Prepositus Episcopi, Ulricus Judex de Verigen, Wolfcherus Servus Episcopi, Fridericus de Marepach, Ch. pistor Episcopi, H. Villicus de Nusraim, Chunradus Murator, Henricus Coquus & Eberhardus, Henricus Krimm. Henricus tornator & filius ejus Wernherus & multi de familia nostra.

Uti etiam Duci Austriæ. Eodem anno Geroldus Episcopus cum Liupoldo Austriæ & Styriæ Duce sequentem tractatum iniit.

Notum sit omnibus præsentibus & futuris, quòd inter venerabilem Episcopum Geroldum & Liupoldum Illustrem Ducem Austriæ & Styriæ tractatus bujusmodi intervenit, quod videlicet idem Episcopus jam dicto Duci feodum in Marchia, quod Heinricus Marchio Ystriæ beatæ memoriæ ab ipso Domino Episcopo babuisse dinoscitur, justo titulo feodali concessit in toto, Scilicet in bominibus, castris, in rebus aliis quibuslibet, terris cultis per omnia & incultis, & bujus feodi idem Episcopus debet esse auctor contra omnem bominem ipsius Ducis secundum justitiam, quod Gewer vulgariter nuncupatur. Sed & si idem Episcopus boc non fecerit, omnem pecuniam, quam super boc à Duce recepit, restituere in pleno tenetur eidem. Et ipse Dux eidem Episcopo dare promisit mille quingentas marcas argenti ponderis Coloniensis, & ipsius consilio centum L. marcas, de qua pecunia in proximis octavis Pascha idem Dux apud Wiennam solvet ML. marcas Episcopo antedicto, & in proximo venturo Festo Sancti Michabelis apud Wiennam similiter ipsi Episcopo solvere tenetur reliquas DC. marcas. isto tamen pacto apposito, quòd si memoratus Dux in ipso festo Michabelis, ut dictum est, bas DC. marcas solvere forsan omiserit, illæ ML. marcæ, quas solvit, sibi sint perditæ; & præterea antedictum feodum ab eo absque lite omnimoda sit solutum. Acta sunt bæc apud Wiennam in Nonis Aprilis Anno Domini M.CC.XXVIIII. mediantibus Berbtoldo venerabili Sanctæ Aquilegiensis Ecclesiæ Patriarcba, & præfato Episcopo Frisingensi Geroldo, & prædicto Duce Liupoldo, quorum sigillis bæc pagina ad majorem confirmationem cernitur roborata, & Eiscopus unam, & Dux alteram observabit. Hujus rei testes sunt Heinricus Præpositus Pataviensis, Eberbardus Decanus Frisingensis, Berbtoldus Plebanus de Greze & vicedominus, Heinricus nobilis de Vilalt, Chuno de Zuse, Eberbardus de Swabingen, Isenricus Camerarius, Sigbardus de Chiemberch, Reimbertus de Murekke, Otto de Perbtoltsdorf, Isenfridus de Himperch & alii quam plures.

Hæc in laudem Geroldi poterant hactenus utcunque recenseri, sed cui dici poterat: *in fine ne corrumpas.*

§. II.

Status publicus Ecclesiæ & Imperii.

Adelzreit.

Diffidia inter Pontificem & Imperatorem.

CAusa, ob quam Gregorius IX. Pont. Max. Fridericum II. Imperatorem Anno 1228. diris devovit, (ut supra dicere cepimus) erat, quod Imperator cum Sultano decennes inducias, Christiano nomini probrosas, pactus sit. Equidem Sultanus eidem cesserat Hierosolymitanam urbem unà cum Palæstina, Nazaretho, Joppe & multis oppidis, addita facultate Regium nomen, sceptrum atque coronam usurpandi; verum ista non exæquabant Pontificis vota, cùm Sultanus Templum Dominici Sepulchri sibi reservasset, cujus tamen recuperatio Pontifici totique Christiano exercitui præprimis curæ erat. Fridericus quidem, postquam sibi ipsi Coronam Regiam Hierosolymis imposuerat, seque Hierosolymorum Regem declaraverat, postea cum duabus triremibus in Apuliam rediit, auditoque, Pontificis animum à se esse prorsus alienum, nobilissimos Principes, & inter hos etiam Leopoldum Austrium misit, qui eum flecterent, sibique faventiorem redderent: ast incassum. Pontifex enim suspicatus, longè aliò spectare Cæsaris consilia, eumque nonnisi occupandis Pontificiis ditionibus imminere, placari non poterat, maximè cum jamjam passim per Italiam comparerent copiæ Friderico addictæ, quæ res etiam permovit Pontificem, ut relicta Urbe Romana Perusiam sese conferret, ut supra jamjam monuimus. Misit etiam è suis Cardinalibus unum in Germaniam, qui Principibus exponeret, quàm malè Impera-

perator rem Christianam in Palæstina gesserit, quàm indignè nunc Pontificiis terris insidietur. Fuêre nihilominùs magni Alemanniæ Principes, Patriarcha Aquilejensis, Archiepiscopus Salisburgensis, Episcopus Ratisbonensis, nec non Meraniæ & Carinthiæ Duces, Leopoldus Austrius, & Teutonici Ordinis Magister, qui Pontifici mitiora identidem consilia suggererent, ac Cæsaris causam longe benigniùs describerent. Et sanè si vera sunt ea potiùs, quæ Richardus à S. Germano, homo Synchronus, & rebus gestis præsens in suo Chronico diffusè scribit, ipsum nimirum Pontificem absentis Imperatoris & in Syria pugnantis terras & loca quædam invasisse, eòque pacto Imperatorem è Syria retraxisse, profectò merebatur tunc quidem magnam partem excusari Imperator, & à suis modeste defendi. Audiit etiam tandem laudatos Principes Gregorius, & anno sequenti, Christi 1230. Friderico reconciliatus eundem Calendis Septembribus Anagniæ ad alloquium & mensam admisit. At non diu ea pax sibi constitit. Leopoldus paulo post ad S. Germanum, Campaniæ ac ditionis Casinensis urbem, extremum diem obiit. Exta in vicina Divi Benedicti Basilica Casinensi à Cardinalibus fuêre condita: reliquum cadaver in Austriam reductum, in celebri Monasterio Campi-Liliorum, * quod Leopoldus pro Cisterciensi familia largè fundaverat, tumulo illatum est. Additur in Salisburgensi Chronico, ipso sepulturæ die Monasterium illud ab Archiepiscopo fuisse consecratum. Eodem ferè tempore inter Cæsarem & Ludovicum Bavariæ Ducem simultates quasdam exarsisse quidam tradunt: causas non produnt. Fasti Weihenstephanenses manu synchrona scripti sic habent ad annum Christi 1229. *Dum Werra* (nempe bellum) *inter Apostolicum* (Pontificem) *se protraheret, Henricus Rex, Imperatoris filius, Ludewicum Ducem Bauariæ bellò petit, fines Bauariæ devastando.* Causa iterùm non exprimitur.

vid. Scriptor Rer. Italic. Tom. VII. col. 1013.

* *Lilienfeld.*

Apotheosis B. Virgilii petitur à Pontifice.

Ea ipsa tempestate Eberhardus II. Archiepiscopus Salisburgensis unà cum Canonicorum suorum Collegio datis ad Pontificem literis exposuit, quantis prodigiis clarescerent Beati Virgilii Salisburgensis olim Episcopi Sacræ Exuviæ, adjecto libello supplici, ut Gregorius Sanctorum Catalogo eundem adscriberet. Pontifex eo nuncio exhilaratus, Brixinensi Episcopo, & quibusdam Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Pataviensis, Abbatibus veritatis inquirendæ munus imposuit. Extat epistola Gregorii, cujus magnam partem Raynaldus recitat. Facta deinceps diligenti inquisitione patuit, quàm vera essent, quæ Archiepiscopus Pontifici de Beato Viro nunciaverat. Hinc deinceps non anno 1232. nec die 10. Junii aut 9. Julii: sed anno 1233. die 18. Junii in censum Sanctorum Virgilius relatus est, veluti Raynaldus demonstrat. De Geroldo nostro nihil simile reperimus scriptum, ut modò videbimus.

ad annum 1230. N. 26.

Et obtinetur.

§. III.

Geroldi Episcopi accusatio, exautoratio & mors.

Geroldus dilapidat bona Ecclesiæ.

Quam malè in fine rem gesserit Geroldus Episcopus, docemur ex eo, quòd dilapidando & consumendo bona Episcopatûs sui eò dementiæ devenerit, ut ipsam etiam Frisingensem urbem Bojariæ Duci in *beneficium* seu *feudum* concesserit. Hinc alitèr fieri non potuit, quàm ut Episcopus tum Pontifici tum Imperatori accusaretur. Id qua ratione apud Pontificem contigerit, docet nos ipse Gregorius IX. qui in suo quinto Decretalium libro *T. 1. de accusationibus cap. finali* sic habet:

Gregorius IX. Episcopo Cister.
de Alde & de Salem Abbatibus.

Præla-

Prælatorum excessus. Et infra. *Sanè dilecti filii C.* * *& quatuor alii Canonici Frisigien. denunciando monstrarunt, quòd Frisigien. Episcopus bona sui Episcopatûs (quem, ut dicunt, fuit minus canonice assecutus) adeo graviter dilapidat & consumit, quod (nisi celeriter adhibeatur remedium) Episcopatus idem per eum ad irreparabile dissolutionis opprobrium deducetur: nec solummodo rerum, verùm etiam famæ suæ prodigus & salutis, vitam ducit enormiter dissolutam.* Et infra. *Discretioni V. mandamus, quatenùs personaliter accedentes ad locum inquiratis sollicitè veritatem, & eam fideliter conscribentes, sub sigillis vestris nobis transmittatis conclusam. Eidem Episcopo terminum assignantes, quo nostro se conspectui repræsentet, pro meritis recepturus. Potestate vendendi, dandi, infeudandi, seu quomodolibet alienandi bona ipsius Ecclesiæ interim eidem penitùs interdicta.*

* *Conradus Præpositus Inticensis & Cathedr. Ecclesiæ Canonicus Geroldi Successor.*

Citatur ad Pontificem.

Hanc accusationem, commissionem, ac postea informationem contigisse anno Christi 1229. ex eo benè colligimus, quod statim sequenti anno 1230. die 8. Februarii Eberhardus Salisburgensis Archiepiscopus, & Sifridus Episcopus Ratisbonensis à Pontifice fuerint delegati ad causam Geroldi Episcopi discutiendam ac terminandam, uti etiam postea sexta die Junii iidem duo Antistites Pontificia authoritate Sententiam Excommunicationis pronunciârunt adversus eos omnes, qui pactis illicitis bona Ecclesiæ Frisingensis à Geroldi prodigalitate accepissent, & ea restituere nollent. Literæ sic habent:

Vicini Episcopi exequuntur mandatum Pontificis.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Eberhardus Dei gratiâ Salzeburgensis Archiepiscopus, & Sifridus eâdem gratiâ Ratisponensis Episcopus, Judices à Sede Apostolica Delegati per scriptum præsens, cujus verba hec sunt. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus Archi-Episcopo Salzeburgensi & Episcopo Ratisponensi salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm libenter provideamus Ecclesiarum profectibus & dispendiis occurramus, Ministris earum, qui ad recuperationem bonorum suorum intendere cupiunt, merito favorem benivolum impertimur. Cùm igitur sicut dilectis filiis Capitulo Frisingensi insinuantibus intelleximus, Civitas Frisingensis & alia nonnulla de bonis Frisingensis Ecclesiæ per alienationem illicitam detineantur à multis, nos eorum precibus inclinati, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenùs civitatem eandem, & alia, quæ de bonis ejusdem alienata inveneritis illicitè, ac distracta, ad jus & proprietatem ipsius legitimè revocetis, contradictores per censuram Ecclesiasticam, non obstante contraria indulgentia, compescendo, ac inhibendo districtiùs, ne alienetur de cetero Civitas memorata. Dat. Perusii IV. Id. Februarii, Pontificatûs nostri anno tertio. Igitur quia constitit nobis Civitatem Frisingensem alienatam esse in grave præjudicium Frisingensis Ecclesiæ, extra casum concessum, preter formam debitam, immo quia per jura nobis persuasum fuit, civitatem ipsam sic alienari nullatenùs de jure potuisse, presertim cum in nostra & aliorum Principum presentia Dominus Imperator, qui est animata lex in terris, in pleno consistorio sententialiter declaraverit, & quasi pro lege promulgaverit: Sedes Episcopales nullatenùs infeodari posse, alienationem de predicta Civitate factam inanem & irritam judicamus, & sicut de facto processit, ita de facto ipsam cassamus revocantes eam ad jus & proprietatem prædictæ Ecclesiæ plenè & integrè, sicut ante alienationem frivolam liberè pertinebat. Excommunicamus & generaliter omnes illos, qui occasione illius alienationis aliquid juris in ea de cetero sibi præsumpserint usurpare, aut Ecclesiam ipsam, quo minùs civitatem ipsam in pace ac quiete possideat, & in ipsa jus & jurisdictionem suam exerceat, temptaverit impedire. Illos & qui deinceps eandem civitatem alienare, vel alienanti consentire, vel ab alienante recipere præsumpserint, Excommunicationis sententiæ, quàm modo ferimus, præcipimus subjacere. Dat. apud Sanctum Germannum sexto die stante mense Junii, Pontificatus Domini Gregorii IX. Papæ anno quarto.

Hæc Delegati Pontificii adversùs usurpatores rerum Ecclesiæ Frisingensis: Ipse

Geroldus excommunicatur.

Ipſe verò Pontifex eodem anno die 29. Julii adverſus Geroldum Bullam depoſitionis ſeu exauctorationis expediri mandavit, uti alicubi annotatum legimus. Verùm quorſum Bulla illa devenerit, etiam poſt adhibitas ſagaces curas experiri non potuimus.

Hæc in Aula Pontificis fuêre geſta. Quid verò in caſtris Imperatoris propè Anagniam eo tempore ſuper tractatu Geroldi Epiſcopi cum Bojariæ Duce inito, ad preces ſupradicti Præpoſiti Inticenſis fuerit conſtitutum, ex ſequenti Diplomate (quod ante nos dudum Hundius edidit) diſcimus.

Etiam Imperator reprobat factum Geroldi.

* Nos.

*F. Dei graciâ Romanorum Imperator Auguſtus, Jeruſalem & Sicilie Rex dilectis fidelibus ſuis Prepoſito, Decano & univerſis Miniſterialibus Eccleſie Friſingenſis tam preſentibus quam futuris imperpetuum. Ad hoc Rex Regum & Dominus Dominancium ad obtinendum diadema Imperii * ſublimavit, ut univerſis & ſingulis equitate ſervata, que in prejudicium Eccleſiarum & perſonarum exiſtencium in eisdem, quas manutenere ac tueri tenemur, ab aliquibus temerè attemptantur, provide ad earum comodum revocemus, ut feliciter nobis regnantibus nullum diſpendium vel diminucionem rerum temporalium incurrant, ſed pociùs Imperialis ſublimitas clemencia in libertatibus ſuis & juribus ſalubriter & ſine leſione aliqua gubernentur. Cùm igitur ſicut dilecto fidele noſtro C. Prepoſito Inticenſe didicimus referente G. quondam Epiſcopus Friſingenſis Civitatem Friſingenſem ad jus & proprietatem Friſingenſis Eccleſie dotis titulo pertinentem Duci Bawarie in feodum duxerit concedeudam in grave Friſingenſis Eccleſie detrimentum, & idem Prepoſitus ſuper hoc coram uobis & Principibus in curia noſtra preſeutibus queſtione depoſita cum inſtancia poſtulaſſet Imperiali ſentencia diffiniri, utrùm hoc facere licuiſſet Epiſcopo ſupra dicto? Nos tandem peticioni ſue benignum prebentes auditum cum Aquilegienſi Patriarcha, & ArchiEpiſcopo Salzburgenſi, & Epiſcopo Ratisponenſi, & Auſtrie atque Meranie nec non & Karinthie Ducibus, & cum aliis noſtris fidelibus ſuper hoc tractatum habuimus diligentem ab univerſis & ſingulis, quid juris eſſet? ſollicite inquirentes, & quia nobis viſum fuit, quòd infeodacio hujusmodi fieri non potuit, quia de jure non debuit, ſtatuimus eam eſſe penitùs irritandam. Quia vero Civitas Friſingenſis eſt Sedes Epiſcopalis, & prima legittimaque dos Eccleſie Friſingenſis ante ipſius dedicacionem ad opus miniſteriorum, & luminarium ejusdem Eccleſie legittimè cum omni jure ac plenaria libertate collata, & propterea non licet eam cuiquam quoquam titulo infeodacionis couferri. Nos apud Anagniam conſtituti memorate civitatis infeodacionem ſub quocunque titulo infeodacionis factam de Principum predictorum conſilio Imperial. noſtre Majeſtatis auctoritate caſſamus & decernimus eſſe nullam, eandem civitatem cum omni ea libertate, quam ex antiquo habuiſſe dinoſcitur ad jus & proprietatem & uſus debitos Friſingen. Eccleſie revocantes. Nulli ergo hominum liceat omnino hanc noſtram ſentenciam infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, Mille M. auri componat, medietatem nobis, reſiduum Eccleſie ſupra dicte, ſentencia eadem nihilominus in ſuo robore imperpetuum duratura. Ad hujus autem ſentencie noſtre memoriam & ſtabilem firmitatem preſentem divalem paginam fieri, & Bulla aurea typorio noſtre Majeſtatis impreſſa juſſimus communiri. Hujus quoque rei teſtes ſunt hii: Eber. ArchiEpiſcopus Salzburgñ. Sifridus Epiſcopus Rat. Imperialis aule Cancellarius, Frater Hermannus Rector domùs Deuthunicorum, Pernhardus Dux Karinthie, Rudolſus Comes de Awichspurch, C. Purchgravius de Nurnberch, Gebhardus de Ayuſtein, C. de Hohenloch, Engelh. de Adelburch, Bernhardus de Hagenawe, Al. Rindsmaul, C. de Weizenburch, Reimarus de Prennenberch & aliis quam plures. Acta ſunt hec Anno Dominice Incarnationis M.CC.XXX. menſe Septembr. quarte Indictionis, imperante Domino noſtro F. Dei gracia invictiſſimo Romano Imperatore ſemper Auguſto, Jeruſalem & Sicilie Rege, anno Imperii X. Regni Jeruſalem quinto, Regni vero Sicilie XXXII. feliciter Amen. Dat. per manum Sifrids Rat. Epiſcopi & Imperialis aule Cancellarii, in caſtris prope Anagniam, anno, menſe & Indictione preſcriptis.*

Ex

Ex his omnibus liquidò apparet, Geroldum malè à quibusdam diei *resignâsse* sive sponte abdicasse Episcopalem dignitatem, cum certe neutiquam liberè renunciaverit sedi suæ, sed ex ea omninò fuerit ejectus: quod etiam benè annotârunt Fasti Weihenstephanenses, in quibus Geroldus apertè dicitur fuisse *depositus.* Eum posthac fuisse redactum in Canonicorum ordinem, intelligimus ex quibusdam literis sequenti anno exaratis, ubi inter testes Geroldus ponitur post Uttonem Præpositum, ut suô locô videbimus. Et hoc quidem valuêre tum Pontificia tum Imperialia Decreta: ast non idcircò bona omnia à Geroldo distracta Ecclesiæ fuêre statim restituta, cum etiam posthac eorum usurpatores adhuc gravissimas lites adversus Successorem Geroldi Conradum excitaverint, veluti per decursum apparebit.

Mors exauthorati Geroldi solet reponi ad diem 29. Mensis Martii Anni 1231. De ejus tumulo variant manuscripti Codices. Quidam volunt, eum fuisse statim sepultum extra Cathedralem basilicam in porticu. Alii addunt, eum primò quidem fuisse tumulatum in dicta Ecclesia, & quidem prope Sacellum S. Thomæ: postera vero die sepulchrum illius apparuisse apertum, & cadaver illius fuisse deprehensum extra basilicam prope Natatile Sonipedum stabuli aulici, ac demum sursus tumulo illatum in eo spatio, quod hodie inter Cathedralem & Collegiatam S. Joannis Ecclesiam interjacet. Codex sub Vito Adamo Episcopo LIII. scriptus addit, non expedire, ut causa hujus pœnæ posteris nuncietur. In lapide sepulchrali (qui Anno 1682. à sepulchro amotus fuit ob cœptum ædificium porticûs, quæ ex aula in Cathedralem Ecclesiam ducit) visuntur duo litui Episcopales, cum hac inscriptione: *Obitus Geroldi. & Sepultura.*

Geroldus Episcopus hujus sedis obiit 4. Kal. Aprilis. malè rexit Ecclesiam annis XI. sepultus est extra Monasterium in porticu. idem alienavit multa bona ab Ecclesia, quæ omnia reformata fuerunt per Successorem suum Chunradum Tolznarum, sicut in Bulla Imperiali aurea & aliis scripturis reperiuntur. Chunradus Episcopus Tolzner hujus Sedis obiit XV. Kal. Febr. rexit Ecclesiam annis XXVII.

Ex hac inscriptione fit manifestum, eam primum post mortem Successoris Episcopi Conradi I. lapidi illi fuisse incisam. Porrò quod Geroldus Episcopus dicatur malè rexisse Ecclesiam annis XI. accipi aliter non potest, nisi de XI. annis incompletis. Fasces enim Episcopales capessivit anno Christi MCCXX. die 28. Aprilis, quos dimittere coactus est die 29. Julii anno 1230. Unde conficimus eum nonnisi annis decem, ac mensibus tribus in gradu illo stetisse.

Ex constanti traditione, quam etiam literis consignatam alicubi conspicimus, constat, Geroldum erga egenos oppidò fuisse immisericordem. Accidit vero aliquando, ut Otto Seemoser (quem janitorem Episcopalis aulæ fuisse tradunt) panes in semicinctio reconditos pauperibus cuperet ex more distribuere. Vidit Ottonem superveniens Geroldus, & suspicatus id, quod erat, mox torvo vultu & voce indignabunda, quid, inquit, hic portas? Territus eo verbo pius janitor, reposuit, lapides se portare. Tum Episcopus mox semicinctium viri aperiens aliud non reperit, quam quod tremebundus Otto dixerat, lapides videlicet, in quos repentè panes conversi fuerant. Itaque hominem Episcopus dimisit. Et ecce! digressô Episcopo rursus comparuêre panes in semicinctio, manifestô sane indiciô, & Geroldi duritiem graviter displicuisse, & Ottonis misericordiam summè probatam fuisse beneficentissimo Numini. Sane panes illos postea janitor alacriter inter pauperes divisit, optimè conscius Divini promissi: *bilarem datorem diligit Deus.* Otto ab obitu suo honestiorem tumulum, quam Geroldus, obtinuit, & quidem in ipsa Cathedrali Ecclesia prope Sacellum Divi Pauli, ubi etiamnum ejus imago è lapide sculpta, & coloribus distincta cernitur, adjectâ ad ejus pedes panum figurâ, & hoc epitaphio ad margines appositô: *Fuit erga pauperes immisericors. Otto Seemoser janitor aulæ. Ejus virtus. Tumulus.*

Hoc tumulo virtutis homo jacet Otto: quiescunt
Ossa soli gremiò, Spiritus in Domino.

Figuram Lectori exhibemus, æri incisam in hunc modum: ex quibus manifestum est, Ottonis virtutem in vita ac post mortem Frisingæ ingentem existimationem ac venerationem habuisse.

Legimus de Geroldo, eum pro anniversaria sui memoria in Cathedrali Ecclesia habenda antehac assignasse quædam prædia in Ried, Mamming & Pasing: item fundasse aliud anniversarium officium in Monasterio Schyrensi pro se, ac parente suo Ottone, Schyræ sepulto, uti etiam pro Henrico fratre suo, pluribus prædiis in Raizenau in stipendium oblatis. Optamus, ut pia hæc legata legatori æternùm prosint!

Geroldus fundat officia anniversaria.

Undenstorffensi Monasterio Geroldus consentiente Cathedrali Collegio Ecclesiam parochialem in Glonerstorff, vulgò Glon, donavit: cujus Parochiæ appendices ac filiæ sunt Ecclesiæ in Pettenbach, Ainhofen, Arncell, & Härescell. donationem illam Honorius Papa anno 1221. dicitur confirmasse. Unde convincimur, hanc donationem accidisse statim, aut paulo post Geroldi electionem. Verum de Geroldo satis.

Parochia Glon conceditur Undenstorffensibus.

CAPUT SECUNDUM.

Conradus I. Ordine XXVI. Episcopus Frisingensis.

§. I.

Genus, Electio, & Primordia Regiminis Conradi I. Episcopi.

Conradum fuisse nobilis stirpis de Tölz egregium Surculum, Scriptores consensu tradunt. Ea familia, quæ jam dudum exolevit, erat etiam Castri Hochenburgensis, nonnisi sesqui horâ Tölziô distantis, domina. Conradum primo fuisse Frisingensis Ecclesiæ Canonicum, ex supra recitatis Gregorii IX. literis manifestum est, idemque affirmat coæva manus Weihenstephanensis Kalendarii, uti etiam Salisburgense Chronicon à Clar. Viro Hieronymo Pezio editum. Eum etiam gessisse Præpositturam Inticensem videmur asserere posse ex Diplomate Friderici II. supra relato ac dato prope Anagniam, in quo Imperator asserit, causam Geroldi Episcopi sibi fuisse expositam ab Inticensi Præposito: qui utique alius non erat, quam Conradus, qui etiam Pontifici Geroldum accusavit.

Chron. Salisb. Stero, Arenbeck & alii.

Conradi genus & promotiones.

Quo anno electus fuerit Conradus, non adeo expedite pronunciamus. Certum est primo, Geroldum exautoratum obiisse anno Christi 1231. die 29. Martii, quo tempore Conradus jam erat Episcopus, ut mox videbimus. Certum est secundo, Conradum fatis concessisse anno 1258. die 18. Januarii post annos sui Regiminis 27. Ex quibus conficimus, Conradi electionem vel ad finem anni 1230. vel ad initium 1231. evenisse.

Primo statim sui Regiminis anno, Christi 1231. Conradus Episcopus prædia duo, unum in Vierholzen, alterum in Tattenhausen, quæ eousque Hedwigis de Kamera beneficiario jure possederat, Marito illius Udalrico concessit, ea tamen lege apposita, ut census utriusque clientelaris prædii post mortem ipsius Udalrici ad Frisingensem Ecclesiam redirent. Literis hujus concessionis post Utonem Præpositum subscripsit Geroldus *quondam Episcopus*. Ex quo firmatur, quod diximus, Conradus scilicet sive desinente anno 1230. sive incipiente anno 1231.

Conradus providè liberalis.

N. 3.

in

in Cathedram Frisingensem fuisse sublimatum, cum Geroldus literis subscripserit, qui tamen die 29. Martii ejus anni jam è vita migravit.

Ludovicus Dux interimitur.

Eodem anno die 16. Septembris Ludovicus Bavariæ Dux Kelheimii sive à suo Morione, sive, ut alii scribunt, à Sicario pecuniis corrupto ex vulnere sibi inopinato inflicto multis suorum præsentibus mortuus concidit. Culpa palàm in Fridericum Cæsarem conjecta est, quippe qui Ludovico ab aliquanto jam tempore ingentes tricas moverat. Funus Ducis in Schyrense Monasterium ductum ab Eberhardo Salisburgensi Archiepiscopo tumulo ibidem illatum est assistentibus eidem Chiemensi & Seccoviensi Episcopis. Parentalibus illis inter aulicos quam plurimos etiam interfuêre Sibotho Episcopus Augustanus, & Conradus noster nondum mitrâ conspicuus. Fridericus Cæsar, ne sceleris author palam proclamaretur, Ottonem Ludovici filium fictâ benevolentiâ complexus, eidem Ducatum Bojariæ contulit. Ludmilla, interfecti Ludovici Ducis Uxor Vidua pro Sacris Virginibus sub regula S. Benedicti & Reformatione Cistercienſi Deo militantibus insignem Parthenonem prope Landishutum excitavit, & * *vallem beatam* nuncupavit, in quo deinceps religiosissimè vitam tradxit.

Vid. Chronic. Schyr. Et Schyræ tumulatur.

Origo Vallis beatæ. * *Seeligen Thal.*

Continuatur afflictio Eccl. Frisingensis.

Interea Eberhardi Archiepiscopi Salisburgensis & Sifridi Episcopi Ratisbonensis monita, & ecclesiasticorum fulminum comminationes adversus detentores bonorum Ecclesiæ Frisingensis superiori anno authoritate Pontificia factæ, tam parum profecerant, ut Conradus novus Episcopus, & cum eo Cathedrale Collegium impositam sibi esse existimarent necessitatem, novas adversus illos ac potissimum Bojariæ ducem querimonias apud Gregorium IX. movendi. annuit justæ petitioni Pontifex, literasque ad Archiepiscopum Ebethardum, Abbatesque Admontensem & Mellicensem eodem anno 6. Kal. Decembris dedit, quibus jubebantur Ducem Bavariæ ad restitutionem Frisingensi Ecclesiæ faciendam censuris compellere. Sic enim scribit Pontifex.

Quam Pontifex conatur tollere. * *Eberhardo.* * *Admont.* * *Mellic.*

*Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri - - - * Archiepiscopo Salzeburgensi, & dilectis Filiis - - - * de Agemunde * & de Medelich * Abbatibus Salzeburgensis & Pataviensis Diocesium Salutem & Apostolicam benedictionem. Sincera devotio, quam ad Deum & Ecclesiam suam nobilem virum - - - Ducem Bavaria decet habere, tribuere sibi debet affectum, ut desistat à molestia Ecclesia Frisingens. & de gravamine, si quod ei forsitan intulit, satisfactionem studeat exhibere. Sane dilecti filii - - - Electus - - - Decanus & Capitulum Frisingense suam ad nos querimoniam destinarunt, quod ipse quibusdam castris, villis, possessionibus & bonis aliis Frisingensis Episcopatûs indebitè occupatis, ea contra justitiam detinet, & restituere contradicit, & subvertens, quam tueri deberet Ecclesiasticam libertatem, Clericos Civitatis & Diocesis Frisingensis solvere sibi annis singulis certa tributa compellit, eos nihilominus aliis exactionibus multipliciter opprimendo. Jus quoque, quod in Civitate Monacensi habet, Frisingensis Ecclesia pro sua arbitrio voluntatis usurpat, possessionibus, terris, redditibus, & rebus aliis ad communes ipsorum prabendas spectantibus adeo devastatis, quod ipsi ferè non habent, unde valeant sustentari. Cum igitur nos non deceat tantum ipsorum pati gravamen, qui ex officio nostro tenemur Ecclesiarum dispendiis obviare, eidem Duci nostris damus litteris in mandatis, ut ab eorum molestiis super pradictis & à pramissis Clericorum oppressionibus penitus conquiescens de dampnis irrogatis eis satisfaciat competenter. Alioquin cum non sit deferendum homini contra Deum, discretioni vestra per Apostolica Scripta mandamus, quatenus si dictus Dux mandatum nostrum neglexerit adimplere, vos eum ad id non obstante aliqua indulgentia sibi ab Apostolica Sede concessa monitione pramissa per censuram Ecclesiasticam cognita veritate appellatione remota cogatis. Proviso ne in terram dicti Nobilis excommunicationis vel Interdicti sententiam proferatis, nisi super hoc à nobis mandatum receperitis speciale. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu Frater Archiepiscope cum eorum altero nihilominus exequaris. Datum Reat. VI. Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno quinto.*

Conradus Episcopus consecratur. *Tom. 6. antiq. lect. pag. 1261.* Turbæ Pataviensis. *Adelz.*

Proximo anno Christi 1232. Eberhardus Salisburgensis Archiepiscopus, qui præteritò annô in ipsa paschali festivitate concedente Summo Pontifice Abbati S. Petri, ac Præposito Metropolitanæ Ecclesiæ mitras imposuit, in Festo Pentecostes Conradum Episcopum nostrum, & Henricum Seccoviensem Frisaci in Carinthia consecravit. Passavii gliscentibus identidem inter Sacerdotium & Regnum dissidiis Gebhardus Episcopus totus pro Cæsare: Eberhardus vero Lanstorfius ejusdem Summæ ædis Canonicus totus pro Pontifice stetit. Hinc ingenti inter utrumque natâ dividiâ eò tandem ventum est, ut Lanstorfius per Sicarios crudelissimâ lanienâ fuerit trucidatus, nemine facinoris immanissimi culpam Episcopo non adscribente. Porro, qui Lanstorfio consenserant, causam totam, unà cum resecto ejus capite Romam ad Pontificem detulerunt, & aliorum quoque ingentium criminum Episcopum accusarunt. Sane nemo facundius contra eundem peroravit, quam truncus mutusque Lanstorfii vertex. Hinc Episcopus legitimè convictus Magistratu se abdicare compulsus est. Ei successit Rudigerus de Radeck, qui Episcopatui Chiemensi recens erecto ab anno 1215. primus eousque præfuerat. Eodem tempore Divi Antonius Patavinus, & Virgilius Salisburgensis Episcopus Sanctorum fastis fuêre adscripti.

Tractatus Conradi cum Friderico Austriæ Duce.

Fridericus Austriæ Dux cum Conrado Episcopo nostro anno 1233. sequentem tractatum iniit, quem ex libro traditionum Frisingensium quinto huc transcribimus:

Fridericus Dei gratia Dux Austriæ & Styriæ, & Dominus Carniolæ omnibus præsentem paginam inspicientibus Salutem. Universitati vestræ volumus esse notum, quod noster accedit consensus pariter & voluntas, ut si Ministerialis noster matrimonium contraxerit cum aliqua Ministeriali Frisingensis Ecclesiæ, vel è converso, heredes ex ipsis progeniti, & possessiones æqualiter dividantur, ita, quod una pars heredum & possessionum in potestatem nostram redeat, altera vero in potestatem Ecclesiæ Frisingensis. Insuper præsentis paginæ testimonio confirmamus, si nos absque heredibus continget decedere, quod prædicta heredes scilicet & possessiones totaliter redeant in potestatem Ecclesiæ Frisingensis. Datum Wiennæ 3. Kal. Maji Anno Domini 1233.

N. 4. Aliam ejusmodi partitionem prolium inter Conradum Episcopum & Carinthiæ Ducem Bernardum factam in parte altera recensemus.

Dominium Burgkrain restituitur Conrado Episcopo.

Eodem añ̃o Christi 1233. Otto Bojariæ Dux cum aliis Principibus conventum Landishuti celebravit, in quo Conrado Episcopo nostro castrum Burgkrain (haud dubie à Geroldo Episcopo aliis seu oppignoratum, sive jure beneficiario elocatum) restitutum est, uti fasti Wessofontani memorant. Cæterum eodem anno Bojaria nostra tum ab Henrico Rege, tum à Friderico Bellicoso Austriæ Duce lacessita ac vexata fuit, uti Adelzreitterus commemorat.

Alia restitutio.

Sequenti anno, Christi 1234. Domina Hailwigis de Hægniberch sive fulminibus Pontificiis territa, sive propria conscientia stimulante adacta Frisingensi Ecclesiæ illata à suis damna resarcire voluit, veluti ex literis sequentibus discimus.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, quod Domina Hailwigis Uxor Domini Engelsebalchi de Hægniberch recognoscens Ecclesiam Frisingensem à progenitoribus & fratribus suis graviter esse offensam in multis, ob salutem animæ suæ, & in remedium animarum parentum suorum, nec non pro ecclesiastica sepultura, qua Ulricus Chopf frater ejus ob illatas Ecclesiæ Frisingensi injurias diu caruerat, obtinenda, subscriptas possessiones, videlicet duas curtes & Molendinum in Lengendorf, mansum & molendinum in Swinda cum omnibus pertinentiis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis, quæsitis & quærendis, & hos homines, Chu(o)nradum de Rosenberge, tres dictos Pramminger, Rescherum de Wæzling, Heinricum de Hu(o)be, Ottonem de Stainsbereh, Ru(o)digerum de Celle, Perhtoldum de Hobenberch & omnes alios homines tam milites quam rusticos utriusque sexûs, qui

ad

ad ipſam poſt mortem ſupradicti Ulrici Chopf fratris ſui jure hæreditatis ſunt devoluti, nec non portionem prædictarum poſſeſſionum & hominum, qui ſorori ſuæ Dominæ Gerdrudi poſt mortem præfati Ulrici Chopf jure ceſſerant hæreditario, quas, inquam, poſſeſſiones & homines eadem Gerdrudis Sigeharde filio ſuo præſente & conſentiente Sorori ſuæ Dominæ Heilwigi per manum legatoris, qui vulgo dicitur Salman, Hermannum videlicet de Pfetten liberè & abſolutè contulit ipſa Domina Heilwigis ad Altare Sanctæ Mariæ, Sanctique Corbiniani Friſingæ in uſus Epiſcopales pleno jure contradidit, exceptis hominibus quibusdam ſibi & prænominatæ Sorori ſuæ, puerisque earum reſervatis, quorum hic nomina ſubſcripta continentur. Mehthilt de Mindelberch, Fridraun de Chischingen, Mehthilt de Roſenberge & filia ejus, Mehthilt de Liobranſtorf & pueri ejus, Mehthilt de Hube; Liukart de Wimpozinge & frater ejus Liutoldus, Otilia & duo pueri ejus filia Ottonis de Undingen, Heinricus filius Ju(o)ta de Roſenberge, duæ ſeniores filiæ Pernhardi de Phæſinge, filia Tu(o)ta de Lengendorf. quod utique donationis hujus auctrix exiſtat ſæpe dicta Halwigis contra omnem hominem ſecundum juſtitiam, Engelſchalcus Maritus ejus præſtita cautione juramenti laudavit, ſi vero ipſi de medio fuerint ſublati, pueri eorum ad id faciendum tenebuntur, Hermannus, inquam, & Chu(o)nradus frater ejus de Hegniberch, Swigerus de Eglingen, Chu(o)nradus de Gru(o)nharthouen, Ulricus de Wiel ſub juramento laudaverunt, quod bona fide ſine omni fraude id procurent. Hujus rei teſtes ſunt Uto Præpoſitus, Eberhardus Decanus, Canonici Friſingenſes, Fridricus Thaurus Notarius, Pernhardus nobilis de Wielhaim & Henricus filius ejus, Gebhardus Tolzner, Ulricus de Smiehen, Wirnto de Adelungeshouen, Hermannus & Chu(o)nradus fratres de Hegniberch, Wato de Gekenbiunt, Heinricus de Egenhouen, Hiltebrandus de Nennhouen, Chu(o)nradus Gieſſch, Heinricus de Ebstingen, Sifridus de Fauchen, Chu(o)nradus de Grævingen, Chu(o)nradus de Humbelen, Engelmarus de Otenburch, Sigehardus de Chinberch, Engelwanus de Abdorf, Chu(o)nradus de Ismanningen, Jacobus de Gutenberch, Heinricus de Erphenbrunnen, Grimoldus de Ismanningen, Chu(o)nradus nobilis de Ursberch, Fridricus de Prugberch, Gebhardus de Velwen, U(o)lricus de Chamer, Sifridus de Waichraim, Heinricus de Rimſenraigen, Chu(o)nradus de Richolfſteten, & Wernherus frater ejus, Albertus de Grunharſthouen & filii ejus Chunradus & Albertus, Chu(o)nradus de Durgenvelt, Swigerus de Eglingen, Ulricus de Wile, Purchardus de Hegniberch, Heinricus de Tinzelbach, Sigehardus de Eglofesham, Eberhardus de Peſſenacher, Dietricus de Liubranſtorf, Heinricus de Lengendorf, & alii quam plures. Ut autem hæc rata ſint & inconvulſa durent in perpetuum, præſentem paginam venerabilis Domini Chu(o)nradi Friſingenſis Epiſcopi ejusdemque Eccleſiæ Capituli, nec non Domini Engelſchalci de Hegniberch ſigillis placuit roborari. Acta ſunt hæc Anno ab Incarnatione Domini M.CC.XXX.IIII. Indictione ſexta.

Cæterum cùm eodem anno rurſus inter Epiſcopum noſtrum, & Bojariæ Ducem Ottonem antiqua diſſidia recrudeſcerent, ideo Epiſcopus noſter Divina per univerſam Diœceſin ſuam ſuſpendit, velut manu coæva annotatum fuit Weihenſtephanii, & Arembeckius teſtatur. Epiſcopum noſtrum eo tempore ſeceſſiſſe ex Bojaria, docemur tum ex tabulis Clauſtro-Neoburgenſibus, tum ex Chronico Viti Arenbeckii Auſtriaco apud clar. P. Hieronymum Pezium, ubi legimus, eum inter plures magnos Principes interfuiſſe nuptiis Conſtantiæ Auſtriæ Duciſſæ Henrico Misniæ Margravio apud Stadlau deſponſatæ.

Conradus Divina per Diœceſin ſuſpendit.

Scriptor Rer. Auſtr. col. 1025. & 1213.

§. II.

Prosecutio Actorum tum publicorum tum Frisingensium usque ad annum 1239.

Turbæ novæ in Germania. FRidericus Imperator, qui hactenus Pontificem & universam Italiam miris modis vexaverat, anno 1235. præter omnium expectationem in Germaniam venit. Causa accelerati itineris erat Henricus Rex, Imperatoris filius, qui faventibus sibi plerisque Longobardiæ Principibus in Patrem conspiraverat. Ajunt coacto Ratisbonæ Procerum Conventu Henricum judicio 70. Principum fuisse condemnatum, & in ejus locum fratrem ipsius Conradum fuisse ad coronam Imperii destinatum. Henricus in Apuliam deportatus, quinto suæ captivitatis anno interiit. Eodem anno Otto Lunæburgius ex Welfonum sanguine oriundus primus Brunswici & Lunæburgi Dux creatur. Literis Cæsareis inter alios Principes etiam Conradus noster subscripsit, veluti in annalibus Paderbornensibus ad hunc annum annotatum cernimus. Otto Bojariæ Dux Cathedrale Collegium Frisingense tributo quodam liberavit, ac pro parente suo perpetuum anniversarium officium fundavit, literis in hunc tenorem scriptis.

Fundatio Ottonis Ducis.

*In nomine Domini Patris & Filii & Spiritus Sancti. Otto Dei gratia Palatinus Comes Rheni Dux Bawariæ feliciter Amen. Ad notitiam tam præsentium quam futurorum pervenire cupimus, quod nos considerantes gravem & intolerabilem defectum, quem jam diu Canonici Kathedralis Ecclesiæ Frisingensis in suis possessionibus sustinuerunt, nos eundem defectum dictorum Canonicorum relevare cupientes, denarios, quos hactenus de curia in Kirchdorf pro Steura & Albergaria * recepimus, pro remedio animæ Patris nostri piæ memoriæ, & antecessorum nostrorum, nostræque salutis intuitu perpetuo remittimus, statuentes, quod de prædicta curia nihil præter jus, quod vulgo Vogtrecht dicitur, secundum antiquam consuetudinem à nobis vel à nostris Successoribus exigatur. Adhæc V. Præpositus & E. Decanus nomine Capituli Frisingensis promiserunt, quod Anniversarius Patris nostri piæ recordationis juxta probatam & honestam consuetudinem Ecclesiæ suæ singulis annis celebretur. Ut autem hæc rata & inconvulsa permaneant tam à nobis quam à Successoribus nostris, sigilli nostri impressione permisimus confirmari. Acta sunt hæc apud Landeshu(o)t, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo CCXXXV. Kal. Aprilis IX. Indictione. Testes hujus donationis sunt, Conradus C. de Wazzerburch, Wern. de Utendorf. Wern. de Sibonstorf, Al. de Prising, Pertoldus de O(e)de, Al. de Vilsa, Heinricus de Abdorf, Ul. de Wuch, F. de Chemnaten, Ulo Præpositus, E. Decanus, C. Præpositus de Isen, Can. Frisingens. G. & Hugo Capellani, H. & S. Notarii, Fridricus de Penning præsentibus, & aliis quam pluribus.*

*Hospitio.

N. 5. Ad eundem annum Christi 1235. in chartario inclyti Monasterii nostri Rotensis occurrit instrumentum Conradi Comitis de Wasserburg, in quo legimus, eundem Comitem ante biennium, scilicet anno 1233. Monasterio illi inter alia prædia etiam donâsse *Curiam* in Altenhohenau: postea vero anno 1235. eandem *Curiam* redemisse, eamque novellæ plantationi Monialium Ordinis S. Dominici in Altenhohenau attribuisse. Simillimas literas etiam recitat Gewoldus in additionibus ad Hundii Metropolim. unde perspicuè hallucinari convincuntur, qui existimant, jam ante illud tempus in Altenhohenau extitisse Monasterium. Gravius adhuc errant, qui scribunt, Moniales, & quidem Dominicanas fuisse translatas è Beyhartingano Cœnobio, eatumque in locum introductos fuisse Regulares Canonicos. Certum enim videtur, Beyhartingense Monasterium jam circa annum 1130. fuisse institutum pro Regularibus Canonicis, quo tempore Divi Dominici Ordo nondum

Sphalma quoddam expungitur.

Tom. 2. pag. 78. & 79.

dum exortus erat Orbi: uti alibi demonstravimus. Hæc post instrumenta serius nobiscum communicata studio apponimus, ut ingenuè fateamur, nos alibi* ab aliis Scriptoribus inductos cæspitasse. * Tom. 1. part. 1. pag. 311.

Anno Christi 1236. celebre Monasterium Weyarense una cum universa suppellectile ac documentis in tristes favillas concidit, ac deinceps ultra centum annos penè desolatum jacuit: uti suô locô iterum monebimus.

Inter Fridericum Bellicosum, Austriæ Ducem, & Conradum Episcopum nostrum eo anno conclusus est sequens tractatus, cujus Authographum superest. Conradi Episcopi tractatus cum Duce Austriæ.

Fr. Dei gratiâ Dux Austriæ & Styriæ, Dominus Carniolæ. Tenore præsentium notum fieri volumus, quod nos forum Aspach, quod ab Ecclesia Frisingensi in feudo habere dinoscimur, venerabili Domino nostro ejusdem Ecclesiæ Episcopo pro quingentis Marcis argenti, quas pro feudo Marchionis Ystriæ, quod est in Marchia, piæ memoriæ Pater noster eidem Ecclesiæ tenebatur, obligavimus cum pacto, quod cum nos dictam pecuniam Episcopo memorato vel ejus Successori solverimus, prædictum forum nomine feudi ad nos redeat absolutum. Ad cujus rei memoriam præsentem paginam Venerabilis Domini nostri Archiepiscopi Salzburgensis & nostri sigillis jussimus communiri. Dat. Anno Incarnationis Domini M.CC.XXXVI. VIIII. Indict. Mense Julii.* * solvere.

Cum postea idem Fridericus Dux multarum rapinarum ac direptionum coram Imperatore fuisset ab Ecclesiasticis ac Laicis Principibus accusatus, & contemptis tum Legatis, tum literis, quibus ad Cæsarem sæpius evocatus fuerat, nuspiam sese stetisset, tandem in frequenti Principum Conventu palam proscriptus & exautoratus est. Imperator etiam bellum adversus eundem decrevit, & inter sibi fœderatos Principes etiam Conradum nostrum numeravit. Collectus adversus Austrium exercitus Ecberto Babenbergensi Episcopo, nec non Eberstainio, & Hennebergio Comitibus parere jussus est. Interim Fridericus Dux tractô in suas partes Alberto Comite Pogio in Campis Steinfeldensibus prope Novam* Civitatem adversæ aciei occurrit, eandémque tanta felicitate repressit, ut Rudgerum Pataviensem, & Conradum nostrum Frisingensem Episcopos (qui prœlio præsentes aderant) aliosque magno numero nobiles captivos abduxerit, aliis nonnisi propudiosâ fugâ elapsis. Id anno 1237. accidisse ex Chronico Claustro-Neoburgensi, & altero Chronico Anonymi Leobiensis, quod utrumque Vir Clar. P. Hieronymus Pezius in lucem publicam protraxit, discimus, consentientibus etiam nonnullis Boicis & Austriacis Scriptoribus: qui addunt, eodem anno agentibus Eberhardo Archiepiscopo Salisburgensi & Sifrido Episcopo Ratisbonensi 5. Idus Junii inter Conradum Episcopum nostrum, & Ottonem Bojariæ Ducem pacem fuisse constitutam. Consentit antiquus quidam Catalogus Episcoporum Frisingensium, ubi asseritur, extare primarias ejus pacificationis literas. Verum eas nobis reperire hactenus non licuit, & quoniam aliæ literæ primum annis sequentibus scriptæ nobis occurrunt, in qua de Episcopi cum Duce reconciliatione agitur, judicium nostrum (quantum ad rei gestæ tempus) suspendimus, donec certiora doceamur. Quodsi anno Christi 1237. dicendus est Episcopus rediisse cum Ottone Duce in gratiam, id ante prœlium Steinfeldense accidisse autumabimus, quia inter fœderatos Cæsari Principes & Conradus Episcopus, & Otto Dux recensentur. Sanè quibus sive auxiliis, sive pactis Conradus noster è Captivitate Austrii liberatus sit, aut nemo, quem quidem sciamus, scriptum reliquit, aut certè testimoniô synchronô satis firmavit. Sunt, qui tradunt, Ottonem Ducem fuisse antehac à Conrado Episcopo diris devotum; Ducem vero ad Romanum Pontificem appellâsse, à quo causæ cognitio Præsidi PP. Prædicatorum Frisacensium commissa fuerit. Id cum rescisset Episcopus, adeo eum excanduisse, ut in has viro Catholico planè indignas voces eruperit: *Nihil potestatis competere Romanæ Sedi in Germaniæ populos.* Verum super his fides estò penes illos Scriptores. Conradum Episcopum non diu fuisse in sua captivitate detentum, ex sequentibus illius literis, XV. Kal. Novembris ejusdem anni

Bellum infertur Austriaco.

* Neu-Stadt al. Neostadium.

Capitur Episcopus noster.

Tom. 1. Script. rer. Austriac.

Captivitas Conradi non diuturna.

anni in favorem inclyti Monasterii nostri Rotensis exaratis, palam fit. ex sic habent:

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Chunradus Dei gratiâ Frisingensis Ecclesiæ Episcopus. in perpetuum. Amen. Notum esse volumus universis, ipsis quoque Theleonariis nostris Monachii jam institutis, nec non in futurum instituendis, quod nos devotioni ac petitioni dilecti & Venerabilis in Christo Fratris nostri Heinrici Abbatis de Roth pium prabentes assensum omnia bona sua, frumentum, sive alia quacunque, qua ad prabendam fratrum suorum pertinere videntur, ibidem sine theloneï solutione liberè transducantur. Ut autem hac nostra benevolentia concessio Rothensi Monasterio firma maneat, & stabilis, hanc paginam inde conscribi, & sigilli nostri impressione fecimus roborari. Testes sunt hii: Heinricus Abbas de Tegrinsee. Ulricus Abbas de Wibenstevẽ. Otto Præpositus de Dietbramiscelle. Eberhardus Decanus Frisingensis. Fridericus Præpositus Sancti Andreæ. Utsbalcus Prapositus Sancti Viti. Isenric de Waldegge. Hainricus de Vagin. Engilwanus de Abdorf. & alii quam plures. Dat. Frisinga Anno Incarnati Domini M.CC.XXX.VII. Indictione XI. XV. Kal. Novembris.

Cæterum ea gratia deinceps à pluribus Episcopis fuit confirmata.

Conradus strenuus jurium Ecclesiæ vindex.

Secuta est proximo anno, Christi 1238. alia compositio inter Conradum Episcopum nostrum, & Albertum Comitem Tyrolis, de qua extant sequentes literæ Friderici Imperatoris.

Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Jerusalem & Siciliæ Rex per præsens scriptum notum facimus universis, quod constituti in præsentia nostra Chunradus venerabilis Frisingensis Episcopus dilectus Princeps noster, & Albertus Comes Tyrolis fidelis noster compromiserunt in venerabilem Archiepiscopum Salzburgensem, & Episcopum Pataviensem dilectos Principes nostros, Comitem Meinhardum de Gorizia, & Heinricum Aquensem Præpositum Not. & fidelem nostrum, stare dicto eorum super dampnis illatis ab eodem Comite, Episcopo nominato de triennio, antequam concordia inter eos apud Clausam Sabyona ordinata fuisset, in nostra præsentia, qua tamen, sicut asserebant, fuit minime observata, pro quibus tunc emendandis apud eundem locum dictus Comes sibi posuerant fidejussores, & de dampnis, qua sibi intulit, postquam dicta Compositio fuerat ordinata usque ad diem præsentem, promittentes, eorum arbitrio per omnia obedire. Nominatus igitur Comes de arbitrio prædictorum, & ordinatione nostra promisit dicto Episcopo vel Successoribus suis, qui pro tempore fuerint, pro resarciendis dampnis sibi & Ecclesia sua illatis, sicut superius est expressum, persolverint* trecentas Marcas argenti ad pondus Coloniæ, vel tria millia librarum Veronensis Moneta, decem libris pro Marca qualibet deputatis, quarta decima die post festum Beati Martini proximè futurum, tertiodecima Indictione, & viginti quinque Carradas vini apud Bozanum infra eundem terminum ad mensuram Bozanam. Et si fortè prænominatus Comes idem promissum non curaverit adimplere, præfatus Comes Gorizia, Ulricus de Bozano, Ulricus de Risenberch, Heinricus Burchgravius de Luenz, & Engelmarus Tarant fideles nostri data fide in manus Archiepiscopi præscripti jurauerunt, ex tunc intrare Brixinam, abinde nullatenus, antequam præfato Episcopo tam de præscripta Summa pecuniæ, quam etiam de vino per Comitem Tyrolensem satisfactum fuerit, recessuri. Dicta vero solutio pecuniæ est sub Præpositi & Decani Brixinensis, & Arnoldi de Rodench testimonio facienda, nec probari poterit ipsa solutio, nisi per testes ipsos, aut certos nuncios eorumdem. Ad cujus facti evidentiam & utriusque partis instantiam præsens scriptum fieri, & sigillo nostro jussimus communiri. Hujus autem rei testes sunt Eberhardus Archiepiscopus Salzburgensis, Rudigerus Episcopus Pataviensis, Ch. Abbas de Tegernsee, Heinricus Aquensis Præpositus, Eber. Decanus Frisingensis, Meinhardus Comes Goriciæ, Egeno Comes de Prano, Haunardus Judex Brixinensis, Ulscalcus de Dewin, Ulricus de Risenberch, Heinricus de Luenz, Ulricus de Bozano, Engelmarus Tarant, & alii quam plures. Dat. Pad. anno Dominica Incarnationis Millesimo CCXXX. octavo. mense Martio XII. Indictione.*

* *Clausen bey Seben.*

* persolvere.

E qui-

E quibus literis manifestum relinquitur, Conradum Episcopum fuisse ju tium Ecclesiæ suæ vindicem strenuissimum.

§. III.

Turbæ inter Sacerdotium & Regnum, Pax inter Episcopum Frisingensem & Bojariæ Ducem.

Gregorius IX. Pont. Max. Fridericum II. Imperatorem optimis equidem corporis & ingenii dotibus instructissimum, sed Romanæ Sedis à pluribus annis persecutorem acerrimum, sæpe monitum, nunquam verè ad frugem reductum anno 1239. die, qua Sacra Cœna Domini à Christianis potissimum adoratur & sumitur, ritu solenni & publico e fidelium cœtu frustra deprecantibus Germaniæ Episcopis ejecerat. Id ut in hac nostra Germania publicaretur, missus est in Bojariam Albertus cognomento *Bohemus*, aliàs Pataviensis Ecclesiæ Archidiaconus. Hic faventem sibi mox nactus Ottonem Ducem, cristas erigere, & Episcoporum autoritati insultare potius, quam multum deferre cœpit. Jubet igitur, ut Salisburgensis, Ratisbonensis, & Pataviensis Episcopi Romanam Sententiam inter suos in publicum efferrenr. At responderunt Alberto Præsules, non esse opus operâ suâ. Albertum ipsum, si vellet, posse promulgare, quæ sibi à Pontifice commissa fuissent. Indignatus ad hæc Bohemus Episcopos Bojariæ Landishutum venire jubet. At fructu nullo. Ratisbonensis equidem nuncios misit. Verum illi nescio ubi, vel à quibus intercepti, iter prosequi non potuêre. Albertus nihilominùs Episcopo diras imprecatur. Salisburgensis Archiepiscopus plus æquo efferatus Pontificis literas in terram projecit, & pede etiam calcavit. Pataviensis missum ad se tabellarium pugnô excepit, & in carcerem compegit. Similia Albertus expertus est in Augustana, Eistadiana & Herbipolensi diœcesibus. Hinc progrediente fervore per universam Bojariam Sacra suspendere conatus est; ast incassùm, cùm Episcopi ista minimè attenderent, sed riderent, & Cæsaris vires indies crescerent, adeò, ut jam Pontifex ipse videretur remissius agere, neque exautorationem Friderici urgere. Malè cecidit Alberto, dum etiam ab Ottone Duce, quem Imperator admonuerat, rejectus fuit.

Excommunicatio Imperatoris.

Jubetur publicari in Germania.

Turbantur vicini Episcopi.

Ex Aventino Adelzreitterus & Brunnerus.

Tantum ex iis turbis rerum chaos enatum est, ut etiam præcipui Bojariæ Scriptores in eo enarrando haud satis conveniant. Aliqui de nostro Conrado, ut supra vidimus, nullam faciunt mentionem, Cæsarine an Pontifici paruerit? alii Imperatori totum fuisse addictum, ejusque ope adversus Ottonem Bojariæ Ducem, quocum lites eousque neutiquam erant terminatæ, triumphâsse, & ideo dirarum fulmina in eum detorta fuisse scribunt, alii aliter res ejus temporis gestas narrant. Suspicor, horum pleraque ex Aventini potissimum ingenio fuisse profecta, quibus nos tantò ægrius subscribimus, quantò luculentius, quid inter Conradum Episcopum nostrum & Ottonem Ducem vicino tempore actum fuerit, ex tractatu sequenti edocemur, qui in Libro quinto Traditionum exhibetur.

Anno Domini M.CC.XL. quinto Kal. Sept. in Castro Landeshute facta compositione inter Dominum Episcopum Frisingensem Chunradum, & Ottonem Ducem Bawarie de omnibus litibus & discordiis, que inter eos tunc vertebantur, Item Dux in recompensationem dampnorum, que intulerat ipse & Pater ejus Episcopo Frisingensi in possessionibus, que ad mensam suam pertinent, promisit eidem Episcopo octingentas libras Ratisponensis Monete, quam pecuniam in duobus annis præfato Episcopo solvere promisit, ita ut in primo anno quatuor temporibus Pentecostes ducentas sibi libras persolvat,*

*Potest etiam legi 1245. Kal. Sept.

ſolvat, & in feſto beati Martini ſequenti alias libras ducentas perſolvat eidem, & ſimiliter in anno futuro ſolutio fiat aliarum quadringentarum librarum. Obligavit autem Dominus Dux Domino Epiſcopo pro Summa pecunia pratazata feuda, qua tenet ab Eccleſia Friſingenſi, qua in redditibus centum librarum Summam attingunt, & ſi feuda prefata redditus centum librarum non attingunt, Dominus Dux alios redditus pro ſepeſata pecunia aſſignabit Epiſcopo, ubi ea voluerit acceptare, & illos redditus debet ei aſſignare in hoc primo anno circa feſtum beati Martini. Quodſi illos redditus in illo termino non aſſignaverit, & oſtenderit, vel etiam in eisdem redditibus aſſignatis per violentiam eum gravaverit, fidejuſſores iſti, Henricus de Neiſſen, Fri. de Trubending, Ch. Comes de Mosburch, Albardus de Preiſing, Syfridus de Frawenberch, Syfridus de Frawenhoven, Syfridus Vrumeſel juraverunt, quod admoniti per Epiſcopum infra quatuordecim dies intrabunt civitatem Lantshut, & non exibunt, donec aſſignatio predictorum redditaum fiat, vel gravamen, quod illatum eſt, plenius emendetur. Quodſi aliquo predictorum terminorum ceſſatum fuerit in ſolutione pretaxata, Epiſcopus predia obligata poſſidebit nomine pene, & proventus eorum ſuis uſibus applicabit, quousque pecunia preſcripta fuerit perſoluta. Hujus rei teſtes ſunt Uto Prepoſitus majoris Eccleſie, Eberhardus Decanus ejusdem Eccleſie, Magiſter Marquardus de Padua, Magiſter Petrus de Seliucia, H. Prepoſitus de Münſter, Ul. Ducis Notarius, H. de Neiſſen, Fridericus de Trubending, Ch. Comes de Mosburch, Otto Comes de Grunenpach, Hoholdus de Wolmotſab, H. de Starcholtshouen, Albardus de Priſing, Syfridus de Vrawenhoven, Syfridus de Vrawenberch, & alii plures. Ut autem hec rata permaneant, preſentem Cartam Sigilli noſtri munimine juſſimus roborari. Dat. Anno Domini M.CC.XLV. Kal. Septembr. ita Inſtrumentum.

Superveniſſe adhuc alium tractatum ad comprimenda diſſidia & arctius eolendam amicitiam inter Epiſcopum noſtrum & Bojariæ Ducem ſubjunctæ literæ teſtantur, quæ menſe Decembri ejusdem anni conſcriptæ fuêre.

Noverint omnes, quod nos Otto Dei gratia Palatinus Comes Reni Dux Bawaria Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo quadrageſimo feriâ quartâ quatuor temporum Decembris omnia Scripta inter Dominum Friſingenſem Epiſcopum Chunradum & Nos concepta, ſive fuerint originalia, ſive ſumpta, vel acta, quandocumque à principio noſtra diſſenſionis usque ad finem facta ſunt, tamquam odioſa igne cremavimus proteſtantes & promittentes, quod ſi qua per incuriam, ſive per minorem diligentiam, ſive dolò vel malò ingeniò, quod non credimus, ſive quocumque caſu ignem effugerint, ubicumque de cætero inventa fuerint, ſint vacua, caſſa & inutilia, nec aliquas vires habeant, ſed qui eis deinceps uſus fuerit, ſit à Domino maledictus. Et ut hac rata permaneant atque firma, eadulam præſentem ſigilli noſtri munimine duximus roborandam. apud Lantshu(o)t, præſentibus Magiſtro Marquardo Prapoſito Maticenſi, Magiſtro Berengero Phyſico, Ulrico Notario noſtro Canonico Sancti Andrea de Friſinga & aliis multis.

Hæc Inſtrumenta Friſingæ repetiuntur: è quibus judicabit eruditus Lector, benéne an male alii in hac cauſa ſive circa rei Summam ſive circa temporis & alias circumſtantias ſcripſerint, aut divinaverint. Nobis ſatis eſt demonſtrâſſe, inter Epiſcopum & Ducem pacem fuiſſe anno 1240. conſtitutam. Cætera in ſua obſcuritate atque incertitudine dimittimus, Lectoremque eruditum monemus, literas ignibus dudùm commiſſas à nobis utique produci non potuiſſe. Quamdiu deinceps concordia illa duraverit, per decurſum monebimus.

Interea anno 1239. Monacenſis Magiſtratus civicus libertatem thelonei à
N. 6. tribus Epiſcopis Friſingenſibus Monaſterio Rotenſi eousque conceſſam, publicô teſtimoniô corroboravit. Inſtrumentum in parte altera exhibemus.

Gregorio IX. ſuccedit Cœleſtinus IV. Anno 1241. poſt graviſſimas ærumnas ab infenſiſſimo Eccleſiæ hoſte Friderico Imperatore ſibi illatas rebus humanis valedixit Gregorius IX. Pontifex verè Optimus & Maximus. In ſacram Divi Petri Sedem ſurrogatus eſt Gaufridus Caſtilionæus, dictus Cœleſtinus IV. qui decimo octavo ab electione ſua die Gregorium

gorium Deceſſorem ſuum ſecutus eſt ad æternitatem. Ferdinandus Ughellus aſſerit, eum antehac Monachum Ciſtercienſem fuiſſe. Hoc in tumulum compacto Fridericus Imperator, ne alterius Pontificis electio inſtitui poſſet, plures Cardinalium in carceribus detinuit, fruſtra agentibus Galliæ Rege Sancto Ludovico, & Baldnino Orientis Imperatore. Inde Romana Sedes 18. ferè menſibus Paſtore deſtituta, & ictibus luporum pervia manſit. Nunc ad res Friſingenſes regredimur.

§. IV.

Acta Friſingenſia usque ad annum 1244.

IN Faſtis Weihenſtephanenſibus legimus, die 6. Octobris anno 1241 ſolem meridianum interpoſitâ lunâ ita fuiſſe obſcuratum, ut ſtellæ fuerint conſpicuæ. Additur, ſequenti anno clauſtrum Monialium ejus loci, de quo jam in primo Hiſtoriæ noſtræ Tomo paſſim egimus, miſerè conflagrâſſe.

Epiſcopum noſtrum anno 1241. in Auſtriam inſtituiſſe iter, ibique aliquot menſibus ſubſtitiſſe, documentis certiſſimis edocemur. Eum anno illo die ultima Menſis Julii in Monaſterio S. Hippolyti inſigni donationi à Friderico Auſtriæ Duce eidem Eccleſiæ factæ interfuiſſe demonſtrat clar. D. Raymundus Duellius in appendice Diplomatica Tomi I. Miſcellaneorum. Poſtea Menſe Decembri, & quidem 4. Kal. Jan. Viennæ cum eodem Friderico Duce tractatum ſuper *Advocatia* ſeu defenſione Dominii Enzerſtorffenſis, ad Eccleſiam Friſingenſem jure proprietatis pertinentis, iniiſſe, domeſtico Inſtrumento convincimur, quod ſic habet.

Conradus Epiſcopus ſecedit in Auſtriam.

pag. 432.

Nos Fridericus Dei gratiâ Dux Auſtriæ & Styriæ & Dominus Carniolæ omnibus hanc paginam inſpecturis notum fieri cupimus per præſentes, quod inducti meritis & dilectione noſtri Domini & Amici Venerabilis Epiſcopi Friſingenſis Advocatiam in Enzenſtorf extraximus de manibus, ſeu poteſtate noſtri Miniſterialis Ul. de Pilhdorf pro quingentis talentis ipſi per nos, & dictum Dominum noſtrum Friſingenſem Epiſcopum prætextu hujusmodi integraliter perſolutis, conditionibus his adjunctis, ut in æternum noſtræ poteſtati & uſui nec non hæredum noſtrorum Advocatia hujusmodi ſit addicta, quod utique promiſimus fide data nobis in pœnam & noſtris hæredibus, ſi per nos vel noſtros hæredes alienata fuerit, ſtatuentes ut ex ipſo facto dicta Advocatia vacare debeat Eccleſiæ Friſingenſi: Ut autem hujusmodi negotium robur obtineat perpetuæ firmitatis, præſentem cartam juſſimus ſigilli noſtri munimine roborari. Teſtibus, qui præſentes fuerant, ſubnotatis. Comite Hermanno & Comite Ottone de Ortenberch Wernhardo de Schawenburch, Gebhardo de Tolnze, Heinrico de Prune, Heinrico de Liehtenſtein, Heinrico de Hackenberch, Ottone de Haslawe, Heinrico Pincerna de Hauſpach, Ottone de Miſſowe, & aliis quam pluribus. Acta ſunt hæc anno Domini M.CC.XLI. Indictione XIIII. Dat. Wien. IIII. Kal. Januarii.

Tractatus ſuper Advocatia Enzerſtorffenſi.

Tutela Domini Enzerſtorffenſis eum in modum è manibus Pilchſtorffii in Auſtriæ Ducem tranſlata ulterius ſequenti anno, Chriſti 1242. conſtituta eſt pecuniæ Summa, pro defenſione illius dominii annis ſingulis Duci exhibenda, ut ſequens documentum prodit.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Amen. Nos Fridericus Dei gratiâ Dux Auſtriæ & Styriæ & Dominus Carniolæ univerſis Chriſti fidelibus in perpetuum. Hujus Scripti teſtimoniò notum fieri volumus univerſis, quod dilecti Domini & Amici noſtri Chunradi Venerabilis Friſingenſis Epiſcopi precibus inclinati hanc ſibi & Eccleſiæ Friſingenſi fecimus gratiam, ut pro toto jure, quod de Advocatia in Enzinsdorf nobis cedere deberet, ſingulis annis in feſto Purificationis Sanctæ Mariæ tantum triginta talenta Wiennenſis Monetæ recipiamus. Ut autem hæc gratia & conceſſio noſtra præfato Epiſco-

ſcopo & Eccleſiæ Friſingenſi perpetuo inconvulſa permaneat, præſentem paginam noſtrô fecimus ſigillô communiri. Teſtes ſunt: Venerabilis Dominus Rudgerus Patavienſis Epiſcopus, Ulricus de Menninge, & Magiſter Ulricus de Chirichperch, jam dictæ Eccleſiæ Canonici. Gotſchalcus Plebanus de Holerbru(o)nne. Laici: Ansbalmus de Juſtinge, Gebbardus de Tolnze, Ulricus de Wikersbouen Ulricus de Cheichlingen, Wolfgerus de Paro(v)we, Otto de Valchu(o)nschirchen. Dietricus de Tobra, Chunradus de Humbel, Heinricus de Vagen, Perchtoldus de Gebolvespach, Eberhardus de Newertingen, & alii quam plures. Acta ſunt hæc apud Loope, VII. Idus Nouemb. anno Domini M.CC.XLII.

Interea eodem anno Henricus Tegernſeenſium Abbas abdicato ſpontè regimine ad inclytum Monaſterium Salemitanum * Ciſtercienſis reformationis ſeſe contulit, & liberam Succeſſoris deligendi facultatem Tegernſeenſibus reliquit. Prodiit ex urna 18. Kal. Auguſti è gremio Perchtoldus (eo nomine ſecundus) cognomento Scnek dictus. Verùm ea electio vitiô non caruit, cùm non ſoli Religioſi elegerint, ſed etiam quidam Laici in negotium illud ſeſe intruſerint. Quare cum Perchtoldus poſthac Confirmationem ab Epiſcopo noſtro peteret, ab eo pro merito repulſus eſt.

* al. *Salomonis villa, vulgo Salmansweiler.* Viciſſitudines Tegernſeenſes.

Perchtoldus id haud ægrè tulit, confidens Metropolitanum Salisburgenſem Eberhardum II. Truchſeſſium votis ſuis facilè conſenſurum. Et ſanè annuit Eberhardus, ac Perchtoldo ſolenni ritu confirmationem impertivit. Lætus hoc rerum proſpero ſucceſſu Perchtoldus rurſus ad Epiſcopum noſtrum Conradum convolavit, Ordinem Presbyteratûs & benedictionem Epiſcopalem ab eo petiturus. Cùm vero brevi adverteret, nihil ſe acturum Friſingæ, denuo Salisburgum profectus rurſus votis damnatus eſt, tametſi Conradus miſſis literis & Nunciis ſolennibus atque interpoſita etiam ad Summam Sedem provocatione Metropolitanum dehortaretur.

Ea res ingentes curas injecit ambitioſiſſimo Perchtoldo, qui proinde, ut ſe in ea dignitate tueretur, ſtolidiſſimô conſilio Monachos omnes, nulla nobilitatis aut ætatis ratione habita, è Monaſterio ejecit: & alios ſibi Collegas, ac Contubernales elegit, Armigeros ſcilicet, aliosque, qui cauſæ ipſius improbæ robuſtè favere poſſent & vellent. Deinceps prædia, nobilium Tegernſeenſium Miniſtrorum uſibus deſtinata, diverſis modis, nempe alia vendendo, alia ſeudi, Emphyteuſis, aut pignoris nomine elocando, vel etiam donando diſſipavit, ne ſacræ quidem ſuppellectili, calicibus ſcilicet, thuribulis, aliisque vaſis, nec ſacrificantium veſtibus parcens. Præterea à ſubditis colonis vi, imo vario etiam tormentorum genere pecunias magnô numerô extorſit. Denique ſuos etiam Monachos profanis Judicibus & tribunalibus ſubjecit, quosdam etiam in vincula conjecit. Variarum quoque Eccleſiarum immunitatem ſæpius violavit.

Volebat Epiſcopus noſter ſæpe ſæpius occurrere ſtolidiſſimis inſolentiſſimi hominis intemperiis; at nihil proficere potuit contra armatam proterviam, donec tandem fatigata cœli patientia Religioſorum & Subditorum Tegernſeenſium, uti etiam vicinorum animos excitavit. Hi tandem conſpirantibus animis Perchtoldum accedentes certos articulos obſervandos ei propoſuêre, eundemque juratò promittere coëgerunt, quod ſi vel minimum apicem deinceps transgreſſurus eſſet, eo ipſo Abbatis dignitate excideret, ipſique Monachi, nobiles Miniſtri, ac Coloni ab omni obediendi obligatione eſſent abſoluti: Juravit eidem Perchtoldus: at juramentum brevi eluſit reverſus ad væſaniam, & quidem priori majorem. Tum demum extremo interitûs Monaſterii periculo exciti Tegernſeenſes, qui tandem Perchtoldi arma contemnere didicerant, rem totam denunciârunt Conrado Epiſcopo noſtro, qui, adhibitô etiam Cathedralis Collegii conſiliô, fretus etiam Apoſtolico, ut mox infra videbimus, mandato, Actores & Reum primò, ſecundò, tertiò Friſingam in Eccleſiam evocavit. Et comparuêre equidem actores; Perchtoldus vero Epiſcopi mandatum petulantiſſimè

contempsit. Tum Episcopus, ut tandem serio officio suo faceret satis, & ruinam amplissimi & illustrissimi Monasterii præveniret, implorato cœlesti auxilio capita querelarum sibi exponi à viris probis rerumque consciis voluit, quos omnes ad juramentum de veritate dicenda adstrinxit. In eo examine & majora & plura impia Perchtoldi facinora sunt prodita, quam Frisingæ antehac credi poterat. Unde Episcopus, qui nonnisi cautissimè contra Perchtoldum procedere statuerat, auditis tum Canonicorum, tum reliqui Cleri consiliis sententiam Depositionis contra eundem tulit, totum Monachorum illustre Collegium ab obedientia, Ministros ab obsequiis, Vasallos à fidelitate absolvit, & liberæ electioni novi Abbatis viam aperuit. In ea ex urna prodiit Udalricus de Pertashausen, Abbas Seonensis, Vir à virtute animi, & nobilitate sanguinis commendatissimus, quem deinceps Episcopus noster confirmavit. Quantis laboribus huic Udalrico steterit reparatio Amplissimi, sed tunc à spatio sex annorum summè desolati Monasterii, rectiùs dijudicabit prudens Lector, quam nos hic commodè exprimere valeamus: dum interim monemus, nos acta Tegernseensia sex annorum hic contraxisse, ut uno quasi obtutu collecta comparerent. Compescuntur à Conrado Episcopo.

Interea Conradus Episcopus noster jus Advocatiæ Enzerstorffensis anno Christi 1243. datis quingentis talentis Viennensis Monetæ ab Ulrico de Himperch, cui illud interim Austriæ Dux commiserat, redemit. Literas in parte altera exhibemus. N. 7.

Eo anno Cælestino IV. Pontifici, post 18. duntaxat dierum regimen mortuo, Sinibaldus Fliscus, ex Lavaniæ Comitum stirpe progenitus, inter S. Benedicti Monachos in Cœnobio Divi Benigni nutritus, postea Cardinalis S. Laurentii in Cathedra Divi Petri successit, assumpto Innocentii IV. nomine, ab aliis ob singularem, quæ in eo refulsit, Juris peritiam, ***Canonistarum splendor*** & ***Juris Parens*** dictus. Is primo statim sui Regiminis anno á Conrado Episcopo nostro in supra memorata causa Tegernseensi interpellatus, Abbatibus Seittenstettensi, Mellicensi & alteri Pataviensis Diœcesis datis literis mandavit, ut facta diligenti inquisitione Sedis Apostolicæ auctoritate decernerent, quod Ordo juris exposceret. Sane quid profecerint hi Abbates, ex supra recensitis satis apparet. P. Gregor. Kolb. S. J. in Ser. Rom. Pontif. N. 8.

Interim Pontifex metu Friderici Imperatoris digressus est in Galliam, ut paulo post videbimus.

Anno insequenti Hermannus Comes de Ortenburch prædia quædam, ad Ecclesiam Frisingensem pertinentia, quæ is eousque bona fide usurpaverat, deprehenso errore suo, Conrado Episcopo restituit datis literis sequentis tenoris: Nova restitutio fit Ecclesiæ Frising.

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Comes Hermannus de Ortenburch possessiones quasdam sitas in Trabouen, quarum proventus & usufructum jamdiu tenui & percepi, credens hoc mibi competere occasione hæreditatis patrui mei Comitis Heinrici de Wartenberch, confiteor tenore præsentium & protestor, pertinere ad Ecclesiam Frisingensem, ad quam spectant utpote dominicalia pleno jure. Unde nunc saniori conscientia instructus errorem præteritum purificans in manus Domini me Chunradi Episcopi renuntio prædictis possessionibus, & suis pertinentiis hactenus à me præter justitiam usurpatis, qui etiam ex divina clementia, & sui gratia dampna & injurias Ecclesiæ suæ prætextu supradictæ usurpationis irrogatas relaxavit in Domino & remisit. Et ne à me vel à meis, vel à quolibet heredum meorum de prædictis valeat lis & quæstio suscitari, præsens instrumentum in testimonium renuntiationis trado Ecclesiæ Frisingensi meo sigillo consignatum. præsentibus testibus subnotatis, qui sunt Dominus Wernhă. C. Heinricus Capellanus Domini Frisingensis Episcopi, Dominus Geb. de Tolnz, H. Wagnarius, Albertus de Ardacher, H. de Nœvertingen Miles, Heinricus de Hohenburch, Comes Meinhardus de Roteneck, & alii quam plures. Datum Wiennæ anno Domini M.CC.XLIIII. XI. Kal. Martii.

Majo mense exaratas cernimus literas, quibus palam fit, ad quosnam eo tempore pertinuerint jura præsentandi, & instituendi Sacrum Curionem cele- De Ecclesia Parochiali Peuttingensi.

 bris

bris Parochialis Ecclesiæ Peuttinganæ. Eas, cum breves sint, hic inserendas censuimus.

P. Dei providenciâ majoris Ecclesie Constanciensis Prepositus universis presentem paginam inspecturis salutem in vero Salutari. Oblivio cum sit mentis incuria, sollicitè humana providit mentis sagacitas, ut que in tempore providè causarum processu proveniunt, seu ordinantur, scripturarum annotacione posteris in futura transmittantur observanda tempora. Unde presenti scripto profitemur & protestamur, quod nos in Ecclesia Bitengawe ad presentacionem Gebzonis Prepositi & Conventûs de Steingaden Premoustratensis Ordinis à Domino Geroldo Frisingensi Episcopo donum recepimus investiture, nec quemquam alium jus presentacionis seu donacionis hucusque in eadem Ecclesia recognovimus habere. Et ut predictis fides firmior adhibeatur, jurati hec coram Domino nostro Hainrico Constanciensi Episcopo & Capitulo nostro deponimus, atque sigillis ipsorum, nostro adjunctis sigillo hanc facimus litteram communiri. Acta sunt hec in Choro Constant. Anno Domini M.CC.XLIIII. secundo Kl. Junii. Indictione secunda.

Emitur Eutinga. Eodem anno mense Septembri Conradus Episcopus noster à Rapotone Comite Palatino Eutingam celebrem vicum, non integro trium horarum intervallo Frisingâ distantem, adhibita insigni cautela Ecclesiæ suæ coëmit. Instrumentum duplex hujus emptionis sic habet:

Cùm actibus sive contractibus legaliter & ritè initis soleat oblivio non numquam novercari, & pravorum perversitas lites inique suscitare, temerè nec non pervertere pie desiderium voluntatis consueverit; ideo legalis auctoritas providè sancivit, & consuetudo sapientum virorum approbavit, ut forme contractuum scriptis studiose commendentur. Quam ob rem omnibus præsentem paginam inspecturis innotescat, quod Rappoto Comes Palatinus vendidit & tradidit Domino Chu(o)nrado Episcopo Frisingensi villam Utingen, quam hereditariè possedit cum omnibus adtinenciis, pratis, pascuis, aquis, aquarum decursibus, piscationibus, molendinis, sive locis aptis ad molendina construenda, agris cultis & incultis, quesitis & inquirendis, simul etiam omnes homines eidem ville adtinentes pro mille & sexcentis libris Ratisponensis monete, preter predictas libras solvere tenetur idem Episcopus Consiliariis supra scripti Comitis quinquaginta libras ejusdem monete. In festo Sancti Andreæ proximo venturo trecentas libras persolvet. Iterum ducentas libras octo diebus ante Purificationem dabit Comiti prenominato. Sed idem Comes ante receptionem illarum quingentarum librarum tenetur dare predicto Domino Episcopo certos fidejussores, qui ad hoc se obligare tenentur, ut si forte aliqua persona linea consanguinitatis adtinens, seu etiam non adtinens prafatam villam ab eodem Domino Episcopo evicerit de jure quod prescriptas quingentas libras & omne dampnum inde proveniens ipsi totaliter restituent. Item quidquid remanet de mille & centum libris ultra solutionem possessionum predicte ville obligatarum sepe dictus Dominus Episcopus infra annum à festo Sancti Andree ipsi Comiti persolvet; ita tamen, quod Sorores sepe scripti Comitis prius omni actioni & inpetitioni omnimodis cedent simul & renunciabunt, alioquin Dominus Episcopus mille & centum libras solvere non cogetur, & nihilominus possessiones predicte ville in suis usibus medio tempore retinebit. Item si partem possessionis prefate ville ab eodem Episcopo evicerit aliqua persona pro reditu libre cujuslibet quindecim libras Ratisponensis Monete prenominatus Episcopus solvere non tenebitur. Idem etiam Comes juramento suo publice declaravit, se nullum habere, qui vulgo Salman nuncupatur ad supra scriptam villam; proinde consensum & voluntatem Domini Episcopi Dominum Gebehardum de Tolbe prelegit fore conservatorem & suum constituit esse Salman prefate ville simul cum adtinentiis. Qui etiam per manum ipsius Tolzenarii traditionem seu venditionem ipsi Episcopo roboravit. In loco venditionis protestatus est idem Episcopus, quod si forte ipse intestatus decesserit, quod prenominatus Tolzenarius sepè dictam villam ad usus Ecclesie beate Virginis tamquam verus Salman conservabit simul & defendet. Hujus rei testes sunt Chu(o)nradus Comes de Wahzerbu(o)rch, Gebehardus de Tolb. Hainricus de Wilhaim, Chu(o)nradus de Geren, Mainhardus Comes de Roteneke, Hainricus de Hohenbu(o)rch, Chu(o)nradus

radus de Horbach Nobiles. De Ministerialibus hii sunt: Leutoldus Pincerna de Vlugesperch, Otto de Werde, Sifridus de Frowenhoven, Hugo de Sigeshaim, Wernherus Pincerna de Ancenchirchen, Hanricus Gastlinus, Hanricus Judex de - - - - - Hanricus de Vagen, Otto Ulricus Rainboto fratres de Ramsperch, Ortolfus de Lamingen, Otto de Uresigen, Willehalmus Notarius Palatini, Wernhardus & Chu(o)nradus Capellani Episcopi. Acta sunt hec anno gre. M.CC.XL.IIII. XVII. Kal. Octobris. In foro Vilshoven. Et ut prenominatus Comes omnia suprascripta firma & inconvulsa conservet, presentem paginam jussit suo sigillo roborari. Ad majorem etiam certitudinem faciendam petivit idem Comes sigillum Domini Ducis de Wabzerbu(o)rch supra dictis apponi.

Mense postea Novembri contractus ille ulteriùs firmatus fuit in hunc modum.

Noverint universi presentem paginam respecturi, quod Venerabilis Chu(o)nradus Episcopus Frisingensis pro se & Ecclesia sua cum Domino Rapatone Illustri Bawarie Palatino contractum emptionis & venditionis ville, que dicititur V(o)tingen infra terminos Frisingensis Dyocesis site, & quarumdam possessionum, que jure proprietatis ejusdem pro tempore fuerant Palatini, quas dictus Episcopus per hanc emptionem dominio sue Ecclesie studuit applicare. Sane cum idem contractus esset initus pro mille sexcentis quinquaginta libris Ratisponensibus, dictus Episcopus Ecclesie sue utiliter prospexit super ea, que accidere posset, vendite rei evictione. Quapropter dum idem Episcopus ex supradicti Summa pretii dicto Palatino quingentas quinquaginta libras persolvisset, taliter inter eos convenit, ut infra spatium annuum à tempore contractus initi numerandum, idem Palatinus apud suos coheredes eundem contractum ratum haberi per omnia procuraret, aut in casum cessationis horum efficeret, ut super Illustres tam antiquior quam junior Bawarie Duces predia ex suo patrimonio predicte proprietati equivalentia ipsi Episcopo, sueque Ecclesie pro Summa venditionis habite obligarent, ad quam obligationem etiam procurandam Comes Chunradus de Wazzerburch & Hugo de Sigenheim, Heinricus de Hage, Heinricus Gassel, Karulus, Tunzo, & Chu(o)no de To(e)rringen jurisjurandi vinculo se fidejussorie astrinxerunt. Plane si dicti Duces ad obligationem memoratam induci non poterunt, tunc in eventum hujus impotentie dictus Episcopus cum Capitulo & Ministerialibus suis cautionem sibi & Ecclesie sue profuturam, & ipsi Palatino non impossibilem excogitabit, per quam in sepe dicti Summa pretii indempnitati sue sufficientissimè consuletur. His utique bona fide ex utraque parte completis Dominus Episcopus pecuniam debitam Palatino solvet in tempore ad hoc deputato. Item si predicti Domini Duces in obligatione predicta Palatino non acquieverint, & Palatinus cautionem ab Episcopo excogitatam neglexerit vel recusaverit adimplere infra annum à Purificatione videlicet beate & gloriose Virginis Marie proximo ventura in aliam Purificationem, tunc demum dictus Comes de Wazzerburch Ratisponam & alii fidejussores prenotati Hohenawe, cum per litteras Episcopi admoniti fuerint, infra mensem se venturos, & inde non egressuros jurejurando interposito astrinxerunt, quoad usque Episcopo sueque Ecclesie super evictionis dispendio plenissima securitas interponatur. Porro si citra talis cautionis prestationem mors, quod absit, Palatino obtigerit, memorati Hugo de Sigenheim suique Confidejussores ipsius Palatini Ministeriales Episcopo & Comiti de Wazzerburch paris juramenti vinculo se obligârunt, quod munitiones ejusdem Palatini suis heredibus nullatenus assignabunt, priusquam omni indempnitati ipsius Episcopi, sueque Ecclesie super memoratis articulis plenissimè prospiciatur, & heredes renuncient juri, quod se fatentur habere in possessionibus memoratis, maximè cum predicta pecunia cesserit in solutionem aliorum redditum, quos Pater eorum primitus obligârat, quos etiam Sorores ejusdem Palatini jure hereditario possidebunt, si Palatinus decesserit sine herede. Si vero Dominus Episcopus medio tempore morte preventus fuerit, quod Deus avertat, ipse Palatinus ad omnia prelibata suo tenebitur Successori, & idem Successor respondebit de pecunia nondum soluta fidejussoribus Palatini. Ut autem predictus contractus inviolabilis permaneat & inconvulsus, presentem paginam

ginam placuit ipſius Palatini & Domini Chunr. Comitis de Wazzerburc ſigillorum munimine roborari. Acta ſunt hec apud Albichinġ Anno gratie Milleſimo CCXLIIII. IIII. Non. Novemb.

Huic igitur Contractui interfuerunt Eberhardus Decanus Friſingen. Chu(o)nradus Pincerna de Humbel, Engelmarus de Abdorf, Ru(o)dolfus de Waldeke, Heinricus de Niuwartingen, Chu(o)nr. Sabbo, Pilgrimus de Werde Miniſteriales Friſingen Marquardus de Stæringen, Ru(o)pertus de Spilberc, V(o)lricus Kratzel, Otto de Stutshuſen, Heinricus de Holzen, Perhtoldus de Sikenhauſen, Ekhardus de Vronhoven, Otto de Fru(o)wenberc, Li(e)bhardus de Tegerwak, Heinricus de Harskirchen, Chu(o)nr. Gurro de Gebage, Siboto de Scho(e)nneſteten, Gerhoh de Fremerichsperge, Heinr. Kratzel, Chu(o)nr. de Sebrukke, Chunr. Kratzel, Rudeger de Celle, Salzburgenſes & Domini Ducis Bawarie Miniſteriales, & de familia Comitis Chunr. de Wazzerburc, & alii quam plures.

§. V.

Eccleſiæ & Imperii Status turbulentus.

Turbæ inter Pontificem & Imperatorem.

Franc. Pagi in Breviario.

QUalis fuit Fridericus Imperator Gregorio IX. talem ſe etiam exhibuit Innocentio IV. ſcilicet infidelem, & conſtanter refractarium. Innocentiô in Sede Petri collocatô Fridericus ſtatim Legatos literasque ad eum miſit Benevento Anagniam, quibus gaudium ſuper ea Electione teſtatum reddidit, quod ſcilicet ex veteri Amico novus ſibi Pater creatus ſit: cujus proinde beneplacito tam ſeipſum, quam potentiam ſuam, Imperium ac Regna *ad honorem Eccleſiæ, ac favorem omnimodum Eccleſiaſticæ libertatis, quantum cum Deo ſalvis jure & honore Sacri Imperii & ſuorum Regnorum* poſſet *obnixiùs obtulit.*

Innocentius viciſſim paulo poſt alios Legatos miſit ad Cæſarem, de reconciliatione cum eo tractaturos. Petiit autem Pontifex imprimis, ut Imperator Prælatos, Clericos & Laicos, quos captivos tenebat, liberos dimitteret. Item ut crimina illa, ob quæ à Gregorio cœtu fidelium dimotus fuerat, purgaret. Cæterum ſi eum Eccleſia in aliquo contra jus fasque irritâſſet, paratum ſe eſſe Pontifex teſtatus eſt eidem facere ſatis, judiciô atque arbitriô telictô Regibus, Prælatis, ac Principibus tum Eccleſiaſticis tum Laicis, qui in locum omnium ſecuritati commodum poſſint evocari.

Fridericus tam acerbè accepit Pontificis monita, ut, metu imminentis tempeſtatis, portus viasque omnes terra marique præcluderet, ne quis à Pontifice ad transalpinos Principes ac populos: vel ab iis ad Innocentium commeare poſſet. Simillimis curis Conradus ejus filius vias per Germaniam obſtruxit. Deprehenſi quidam Religioſi literarum portitores extremô ſuppliciô affecti ſunt.

Indignè id tulêre Itali, è quibus Viterbienſes Fridericum in fugam conjecerunt, multi alii Principes defectionem ab illo fecerunt, ita ut tandem Imperator tum metu impendentium periculorum, tum hortatu familiarium de pace cum Eccleſia conſtituenda ſeria conſilia iniiſſe viſus ſit. Legatos enim Romam miſit, qui ſuo nomine interpoſita etiam jurisjurandi Religione nunciarent Pontifici, Cæſarem mandatis Pontificiis morem geſturum, & damna ac injurias omnes, Eccleſiæ irrogatas, compenſaturum. Ea promiſſio etiam Cæſareo ac publico Diplomate confirmata fuit. Et Legati quidem Friderici nomine, præſentibus Balduino Imperatore Conſtantinopolitano, Cardinalibus, Epiſcopis, Senatoribus Romanis ac populo mandata Imperatoris executi ſunt. Verum Imperatorem brevi pœnituit reſipiſcentiæ ſuæ, cauſſantem, indigna eſſe Cæſare, quæ ſpoponderat. Hinc Innocentius rebus Eccleſiæ proſpecturus, cùm eo tempore non plures quam ſeptem Cardinales in Eccleſia numerarentur, eorumdem Collegio alios, numerô duodecim, præſtantiſſimos viros adlegit: cumque nulla ſpes pacis

cum

cum Imperatore ineundæ superesset, viis propemodum inviis adversa etiam valetudine tandem Ganuam, indeque in Galliam deflexit, secunda die Decembris Anno 1244. Lugdunum delatus, ubi condigno honore à Clero populoque susceptus est. Pontifex migrat in Galliam.

Lugduni Pontifex festô Dominicæ Nativitatis ex Ecclesiæ more peractô, die Divo Joanni Evangelistæ Sacra Sermonem ad populum habuit, & Concilium Generale, in festo S. Joannis Baptistæ Anno 1245. inchoandum indixit, ad quod etiam Fridericum Imperatorem citavit, aut in persona propria, aut missis idoneis procuratoribus compariturum. datis encyclicis literis Balduinus quoque Imperator Constantinopolitanus, aliique Christiani Reges & Principes fuêre invitati. Inter causas convocandi quintô locô recitabatur *Negotium, quod inter Ecclesiam & Principem* (Fridericum) vertebatur. Interea Fridericus, facilè prospiciens, de sua dignitate in publico orbis theatro disceptatum iri, Veronam ex Apulia profectus alium Principum Conventum coëgit, & futuro Generali Concilio objecit. Comparuêre Veronæ Conradus noster Frisingensis Episcopus, Otto Dux Meraniæ, & Fridericus Austrius, qui ea occasione primus Archiducis titulum ab Imperatore consecutus est. Cæsareo Diplomati desuper confecto, teste Arembeckio, primus Conradus noster subscripsit: qui tamen postea ejus partes abjecit, ut mox videbimus. Indicit Concilium generale. Cui Imperator opponit Conventum quorumdam Principum.

Adfuêre deinceps Lugduni non solum multi Cardinales, tres Patriarchæ, Episcopi 140. ex variis Regionibus, Abbates ac Procuratores ingenti numero, verum etiam Balduinus Imperator Constantinopolitanus, alii multi Principes Viri, Legati non solum variorum Regum, verum etiam ipsius Friderici, qui tamen, ne Germaniæ antistibus via Lugdunum pateret, solicitas curas adhibuit. Missa facimus cætera, quæ in eo Patrum, Principumque concessu fuêre agitata, sed solas res Friderici breviter persequimur. Causa illius statim in altera sessione mota fuit, dum multi Principes & Antistites grandes adversus eum querelas moverent. Cæsareus Legatus cum pro rei dignitate ac gravitate accusatoribus respondere non posset, demum supplicavit Patribus, ut inducias aliquot dierum indulgerent, asseverans Fridericum ipsum brevi affuturum, & causam suam defensurum. Neque defuit votis Pontifex, sed Friderici causam ad subsequentem sessionem distulit. Cùm vero Fridericus intra tempus promissum neutiquam compareret, & toti Concilio constanter illuderet, tandem Pontifex eundem omni honore, Imperio, Regnisque privavit, nemine, præter Cæsareaneos Legatos, non applaudente. Eâdem sententiâ omnes, qui Friderici partes sequebantur, aut alias eidem adstricti erant, à juramento fidelitatis fuêre soluti. Sed frustra. Exauctoratur Fridericus.

Causæ exauctorationis præcipuæ quatuor numerabantur, nempe primo, *perjuria* adversus Ecclesiam admissa. secundo, *Violatio* pacis cum Ecclesia initæ. tertio, *Sacrilegium* in Cardinales Legatos captivitati addictos, aliosque Præsules interfectos patratum. quarto, *Heresis*, qua non solum censuras Pontificias contempsisset, verum etiam ab obedientia Papæ præstanda multos absterruisset, Bojariæ Ducem, Romanæ Ecclesiæ devotum, per sicarium occidisset, ritus Saracenorum amplexus esset, & quæ alia in actis Concilii memorantur: Ob quas causas universum Concilium Pontificis sententiam ratam habuit, uti egregiè probat Francíscus Pagius. Electio novi Imperatoris Ducibus Austriæ, Bavariæ, Saxoniæ ac Brabantiæ; item Archiepiscopis Coloniensi, Moguntino, & Salisburgensi commissa fuit. Hæc tum in Gallia adversus Fridericum fuêre constituta.

§. VI.

Prosecutio rerum domesticarum usque ad annum 1246.

FRisingensia Acta suprà §. IV. perduximus usque ad annum Christi 1244. quo inter Sacerdotium & Regnum intercidêre ea, quæ hactenus narravimus, & commodè separare non potuimus. Nunc regredimur ad res Frisingenses, & quæ media illa tempestate, annisque sequentibus tum circa Episcopum nostrum, tum aliàs domi evenêre, perteximus.

Conradus Ep. conciliatur Pontifici.

Occurrit primò locô inter acta domestica sequens Innocentii IV. anno Pontificatus sui tertio 3. Nonas Augusti, id est, anno salutis 1245. 3. Augusti ad Episcopum nostrum Lugduni exarata epistola.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Episcopo Frisingensi Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum, sicut in nostra proposuisti præsentia constitutus, nonnullæ fuerint in te auctoritate Apostolica Excommunicationum & suspensionum sententiæ promulgatæ, ac aliàs laqueum Excommunicationis, incurreris pro commissis incendiis & rapinis eo tempore, quo gwerram habebas pro defensione Ecclesiæ Frisingensis, Nos tuis precibus inclinati te à prædictis absolvimus, tecumque auctoritate Apostolica dispensamus super irregularitatibus, si quas exinde contraxisti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis & dispensationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Dat. Lugduni 3. Non. Aug. Pontificatûs nostri anno III.

Ex hoc Instrumento perspicuum est, Episcopum nostrum promulgata Friderici exautoratione non adeo diu moras texuisse, sed mutata mente se Lugdunum contulisse, Pontificique suos errores fuisse confessum rogando, ut se in gratiam & Communionem Sedis Apostolicæ reciperet, quod etiam feliciter impetravit. Exstat adhuc alia Epistola Apostolica, qua Conrado Episcopo eo tempore collata fuit facultas absolvendi suos diœcesanos, qui & ipsi censuras ac pœnas Ecclesiasticas incurrerant. Literæ sic habent.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Episcopo Frisingensi Sal. & Ap. benedictionem. Devocionis tuæ precibus benignum impertientes assensum absolvendi incendiarios, & Sacrilegos & raptores tuæ Civitatis & Diœcesis, ac dispensandi cum illis, qui exinde irregularitatem aliquam incurrerunt, plenam tibi concedimus auctoritatem, proviso, ut passis dampna per hujusmodi incendia & Sacrilegia & rapinas congruè satisfiat. Dat. Lugd. 4. Non. Aug. Pontificatûs nostri anno III.

Opinamur librarium in exscribendo hoc Instrumento lapsum fuisse, dum scripsit 4. *Non. Augusti*, id est die 2. Augusti. Cùm enim Conradus ipse primum die sequenti absolutionem sui impetrârit, uti in superioribus Innocentii literis conspeximus, non conveniebat ei pridie tribuere facultatem alios absolvendi. Itaque malim legere etiam in hoc Instrumento: 3. Nonas Augusti: ita ut utraque gratia Apostolica censeatur eodem die fuisse collata.

Has gratias postridie, nempe die 4. Augusti alia secuta est in favorem Conradi Episcopi, velut ex literis sequentibus apparet.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis - - - Electo Seccoviensi, de Frisaco & de S. Virgilio Ecclesiarum Præpositis Salzburgensis dyocesis S. & A. b. Querelam Venerabilis fratris nostri Episcopi Frisingensis recepimus continentem quod nobiles Viri - - - Comes de Tyrol. Hainr. & Ot. de Welfsperch fratres

Curi-

*Curien. & Brixin. dyoc. ipsum quibusdam redditibus & rebus aliis ad eum de jure spectantibus contra justitiam spoliantes, redditus ipsos per septennium pro sua voluntatis libito perceperunt in ipsius præjudicium non modicum & gravamen. Unde dictos nobiles rogandos duximus attentiùs & monendos, nostris sibi dantes literis in mandatis, ut eidem Episcopo redditus ipsos & alia sine qualibet difficultate restituere, & de perceptis satisfactionem congruam, ut tenentur, exhibere procurent. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatinus si dicti Nobiles mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ad id monitione præmissa per censuram Ecclesiasticam appellatione remota cogatis, Constitutione de duabus dietis * in Concilio ** Generali edita non obstante. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Lugd. II. Non. Aug. Pontificatûs nostri anno tertio.*

* Diæta est unius diei iter, vide *Macros in Hierol.* ** *Lateran. IV. cap. 37.*

Num hæ Pontificiæ literæ memoratos rerum Frisingensium Usurpatores permoverint ad satisfaciendum Episcopo, nullibi hactenus annotatum reperimus.

Interim eodem anno & quidem die ultima ejusdem mensis Augusti Conradus Comes de Niwenburch sive Herrantstein in Ecclesiam Frisingensem fuit munificus, etiam non attento hæredum suorum notabili detrimento. Causæ donationis non exprimuntur in instrumento, quod sic habet.

Comes Niwenburgicus in Ecclesiam Frif. munificus.

Noverint universi præsentem paginam inspecturi, quod ego Ch. Comes dictus de Niwenberch Frisingensis Dyocesis omne dominium rerum sive mobilium sive immobilium seu se moventium tam in Bawaria, quam in Austria, quam etiam ubique locorum jure proprietario me respicientium dedi & transtuli jure plenissimo Kathedrali Ecclesiæ Frisingensi, omnium prædictarum rerum usufructum mihi pro tempore vitæ meæ reservans, salva tamen ipsarum rerum proprietate, quam transtuli ad Ecclesiam memoratam. Homines quoque mei nobilis conditionis ad debitum Ecclesiæ Frisingensi suisque in futurum Episcopis servitium, utpote Ministeriales jurejurandi se vinculo astrinxerunt, nihilominus tempore prædicto mihi obsequia non incongrua dep̄suri, adjecti inquam, ut mei liberi virilis sexûs, si quos ex libera genuero, hæc mea gesta, dum sua fuerint compotes rationis, in Ecclesia Kathedrali coram pro tempore Episcopo, & Canonicis, nec non Ministerialibus dictæ Kathedrali Ecclesiæ Frisingensi approbent, & affirment. Cæterum si qui eorumdem liberorum hæc vel negligere vel his attemptaverint obviare, ab omni, quod in suprafatis possessionibus jure juxta prædictum modum habere poterant, cadant destituti. Planè & huic me subjeci liberaliter necessitati, ne si corrupto mutato forsitan consilio cuiquam supradictorum attemptavero, quod absit, contraire, pari cum liberis meis in sæpedictis rebus & juribus pœna astringar. Aderant autem prædictæ traditioni Eberhardus Decanus, Fridericus Sancti Andreæ Præpositus, Eberhardus Werdensis Præpositus, Fridericus de Reuripphe, Otto Sappo, Wernhardus de Weilhaim, Fridericus Vicedominus Canonicus Frisingensis, Heinricus de Weilhaim, Heinricus de Hohenburg Nobiles. Chunradus de Humel Pincerna, Heinricus de Wagen Dapifer, Bertoldus de Vagen, Heinricus de Niwortingen Milites Ministeriales Frisingenses. Heinricus de Vagen junior, Ludwicus de Pu(o)telpach, Ulricus Gretzel & alii quam plures. In hujus itaque rei testimonium, & habundantem cautelam meo sigillo præsentem paginam per manum Chunradi Notarii scriptam placuit communiri. Acta sunt hæc II. Kaln. Septembr. anno gratiæ M.CC.XLV.

Solatio ex tam prosperis rerum successibus orto ingens auctarium addidêre literæ ad omnem posteritatem memorabiles Ottonis Palatini Comitis Rheni & Bojariæ Ducis, pro Cleri & Ecclesiarum diœcesis Frisingensis libertate conscriptæ: quas hic legendas exhibemus, actis Conradi Episcopi illiusque temporis ingentem lucem allaturas.

Otto Dux Clericis restituit libertatem.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Cum libertas sit rebus omnibus favorabilior, unum justum est bellum, quod pro sua suorumque vel Patriæ libertate tuenda quis sustinet, & quod intervertenda libertatis suæ, vel eorum, quorum servitus ad dolorem vel injuriamque nostram porrigitur, metu sit vel promittitur, ratum non

habet prator, sed irritum: & è contrario mortalitate comperta sit Servitus, qui Clericos persecuntur & oppriment, & angariando velut in servos redigunt, quid aliud quam Clerum extinquere fidemque Katbolicam, qua per illum subsistit, cujus illi sunt gubernatores & anchora, radicitùs extirpare, & funditùs evertere moliuntur. Porrò Clericorum libertas, & Ecclesiarum emunitas à Deo primum & principaliter, secundariò & consequenter ab Imperio sequente Deum, & à cunctis Katbolicis retrò Principibus concessa Clericis & ipsis Ecclesiis, & infinitis auctoritate Romanorum Pontificum, quàm & Sacularium Principum confirmata privilegiis interdum exigentibus aliquorum Clericorum excessibus, interdum sola Laicorum malitia faciente in tantum conculcata succubuit, & ferè prorsus evanuit, adeo, ut inter Divinum publicumque jus & privata commoda nichil videatur differentia remansisse, cum in Angariis & perangariis aquales sint bodie sicut populus, sic Sacerdos. Proinde Nos Otto Dei gratià Palatinus Comes Reni & Dux Bawaria, quia Clericorum servitus ad dolorem nostrum pertinet, cum Patres nostri sint, quibus prius & potiùs quam carnalibus, si aqualiter indigeant, subvenire charitas ordinata nos ammonet, imò pracipit, orthodoxa fidei Zelo succensi pro remissione peccaminum nostrorum & dilecta Consortis nostra Agnetis, & bona memoria Patris nostri Ludwici, & pro salute filiorum nostrorum, Clericis plenam libertatem restituimus, & concedimus, promittentes bona fide nos de catero Clericis & Ecclesiis, prasertim Canonicis Kathedralis Ecclesia, & caterarum Conventualium Ecclesiarum servaturos omnem libertatem, omnem emunitatem, omnia jura, omnia privilegia, qua eis à Canonibus, & à fidelibus Principibus sunt concessa. Et licèt jus nostrum, si quod ad nos à nostris majoribus, vel consuetudo, vel alius traduxit titulus, facultates nostras non minimum augmentàsse quibusdam visum fuerit, promittimus tamen, quod deinceps à Clericis, vel Ecclesiis, aut possessionibus earumdem nihil exigemus, nec à nostris exigi permittemus indebitum: nichil extorquebimus, non mittemus servos vel milites vel venatores induendos: non exigemus equos, non albergariam, nisi quod commode possit, & sponte velit nos secundum suum beneplacitum honorare. Non capiemus Clericos, nec capi faciemus, imo injuriose capientes pro nostri officii debito puniemus, & honorem & protectionem Clericis, prout potuerimus, impendemus. Excitavit autem nos ad hoc faciendum & promittendum amor & dilectio Karissimi Patris & Domini nostri Chunradi Frisingensis Episcopi, qui post multas Gwerras, & graves discordias nobiscum ad pacem rediit, promittens etiam ipse, quod suis Clericis erit propitius, & nichil ab eis exiget, nisi Kathedraticum, scilicet viginti quatuor denarios usualis moneta, & quicquid Canones permittunt. Ut hac mutua Cleri defensio sit pignus & memoriale perpetuum pacis & fæderis inter nos divinitùs reformati, testes hujus facti sunt. Uto Prapositus major. Eberhardus Decanus, Magister Marquardus de Padua, Prapositus Maticensis, Hainricus Prapositus Monasteriensis, Swikerus Notarius, Magister Dietricus Scolasticus Ilmünstrensis de Clericis. De Laicis verò Fr. junior de Trubending, H. de Neifen, Comes Ch. de Mosburge, Al. de Preising, Syfridus de Vrawenbouen, S. de Fraunberch, S. dictus Asinus & alii quam plures. Dat. per manum Ul. Notarii nostri apud Landeshut, Anno Domini M.CC.XLV. Kal. Septembr.

Existimamus, benigne Lector, hujus totius anni felices eventus Lugdunensi Concilio esse referendos in acceptis, quippe ex cujus auctoritate & insignibus Constitutionibus unà cum Episcopo nostro ad saniora consilia multi etiam Principes Viri se converterunt.

Albardi de Prising liberalitas erga Eccl. Frising.

Memoratu quoque digna est liberalitas Alhardi de Prisingen, quam eodem anno expertus est Episcopus noster, qui erga eundem Alhardum minimè ingratus fuit. Rem ex Instrumento clarius intelligemus, quod subjicimus.

Ne processu temporis hominum gesta oblivionis periculo subjiciantur, & pereant, solent memoriis posterorum imprimi per apices literarum. Sciant igitur tam prasentes quam futuri, qualiter ego Albardus de Prisingen unam curiam in Funsing juxta Ecclesiam sitam, & quoddam pratum, quorum dominium jure proprietatis ad me spectabat,

ftabat, cum jure pleniſſimo transtuli ad dominium Friſingenſi Eccleſiæ Kathedrali, ita quod per manum Mediatoris, qui vulgo dicitur Salman, earumdem poſſeſſionum ſtabilire debeam memoratæ factam Eccleſiæ traditionem. Si quis verò dictam Eccleſiam de eisdem poſſeſſionibus impulſaverit, fide data ad hoc me obligavi, ut pro eisdem poſſeſſionibus, ſicut auctor rei, qui vulgo Gwer dicitur, reſpondere tuendo tenear juſtitia exigente. Ad hac curiam Engelspoldesperge ſitam, quam à Domino meo Epiſcopo poſſedi jure feodali dicti loci Domino C. Epiſcopo reſignavi. Ille utique meæ fidelitatis devotionem, quam ergà ſupradictam Eccleſiam ſemper habui, & habeo, pietatis oculo reſpiciens talem mihi reddidit gratiam è converſo, videlicet, quod per Curiam in Glan cum decima ipſam reſpicientem me meosque liberos infeodavit, hac tamen interpoſita conditione, ut quia quam plures de familia Eccleſiæ Friſingenſis Glan in vicinia commorantur, nullus eorum aut per me, aut per aliquem meorum hominum debeat lædi vel offendi, quod ſi fortè, quod abſit, quis eorumdem gravatus fuerit, ſicut dixi, & læſo infra unum menſem, poſtquam cognovero, non ſatisfecero, ab omni jure, quo ſum in ſupradicta curia Glan à Domino Epiſcopo infeodatus, cadere debeo: ita quod nec ego, nec hæredes mei ejusdem ac decimæ debeamus de cætero repetere poſſeſſionem. In hujus itaque rei teſtimonium & confirmationem meô ſigillô præſentem paginam communivi. Acta ſunt hæc Anno gratiæ M.CC.XL. quinto.

Diſparia fata nacta ſunt eo anno vicina duo inclyta Monaſteria Weihenſtephanenſe & Neocellenſe. Illud Virorum (uti ante pauculos annos Monialium) teſte coæva manu, ſubitò incendiò in cineres abiit: iſtd vero inſignem victoriam adverſus Nobiles de Egenhoven coram tribunali Epiſcopi noſtri retulit. Inſtrumentum in partem alteram differimus. Parthenon Weihen-ſteph. conflagrat. N. 9.

§. VII.

Publica & privata Acta usque ad annum 1250. ubi de emptione Dominii in Germiſch.

FRiderico Imperatore authoritate Concilii Lugdunenſis è Solio ejecto omnem lapidem movit Pontifex, ut ii, quibus jus eligendi delatum fuerat, alium ſibi Regem deligerent, & quidem Henricum Rasponem Thuringiæ Lantgravium. At vero conſilium Pontificis non omnibus Principibus arriſit; cum Conradus Friderici filius jam dudum, ut ſupra dictum, deſtinatus eſſet, ut Patri ſuccederet. Inter dictos Principes etiam Bojariæ Dux Otto novæ electioni ſe oppoſuit; operâ tamen aliorum Principum, maximè Eccleſiaſticorum tandem Anno 1246. in feſto Dominicæ Aſcenſionis prope Herbipolim Henricus Thuringus Rex ſalutatus eſt, quem Friderici Sectatores *Regem Clericorum* nominare conſueverunt. Perculit interim vehementer Friderici animum fama mox quaquaverſum propagata; Hinc Conrado filio ſuo, præcepit, ut copias cito colligeret, & Regni rivalem opprimeret. Paruit equidem Conradus, at minimè proſpero rerum ſucceſſu. Cum enim florentiſſimum Henrici exercitum laceſſere auſus eſſet, victus ipſe, fugatusque eſt quam plurimis ſuorum cæſis, amiſſis, & in Victoris poteſtatem redactis. Fugam Conradus in Bojariam arripuit, ibique operâ Ducis, cui etiam filiam ſuam nuptui tradidit, afflictas res utcunque reſtituit. Friderici res in Italia, in quam ſe receperat, nihilô mitiora fata habuêre, præſertim Siculis ab eo hortatu Pontificis deficientibus, & Picenis, Spoletanis, Thuſcis, ceu Romanæ Eccleſiæ clientibus, arma adverſus eum parantibus. Lætiſſimô tamen nunciô recreatus eſt Fridericus, cum Henricus, Sueviæ imminens, in obſidione Ulmenſi ſagitta trajectus vitam & Imperium poſuit. Unde deinceps Fridericus liberius Italos affligere perrexit. Mortem Henrici alii aliter eveniſſe ſcribunt.

Pontifex optat electionem novi Imperatoris. Eligitur Henricus Thuringus. Vincit Conradum. Bucel. in annal. Interimitur.

Vicissitudines Salisb. & Ratisbonenses. In Bojaria nostra eo tempore fatis concessit Eberhardus II. à Truchsen Salisburgensis Archiepiscopus, quem ad tumulum secutus est Sifridus Episcopus Ratisbonensis. Eberhardo Pontifex substituit Lugduni Burcardum Comitem de Zigenheim, eumque Palliô donavit. At vero Collegium Metropolitanum jam elegerat Philippum, Bernardum Carinthiæ Ducis filium. Commodum accidit, ut Burcardus in itinere, quo Salisburgum contenderat, à morte præveniretur. Sic enim ingenti liti materia apud Salisburgenses subtracta est. Sigefrido Episcopo Ratisbonensi idem Pontifex per Legatum Apostolicum suffecit Albertum Comitem de Pettingau, Bertoldi Patavienses Episcopi fratrem. Supererat, ut viduato etiam Imperio de novo Rege prospiceretur: eum in finem Innocentius Pontifex Petrum Caponinm * Cardinalem in Germaniam Legatum misit, cujus opera factum est, ut Wilhelmus Hollandiæ Comes, opibus, ætate, viribus florentissimus, multorum insuper Principum affinitate suffultus, Henrico datus sit Successor. Mirè Pontificis mentem recreavit ea electio; unde mox omnes curas eo impendit, ut Germanos omnes ad ejus partes tuendas amplificandasque excitaret. Sacris Præsulibus insuper mandavit, ut scriptô Sacramentô promitterent, se Wilhelmo non defuturos. Id vero grave multis accidit, inter quos Magdeburgensis Archiepiscopus, Pataviensis, & Conradus noster Episcopus Frisingensis Friderici exautorati partes acerrimè propugnabant, ad quas magis roborandas Magdeburgensis insuper eidem Friderico Saxoniæ Ducis filiam in Matrimonium offerebat: unde factum est, ut Saxo, Bavarus, Misnensis, Austriaci, Styrii aliique Viri nobiles copias ingentes conducerent, quas Friderico jungerent, & Wilhelmo opponerent. Sperarabar equidem Pontifex, eorum impetum proposita censurarum Ecclesiasticarum Religione coërceri posse, literis Lugduni 7. Kal. Novembris anno Pontificatûs quinto eum in finem exaratis. Verum Pontificem nihil effecisse ex Arembeckio discimus, qui ad annum Christi M.CC.XLVII. scribit, *Divina fuisse suspensa in Bavaria, Suevia, & omnibus terris Ottonis Ducis Bavariæ, ac Regis Conradi Ducis Sueviæ, & omnium eorundem fautorum propter Fridericum Imperatorem depositum & excommunicatum.* Addit Arembeckius, *Interdictum positum à Papa septem annis durâsse, ita, quod nec Divina nec sepultura fiebant nisi in eis, qui Cruce declarabant se Schismati tali non favere: ac propterea Ducem Clericos odisse, & eis multa mala intulisse: quare & mala morte mortuum esse.* hoc ille: quæ Synchrona manu veteris Codicis Weihenstephanensis confirmantur.

* al. Capucium.

Wilhelmus Hollandus fit Imperator.

Cui quidam Principes adversantur.

Variæ Provinciæ Interdicto subjiciuntur.

Interim Conradus Comes de Niwenburch hoc anno, Christi 1247. videtur donationem ingentem, biennio abhinc Frisingensi Ecclesiæ, ut in superioribus vidimus, factam, sive renovâsse, sive confirmâsse. Extant enim duo Instrumenta ejus donationis, quorum unum ad annum 1245. alterum ad annum Christi 1247. reponitur. Nos operæ pretium non facturi videbamur, si utrumque recitaremus. Episcopus noster eodem anno Rudolfo ac Friderico de Plintenbach Castrum Praunsdorffense, hactenus Ulrico Carinthiæ Duci beneficii locô concessum, eo cedente iisdem pactis attribuit.

N. 10.

Anno Christi 1248. quo Wilhelmus coronam Regni Aquisgrani accepit, Conrado Episcopo nostro in Carniola bona quædam donata: alia restituta fuêre. Extant Instrumenta, quæ in parte altera legenda damus. Ex iis constat, eundem Conradum eo tempore in Carniola fuisse dimoratum.

N. 11. 12.

Dissidia inter Ottonem Ducem & Episcopos Bav.

Acta Boica ejus temporis ac potissimum anni 1249. nescio an ex recentioribus Scriptoribus aliquis accuratius fideliusque referat, quam Dükerus, quippe cujus verba video exactè convenire tum rebus gestis, tum duobus antiquis Chronicis Salisburgensibus; quorum primum Henricus Canisius Tom. VI. Antiquarum Lectionum: alterum Vir cl. P. Hieronymus Pezius Tom. I. Scriptorum Rerum Austriacarum edidit. Narratio Dükeri (germanico tamen idiomate) sic ferè habet.

„Alberto * Legato Pontificio è Bojaria ejecto cum Otto Dux Friderico Im„peratori reconciliatus, & filiâ Conradi, Imperatoris Friderici filii, sibi in Ma„trimo-

* Bohemo, de quo nos supra.

trimonium collocata arctiori affinitatis vinculo astrictus fuisset, Innocentius Pa-„ pa per omnem Bojariam templorum aditus claudi, & Divina suspendi manda-„ vit. Duce vero ista non attendente, Pontifex Philippo Salisburgensi Archiepi-„ scopo in mandatis dedit, ut Synodum convocaret Müldorffium ad Ducem à Cæ-„ sare divellendum: id quod anno 1249. Archiepiscopus executus est; & compa-„ ruêre Episcopi Frisingensis, Ratisbonensis, atque Seccoviensis. qui utique ad sa-„ niora consilia & obedientiam Pontificis redierant. Otto Dux, licet ad Syno-„ dum comminatione non solum Ecclesiasticorum fulminum, verum etiam armo-„ rum vocatus fuisset, minimè comparuit, sed Episcopis exposuit, transfugium,„ rem esse Principe ac Duce planè indignam; quippe quod etiam in gregario mi-„ lite infamia ac morte puniri soleat. Se ipsis (Episcopis) instigantibus Cæsaris„ partes amplexum, ipsorumque auxiliô familiaritati illius fuisse adjunctum. Vin-„ culum, quo semel fuisset devinctus Cæsari, tam facile se rumpi non permis-„ surum, nec iis, qui illud rumpere cogitarent, adhæsurum. Constantis animi„ sui robur non posse versatili fide (qualem nuper ipsimet risissent) labefactari: neque se magni æstimare eos animarum Pastores, qui magnum quidem scien-„ tiarum apparatum, & potestatem divinitùs acceptam jactitarent, indies verò in„ nova judicia è sensu proprio prorumperent, &, prout lubeat, fas & nefas con-„ stituerent. Nolle se absque urgenti causa amicum sibi reddere inimicum; &„ hinc sperare, Deum sibi tanto magis fore propitium, quanto pauciores ho-„ mines ipse odisset. Posse illos (si veluti grandes Dei Servi id sua dignitate in-„ dignum non censerent) templa occludere, Divinis interdicere, & omnem cha-„ ritatem, timorem & honorem Numinis in mundo tollere. Confidere se æter-„ no Judici constantiæ suæ facilius redditurum rationem, quam ipsi minaciarum„ & contumaciæ suæ; Hæc ex mente Ottonis Dükerus.„

Certum est, Præsules Bojariæ in Synodo Müldorffiana actum egisse, & re infecta recessisse. Rudigerus Patavienfis Episcopus, qui Synodo Müldorffianæ non interfuit, & acrius mandatis Pontificiis sese semper opposuit, dignitate mo-tus est à Pontifice, Bertholdo Episcopi Ratisbonensis fratre eidem suffecto: de quo tamen alibi legimus, mitram Pataviensem ei à quodam Conrado Polono fuisse præreptam. Ista foris acta sunt circa dictum annum 1249. Sequentia ejus anni acta solam Frisingam respiciunt. Exautoratur Episcopus Patav.

Interdicto Pontificio per Bojariam publicato ægerrimè tulit Cathedrale Collegium, etiam Ecclesiam ac Urbem suam Frisingensem censeri eidem obnoxiam. Hinc causas doloris sui Pontifici maturè exposuit, & mox faventem Pontificem habuit. Rem rectius ex Pontificis Epistola percipiemus, cujus sunt verba, quæ subjungimus. Frisinga ab Interdicto declaratur libera.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Capitulo Frisingensi salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, terra Ducis Bawarie pro eo, quod adheret Fr. quondam Imperatori sit supposita Ecclesiastico Interdicto, & Mons & Civitas Frisingensis pro eo, quod circumquaque posite sunt terre ipsius Ducis, reputentur Interdicto hujusmodi subjacere, licet idem Dux nullum ibidem domicilium habeat, nec loci ipsius habitatores ei vel prefato Fr. adhereant, neque causam dederint Interdicto. Nos vestris supplicationibus inclinati, ut, si est ita, in monte ac civitate predictis, Interdicto hujusmodi non obstante, divina officia pulsatis Campanis, alta voce presentibus eisdem habitatoribus celebrare valeant, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Dat. Lugduni II. Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno sexto.

Deci-

Nova gratia fit à PP. Eccl. Frisingensi.

Decima abhinc die, ejusdem Mensis Januarii vigesimâ octavâ, aliam gratiam Pontifex Frisingensi nostro Episcopo ac Collegio Cathedrali fecit, quam ipsæ literæ Innocentii breviter explicant, quæ sic habent.

Innocentius &c. Ven. fratri Episcopo & dilectis filiis - - Preposito, Decano, & Capitulo Frisf. S. & A. b. Paci & tranquillitati vestre, paterna volentes in posterum sollicitudine providere, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut ad receptionem seu provisionem alicujus in pensionibus & beneficiis Ecclesiasticis in Ecclesia vestra compelli non possitis per literas Apostolice Sedis vel Legatorum ejusdem absque ipsius Sedis speciali mandato faciente plenam & expressam de indulgentia hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Lugduni V. Kal. Febr. Pontificatûs nostri anno sexto.

Cui accedit tertia.

His gratiis tertiam adjecit Innocentius statim die 5. Februarii epistola in hunc modum scripta.

Innocentius &c. Ven. fratri Episcopo S. & A. b. Ut eo subditis tuis gratiosior habearis, quò per te sibi gratiam impendi senserint pociorem, tuis devotis supplicationibus inclinati, dispensandi super defectu Natalium cum quatuor Clericis tue Civitatis vel Dyocesis, qui non sint geniti de Adulterio, Regularibus, vel incestu, quod eorum quilibet defectu non obstante predicto possit ad omnes ordines promoveri, & Ecclesiasticum beneficium, etiam si curam animarum habeat, obtinere, dum tamen aliàs sit honeste conversationis & vite, auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum animarum suarum saluti videris expedire. Dat. Lugd. Non. Febr. Pontificatûs nostri anno sexto.

Comitissa Wasserburgica erga Frising. Ecclesiam munificentissima.

Mense Februario Chunegundis Comitissa de Wasserburg Cathedralem Ecclesiam Frisingensem optimorum quorumdam in Austria prædiorum suorum hæredem scripsit, uti sequens testamentum ad normam legum pro ejus temporis more exactè confectum, indicat.

Universis Christi fidelibus presentem paginam respecturis Chunegundis Comitissa de Wazzerburc Salutem in omnium Salvatore. Universorum noticie cupio declarare, quod presubscripta mearum dispositionem rerum jure testamentario volens ordinare hujus rei gratiâ subnotatos in testimonium utile duxi advocare. Igitur in nomine Domini heredem mihi instituto Cathedralem Ecclesiam Frisingensem, ejusque pro tempore Venerabilem Chunradum Episcopum nominatim in his prediis Ragz, Wikartslage, Heidenrichestein, Lindestein in Austria cum omnibus eorum appenditiis sive mobilibus, sive se moventibus seu inmobilibus ac generaliter universis rebus, que me quoque contingunt jure ubique locorum sitis legans, ut expressa predia mox, ut de medio evocata fuero, ad Ecclesie memorate dominium transeant pleno jure. Preterea dicti C. Venerabilis Episcopi fidei committo, ut usufructum prediorum Degenperge & Pi(v)rgen cum suis attinentiis & insuper sexaginta librarum Ratisponensis monete redditůum rerum ex donatione propter Nuptias obvenientium prioris Matrimonii mei, nec non hereditatis bonorum fratris mei felicis recordationis Gebehardi ad me devolute dulcissimo Marito meo penes me benè merito Chu(o)nrado Comiti de Wazzerburc tantùm in omne vite sue tempus ex integro derelinquat, eodem usufructu proprietati post ipsius Mariti mei obitum consolidando. Lego autem mee familie, que mihi adhesit, meque usque in obitum meum est secuta, res meas mobiles, queeunque nomine suppellectilis censeantur, per dictum Episcopum euique juxta suum meritum distribuendas. Sanè certa, quod hec mei ordinatio per querelam inofficiosi testamenti jure civili nullatenus expugnetur, sed quod contra meas tabulas testamentarias nulli bonorum possessio jure pretorio tribuatur, eùm nemo sit superstitum, qui vel isto, vel illo jure ad evacuandas presentium vires admittatur. Ea proprii munimine sigilli, nec non Reverendi Patris supradicti C. Episcopi, & Eberhardi Frisingensis Decani, & Friderici, & Petri Sanctorum Andree & Viti Prepositorum, Wernhardi, Alberonis, Chunradi, Magistri Heinrici, Chunradi Notarii

tarii Canonicorum earumdem Ecclesiarum, utpote hec acta sunt presentia, volui roborari. Aderant & huic testamento Nobilis Vir Gebehardus de To(e)lnze, Chunradus de Humbeln Pincerna, & Otto de Go(e)testorf. Acta sunt hec anno gratie Millesimo ducentesimo quadragesimo nono IIII. Non. Februar.

Ego Eberhardus Ecclesie Frisingensis Decanus ordinationi hujus testamenti rogatus interfui & hic subscripsi.

Ego Fridericus Prepositus Sancti Andree Frisinge ordinationi hujus testamenti rogatus interfui & hic subscripsi.

Ego Magister Petrus Sancti Viti Frisingn. Prepositus huic ordinati testamentarie rogatus interfui & hic subscripsi.

Ego Wernhardus Canonicus Sancti Andree Frisinge huic ordinationi testamentarie rogatus interfui & hic subscripsi. Ego Albero Canonicus Sancti Andree huic ordinationi testamentarie interfui & hic subscripsi. Ego Chu(o)nradus Canonicus Sancti Andree huic ordinationi testamentarie rogatus interfui & hic subscripsi.

Ego Heinricus Sancti Andree Canonicus, rogatus interfui, & hic subscripsi.

Ego Chu(o)nradus Canonicus Sancti Viti Frisinge, & tunc pro tempore Notarius huic ordinationi rogatus interfui & hic subscripsi.

Ich Gebehart von To(e)lnze was an dem Geschaft vñ hins ouch Gezivk.* * *Gezeug.*

Extant in Libro Traditionum Frisingensium quinto Literæ, ex quibus constat, Episcopum nostrum Conradum eodem anno die Aprilis ultima Hadmaro de Kunringen Austriæ Mareschallo notabilem pecuniæ Summam dedisse mutuam, multis vasis aureis, & argenteis in pignus acceptis. Instrumentum ea super re conscriptum in Parte Instrumentaria exhibemus. N. 13. Præterea eodem anno Conradus æterno Ecclesiæ suæ Cathedralis bono, exiguo tamen (uti hodie æstimamus) pretio comparavit dominium amplissimi viri Germansgawe * cum omnibus rebus & juribus ad eum pertinentibus. Literæ venditionis dignæ omninò sunt, ut statim hic recitentur. Sic autem sonant.

* *Germisch.*

Noverint universi presentem paginam inspecturi, quod ego Swikerus miles dictus de Mindelberch predium, quod dicitur Germarsgawe cum omnibus suis pertinenciis, videlicet Castro Valchenstein, Mancipiis, Rusticis, Colonis & aliis Advocacie, vel quoquo alio jure me contingentibus personis, piscinis, venacionibus, silvis, nemoribus, pratis, pascuis, lacu Ibse, & jure judicandi, ac aliis rebus mobilibus, immobilibus, seu se moventibus cultis & incultis, aquarum decursibus, nec non & cum monte inter Asche & Forcheim sito, super quo Dominus Ot Dux Bawarie municionem erexerat, pleno jure transtuli in Ecclesiam Kathedralem Frisingensem, & ejus pro tempore Patrem & Dominum Chunradum venerabilem Episcopum titulo vendicionis, ab ipsa acceptis Ecclesia, & C. dicto ejus Episcopo in precio ejusdem ducentis quinquaginta libris Augustensis Monete. Promisi autem me prestitum ire, quicquid sepe dicta Ecclesia Frisingensis per casum evictionis incommodi sustinuerit in iisdem rebus, sive tracta in jus vel alio modo per aliquem sibi jus in eisdem rebus asseverantem, me in integrum refusurum. Insuper ob ejus periculum evictionis in hoc contractu per subnotatos eidem Ecclesie fidejussoriam prestiti caucionem. puta C. de Mazensiz, Heinr. de Schonekke, Heinr. Camerarium de Vellenburch, Bartholomeum de Wal, C. de Hegenberch, qui se in casum suprafatum fidejussorio nomine, ut eorundem sigillorum appensio testatur, & subscripcio obligârunt. Preterea iidem fidejussores caucionem juratoriam prestiterunt, se in casum evictionis supradictum, nisi ejusdem dispendium prorsus Ecclesie dicte refudero, se in Civitatem Augustensem nomine obstagii adituros, nec inde, nisi omni refuso dispendio exituros. Acta sunt hec anno gracie M. ducentesimo, quadragesimo nono. Nos C. de Mazensiz, H. de Shonekke, Heinr. Camerarius de Wellenburch, Bartholomeus de Wal, C. de Hegenberch confitemur nos, ut supra dictum est, obligâsse, & in argumentum ejus hoc instrumentum sigillis propriis consignâsse.*

Literæ emptionis Dominii Germicensis.

* Cujus rudera aliqua hodieque conspiciuntur.

Ita eo anno Ecclesia Frisingensis prosperos rerum successus per Episcopi sui circumspectam agendi dexteritatem habuit.

His omnibus eodem anno accessit sequens Donatio Henrici de Starcholzhoven.

Notum sit omnibus præsentem paginam inspecturis, quod Hainricus nobilis Vir de Starolshoven tradidit pleno jure Ecclesiæ Frisingensi dominium & proprietatem, quam habuit in Villis subnotatis, & ab ipso quibusdam infeudatis, pro remedio suæ animæ, suorumque progenitorum in dominium proprietatis, & in usus Chuonradi ejusdem Ecclesiæ Venerabilis Episcopi. Newenhusen totam villam cum omnibus suis attinentiis, videlicet Advocatiam in dote Ecclesiæ, & ejusdem villæ judiciariam potestatem. Lantwarsdorf eodem jure, cum jure patronatûs Ecclesiæ ibidem constructæ. Purtelhoven similiter pleno jure. Tradidit etiam Ecclesiæ prædictæ duas sorores Mathildim & Albaidim & Matrem illarum, & filias sororis fratrum de Awe, Ottonis videlicet & Hainrici. Hæc sunt feuda, quæ nobilis antedictus protestatus est se habuisse ab Ecclesia Frisingensi, decimam in Gutchenhusen, curiam Rinperehtshoven, quid quid habuit in villa Pugenhusen, Dietersheim, curiam in Wolfoltsdorf, jus, quod habet in Theloneo Frisingæ. Protestatus est etiam, se nullum jus habere præsentandi in Ecclesia Mobing, sed ad Episcopum prædictum donationem ejusdem Ecclesiæ pertinere. Vibusen curiam, Crimarshusen Huobam, feudum quondam Domini Engelmari, areas octo apud Frisingam. Hæc feuda resignavit Episcopo, & transmisit nobilis sæpe fatus per manus Eberhardi Decani Frisingensis. Et ut prædicta rata & inconvulsa permaneant, prædictus Nobilis, quia sigillô propriô caruit, præsentem paginam petivit sigillo Civitatis Monacensis roborari, præsentibus testibus subnotatis. Eberhardus Decanus Ecclesiæ supra notatæ, Hainricus Plebanus de Sentlingen, Ruodolfus Canonicus Slierseensis, Rinhardus Plebanus de Adlungshoven. De Laicis. Pertholdus de Eschelbach, Hainricus de Prandenbereh, Hainricus & Otto fratres de Awe, Chuonradus Gressinch de Mochingen, Chuonradus de Abloch, Wernerus dictus Miles de Vergen, Perhtoldus testudo, Hainricus de Swabing & alii quam plures. Acta sunt hæc Anno gratiæ MCCXLVIIII. XV. Kal. Febr. in domo fratrum de Awe Monasterio.

§. VIII.

Prosecutio rerum tum Frisingæ tum alibi gestarum, usque ad annum 1251.

Insolentia cujusdam Canonici Spirensis.

ANno Christi 1250. Henricus quidam, Spirensis Canonicus, homo supra, quàm credi possit, temerarius, Ottonis Bojariæ Ducis familiaritati se junxit, & stolida præsumptione Ottonem ipsum à fulmine Pontificio liberum pronunciavit, facultatemque (evanidam illam & lepidam) grandi supercíliô concessit, ut in omnibus Bojariæ templis Divina officia peragi possent. Hæc malè sani Capitis protervia postquam Innocentio Pontifici innotuit, rescripsit Salisburgensi Archiepiscopo, uti etiam Ratisbonensi & nostro Episcopis mandans, ut malè feriatum hominem apprehenderent, & in carcerem perpetuum compingerent. Literæ ad nostrum Episcopum datæ sunt tenoris sequentis:

Jubetur castigari à Pontifice.

Innocentius &c. Ven. fratri Episcopo Frisingen. S. & A. ben. Etsi nos, quos in communi specula, ut prospiciamus pastorali vigilantia subditum gregem fidelium dispensatio constituit, de quorumlibet pravis actibus perturbemur, illorum tamen excessus cor nostrum perfodiunt doloris aculeo gravioris, qui cum de bonorum ecclesiasticorum adipe impinguati deberent apprehensis armis & scuto justitiæ ad defendendam ecclesiasticam libertatem viriliter & potenter exurgere, ipsam irreverenter impugnant. Sanè nostris est auribus, quod dolentes referimus, inculcatum, quod Magister Heinr. Spirensis Canonicus famam suam negligens, & futurum, quod sibi pro suis excessibus imminet periculum, non attendens, ad Ducem Bawariæ sibi & aliis Ecclesiæ inimicis in animæ suæ peri-

periculum & nervi dissolutionem ecclesiastici jungere se presumpsit, ipsosque vinculo Excommunicationis astrictos, ausu proprie temeritatis absolvens, Interdictum in terra Ducis prefati positum relaxavit, & in dilectum filium - - Salzburgen. Electum & in te, ac Ven. fratrem nostrum - - Ratispon. Episcopum Excommunicationis tulit sententiam, cum eisdem excommunicatis existens, ac etiam quedam ecclesiastica beneficia per favorem Ducis predicti recipere proprie temeritatis auctoritate presumpsit, in sue salutis dispendium & scandalum aliorum. Quia vero tantorum excessuum effrenis presumptio exigit, ut freno pavende pene in ceteris refrenetur, Fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum H. pena Canonica sibi pro tot & tantis excessibus debita punire procures, & si apprehendi poterit, eum capias, vel capi facias, & perpetuo Carceri mancipari, beneficiis predictis eundem privans omnino, ac ea, nisi aliis sint de jure debita, conferri facias per eos, ad quos illorum collatio pertinere dinoscitur, personis idoneis & Ecclesie Romane devotis, ut & pena sit aliis ad terrorem, & quicquid super premissis per eum attemptatum extitit, irritum omnino auctoritate nostra denuncians, dictos Ducem & alios ac terram ipsam pristinis sententiis nuncies subjacere, illosque canonice punias, qui latas ab eodem H. sententias presumpserint observare. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, Dat. Lugd. Kl. Aprilis Pontificatûs nostri anno septimo.

Sanè an vel nostro vel alteri ex supra memoratis Episcopis sors obtigerit, ut Henricum illum apprehenderent, nullibi scriptum hactenùs reperimus.

Eodem anno mense Februario litigium inter Præpositos Neo-Cellensem & S. Andreæ (qui unà majoris Ecclesiæ Parochus erat) quæstio exorta est, ad utrum illorum decimæ ex area dicta *Gebrait* *, pertinerent, utroque fructus illos sibi repetente. Litis decisio commendata fuit arbitrio Episcopi nostri. Hic causa benè discussa Neocellensi Præposito mandavit, ut S. Andreæ Præposito, ceu Parocho Urbis, quatuor libras Monacenses pro redimendo vexamine solveret, decimis verò imposterum ipse gauderet. Ita controversia finem habuit, literas Episcopi in parte altera exhibemus. N. 14.

* Proximè Frisingam.

Mors Friderici Imperatoris.

Vergente ad finem eodem anno, & quidem 13. die Decembris tandem mortem miseram oppetiit Fridericus Imperator, dudùm exauctoratus, à Manfredo filio suo illegitimo (si bene quidam scribunt) injecto super os pulvinari suffocatus: cujus uti Sacrilegia sceleraque erant nominatissima, ita ob res alias præclarè gestas apud quosdam, Suevos maximè, summam sibi laudem peperit. Sepultus fuit Panormi cum hoc Epitaphio:

Si probitas, sensus, virtutum gratia, census,
Nobilitas orti possent obsistere morti,
Nou foret extinctus Fridericus, qui jacet intus.

Conspiratio in ejus filium Conradum.

Fridericum ante mortem errores suos agnovisse ac deplorasse quidam probi Scriptores apud Franciscum Pagium tradunt. In ejus filium Conradum Regem die 28. ejusdem mensis Decembris Ratisbonæ in Monasterio S. Emmerammi commorantem à proceribus quibusdam ac loci Episcopo conspiratum fuit. At Fridericus de Everhaimb consilii insidiatorum non ignarus morte sua Conradum periculo, imo neci subtraxit. Ea res vix non in perniciem cessit Divi Emmerammi Cœnobio, cujus Abbas fati Conrado imminentis conscius fuerat, & tamen rem silentiô presserat. Inde secuta est Monasterii direptio ac damna, maxime egregiorum Codicum ac Diplomatum gravissima. Abbas, uti Episcopus, loco ac gradu cedere compulsi sunt: alii fugâ salutem quæsierunt, at non invenerunt, Divina ultione præventi; justæ tamen venerabilis Monachorum Collegii tum excusationes, tum preces id effecere, ut post primum furorem nihil deinceps in innocentes gravius à Conrado statueretur.

Pontifex redit in Italiam.

Friderico Imperatore eum in modum è vivis sublato Innocentius Pontifex de repetenda Italia consilia iniit, è qua annis sex & totidem fere mensibus exulaverat. Id cum passim vulgatum esset, tanta ex vicinis remotisque provinciis

circa majorem Hebdomadem populorum frequentia Lugdunum confluxit, ut Pontifex satisfacturus accurrentium piis desideriis, in campum extra civitatem se conferre debuerit, ubi videri à singulis posset, omnibusque bene precari. Iter deinde ingressus est feriâ quartâ post Pascha (uti scribit Franciscus Pagius, ubi intelligendam censemus feriam quartam post Octavam Paschæ) per Galliam & Italiam incredibili populorum multitudine lætissimè susceptus. Inde factum, ut Gibellinorum (Friderico eousque adhærentium) factio per Italiam mirè decresceret: Guelphorum vero (Pontificis partes sectantium) vires in immensum augerentur. Ita Conradi quoque exercitus indies defecit, Wilhelmi vero copiæ ingens incrementum accepere.

Xenodochii ad S. Spiritum Monachii initia.

Eodem anno, Christi 1251. jacta sunt fundamenta famosi hodie Xenodochii S. Spiritus Monachii, cui Otto Dux census quosdam ex vectigalibus ad portam Isaræ pendi solitis, adjecit, è quibus ægris tenuioris fortunæ succurreretur. temporis lapsu ad eam opulentiam bonorum studio ac pietate Xenodochium illud pervenit, quam hodie merito miramur, ac suspicimus.

Otto Bav. Dux sibi ipsi dissimilis.

Male interim Episcopo nostro cum Ottone Duce eo tempore convenit. Hic contemptâ propriæ salutis cura, neglecta jurisjurandi præstita religione, authoritate etiam Pontificia insuper habita, gravioribus exactionibus Ecclesiasticos divexare, jura Episcopi & Cleri tum ecclesiastica tum civilia sibi usurpare non cessavit, & Ecclesiæ Frisingensi damnum, ad viginti millia selibrarum argenti æstimatum, intulit. Hinc Episcopus noster coactus est rem deferre tum ad Pontificium Legatum, Hugonem scilicet, Titulo S. Sabinæ Cardinalem Presbyterum, tum ad Henricum Ottonis filium, qui eum cohortarentur, ut à tanta tyrannide desisteret, & pro illatis damnis Ecclesiis satisfaceret, curaretque, ut Divina per Bojariam tandem iterum restituerentur. Verum oleum & operam perdidere omnes: ipseque Pontifex missa ad Ottonem monitoria epistola nihil profecit, cum is censuras ecclesiasticas flocci faceret, & ad mortem usque Ecclesiæ refractarius persisteret, ut infra videbimus.

Cui se iterum opponit Conradus Episc.

Extat ea super re epistola Cardinalis Hugonis ad Henricum Pontificis Pœnitentiarium in hunc modum scripta.

Frater Hugo miseratione divina tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, dilecto in Christo Fratri Heinrico Domini Papæ Pœnitentiario salutem in Domino. Gravis admodum & molesta ex parte Venerabilis Viri Episcopi Frisingensis oblata querela Domini Papæ aures & animum pulsavit, quod nobilis Vir - - - Dux Bawariæ suæ salutis immemor Ecclesiis & Clericis suæ Diocesis angariis & perangariis aliisque exactionibus indebitis contra compositionem super hoc inter ipsos Episcopum & Ducem fide ab ipso Duce præstita initam & per ipsum Dominum Papam ad ipsius Ducis instantiam confirmatam, molestat temerè in suam excusationem prætendens, quod Prælati & Clerici Ecclesiarum terræ suæ, in quibus Advocatiæ jus obtinet, ei teneantur ratione juris prædicti in omnibus pro beneplacito suo servire, ac Chunradum, qui pro Plebano de Monaco se gerit, & nonnullos alios Plebanos & Clericos à suis beneficiis per - - - Ravennatensem, tunc Ferariensem in partibus illis Apostolicæ Sedis Legatum privatos ex eo, quod fautoribus quondam Fr. Romanorum Imperatoris & C. nati ejus divina officia celebrabant, hujusmodi divina celebrare ac defunctorum terræ suæ ob culpam ipsius Ducis subjectæ Ecclesiastico Interdicto corpora, cùm decedunt, facit aliquando per prædictos Plebanos & alios Clericos, interdum vero per Laicos tradi in cimiteriis Ecclesiasticæ Sepulturæ, & eos, quos voluntati suæ in hac parte invenit resistentes, diversis pœnis pro suæ voluntatis arbitrio afficere, dictosque Plebanos & alios Clericos taliter divina prophanantes in suis fovere beneficiis ac malitiis non veretur. Nec hiis contentus, eidem Episcopo, Prælatis & Clero Civitatis & Diocesis Frisingensis ferè in viginti millibus marcarum argenti dampna inferre, Excommunicationis in ipsum, & in terram suam Interdicti sententiis auctoritate Apostolica promulgatis parvi pendere non expavit triennio & amplius jam elapsis in contemptum clavium Ecclesiæ,

sua

fuæ salutis detrimentum, honoris dispendium & præjudicium Ecclesiasticæ libertatis. Cùm igitur Dominus Papa inter cæteras sollicitudinis suæ curas hoc negotium cordi suo magis impressit, quippe cùm per tales injurias honor Ecclesiasticus conculcetur, & cultus Deo debitus cum non sit, vel non modo debito polluatur, & nobis qui legatione in terra illa fungimur, ipsum negotium specialiter duxerit committendum, auctoritate, qua fungimur, vestræ providentiæ, cùm & Dominus Papa vos pro quibusdam aliis negotiis ad terram illam transmittat, committimus, quatinus inquisita super præmissis omnibus diligentius veritate, si rem inveneritis ita esse, sicut asseritur, dum misereri debeamus & velimus potius, quam irasci, prædictum Ducem moneatis attente & sollicite inducatis, ut à prædictis omnibus de cætero se compescens, errorem suum corrigat, & in similibus de cætero non excedat, prædicto & Episcopo, Prælatis & Clericis suis super illatis injuriis & dampnis satisfaciat idoneè & sufficienter usque ad terminum, quem sibi super hujusmodi duxeritis statuendum, sciturus, quod si mandatum nostrum & vestram monitionem circa præmissa surdis auribus præterierit, contra ipsum de consilio Prælatorum & Nobilium, quos ob hoc negotium & cætera nobis commissa convocavimus, spiritualiter & temporaliter nulla Apostolicæ Sedis indulgentia vel alia obstante, de qua in præsentibus plenam & expressam oporteat fieri mentionem, quantum de jure potuerimus procedemus, ut pœna docente cognoscat, quam grave sit, monitis salubribus non acquiescere, ac cultum Dei & libertatem Ecclesiasticam, quam sibi Crucifixus pro patrimonio vendicat, perturbare. Dat. Lugduni XI. Kal. Maji, Pontificatûs Domini Innocentii Papæ IV. anno octavo.

Paulo post mense Julio auditi fuêre Abbates quidam ac Præpositi Monasteriorum hujus Diœcesis super damnis à Duce sibi illatis, quorum depositiones ex Instrumento sequenti discimus: Testimonia adversus Ottonem Ducem.

Anno Domini Millesimo CC.LI. XV. Kal. Augusti in præsentia Fratris Heinrici Domini Papæ Penitentiarii super hoc Inquisitore dati ad probandam intentionem Domini Chu(o)nradi Frisingensis Episcopi de dampnis sibi & Ecclesiæ suæ ac ceteris Ecclesiis ac Monasteriis Diocesis suæ per Ducem Bawariæ & suos illatis Abbas Rotensis juratus & interrogatus dixit: quod per Ducem Bawariæ & suos sustinuit dampna & exactiones & tallias à duodecim annis citra*, in denariis, frumento, pecoribus & aliis usque ad summam mille librarum & ultra, preter servicia personalia hominibus claustri sui imposita, quæ perangaria dicuntur.* * Contributionis impositiones. * Circiter.

Abbas de Atel juratus & interrogatus dixit, quod per Ducem Bawariæ & suos sustinuit dampna & exactiones & tallias, à duodecim annis citra, in denariis, frumento, pecoribus & aliis usque ad summam quingentarum librarum & ultra, preter servicia personalia hominibus claustri sui imposita, quæ perangariæ dicuntur.

Præpositus de Undistorf juratus & interrogatus dixit, quod per Ducem Bawariæ & suos sustinuit dampna & exactiones & tallias à duodecim annis citra, in denariis, frumento, pecoribus, & aliis usque ad Summam CCCC.LX. librarum & ultra preter servicia personalia hominibus claustri sui imposita, quæ perangariæ dicuntur. De prædicta Summa dicit se solvisse per circulum hujus anni centum & quinquaginta marcas.

Præpositus de Dietramiscelle juratus & interrogatus dixit, quod per Ducem Bawariæ & suos sustinuit dampnum per exactiones & tallias per decem annos citra in denariis, frumento, pecoribus & aliis usque ad Summam CC. librarum Ratisponensium & ultra, quorum hoc anno dedit XX. lib. & VIII. boves, preter minuta pecora, & Albergarias & Servitia personalia hominibus Claustri sui imposita, quæ Perangariæ dicuntur.* * Hospitationes.

Abbas Eberspergensis juratus & interrogatus dixit, quod per Ducem Bawariæ & suos sustinuit dampna per exactiones & tallias, Albergarias, & Raisas à duodecim annis citra in denariis, frumento, pecoribus & aliis usque ad Summam IIII. mil. marcarum & ultra preter servitia personalia hominibus claustri sui imposita, quæ perangariæ dicuntur.* * Itinera.

Electus in Abbatem Ecclesiæ Sancti Stephani & officiales sui interrogati & jurati dixerunt, quod per Ducem Bavariæ & suos dicta Ecclesia sustinuit dampna per exactiones & tallias, albergarias & raisas à duodecim annis & citra solum in denariis usque mille DC. libr. Ratispon. preter frumentum, pecora & alia servicia personalia hominibus Ecclesiæ præfatæ imposita, quæ perangariæ nominantur.

Ita illi Abbates.

Fata rerum Frising. in Carniolia. Aliud ingens damnum eo ipso tempore Frisingensi Ecclesiæ intulit Bernardus Carinthiæ Dux & Carnioliæ Dominus, dum reditus non paucos, Frisingensi Ecclesiæ debitos, sibi inique usurpavit. Ea res ita displicuit Ulrico ejus filio, ut datis literis contestatus fuerit, Patrem *contra debitum juris & justitiæ ordinem prædia illa detinere*, seque, si parens decederet ea omnia Frisingensi Episcopo re-

N. 15. stituturum. Instrumentum lacunis non carens damus in parte altera.

Episcopi Conradi curæ pro Ecclesia sua. Conradus Episcopus noster, eo anno, profecturus in Austriam sequens memorabile testamentum in favorem Cathedralis Ecclesiæ fecit.

Nos Chunradus Dei gratia Frisingensis Episcopus præsenti scripto notum fieri cupimus universis, quod cum versus Austriam gressus nostros disponeremus dirigere, Ecclesia nostra Capitulo convocato & Ministerialibus nostrum ordinavimus testamentum, ut si mors nostrum præveniret reditum, universa per nos, & à nobis ordinata rata permanerent inviolabiliter & conservata. Duas nempe curias in Dingen sitas, quas à Domino Heinrico de Lechsperg, & curiam in Guchenhusen, quam à Domino Rudolfo de Waldeke comparavimus, ad communem dicti Capituli nostri ordinavimus utilitatem, ita quod singulis annis nostri fiat memoria à prædicto Capitulo specialis, postquam viam ingressi fuerimus carnis universæ. Ordinavimus etiam eidem Capitulo quadringentas libras Ratisponensis, & centum marcas argenti ponderis Monacensis, pro quibus quasdam habemus, quasdam à Domino Ottone illustre Duce Bavariæ titulo pignoris obligatas, videlicet, Sleispach, decimam in Ærdingen, Uzeling, Urolfingen, Pircheim, & durren Ismaningen plenum servitium administraturi præsentibus dicimus, qui feriâ sextâ sero vesperis, & die sequenti Sabbathi matutinis & aliis horis, & Missa, quæ de Domina nostra debet solempniter celebrari, adesse personaliter non postponant, nisi quis eorum per evidentem præpeditus fuerit infirmitatem, absentes verò ab hoc excludimus emolumento. Adhæc ordinavimus, ut quatuor Presbyteri Vicarii præfata in Frisingensi Ecclesia instituantur, quorum singuli subsecutivè singulas agendi habeant septimanas, in quibus singulis diebus is, cui septimana cesserit in memoriam nostri Missam celebret pro defunctis: ad quorum utique Presbyterorum sustentationem honestam & congruam, singulis annis quadraginta librarum Monacensium reditus de prædio Olutingen, quod comparavimus à Palatino Comite Rapatone. Prænominatos quoque Vicarios omnibus horis, quæ in laudem Dei & ejus Genitricis fiunt, communiter in Ecclesia Kathedrali statuimus interesse. Statuimus præterea ordinantes, ut prælibata possessiones sive donationes ad nullius, nisi ad nostri & Successorum nostrorum dominium transeant nomine advocationis. Et ut prænominatum nostrum testamentum salvum permaneat & inconvulsum, præsentem paginam nostro voluimus sigillo roborari, addentes, ut si divina favente clementia vita comite fuerimus reversuri, universa praordinata possimus, si volumus, revocare. Aderant autem huic ordinationi Uto Præpositus, Eberhardus Decanus, F. S. Andrea Præpositus, Otto Sappo, C. Comes Præpositus Ismensis, F. Vicedominus, Heinricus Putelpechen. Liupoldus Vertingus, Rudolfus de Raubelstorf, F. de Rörippe, Hertnidus, Ewerwinus, Heinricus Mosaben. Heinricus de Hawenswis Canonic. Frisingen. & Chunradus noster Notarius, Chunradus de Humbln Pincerna. Acta sunt hæc anno gratiæ M.CC.LI. quinto Kalend. Decembr.

Fundatio Sabbatini offici B. M. V.

Hæc Sabbatini officii ac Sacerdotum (quos ab ara S. Pauli Paulinos vocant) fundatio usque in hodiernum tempus durat, atque in hac Ecclesia Cathedrali persistit, tametsi annis sequentibus Conradus ipse, ac posteri fundationis modum ac reditus aliter ordinaverint.

§. IX.

§. IX.

Acta annorum Christi 1252. & 1253.

MAjo mense anni 1252. Gregorius Montelongus, Electus Patriarcha Aquilejensis, ordine sexagesimus quintus, & Conradus Episcopus noster saluberrimô Decretô prospexêre securitati contractuum inter Subditos suos celebrandorum. Idem Episcopus noster eodem mense carceribus suis incluserat quemdam *Ministerialem*, seu clientem beneficiarium Meinhardi Goriciæ Comitis; unde dissensio aliqua inter utrumque timebatur. Verùm ita rem temperavit Episcopus noster, ut Meinhardus datis literis spoponderit, curaturum se se, ne vel Episcopo vel alicui ejus subdito inde molestiæ quiddam inferretur. Sequenti mense Junio Hoholdus de Neudekke tria prædia beatæ Mariæ Sanctoque Corbiniano donavit, & mensæ Episcopali univit. Proximo Mense Julio, cum Episcopus noster Liupoldo & Wilhelmo de Scharffenberch certa bona in Marchia pro aliqua Summa pecuniæ in pignus dedisset, ii datis literis testati sunt, se restituturos ea prædia, quamprimum pecunia sibi iterum fuerit numerata. Gerlohus de Hertenberch Ducis Karinthiæ Minister diu Episcopum nostrum ejusque subditos vexaverat, adeo, ut tandem Frisingenses subditi Gerlohi quosdam adjutores in vincula rapuerint. Mense tamen Augusto restituta est amicitia, promisitque Gerlohus imposita sibi notabili mulcta, se nullam deinceps injuriam Frisingensi Ecclesiæ irrogaturum. Pro majori etiam securitate Viri quidam nobiles cautionem fidejussoriam pro Gerloho præstiterunt. Carinthiæ Dux, qui multa Frisingensia bona in ea vicinia sibi usurpaverat, Excommunicationis sententiam tandem subire debuit.

Acta in Carniolia &c. N. 16. N. 17. N. 18. N. 19. 20. N. 21. N. 22.

Sequenti anno, Christi 1253. Chunradus Episcopus noster Advocatiam Enzerstorffensem, ex morte Friderici Austriæ Ducis ad se devolutam Ottocaro novo Austriæ Duci commisit, prout ex subjuncto Ottocari Instrumento elucet.

Advocatia Enzerstorffensis confertur Ottocaro Duci Austr.

Nos Ottocarus Dei gratiâ Dux Austriæ & Styriæ, & Marchio Moraviæ notum esse cupimus universis præsens scriptum inspecturis, dilectum Dominum & Amicum nostrum Chunradum Venerabilem Frisingensem Episcopum coram nobis in judicio residentibus, præsentibus fratribus de Pilchdorf legittimis documentis comprobâsse, quod à Domino Ulrico de Pilchdorf piæ memoriæ, Patre prædictorum fratrum Advocatiam in Enzinstorf pro quingentis talentis Wiennensis Monetæ comparârit, & quod de eadem pecunia integraliter pagatus fuerit prædictus Ulricus coram Domino Friderico claræ memoriæ tunc Duce Austriæ est publicè protestatus, jam dicto Domino Duci prænotatam Advocatiam sine omni contradictione liberè resignando. Cùm igitur ex his præfata Advocatia in potestatem & dominium Domini Episcopi transisse dinoscatur, eam nobis & heredibus nostris commisit perpetuo tali pacto, ut in signum honoris pariter & laboris, quem pro defensione ipsius loci & aliarum possessionum, & hominum pertinentium ad Ecclesiam Frisingensem, qui in terminis nostri sunt dominii constituti, triginta talenta in Purificatione beatæ Virginis nobis & non amplius singulis annis persolvantur, & quod nulli viventi vel victuro feodali titulo sæpedictam Advocatiam conferre debeamus, sed conservatam nostris usibus, quemadmodum inter dictum Dominum nostrum & nos est constitutum, contenti erimus, & promisimus annis singulis pecunia memorata. Unde, ut singula, quæ circa nos facta sunt virtutis amore per Dominum nostrum supradictum, & nostra promissio de non dando Advocatiam prædictam, certa sint, & gaudeant memoriâ sempiternâ, præsens scriptum in evidens testimonium & cautelam sigillorum nostrorum munimine & subscriptis testibus mandavimus roborari, quorum nomina sunt hæc: Heinricus Pincerna de Habechspach, Heinricus de Liechtenstein, Otto de Haslaw(o)e,*

*Id est, integram solutionem acceperit.

lav(o)e, Rappoto de Valchenberch, Chunradus de Zekkingen, Chunradus de Hintperch, Wolfgerus de Paro(v)we, Otto de Valchunstbirichen, Eberanus de Erasprunne Australes. Dominus Beinschius, Dominus Siralo, Dominus Janzo, Boëmi, & alii quam plures. Acta sunt hæc Wiennæ in domo nostra. Anno Domini Millesimo CC.LIII. XIII. Kalend. Febr. XI. Indictione.

Compositio novæ litis. Extant quædam literæ, ex quibus discimus, Conradum Episcopum nostrum Mense Martio anni supradicti composuisse lites quasdam cum nobilibus Viris Heidenrico de Helke, & Heinrico de Scherffenberch. Quoniam vero literæ illæ pluribus in locis sunt exesæ, rei seriem exactè pertexere non licet. Testes reconciliationis leguntur Perhtoldus de Newenburch, Jacobus de Gutenberch, Wilhalmus de Minchendorf, Gebhardus de Guttenawe. datum in Chrainburg &c. Ex quibus, aliisque pluribus supra allegatis literis constat, Conradum Episcopum nostrum eo tempore ferè semper fuisse commoratum in Austria, Marchia & Carniola: quod mirum non est, cùm Otto Bojariæ Dux Frisingensem Ecclesiam & Clerum affligere non cessaret, veluti ex sequentibus Innocentii Papæ literis discimus.

Episcopus Conr. iterum implorat Pontificem adversus Ducem. *Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis de Reitenbuch & Steingaden & - - de Polling Ecclesiarum Prepositis Frising. & Augustensis Dyoc. Sal. & Apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram Ven. fratre nostro Frisingensi Episcopo intimante pervenit, quod nobilis Vir Dux Bawarie in terra sua Frisingensis Dyocesis consentientibus sibi nonnullis Abbatibus, Prepositis, Decanis, Plebanis & aliis Ecclesiarum Prelatis ejusdem Dyocesis quedam iniqua Statuta edidit, & pacta & conditiones apposuit in ipsius Episcopi & Frisingensis Ecclesie totiusque Cleri & Dyocesis sue prejudicium & enervationem ecclesiastice libertatis, quorum pretextu iidem Cler. redacti sunt in laqueum servitutis. Verum quia hec, si vera sunt, tanquam divino & humano juri contraria non sunt aliquatenus toleranda, Discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatinùs, si vobis constiterit, statuta pacta & ordinationes hujusmodi contra libertatem ecclesiasticam fore presumpta, eadem auctoritate nostra penitus revocetis, & non permittatis illa aliquatenus observari, Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstante, si aliquibus à Sede Apostolica est indultum, quod interdici, suspendi & eorum terre interdicto supponi non possit per literas Apostolicas, non facientes plenam de hujusmodi indulto mentionem. Quod si non omnes hiis exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Assisii II. Non. Junii Pontificatûs nostri anno decimo.*

Ad alia tamen consilia converti cogitur. Hæ literæ poterant equidem solamen afferre afflictis rebus Episcopi nostri, nihilominus tamen Conradus Episcopus coactus est ad alia consilia convertere animum, ut cum Ottone Duce quovis demum pacto in gratiam rediret. Id luculenter colligimus ex aliis Innocentii IV. literis, quas ad supra laudatum Hugonem Cardinalem S. Sabinæ Legatum suum die 4. Julii ejus anni exaravit.

Innocentius &c. dilecto filio H. tit. Sancte Sabine Presbytero Cardinali S. & A. bened. Ex parte Ven. Fratris nostri - - - Episcopi Frisingensis fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cùm ipse propter gwerram, quam habet cum nobili Viro - - Duce Bawarie timeat sibi & Ecclesie irreparabile dispendium imminere, maximè cum nullus remanserit contra eum, utpote aliis Episcopis, à quibus juvari solebat, cum eodem Duce ad concordiam revocatis, ut cum ipso Duce componere valeat, sibi licentiam concedere, pro evitando ipsius Ecclesie periculo curaremus. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatinus eidem Episcopo, prout utilitati ejusdem Ecclesie expedire videris, licentiam auctoritate nostra tribuas postulatam. Dat. Assisii IIII. Non. Julii Pontificatus nostri anno undecimo.

Nullo tamen effectu secuto. Hæc tum quidem statuerat Pontifex. At nullibi annotatum fuisse reperio, Conradum Episcopum cum Ottone Duce, dum is provixit, in gratiam rediisse. Acta subjungenda potiùs aliud demonstrant. Ipse Otto die 29. Novembris *fato functus est, finem longè laudabiliorem habiturus, si vita postrema primis respondisset,*

ut

ut habent auctores Boicæ Gentis annalium, qui sequentia addunt: *Potissimus illi* (Ottoni) *nævus, Episcoporum exemplo ab Innocentio Pontifice descivisse, & pertinaciter adhæsisse Cæsaribus. Etiam aspernatus est dirarum religiones, quas ad supremum usque spiritum, tametsi à B. Bertoldo Divi Francisci sodale, egregia Sanctitatis Viro, severè increpitus neglexit, quo factum, ut incogitans & inexpiatus subito exspirarit, cum paulo ante jucundus & bilaris inter amicos consedisset.* Ita illi. Mors Ducis Ottonis.

Ex Chronico Garstensis Monasterii scribit V. Cl. P. Hansizius S. J. inter alios Episcopos Conradum interfuisse nuptiis Ottocari cum Margareta Austriaca Anno M.CCLIII. XV. Kal. Octobris.

§. X.

Publica & domestica Acta usque ad annum 1255.

DUo præcipua funera extulit annus Christi MCCLIV. nempe Innocentii IV. Summi Pontificis, & Conradi, qui se Germaniæ Regem ferebat. Hic Mense Majo circa festum Dominicæ Ascensionis veneno sublatus est à Manfredo pessimi ingenii fratre notho, qui etiam, ut suprà dictum Fridericum Patrem suffocaverat. Conradus ignarus, se fraude fratris perire, condito testamento Conradum filium suum trimulum, ab Italis dictum Conradinum, hæredem suorum Regnorum reliquit, Manfredique tutelæ commisit, fato infelici suo tempore interiturum. Manfredus semel iterumque perfidus Pontifici, ejus exercitum sequenti autumno graviter attrivit. Pontifex ipse tandem die septima sequentis Mensis Decembris terrenis rebus valefecit, in cujus locum die 12. ejusdem mensis successit Alexander IV. ex Comitibus Signiæ progenitus. Wilhelmus interim quietiori potitus Imperio rem suam curavit, plerisque Principibus, qui Conrado studuerant, ad partes ejus transeuntibus, ut Bucelinus scribit. Mors Innocentii IV. & Conradi, filii Friderici Imp. Franc. Pagius. Alexander IV. PP.

Ad eundem annum quidam Boici Scriptores differunt reconciliationem Archiepiscopi Salisburgensis, uti etiam Episcopi Pataviensis cum Bojariæ Principibus; Verum istam reponendam esse ad annum superiorem, ex Epistola Innocentii supra recitata manifestum est. Solus igitur Episcopus noster nondum erat reconciliatus Boicæ Principibus, à quibus nempe graviora mala, ac cæteri, perpessus fuerat. Verum quanto minus eidem cum Boiis convenerat, tantò acceptior erat Ottokaro Domino Regni Bohemiæ, & Austriæ ac Styriæ Duci, uti etiam Uxori ipsius Margarithæ, quippe qui Conradi nostri fidem ac eximia merita non solum præclaris laudibus extulerunt, verum insuper favoribus ac prædiis cumularunt, uti ex Instrumento subjuncto luculentum fit. Episcopo Conrado magis propitius Ottokarus, quam Boji.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Ottokarus Dei gratiâ Dominus Regni Boëmiæ, Dux Austriæ, & Styriæ, & Marcb. Moraviæ universis Christi fidelibus in perpetuum. Quoniam quæ justis & piis interdum ducti affectibus præsenti tempore donant homines, non solum subrepens enervat oblivio; imo eadem, idem quandoque alii perniciose nituntur revocare, infringere vel mutare, auctrice, quæ veritatis est æmula, levitate; quapropter necessario & salubriter est inventum, quod donationes rationabiliter & ritè factæ in suæ firmitatis robore perseverent, scripti perpetuatione, & memoria perennentur. Illa autem digna præcipue sunt apud homines firmitate, quæ apud conditorem hominum auctoribus suis æternæ felicitatis dona præparant sempiterna. Sanè quia decens esse judicamus pariter & honestum, quod debeamus singulorum obsequia provisionis oculis intueri, & illorum commodo & utilitati facilius intendere, qui pro honore nostro ampliando onera gravia & labores continuos sustinent, & propter quietem & commodum terris nostris obtinendum passi sunt rerum suarum dampnum pariter & jacturam. Tunc enim honor noster profectiva suscipit incrementa, & favore multiplici decoratur, cùm illos diligimus, qui semper circa nos in since-

sincera fidelitatis opere perstiterunt. Ex quibus unum esse venerabilem Patrem, & amicum nostrum Dominum Chunradum Frisingensem Episcopum non ambigimus, qui circa commodum & honorem terrarum nostrarum procurandum etiam cum amissione rerum suarum in omni devotionis & fidei constantia perstitit opere lucescente. Notum sit igitur universis Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus hanc paginam inspecturis, quod ex Domine Margaretæ dilectissimæ Uxoris nostræ consensu & bona ipsius voluntate plenariter accedente, ad instantiam & in favorem dicti Frisingensis Episcopi, & præcipue ob reverentiam & honorem Sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, quæ in Frisingensi Ecclesiæ esse noscitur Domina propitia & patrona, universos homines cum eorum heredibus, qui quondam Nobilis Comitis Albrechti de Weisselberch, & qui nobilis Vir dicti Preis fuerant, qui nunc vero ad eandem Uxorem nostram jure & ex illa ad nos dinoscuntur titulò donationis factæ propter nuptias devoluti, sive sint militares, seu populares, aut cujuscunque sexûs vel conditionis fuerint, cum omni juris & dominii plenitudine, quæ in illos & eorum heredes nos & dicta Uxor nostra habere dinoscimur, memoratæ Frisingensi Ecclesiæ nos & eadem Uxor nostra donamus liberè in perpetuum possidendos; & hoc facimus in recompensationem dampnorum, quæ per cædem, incendium & rapinam prælibatum Dominum ejusdem Ecclesiæ Episcopum in suis prædiis & hominibus propter nos à Rege Ungarorum recognoscimus recepisse. Ut autem præsens nostra douatio majus robur suscipiat, aliquorum supra dictorum hominum nomina, quos secundum prætactam formam una cum præfata Uxore nostra donavimus Ecclesiæ sæpe dictæ, duximus exprimenda, quæ sunt, primo Milites, videlicet Albertus de Reutenberch, item Heinricum & fratrem ejusdem de Werde, item Rudolfum de Nazzenvelt, item Ulricum, Gotfridum, Marquardum & Wulfingum de Preisek, item Gebhardum judicem & fratrem ejus de Gu(o)tenwerde, item parentelam illam, quæ sumpsit originem de genere illorum, qui dicuntur Chauzer, item & aliam parentelam, quæ est de genere illorum de Praitenawe, cæterosque universos, quibuscunque vocentur nominibus, aut in quocunque locorum habitent & morentur, dum tamen fuerint de familia, & de domo illorum, quos prædiximus, videlicet nobilis Comitis Albrechti de Weisselberch, & Nobilis Viri dicti Preis, nos & antedicta Uxor nostra donavimus supra memoratæ Ecclesiæ Frisingensi, ut prælibato ejusdem Ecclesiæ Episcopo, & universis ejus Successoribus omnia fidelitatis servitia cum summa & debita reverentia exhibeant, & honore. Igitur ut hæc omnia tam aput nos, quam apud posteros nostros rata & firma semper permaneant & inconvulsa, præsentem paginam ad evidens & perenne nostræ & sæpe dictæ Uxoris nostræ donationis testimonium conscribi fecimus, & utriusque sigilli pendentis munimine jussimus roborari. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini M.CC.LIIII. Indict. XII. pridie Kal. Aprilis.

Hæc Ottokarus Conrado nostro: cui etiam simillimas literas Uxor Ottokari Margaretha consignavit. Alias ejusdem argumenti literas in partem II. differimus. Mense Augusto Conradus Episcopus noster prædia quædam & homines, quos *proprios* vocant, à Conrado Comite de Herrantstain coëmit: fassusque est datâ Apochâ Comes, se solutionem ferè integram ab Episcopo accepisse. Apocha est tenoris sequentis.

N. 23. Novus tractatus cum Comite Herrantsteinio.

Ego Chunradus Comes de Herrantstain notum facio universis, quod anno Domini M.CC.LIIII. Indictione XII. facta ratione inter me & Dominum meum Ch. Frisingensem Episcopum in die Inventionis Sancti Stephani coram Domino Preposito & Decano Ecclesie Majoris, & coram Magistro Petro Preposito Ecclesie Sancti Viti & Domino Friderico de Montelbano & Chu. & Heinr. Notariis protestatus sum pariter & confessus, quod dictus Dominus meus Episcopus DC. libr. michi plenariter persolvit, pro quibus eidem vendideram tam predium quam homines meos, que me jure proprietatis contingebant, & coufiteor, quod idem Dominus meus Episcopus iu nullo alio mihi prorsus tenetur, nisi solummodo in XXV. libr. Acta sunt hec Frising. in Camera sepedicti Domini mei Episcopi coram testibus memoratis.

Ex hac Apocha autumamus Conradum Episcopum eo tempore Frisingam venisse, cùm testetur Comes, solutionem accidisse Frisingæ.

Cum

Cùm hoc anno è vivis migrâsset Pertholdus Pataviensis Episcopus, ei successit Otto ejusdem Ecclesiæ Canonicus, à Philippo Salisburgensi Archiepiscopo Muldorffii confirmatus, & à Conrado Episcopo nostro ibidem consecratus. *Chronic. Salisburg. apud P. Hier. Pez.* Otto Episc. Patav.

Inter Brunonem Brixinensem, & Conradum nostrum Frisingensem Episcopum quæstio eo tempore enata est, ad qnemnam ipsorum spectaret *jus Patronatûs* Ecclesiarum in fundo Inticensis dominii? Sed Episcopus noster tam luculenter jus illud sibi asseruit, ut Bruno ultrò fassus sit, illud ad se minimè pertinere. Id sequenti scripto fecit testatum. Jus Patronatûs Ecclesiarum Inticensium.

Quoniam humani generis memoria constat esse labilis & caduca, necesse est, ut gesta hominum, que debent reservari illibata, inposterum tam lingua testium, quam testimonio perhennentur litterarum. Nos igitur Bruno Dei gratia Brixinensis Ecclesie Episcopus universis Christi fidelibus protestando notificamus tam presentibus quam futuris, quod dum inter Dominum Chunradum Venerabilem Patrem Frisingensem Episcopum & nos orta esset contentionis discordia super jure Patronatûs, quod se & suam Frisingensem Ecclesiam habere auctoritate Papalis Autentici profitebatur in universis Ecclesiis sitis in fundo Tticinensis Provincie, que ad ipsam Frisingensem Ecclesiam jure proprietario noscitur pertinere, ambo de communi consensu in dilectos in Christo fratres videlicet Chunradum Prepositum, Hainricum Decanum, & in Albertum Canonicum Brixinensis Ecclesie, & in dilectum nobis & fidelem Arnoldum Seniorem de Rodnich taliter compromisimus, quod isti prefatam contentionem nostram deberent Sacramento prestito dirimere, atque dijudicare, qui non solum ex fama, quam à longè retroactis temporibus ab antiquioribus plurimum fide dignis audierant, immo & ex tenore cujusdam Papalis autentici, quod tunc ab ipso Domino Frisingensi Episcopo in medium producebatur, sufficienter informati, sub eorum juramenti vinculo jus Patronatûs in memoratis Ecclesiis ipsi Domino Frisingensi Episcopo & ejus Successoribus omnimodis adjudicaverunt, & ita prelibatus Frisingensis Episcopus coram nobis & Capitulo nostro & Ministerialibus Brixinensis Ecclesie prefatas Ecclesias in fundo Tticinensis provincie sitas tam per papale Autenticum, quam per dicta dictorum testium optinuit & evicit. Ne autem hujusmodi optentio vel evictio valeat inposterum per nos vel nostros Successores in dubium revocari, sepe dicto Domino Frisingensi Episcopo in testimonium sue optentionis & evictionis presentem tradidimus paginam nostri & Chori Brixinensis Ecclesie sigilli munimine roboratam. Acta sunt hec coram nobis & Capitulo & Ministerialibus nostris apud Brixinam in Ecclesia majori, anno Domini M.CC.LIIII. Indictione XII. VIII. Kalendas Decembris.

Proximo anno, Christi 1255. inter Episcopum nostrum & Bertholdum Marscalcum de Schiltperch alia discordia fuit sublata in causa decimarum ac possessionum in Haimenhousen sequentem in modum. Bertoldus Episcopo tradidit castrum suum Pysenberch * appellatum, una cum prædiis ad illud pertinentibus. Adjecit prædia quædam in Otershusen & Haimenhusen. Has ipsas autem possessiones ab Episcopo feudi nomine recepit, una cum duabus partibus decimarum in Haimhausen, & aliis quibusdam bonis. Instrumentum damus in Parte Instrumentaria. Tractatus Ep. Conradi cum Schiltpergio. * Cujus rudera superfunt supra pagum *Under-Peissenberg* dictum. fuit destructum anno 1388. N. 24.

Post ferias Paschales hnjus anni, quæ in Mensem Martium inciderant, Bojaria in duas partes divisa est, ac distributa inter Ludovicum, & Henricum, defuncti Ducis Ottonis filios. Bojaria superior cum aliis quibusdam dominiis & juribus Ludovico obtigit, cætera Henrico fuêre cessa. Divisio Bavariæ.

Die 2. Mensis Aprilis Conradus Episcopus noster crescente populo in Wasserburg & Hohenau, ad preces Attilensis Abbatis atque oppidanorum concessit, ut incolæ seu indigenæ eorumdem locorum in Ecclesia S. Jacobi, quam cives ceperant fundare, interesse possint Divinis, Sacramenta Ecclesiæ recipere, ac prope Ecclesiam illam sepeliri, salvis tamen omnibus juribus Ecclesiæ Attilensis, seu Matris, & Abbatis loci, certis articulis adjectis, quos Parochiani illi Attilenses imposterum observare deberent. Exhibemus in parte altera tria Instrumenta, è qui- Augmentum populi in Wasserburg. N. 25. 26. 27.

quibus ſecunda fundatio Attilenſis Monaſterii, Pontificia confirmatio, & hæc, quam præ manibus habemus, Epiſcopalis conceſſio latè intelligi poteſt.

Conradus Ep. iterum opem flagitat a Pontifice.

Interim Epiſcopus noſter apud Alexandrum IV. Pontificem, qui Innocentio IV. ſucceſſerat, aſſiduis precibus egit, ut Bojariæ Principes ob illata damna juberentur Eccleſiæ ſuæ ſatisfacere, & audiit Alexander juſtas Epiſcopi poſtulationes, ſequenti mandato ad Seccovienſem Epiſcopum, & Abbatem Mellicenſem expedito: quod iidem delegati Judices datis ad Duces Bavariæ literis inſeruêre in hunc modum.

Domino & amico ſuo dilecto Ludwico illuſtri Comiti Palatino Reni, Duci Bavariæ Ul. Dei gratia Seccovienſis Epiſcopus, & Or. eâdem gratâ Abbas Medlicenſis Judices à Sede Apoſtolica delegati promptam & devotam ad ejus obſequia voluntatem. Litteras Domini Papæ recepimus in hæc verba: Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili fratri - - - - Epiſcopo Seccovienſi & dilecto Filio - - - - Abbati Medlicenſi Patavienſis Dyoceſis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte Venerabilis Fratris noſtri - - - - Friſingenſis Epiſcopi fuit propoſitum coram nobis, quod licet quondam - - - - Dux Bawariæ pro dampnis ab eo Friſingenſi Eccleſiæ irrogatis fuiſſet vinculo Excommunicationis aſtrictus, & deceſſiſſet nulla ſuper his ſatisfactione prahabita ſic ligatus, nobiles tamen Viri Ludwicus & Heinricus heredes dicti Ducis non ſolum ipſi Eccleſiæ de hujusmodi dampnis ſatisfactionem non procurant, verum etiam non ceſſant eidem alia irrogare. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, dictos heredes, ut ipſi Eccleſiæ de præmiſſis dampnis ſatisfactionem plenariam exhibeant, & ab inferendis cætero abſtineant, ut tenentur, monitione præmiſſa per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione remota, ſicut juſtum fuerit, compellatis, non obſtante, ſi eis, quod interdici & excommunicari non poſſint à Sede Apoſtolica eſt indultum. Dat. Neapoli V. Kal. Aprilis, Pontificatûs noſtri anno primo. Hujus igitur auctoritate mandati vobis apud Salzburgam poſt octavam Paſchæ feriâ Sextâ proximâ diem peremptorium aſſignantes mandamus nobilitati veſtræ, quatenus in eodem comparere curetis loco & termino coram nobis Domino Friſingenſi Epiſcopo ſuper Eccleſiæ ſuæ dampnis & injuriis reſponſuri, alioquin contra vos mandatum Apoſtolicum exequi nos oportet.

Epiſtola ad Heinricum Ducem.

*Heinrico.

Domino & amico ſuo H. illuſtri Duci Bawariæ, Ul. Dei gratia Seccovienſis Epiſcopus, & Or. eâdem gratiâ Abbas Medlicenſis Judices à Sede Apoſtolica delegati ſincerum animum ſerviendi. Litteras Domini Papæ recepimus in hæc verba: Alexander Epiſcopus Servus Servorum Dei* &c. uti in Inſtrumento præcedenti.

Conradus Ep. comparat decimas Peittingenſes.

In diem 10. Menſis Maji incidit emptio Cathedrali huic Eccleſiæ longè utiliſſima, ampliſſimarum decimarum Peittingenſium unà cum annexo Patronatûs jure, quam ex autographo damus.

Univerſis Chriſti fidelibus preſentem reſpecturis paginam. Nos Chu(o)nradus Dei gratiâ Friſingenſis Epiſcopus, & Bertoldus Præpoſitus in Steingaden Auguſtenſis Dyoceſis Salutem in omnium Salvatore. Sæpe fit, ut longinquitate temporis non appareat conditio originis. Epropter conſultum eſt ſcriptis inſeri, quæ quis cupit poſterorum notitiæ publicari. Noveritis ſiquidem, quod nos Chu(o)nradus ſupradictus cum noſtri conivventia Capituli jus Patronatûs Eccleſiæ in Bitengo(e)v noſtræ Diœceſis cum fundo, in quo eadem ſita eſt Eccleſia, fundo, inquam, habente agros & prata, domum, reditus libræ dimidiæ Auguſtenſis Monetæ, à Præpoſito Bertoldo in Steingaden, ejusque Capitulo comparavimus Eccleſiæ noſtræ pretio ſexaginta ſex librarum Auguſtenſis Monetæ. quem nimirum contractum emptionis & venditionis nos ſæpefatus Chu(o)nradus, comparando, & nos Bertoldus Præpoſitus diſtrahendo profitemur præſentibus peregiſſe. Nos vero Præpoſitus & Capitulum in Steingaden promiſimus per ſtipulationem, ut ſi idem jus Patronatûs evictum fuerit ab ipſa Eccleſia Friſingenſi auctoritate judiciaria,

non

non autem per potentatum aut violentiam cujuspiam, dictum pretium refusuros, & sicubi requisiti fuerimus, auctores venditionis laudaturos. In cujus rei testimonium præsens Instrumentum propter usum partium duplicatum confecimus nostri amborum, nostrorumque Capitulorum sigillorum munimine roboratum. Dat. Anno Domini M. ducentesimo quinquagesimo quinto. VI. Idus Maji.

(L.S.) (L.S.) (L.S.) (L.S.)

Non ita multo post, nempe Mense Junio, Adelhaidis Vidua Heinrici de Vagen celebri Monasterio Schefftlariensi prædia quædam in Partenkirchen donavit, testibus Episcopo nostro & Cathedrali Collegio, uti habent literæ datæ in *Refectorio Kadedrali*, quas plenas inferimus alteri parti: dum interim existimamus, colligi ex his posse, Cathedrale Collegium eo tempore adhuc habuisse mensam communem. Schefftariense Monasterium acquirit prædia quædam. N. 28.

Eodem anno exauctoratus fuit Ysenricus Abbas Weihenstephanensis, cui ex electione successit Udalricus è Monasterio S. Quirini in Tegernsee accersitus. Conradus Comes de Wasserburg Rotensis Monasterii Advocatus acceptavit & sigillo munivit donationem factam à libero de Stainhart. Hinc fallit, falliturque Scriptor ille, qui memorat Comitem illum Wasserburgô pulsum in Austria jam annis superiorioribus exulem obiisse. De illo etiam in subsequentibus fiet mentio: qualis etiam in præcedentibus facta est. N. 29.

§. XI.

Ultimi Anni Conradi I. Episcopi.

ANnus Christi 1256. statim Mense Januario funestus fuit Wilhelmo Germaniæ Regi, qui, cum adversus Frisios bellum gereret, à dispositis insidiis circumventus, & hastis confossus interiit. Ea re intellecta Pontifex statim literas ad Germaniæ Principes dedit, quibus eos vehementer obtestatus est, ut citò sibi Regem deligerent. At nihil eo quidem anno actum est, cum nemo Principum alteri honorem cedere vellet. Wilhelmus electus Imperator occiditur.

Aliud nobile funus statim sequenti Mense Februario, & quidem ipsis Kalendis Bavarica aula spectavit, Mariæ scilicet, Henrici Brabantiæ Ducis filiæ, quam duxerat Ludovicus Bojariæ nostræ Superioris Dux Uxorem, quamque consilio prorsus præcoci Carnificis manu truncari jussit, suspicatus, eam illicitis amoribus dedisse locum. Haud absimilem exitum habuêre alia innocentissimorum hominum funera, qui Mariæ á servitiis erant. Facinoris atrocitas nocte proxima tantum Ludovico horrorem mœroremque incussit, ut canitie ferè prodigiosa repentè obducta fuerit ejus cæsaries, cum is annum ætatis vigesimum septimum nondum esset egressus. Ad mentem ubi Dux rediit, veniam à Pontifice petiit, quam etiam obtinuit, jussus pro sceleris expiatione Divi Brunnonis Sodalibus Monasterium condere, quod deinde Cistercienfibus datum est, & Firstenfelda dictum, hodieque longe florentissimum. Ludovici Severi factum atrox. Initia Monasterii Campi Principum.

Salisburgi, cùm dudùm electus Archiepiscopus Philippus, Bernardi Carinthiæ Ducis filius sacros ordines jam decem annis refugeret, ab Alexandro Papa honore dejectus substitutum sibi Udalricum gravi bello afflixit, malis maximis inde in ea Urbe, ac provincia secutis, quæ Dükerus describit. Turbæ Salisburg.

In ea Italiæ parte, quam Langobardiam appellamus, Ezelinus, monstrum illud ac probrum hominis, etiam deficientibus Friderico Imperatore, & Conrado Rege fautoribus suis adhuc jam à multis annis exercitam tyrannidem strenuè scilicet prosequi nondum cessaverat, &, inter alios, etiam Tridentinum Episcopum ac provinciam mire exagitaverat. Admonitus ea de re Pontifex sequentes literas ad Conradum Episcopum nostrum dedit. Afflictio Eccl. Tridentinæ.

 Alexan-

Alexander Episcopus &c. Ven. Fratri - - Episcopo Frisingensi S. & A. bened. Sua nobis Ven. frater noster - - Tridentinus Episcopus conquestione monstravit, quod Ezelinus Dei & Ecclesie inimicus ipsum & Civitatem Tridentinam continuis incursibus non desinit impugnare. Cum igitur in Dyocesi Brixinensi quasdam possessiones & redditus habere dicaris, & ad subveniendum super hoc eidem Episcopo tanto propensius te ac alios Prelatos intendere deceat, quanto idem perfidus fidem Katholicam & libertatem ecclesiasticam instantius persequi non desistit, fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente per Apostolica scripta tibi mandantes, quatinus attendens provide, quod tua res agitur, paries cum proximus ardet, eidem Episcopo contra prefatum perfidum pro nostra & Apostolica Sedis Reverentia, quotiens ab ipso super hoc requisitus fueris impendas favorem, consilium & auxilium oportuna, non permittens aliquos tue jurisdictioni subditos seu alios quoscunque subsidium eidem Ez. volentes afferre, per tuum transire districtum, eis obstacula potenter & viriliter opponendo, preces nostras & mandatum in hac parte taliter impleturus, quod idem Episcopus eas per effectum operis sibi sentiat profuisse, nosque proinde tue devotionis promptitudinem merito commendemus. Dat. Lateran. V. Idus Februarii Pontificatus nostri anno secundo.

Ottokarus rursus munificus erga Episc. Conradum.

Longè aliter ac Ezelinus Tridentinum, Ottokarus Dominus Regni Bohemiæ, Dux Austriæ habuit Frisingensem Episcopum nostrum, cui privilegia, quæ amplissimis Episcopi ædibus Viennensibus ab Antecessoribus fuerant concessa, sequentem in modum confirmavit.

Otakarus Dei gratiâ Dominus Regni Boëm. Dux Austrie & Marchio Moravie omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Dignum est & rationi consentaneum, ut amicorum nostrorum honesta petitio à nobis debeat in omnibus exaudiri, & ipsorum, quam circa nos gerunt, sinceritas amplecti plus ceteris & foveri. Hinc est, quod dilecti Domini & amici nostri Chunradi venerabilis Frisingensis Episcopi petitionibus annuentes, jus & prærogativam, quam Prædecessores nostri Principes Austria domui sue, quam habet in Wienna, noscuntur contulisse, tenore præsentium innovantes confirmamus, videlicet, ut Rector & hospes dicta domûs, ac cateri ipsam domum inhabitantes, nec non & omnes in dote Capella ipsius domûs commorantes, non nisi pro excessibus, qui mortem vel pacis violationem inducere videntur, à judice Civitatis debeant ad judicium evocari, & tunc, si culpa qualitas id exposcit, de delinquentis persona judex Civitatis se tantum intromittat, rebus & possessionibus rei salvis existentibus, qua in ipsius Episcopi, vel ejus, quem ad hoc instituerit, transeant potestatem. Si autem contra memorata domûs vel Capella homines quæstionem quisquam movere voluerit, coram prælibato Episcopo, vel ejus in hac parte Vicario eos conveniat, ab eo, si quid juris habuerit, plenariè recepturus; ipsis hominibus de sibi injuriantibus à judice Civitatis justitiam volumus exhiberi, prout dictaverit ordo juris. Datum Wienna anno Domini M.CC.LVI. V. Idus Junii. XIII. Indictione.

Uti etiam alii Austriaci.

Neque verò solum Ducem Austriæ Ottokarum, verum etiam provinciales Austriæ Judices sibi faventes habuit Conradus Episcopus noster, nempe Henricum Pincernam de Habspach & Ottonem de Meissawe, cum *apud Ypsam* causas ad se delatas mense Julio dirimerent. Ibi enim Ottokarum de Neidekke, qui ingentia damna Episcopi nostri rebus intulerat, ad congruam plenamque satisfactionem præstandam sub pœna dupli condemnârunt, jussusque est insuper Ottocarus fidejussores adducere, qui sub Sacramenti religione condicerent, se Episcopo certis locis ac temporibus satisfacturos. Prolixiores sententiæ literas maluimus in
N. 30. partem alteram operis rejicere.

Varia incidentia.

Circa idem tempus in dubium nonnulli trahebant, an Ecclesia in Harde-
ren esset filia Ecclesiæ in Lochen, an in Greffolving? ad quod respondit Reve-
N. 31. rendissimum Capitulum Cathedrale, Greffolfingensem Ecclesiam esse Matrem ejus,
quæ est in Harderen.

Mense

Mense Septembri Uto de Salmanskirchen & Alheldis Uxor ultroneam ac spontaneam donationem fecêre Cathedrali Collegio, cedendo proprietatem prædiotum quorumdam in Salmanskirchen. Literas super donatione subobscurè N. 32.
conscriptas iterum differimus in Partem Instrumentatiam.

Mense Decembri Conradus Episcopus eidem Cathedrali Collegio ob Sabbathinum officium B. M. V. certam frumenti quantitatem ex decimis in Eckelkoven & Euting assignavit, ut ex Instrumento desuper erecto, & parti alteri N. 33. 34.
inserto fusiùs intelligimus. Fundatio illa Sabbatini officii pluribus mutationibus successu temporis fuit obnoxia, ut supra jamjam monuimus, dum ipse Conradus Episcopus post testamentum suum Anno 1251. conditum alios reditus, & quidem certam vini quantitatem tum Collegio Cathedrali, tum Canonicis SS. Andreæ & Viti deputavit: & alii Successores Episcopi exigentibus aliis circumstantiis aliter rem postea ordinârunt. Ubi interim certum ex omnibus Instrumentis manet, Conradum partheniis Deiparæ amoribus fuisse longè addictissimum. Ea Sabbatini officii fundatio in hodiernum usque diem exactè observatur.

Afflictæ Imperii res interim semper ruebant in deterius. Certum est, & ex hactenus narratis constat, Conradum IV. Henricum Rasponem, & Wilhelmum Hollandum nomine potius quam re fuisse Germaniæ seu Reges, seu Imperatores. His nihilo feliciores anno Christi 1257. subrogati fuêre diffidentibus Electorum votis Alphonsus Sapiens, Castellæ Rex, & Richardus Cornubiæ Co- Novorum
mes, Regis Anglorum frater: quorum posterior paulo post Aquisgranum dedu- Semi-Re-
ctus, à Coloniensi coronatus est, Alphonso, quò minus occurrere posset, bel- gum ele-
lô Saracenicô impeditô. ctio.
Pudendum erat, Electores spretis Imperii Legibus adversus decus Teutonicæ gentis ad exteros fuisse conversos, & peregrino vertici nobilissimam Regni Germanici coronam imposuisse. Alphonsum Electores Moguntinus, Coloniensis, & Palatinus elegêre. Richardum verò Rex Bohemiæ, Electores Saxo & Brandenburgicus, quibus denique etiam Trevirensis accessit. Ita eo tempore distractis Principum animis, & Friderici etiam liberis de Augustali apice contendentibus Germania miserè discerpebatur.

Eo tempore, & quidem Mense Februario supradicti anni Conradus Epi- Variarum
scopus noster cum Lublino, ejusque fratre Nekelone Judeis, Comitibus Came- litium com-
ræ* Ducis Austriæ, super certis quibusdam prædiis in pago Austriæ Urleugsdorf positiones.
contendebat. tandem agente Ottone de Missowe ita conventum est, ut nisi statn- * Judæi vocabantur *die*
to tempore duo illi fratres Episcopo ducentas selibras argenti puri numerarent, ni- *getreue Cammer-Knecht.*
hil deinceps juris in ea prædia haberent: si vero pecuniæ illius Summam Episco- *vid. Mausol.*
po exhiberent, imposterum ususfructus ad eos pertineret, prout latius habetur in *pag.* 239.
Instrumento alibi adducendo. N. 35.

Alia controversia inter Gebhardum nobilem de Tölz, fratrem Episcopi nostri, & Conventum Scheffrlariensem exorta est, cùm Gebhardus bona dicti Monasterii apud Wakkersperch temere invasisset. Eam litem tandem Udalricus Tegernseensis Abbas composuit, & Gebhardo persuasit, ut damna Monasterio illata resarciret. Id contigit in Monasterio Tegernseensi, ubi Episcopus ipse adfuit, & Scheffrlariensibus literas, suo, fratrisque sigillo munitas ad rei peractæ confir- N. 36.
mationem tradidit.

Hainricus & Fridericus Comites de Ortenburch Mense Novembri ejus anni perhibuere Episcopo nostro testimonium, quod prædia quædam apud Trasich sub certis conditionibus Leutoldo & ejus Conjugi Chunegundi tradiderit. Id contigit Lacopoli, uti ex Instrumento liquet. Ipse Episcopus in vigilia S. An- N. 37.
dreæ ad Udalricum Salisburgensem Archiepiscopum literas sequentes dedit.

Reverendo in Christo Patri & Domino Ulr. Dei gratiâ Sanctæ Salzburgensis Ec- Ecclesia S.
clesiæ Archiepiscopo Apostol. Sed. Legato Chunradus permissione Divina Frisingensis Epi- Petri prope
scopus reverentiam in omnibus debitam & devotam. Ad Ecclesiam beati Petri sitam Wels in
Styria.

in

in fundo Frisingensis Ecclesie, cujus situs pretextu & privilegio Sedis Apostolice jus presentandi Clericum habere dinoscimur ad eandem, prout in aliis Ecclesiis sitis in fundo Ecclesie Frisingensis optinuimus ab antiquo, Magistrum Heinricum Notarium nostrum exhibitorem presentium vestre Paternitati duximus presentandum, rogantes, quatinus, ex quo dicta Ecclesia S. Petri per mortem pie memorie Laventen. Episcopi ex novo vacare cepit, ipsi H. eandem Ecclesiam conferre dignemini jam vacantem. Dat. apud Lok, anno Domini M.CC.LVII. in vigilia Beati Andree Apostoli Indict. XV.

De hac præsentatione inferius occurret ulterior mentio.

Obitus Conradi Ep. Annus Christi 1258. Conrado nostro ultimus fuit. Decessit enim Monachii die 18. Januarii. Freibergerus Frisingensis Canonicus, & post eum Hundius scribunt, cum maluisse alibi quam Frisingæ vivere, eo quod sibi timeret periculum à Canonicis suis, quorum Concubinas ejecerat. Ad solidas Conradi laudes pertinet, quod populo suo ipsius prædicaverit verbum Dei. De fundatione Sabbatini officii, & quatuor Canonicorum, quos à Divi Pauli Capella Paulinos vocant, jam supra dictum. Inter alia dictis Canonicis è bonis suis hæreditariis ac propriis viginti tria prædia in dominio suo Hohenburgensi & Parochia Lengriessensi sita attribuit. Episcopus certe optimus, si ultimos ejus annos spectemus, quamvis in initio sui Regiminis semel, iterumque graviter cæspitarit. (Ejus laudes.) Ejus cadaver Monachio reductum, & in memorata Divi Pauli Capella terræ mandatum fuit. (Tumulus.) Nostra ætate, nempe anno 1701. die 6. Maji ejus tumulus fuit reclusus, ubi apparuit, caput ipsius fuisse rotundum, ac magnum cum barba, quam in ultimo ejus morbo excrevisse autumant, cum in ejus sigillo barba nulla appareat. Annulum habebat ex probato auro cum lucida Sapphiro. De ejus Epitaphio jam dictum fuit in Geroldo decessore, ubi hæc ejus verba adduximus: *Chunradus Episcopus Tolzner hujus Sedis obiit XV. Kalendas Februarii. Rexit Ecclesiam annis XXVII.* Iniit cum Patriarcha Aquilejensi super potestate judiciaria in partibus Carnioliæ & Marchiæ: item cum Comite de Wasserburch tractatus quosdam super divisione liberorum, qui vel Patrem vel Matrem habebant Ecclesiæ Frisingensi adstrictam. Instrumenta in parte altera exhibemus. (N. 38. 39.)

Romanæ Ecclesiæ eo tempore præsidebat Alexander IV. Imperium Romanum erat quasi acephalum, aut potiùs polycephalum. Salisburgi duo Archiepiscopi Philippus & Udalricus de Cathedra gladiis, rapinis & incendiis certabant. Ratisbonensem Ecclesiam conspurcabat potiùs quam ornabat Adalbertus Comes de Peitingau, anno sequenti ob facinora sua dignitate movendus. Brixinensem Urbem eo ipso anno Christi 1258. (teste Salisburgensi Chronico) Episcopi Ministri in cineres redegêre, quippe quorum animos Egno Episcopus Friderici Imperatoris consanguineus totos à se reddidit alienos. (*Apud P. Hier. Pez. Tom. I.*) Pataviensem Ecclesiam meliùs rexit Otto Lonstorffius. In Bojaria Superiori rerum potiebatur Ludovicus Severus, qui eo ipso anno Ottokarum Bohemum cum hostili exercitu in Bojariam irrumpentem feliciter repressit. Henricus XIII. Bojariæ inferiori jura dabat.

Conrado Episcopo è vivis erepto Collegium Cathedrale ursisse præsentationem supradicti Henrici, à defuncto Episcopo factam, in Libro Traditionum quinto annotatum lego in hæc verba:

Reverendissimo Patri in Christo & Domino Ulrico Dei gratia Sanctæ Salzburgensis (Ecclesiæ) Archiepiscopo dignissimo. Utto Prepositus, H. Decanus, totumque Frisingensis Ecclesiæ Capitulum, Clerici devotissimi, subjectionem & reverentiæ debitæ famulatum. Cum Venerabilis Pater & Dominus noster Chunradus piæ memoriæ quondam Frisingensis Episcopus Magistro Heinrico Canonico Ecclesiæ Sancti Andreæ de Frisinga exhibitori præsentium suas litteras dederit præsentationis ad vestra reverentia præsentiam super Ecclesia S. Petri juxta Weltz sitam in fundo Frisingensis Ecclesiæ, in qua ex Privilegio papali ipse habuit, & omnes sui Successores habent jus patronatûs, qua cepit vacare post obitum Episcopi Laventinensis, ecce eundem cum litteris quondam sibi à præfato Domi-

Domino nostro Episcopo concessis ad vestræ benignitatis præsentiam dirigimus ad Ecclesiam memoratam, rogantes, quatenus Dei & juris intuitu ipsum de eadem Ecclesia dignemini misericorditer investire.

Ex hac altera Henrici supradicti præsentatione indubitatum relinquitur, quod Archiepiscopus circa institutionem ejusdem Henrici difficultatem habuerit. Verum ista paulo post clarius patebunt.

CAPUT TERTIUM.

Conradus II. Ordine XXVII. Episcopus Frisingensis.

§. I.

Genus, Electio, & Confirmatio Conradi II.

Consentiunt domestici Codices & Scriptores, hunc Conradum ortum traxisse è familia Comitum de Wittlspach. Id usque ad evidentiam etiam probant literæ quædam Neocellensibus datæ, ubi Conradus Episcopus Henricum Illustrem Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavariæ vocat *prædilectum consanguineum* suum. Literas illas, pluresque similes inferius exhibebimus. Stero tradit, eum ante sui electionem fuisse Cathedralis Ecclesiæ Canonicum. Alii addunt, etiam fuisse Præpositum S. Zenonis in Isen. fuisse electum anno 1258. iterum manifestum est: nullibi tamen videmus designatum mensem, aut diem electionis. Antequam confirmaretur à Salisburgensi Archiepiscopo, Collegium Cathedrale contractum quemdam permutationis iniit, cui Ludovicus Dux, Conradus noster *Electus*, Henricus Abbas Eberspergensis, & ipsum Capitulum Cathedrale sigilla sua apposuêre. Instrumentum in parte altera repræsentamus. N. 40.

(Margin: Genus Conradi II. — Honores Ecclesiastici. — Fit Episcopus.)

Confirmatio Conradi Secundi continetur in Instrumento, quod subnectimus.

*Ulricus Dei gratiâ Sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Legatus, Venerabili Fratri Chunrado Electo Frisingensi Salutem & fraternam in Domino Karitatem. Præsentato nobis electionis vestræ decreto cognovimus, quod vacante Sede Ecclesiæ Frisingensis fuistis ad illam per Venerabilem in Christo Utonem ejusdem Ecclesiæ Præpositum, Hertnidum Decanum, totumque Capitulum Ecclesiæ præfatæ concorditer electus & canonicè in futurum ipsius Ecclesiæ Pontificem consecrandus. Supplicantibus igitur nobis præfatis Electoribus vestris, ut electionem de Vobis factam curaremus auctoritate Metropoliticâ confirmare. Nos cognitô per insinuationem decreti jam prædicti electionem ipsam esse concorditer celebratam ac canonicè de personâ, quæ magnæ idoneitatis titulo commendatur, eam auctoritate Metropolitica confirmamus. In testimonium nostræ confirmationis præsentes vobis literas sigilli nostri signatas Karactere concedentes, Dat. Judinburg. VIII. intrante Decembris anno Domini M. * quinquagesimo octavo.* * Supple. CC.

In anni nota chronologica fuisse à librario omissa CC. nempe annos ducentos, manifestè palpamus.

Anno 1259. Idibus, id est, die 13. Februarii, Alexander Pontifex Episcopos & Abbates omnes officii sui gravissimè admonuit, ut ex Raynaldo discimus.

Ad Salisburgensem Archiepiscopum, subjectosque eidem Episcopos scripsit epistolam in hæc verba, quæ ex Sterone nostro desumimus.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Salzburgensi, ejusque Suffraganeis, nec non & dilectis filiis Abbatibus, aliisque Ecclesiarum Prælatis ordinariam in subditos obtinentibus potestatem per Salzburgensem Provinciam constitutis tam exemptis quam non exemptis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Si verè, quod dicitur, pastores ovium Christi sumus, non impavidè ferre possumus terribiliter intonantia nostris sensibus contra pastoralis curæ negligentiam sacrarum oracula scripturarum, quæ determinata Dominici gregis in præsidentium desidiam retorquentes, minaciter inclamant, pereuntium sanguinem de Præpositorum manibus exigendum. Quis nostrûm non contremiscat & paveat, dicente ad pastores gregis sui Domino per Prophetam: Dispersistis gregem meum, ejecistis & non visitastis eos, ecce ego visitabo super vos vestrorum malitiam studiorum? Pavet utique ad hos increpationis interminationisque Divinæ sermones idem ipse Propheta, dum dicit: à Hier. 23. *facie Domini & à facie sanctorum verborum ejus conturbatum est cor meum, in medio mei contremuerunt omnia ossa mea. O formidolosa speculatorum, quos populo dispensatio divina præposuit, & periculosa conditio, si perfunctoriè res agatur, si eo modo in solicitudine commissa non militent, quo summus præcipit Imperator, si sibi & universo gregi, cui eos Deus Custodes & Episcopos constituit, non attendant. His præcipuè horrendum erit illud humanorum operum finale judicium, omnibus in commune tremendum, in quo etsi unusquisque de proprii corporis actionibus districto sit subjiciendus examini, ut recipiat, prout gessit, nobis tamen quibus Papalis cura commissa est, non sufficiet propria innocentia sine cumulo justitiæ subditorum, quando negligentis ministri pigritiam per consequens austerus iniunctæ servitutis exactor delicta plebis impinget reatui Prælatorum. Si enim qui de unico talento sibi credito satis fœnoris non reportabit augmentum, tanquam inutilis servus & piger justæ damnationis periculum sustinebit; quam durum putatis judicium fiet illi, qui commissum sibi pluralem numerum viventium talentorum non solum integrum neglexerit reddere creditori, verum etiam in illa districtione probabitur damnum Domino suo in bonis, quæ ab ipso multiplicanda susceperat, intulisse. Propterea fratres & filii, qui fasces Pontificialis officii & Ecclesiastici ministerii subeundo, defixistis pro animabus creditis apud extraneum manus vestras, festinate, quæsumus, liberari ab illo, qui supremus est actor & judex, nullum nobis de allegationis nitore præsidium relicturus. Discurrite, nec cessetis, ne fiant animæ vestræ pro illis, quos in custodiam sub tanto vadimonio suscepistis. Excitet vos Summi Pastoris amor, qui nos pascendis rationalibus ovibus dedicavit. Exterreat corda vestra & corporis somnum depellat ab oculis metus periculi, eis procul dubio, qui supra greges suos vigiles non observat excubias, imminentis. Sed ecce lethalis incuria sopor pastoralis vitæ vigilantiam, quam gementes dicimus, oppressisse videtur in plurimis, prout testatur nimia de plerisque regionibus clamans Christiani populi corruptela, quæ cum deberet ex Sacerdotalis antidoti curari medelis, invalescit, proh dolor, ex malorum contagione, quod procedit à Clero, ita ut alicubi verum sit, quod ex Prophetica querela testatur: factus est inquiens, sicut populus, sic sacerdos. Malitiam namque dierum labentium, quæ cum tempore corrupit & mores, dante quam plurimis ex impunitate audacia semper in deteriora proclivem infrenis licentiæ libertatem, nonnulli Clerici præcipiti lubricæ voluptatis arbitrio laxas committentes habenas, post carnis suæ concupiscentias abierunt, & relegata pæne penitus à conversatione vitæ suæ clericalis mundicie, honestate, tenent etiam in conspectu populi concubinas, cum quibus impudicæ frontis irreverentiam induentes fœdas manus & fœtidas, quas sordidis libidinosæ coinquinationis fœtibus immiserunt, non erubescunt in suum periculum, & ruinam populi sacris ministeriis immiscere, à quibus ob publici concubinatûs insaniam, quâ nulla tergiversatione sceleris, vel secundum scita Canonum tam quoad se quam ad alios sunt suspensi, & ne quis talium Missam audire præsumat, arctius in eorum contemptum Canonicæ auctoritatis constitutio interdicit. Per tales maximè nomen Domi-*

ni

ni blasphematur in terris: per tales derogatur Sacramentis fidei Orthodoxa, cum vasa Domini pollutis eorum manibus prophanantur: per tales ergo perdit religionem Catholicam, devotio reverentia Christiana: per tales decipitur populus in Divinis, & Ecclesiastica substantia dissipatur. Hinc detrahitur verbo Dei, dum immundis labiis talium nunciatur: Hinc Heretici mussitant, & insultant: Hinc Tyranni saeviunt: Hinc perfidi persequuntur: Hinc grassantur audacius in Christi patrimonio sacrilegi exactores, à quibus, prob pudor, ob hujusmodi carnes putridas, quas disciplinalis mucro non resecat, sicut decet, sincerum Catholica matris corpus in ostentum ducitur & contemptum. Profectò patres, qui hujusmodi filios sub dissimulationis conniventia fovent impunè, etiam si cum Heli sacerdote sint boni, forsitan in se ipsos merito pro consimilis negligentia malo repentina patris interitus ruina dejiceret de sella retorsum. Ecclesia quoque Princeps, qui Zelo Phynees ardenter non feruntur in tales, sine causa videntur portare gladium potestatis, quem ad vindictam malorum, laudem verò bonorum desuper acceperunt. Nos igitur cupientes tantum malum de medio Ecclesia, tantumque scandalum ab oculis fidelium removere, universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur, auctoritate nobis per Apostolica scripta in virtute injungentes, ac vos singulos sub obtestatione tam judicii singularis, quo quisque citatur ad Dominum de corpore mortis hujus, quam judicii generalis, in quo universi stabimus ante tribunal aeterni judicis, obsecrantes, quatenus in vobismet ipsis curetis ostendere, quam piè ad Dominum, quam sanctè ad se ipsos, quam justè ad proximos oporteat caeteros in Dei Ecclesia conversari. Totius namque familia status & ordo vacillat, si quod requiratur in membris, in eorum capite non habetur, & in ejus ore adversus peccantes necesse est redargutionis objurgatio conticescat, qua admittere cognoscitur arguenda. Qua enim fronte fieri quis poterit morbi curator, dum languore consimili detinetur, aut sectator virtutum, dum sectator ostenditur vitiorum? ad inquirendos autem ac puniendos subditorum vestrorum excessus & maximè incontinentia foeditates in Clericis, praesertim concubinariis manifestis, qui odorem foetere faciunt domûs Dei, tanto ferventius assurgatis, quanto damnabilius praeteriretis eorum contagia incorrecta. Verum ut adversus concubinarios hujusmodi officii nostri debitum tam auctoritate nostra, quam vestra liberius exequi valeatis, Nos praedecessorum nostrorum attendentes vestigia & plenius exprimentes, super hoc processus vestros per appellationis objectum volumus aliquatenus impediri. Si vero hujusmodi concubinarii, quorum culpas contigerit canonica districtione feriri, super appellatione aut absolutione vel restitutione sua literas Apostolicas reportarint, illas nisi forsitan in eis appellationis aut excommunicationis seu amotionis sua hujusmodi causam expresserint manifestè, decernimus nullius esse momenti, sed eis vel processibus per eas habitis nequaquam obstantibus censura vestra animadversionis in tales inviolabilem obtineat firmitatem. Preces autem, monita, mandata, & pracepta nostra super his taliter implere curetis, quo conversationis honestas in Clero, & devotionis antiqua synceritatis in populo persolicitudinis vestra diligentiam reformentur. Cumque Princeps Pastorum advenerit ab unoquoque nostrûm fructum injuncti negocii quaesiturus, coram ipso apparetis intrepidi & dignam sibi possitis villicationis vestra reddere rationem. Volumus autem atque pracipimus, ut tu frater Archiepiscope Suffraganeis tuis & aliis Pralatis tua Provincia has litteras sine mora stipendio facias praesentari, ut super praemissis praeceptum nostrum exactâ diligentia exequantur. Datum Idus Februarii Pontificatûs nostri anno V.*

* Leg. vobis. ita Raynald.

Haec Romanus Pontifex Episcopis. ex quibus dimetiri licebit mores ejus temporis, & nostros emendare.

Conradus Episcopus eodem anno plura bona Ecclesiae suae recepit, veluti discimus ex quatuor Instrumentis, in quibus tamen nihil aliud singulari mentione dignum occurrit, praeter nomina testium nobilium, quae in Parte Instrumentaria repetiri possunt. N. 41. 42. 43. 44.

B. Albertus Magnus fit Episc. Ratisbon.

Hoc anno ultro cedente Præposito Ratisbonensi Electo, Beatus Albertus Magnus, Doctoris Angelici Magister, maximum ordinis Prædicatorum decus, Ecclesiæ Ratisbonensi à Summo Pontifice datus est Episcopus maximo illius bono, quod intrà augustum Regiminis spatium secutum est.

§. II.

Publica & Frisingensia Acta usque ad annum 1263.

Hungari profligantur.

ANno Christi 1260. die 20. Julii Ottokarus Bohemiæ Rex cum ingenti exercitu Hungaros oppressit, Belam Regem in fugam conjecit, & ad petendam pacem adegit, quæ tandem ei concessa est, at nonnisi duris conditionibus adjectis. Rudolphus Habspurgi Comes Ottokari signa secutus potissimam partæ victoriæ gloriam meruit, uti Bucelinus noster animadvertit. Conradus Episcopus pauculos ante dies, nempe 20. Julii arctissimum cum Ottokaro fœdus pepigerat, uti ex instrumento subjuncto patet.

Fœdus Episcopi nostri cum Ottokaro.

Nos Otakarus Dei gratia Dominus Regni Bohemiæ, Dux Austriæ & Styriæ, Marchio Moraviæ per præsens scriptum universis notum facimus, tam præsentibus, quam futuris, quod ad ampliandum & corroborandum robur perennis amicitiæ inter consanguineum nostrum Karissimum Chunradum Dominum Frisingensem Episcopum & nos inviolabiliter contractæ, eidem Domino Chunrado Frisingensi Episcopo data fide vice Sacramenti promisimus, quod toto vitæ nostræ tempore contra omnem viventem hominem fidele præstabimus adjutorium, quantumque possumus, & juvamen, & ipse versa vice nobis per suæ fidei dationem compromisit præstare nobis consimile adjutorium, & ad hæc nos nihilominus ipsum Dominum Chunradum Frisingensem Episcopum & universas Ecclesiæ suæ possessiones sitas in quibuscunque partibus, ad quas nostra Regalis potentia extenditur, promittimus fideliter defensare. In cujus itaque promissi & laudamenti evidens testimonium præsentem cedulam sigillorum nostrorum munimine jussimus roborari. Acta sunt hæc Wiennæ Anno Domini M.CC.LX. VIII. Kalend. Augusti.

Ubi Lectorem monemus, notas hasce Chronologicas, prout in quinto Libro Traditionum reperiuntur, posse etiam denotare annum Christi 1268. cùm appositus numerus octonarius possit etiam revocari ad præcedentes literas numerales, ut consideranti patebit. Ego aliorum, qui Instrumentum ante me expenderunt, exemplo, ad annum Christi 1260. reponere malui. Ottokarus Conradum nostrum in eo vocat *Consanguineum suum*, cujus rei examen relinquimus iis, quibus rei genealogicæ studia curæ sunt.

Secta Flagellantium.

Eodem anno Perusiæ in Thuscia nata est inficeta ac turpis Flagellantium Secta. „Profitebantur, ut ait Adelzreitterus, horridos peccatorum abolendorum „ritus: nudi umbilico tenus, instar Lupercorum, velata facie, viri fœminis, pro„miscuum vulgus nobilibus juncti, omnis ætas & ordo, ingenti numero permixti „sociabantur. Agmen unicum subinde viginti millia trahebat. Solenne illis, „per triginta dies & semissem, sub dio, etiam rigente bruma, & quavis alia tem„pestate, bis quotidie verberibus in terga sævire, concentu lamentabili, gesti„busque ad supplicium mœstitiamque composito implere auras, & spectantium „oculos. Et hæc quidem potuissent tolerari, si cætera abfuissent. Non aberat „obscæna libido: docebant nihil esse deferendum Magistratui Sanctiori: sangui„nem scutici tali excussum pompa, non modò vim habere Sacrosancti Baptisma„tis, sed etiam æquari Martyrio, citra aliud Mysterium remediumve reddere per„fectam innocentiam. Initio apud simpliciores aliquem tulêre plausum, sed su„perstitiosa deliratione propius explorata, habiti ludibrio & passim Principum „edictis exterminati, eviluerunt. Ludovicus Severus Frisingam usque progres„sos, passus non est ultrà prodire. Hæc Adelzreitterus citatus. De hac Flagellan-

De his etiam agit Stero.

lantium Secta etiam fit mentio in sæpe laudato Codice Weihenstephanensi, & quidem synchrona manu.

Mense Decembri ejus anni Ottokarus sequentem gratiam Conrado Episcopo nostro exhibuit.

Otakarus Dei Gratia Dominus Regni Bohemiæ, Dux Austriæ & Styriæ, & Marchio Moraviæ omnibus hanc litteram inspecturis notum facimus, quod nostra est permissio & mandatum, ut ubicunque in possessionibus Venerabilis Patris Domini Chunradi Frisingensis Episcopi metallum auri vel argenti, vel cujuscunque metalli alterius generis inventum fuerit, vel etiam salis, idem Dominus Episcopus gaudere debeat jure suo, quemadmodum nos gaudere volumus jure nostro. Quare sub optentu nostræ gratiæ districtè præcipimus universis, quatenus memoratum Dominum Episcopum in suis juribus nullatenus impedire debeatis, sed conservetis in omnibus illibata. Concedimus etiam, ut metallum quæri debeat in suis possessionibus ubicunque. Huic autem nostræ concessioni interfuerunt testes subnotati. videlicet Dominus B. Olmuncensis Ecclesiæ Episcopus. Gerus, Woko, & Benesius Bohemi. Magister Arnoldus, Magister Ulricus tunc pro tempore nostri Notarii. Stizlo de Sternberch, Otto de Missowe, Ch. de Zekingen, Otto de Haslawe & alii quam plures. Acta sunt hæc apud Grez. anno Domini M.CC.LX. X. Kal. Januarii. Concessio metallorum & salis in fundo Ecclesiæ Frisingensis.

Ezelinus natus in vico *Romano* in Marchia Travisana annis superioribus potitus Veronâ, ac Patavio tyrannidem inauditam exercuerat, velut supra jam monuimus. Gregorii IX. Innocentii IV. & Alexandri IV. fulmina spernens, una die Patavii seditione audita, incolarum duodecim millia trucidavit. Tandem à Principibus Langobardiæ captus, cùm Mediolanum aggressurus esset, paulo post desperabundus interiit anno Christi 1259. tyrannidis quadragesimo, uti scribit Hofmannus in Lexico. Addunt alii, etiam Albericum, Ezelini fratrem scelestissimum, sequenti anno, Christi 1260. cum tota sua familia miserè fuisse interemptum. Interitus Ezelini Tyranni.

Liberatâ tantis pestibus ac monstris Marchiâ Travisanâ ac Foro Julii poterant rursus institui humana commercia, exerceri judicia, ac tractatus celebrari: Inter eos, quos Ezelini interitus magnis malis expediêrat, etiam Episcopus noster numerabatur. quippe ad quem plurima ejus viciniæ bona rediêre, quæ Ezelinus (uti ejus majores) à Frisingensi Ecclesia feudi nomine eousque possederant. Verum cùm dicta dominia, castra ac prædia Frisingâ ac Lacopoli nimium distarent, de alio eorum defensore & Cliente fiduciario cogitandum erat. Visum est, nemini tutius committi eam provinciam posse, quam nobili Viro, Domino Tysoni de Campo S. Petri, civi Paduano, cui etiam Episcopus feudum illud cum debitis solennitatibus contulit, addito sequenti Instrumento. Tysoni Paduano Episcopus noster committit bona Frising. Ecclesiæ in Marchia, & Provincia Tarvisina.

In nomine Domini Amen. Anno à Nativitate ejus millesimo ducentesimo sexagesimo primo, quarta Indict. apud Utinum in Camera Patriarchali, die sexto exeunte mense Febr. præsentibus Vener. Patre Domino Gregorio Dei gratiâ Sanctæ Aquilegen. Sedis Patriarcha, Dominis Alberto de Collice Canetensi Electo, Vicedomino ipsius Patriarchæ, Wezelone Abbate Bellunensi, Johanne Archi-Diac. Aquil. Magistro Nycol. de Lupico Plebano, Tricesano Ruffino de porta Judice Placent. Domino Gilo Mulledusii Judice Parmen. Johanne de Cutania, Bernardo de Zucchola, Asquino de Varnso, & Artuicho de Castello de foro Julii, & Dominis Rud. Magistro Heinrico & Hermanno Canonicis Sancti Andreæ, & Domino Heinrico Vertingo, Bernh. de Gœbolspach, Wernerio & Conrado fratribus de Lonch, testibus ad hoc vocatis, & rogatis, & aliis multis. Cum beatitudo Ecclesiæ illos exigat defensores, per quos jura ipsius in debita justitia conserventur; Idcirco providens Vener. Pater Dominus Conradus Dei gratiâ Frisingensis Episcopus, quod in partibus Marchiæ nullus videtur superesse ad præsens, per quem ita possint jura Frisingensis Ecclesiæ custodiri, quemadmodum per nobilem Virum Dominum Tysonem de Campo Sancti Petri, Civem honor. Paduan. maximè, cùm Frisingensis Ecclesia quarumdam suarum possessionum Sedem posuerit in districtu*

* Ceneda Urbs in Marchia Tarvisina.

ctu Tervisñ. penes possessiones ejusdem Domini Tisonis superius memorati, prænominatus Dominus Episcopus utilitatem & tutelam recipiens Ecclesiæ supradictæ, cum eidem Domino Episcopo, & Ecclesiæ Frisingensi sit apertum, & exciderit Castrum Godigi cum universa terra & pertinentiis ejus, quod & quam quondam Ecelinus de Romano, & alii de Romano, & sui Antecessores retinebant & retinuerunt in feodum à prædicto Domino Episcopo & à Prædecessoribus suis nomine Ecclesiæ Frisingensis, investivit dictum Dominum Tysonem in se, & suos filios masculos ad rectum & legale feodum de Castro Godigi & Castellario, & villis universis & cohærentiis, & pertinentiis omnibus, & de curia universa pertinente & pertinentibus ad prædictum Castrum, quantumcunque, & ubicunque & qualitercunque dictum castrum, villa, curia, pertinentia, & cohærentia extendantur, & de omni alio eo & toto, quæ quondam Ezelinus de Romano & alii de Romano & sui Antecessores retinebant & retinuerunt in feodum à prædicto Domino Episcopo & ab Antecessoribus suis quondam, cum pratis, pascuis, silvis, paludibus, & nemoribus, venationibus, piscationibus, vineis, terris cultis & incultis, campis, solo, & ædificiis, & cum decimis & jure decimarum, & cum omnibus aliis redditibus, obventionibus, & exitibus, & cum Molendinis, & postis Molendinorum, & cum fontibus & aquis, & aquarum decursibus, & cum servitutibus urbanis, vel rusticis, existentibus seu pertinentibus in prædictis, vel ad aliquid prædictorum, & cum omnibus servis, masnatis & famulis, & ascriptitiis, originariis. colonis & consitis & manumissis, sive francatis, siqui manumissi vel francati sint, sive liberti supersunt, & cum vasallis, sive fidelibus, & breviter cum omnibus aliis hominibus cujuscunque status & conditionis sint, vel extimari possint, jure civili vel municipali, & cum omni alio jure Patronatûs & alio, qualitercunque censeatur, & cum omni jurisdictione & dominatione & potestaria, & alio jure pertinente prædicto Castro & omnibus specialiter nominatis, & quæ nominari possunt, ad utilitatem ipsius Domini Tysonis, qualitercunque illud possit excogitari, & in humano intellectu hominum comprehendi, ut à modo ipse Dominus Tyso, & ejus filii masculi habeant & teneant atque possideant, & quasi possideant prædictum castrum & villas & curiam totam & omnia supradicta & singula & de ipsis faciant una cum accessibus & ingressibus, cum superioribus & inferioribus suis, & cum omni jure, actione, & ratione, & utilitate, & introitu, & exitu, & cum aliis supradictis omnibus pertinentibus in prædictis, & occasione prædictorum quicunque voluerint sicut de recto & legali feodo, sine contradictione ipsius Domini Episcopi, Successorumque suorum & Ecclesiæ supradictæ. Et eidem Domino Tysoni tamquam Vasallo dedit, cessit, atque mandavit omnia jura, omnesque actiones & rationes reales & personales & mixtas, quæ & quas habet, vel habere videtur ipse Dominus Episcopus nomine Ecclesiæ Frisingensis, seu ipsi Ecclesiæ competunt, vel in futurum competere possunt in prædicto Castro & villis & curia, & omnibus prædictis & singulis vel occasione prædictorum & aliter, qualitercunque possint excogitari. Ita tamen, quod præfatus Dominus Tyso, & ex eo descendentes masculi, bona prædicta vel quicquam prædictorum non possint nec debeant vendere, vel infeodare aut donare, vel aliquo modo alienare Comitatui alicujus Civitatis vel Ecclesiæ. Et si forte quicquam de bonis prædictis infeodaverint aliis quam Civitati & Ecclesiæ, hii, quibus bona prædicta fuerint infeodata, teneantur & debeant illa bona habere, & tenere ab ipso Domino Episcopo, & ab Ecclesia Frisingensi. Si fortè, quod absit, contigerit dictum Dominum Tysonem decedere sine descendentibus ab eo Masculis. hoc etiam acto & expressum dicto inter ipsos, quod dictus Dominus Tyso non teneatur servire dicto Domino Episcopo & Ecclesiæ supradictæ ultra Montes. Citra montes verò servire debeat sicut Vasallus, & fidelis servire debet. Item prænominatus Venerabilis Pater, Dominus Episcopus, eidem Domino Tysoni concessit de gratia Episcopali, quod eidem Domino Tysoni & ex eo descendentibus masculis non generetur præjudicium in aliquo, si de feodo supradicto, à die mortis prædicti Domini Episcopi & successorum suorum, qui pro tempore fuerint, investituram non petièrint infra quinquennium nomine Ecclesiæ supradictæ, & eidem Domino Tysoni dedit licentiam & liberam potestatem intrandi tenutam & corporalem possessionem & quasi prædicti Castri &

villa-

villarum & curiæ, & omnium supradictorum, & singulorum sua propria auctoritate, & se Dominum Episcopum nomine & vice prædictæ Ecclesiæ possessorem & quasi, constituit, pro ipso Domino Tysone & ejus nomine, & eidem Domino Tysoni dedit pro Nuncio Dominum Leoardum de Lemicis Militem Paduañ. ut ipsum in possessionem omnium prædictorum corporalem inducat. Quod quidem Castrum, villas, & Curiam & omnia alia supradicta & singula promisit ipse Dominus Episcopus obligando se nomine Ecclesiæ memoratæ, ipso Domino Tysoni recipienti dictam promissionem pro se & omnibus ex eo imposterum descendentibus masculis ob omni Persona, Civitate, Collegio & Universitate, vel singulari Persona defendere, & expedire cum ratione, in pœna dupli ejus, quod evinceretur, in totum, ut in partem, & sub obligatione bonorum Ecclesiæ Frisingensis. De quibus ex nunc ipse Dominus Episcopus nomine & vice prædictæ Ecclesiæ, pro ipso Tysone & ejus nomine, se constituit possessorem. Pro qua quidem investitura fuit confessus & in concordia Vener. supradictus Dominus Episcopus, cum prædicto Domino Tysone, se ab eo habuisse & recepisse nomine Ecclesiæ supradictæ septingentas lb. Venet. parvorum &   unum sub æstimatione CCC. lb. ejusdem monetæ, de quibus denariis &   ab eo sibi benè solutum clamavit, & exceptione doli mali & in & non numeratæ & non solutæ pecuniæ, & non dati & assignati equi, renunciavit non spe futuræ numerationis & assignationis, sed quia prædictos denarios &   jam habuit & recepit. quibus omnibus peractis in continenti, dictus Dominus Tyso reverenter fidelitatem tradidit in manibus dicti Domini Episcopi recipientis dictam fidelitatem pro se suo nomine, & Ecclesiæ supra dictæ, ab ipso Domino Tysone fidelitatis præstito Sacramento, sicut in fidelitatis juramento fieri consuevit. Ad solempniorem autem hujus rei evidentiam memoratus Dominus C. Episcopus Frisingensis Instrumentum præsens jussit sigilli sui pendentis munimine roborari, & sigilla supradicti Domini Gregorii Patriarchæ & prædicti Domini Alberti Ceneteñ. Electi eidem instrumento rogavit apponi.



Ego Johannes de Lupico, Sacri Imperii publicus Notarius hiis, præsens interfui, & rogatus scripsi in formam publicam reducendo.

Ex hoc Instrumento perspicuum est, possessiones Ecclesiæ Frisingensis eo tempore intra Carniolam non fuisse conclusas, sed in Forum usque Julii, & Marchiam Travisanam se extendisse. Deinde luculentum manet, Episcopum nostrum Anno Christi 1261. venisse usque Utinum *, Patriarchæ Aquilejensis eo tempore Sedem, Fori Julii * centrum, uti in Italia Sacra appellatur. Miramur vero Albertum de Collice (seu forte rectius de Colbice) electum Cenetensem Episcopum reponi adhuc ad prædictum annum Christi 1261. cum in laudata Italia Sacra jam ad annum Christi 1260. reponatur Successor Alberti Joannes Electus: quem scrupulum aliis relinquimus enodandum. Cæterùm eodem anno Conradus Episcopus noster alia quædam prædia in Carniola aliis elocavit, quædam etiam dono accepit. N. 45. 46. 47. 48.

* Udine. * Friuli *Tom. V. col. 17.*

Versus autumnum Episcopum nostrum rediisse Frisingam ex Hundio discimus, qui scribit, defunctis absque masculis hæredibus Berchtoldo, Diethpoldo, Ottone & Ludovico, Marchionibus de Hohenburg in Norico, omnia feuda, quæ ab Ecclesia Frisingensi tenuerant, eidem Ecclesiæ aperta Conradum Episcopum anno 1261. concessisse Ludovico Duci Bavariæ, Consanguineo suo, ob merita ac defensionem. Addit Hundius Diplomata extare Monachii. Literas illas datas fuisse XIIII. Kal. Octobris, & quidem Frisingæ, Gewoldus in additionibus memorat.

Conradus Ep. Domui Bav. feuda quædam concedit.

Idem

Berbling. Eccl. Parochialis conceditur Monast. Schyr. N. 49. 50.

Idem Ludovicus Bojariæ Dux ante biennium, nempe anno Christi 1259. Parochialem Ecclesiam in Berbling Schyrensi Monasterio donaverat. Hanc Parochiam postea anno 1261. Mense Novembri Conradus Episcopus noster ad preces ejusdem Ducis eidem Monasterio pleno jure donavit, & ut vocant, *incorporavit.* Documenta in Partem alteram rejicimus.

Resuscitatur causa Ecclesiæ S. Petri prope Wels.

Interim Henricus, Collegiatæ Divi Andreæ Ecclesiæ Canonicus, quem à Conrado I. Episcopo nostro, nec non etiam post ejus obitum à Cathedrali Collegio fuisse præsentatum Archiepiscopo Salisburgensi ad Ecclesiam S. Petri propè Welz supra diximus, non poterat pertingere ad finem optatum, Lavantino Episcopo se ejus promotioni opponente. Hinc coactus est ad Urbanum IV. Summum Pontificem, qui Alexandro IV. nuperrimè successerat, recurrere, &, quod justum erat, ab illo efflagitare. Pontifex igitur decisionem causæ demandavit Archidiacono Marchiæ & Carniolæ datis sequentibus literis Apostolicis.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Archidiacono Marchiæ & Carñ. Aquilegiensis Dyocesis Salutem & Apostolicam benedictionem. Sua nobis dilectus filius Heinricus Canonicus Ecclesiæ Sancti Andreæ Frisingæ petitione monstravit, quod, cum ipse ad vacantem Ecclesiam de Sancto Petro à Venerabili fratre nostro - - - Episcopo Frisingensi vero Patrono ipsius Venerabili fratri nostro - - - Archiepiscopo Salzburgensi loci Dyaces. fuisset canonicè præsentatus, Venerabilis frater noster - - - Episcopus Laventinensis ac ejus Vicarius institutioni suæ contra justitiam se opponunt. Ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod Canonicum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratiâ, odiô, vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Dat. Witerbii VI. Kal. Januarii Pontificatus nostri anno primo.

Secutam hujus causæ decisionem paulò infra referemus.

Metropolitanum Collegium Salisburgense integro abhinc sexennio ingentibus vexationibus ob rixas duorum Archiepiscoporum exagitatum exhortantibus Rege Bohemiæ & Carinthiæ Duce cum Philippo utcunque in gratiam rediit, addita tamen contestatione, se eo facto nolle præjudicare Pontificiis mandatis. Udalricus, qui anno superiori ob non solutas Pontificiæ Curiæ promissas pecunias à Nuncio Apostolico è cœtu fidelium proscriptus fuerat, Romam se contulit, ut causam suam coram ipso Pontifice ageret. Verum cum anno 1262. ex Italia esset reversus, secumque duxisset Episcopum Scyllacensem * dictum Benevenutum, qui ei ad reformandam Salisburgensem Ecclesiam adjutor fuerat adjunctus, ab eodem postea rursus diris devotus est, quod promissam pecuniam statuto tempore non persolvisset. Exiguam humanitatem eo facto præ se tulit dictus Episcopus, qui à Præsule egente, & necdum suæ Sedis possessionem adepto, jura Cameræ, ut vocant, exigebat, & sic afflicto afflictionem cumulabat. Bojariæ quoque Dux Henricus eo anno gravissima mala Urbi ac Provinciæ Salisburgensi intulit, de quibus agitur in sæpe laudato Chronico Salisburgensi, quod Vir cl. P. Hier. Pezius summo rei literariæ ac historicæ bono in lucem publicam extulit. Causam addit P. Mezgerus, quod nempe Henricus Dux impensas in auxilia Udalrici factas repeteret, & infestis armis postularet.

* *Squillaci*, in Calabria ulteriori.

Chronic. Schyr. pag. 126. & seq.

Eodem anno, Christi 1262. Idibus Januarii Conradus Episcopus noster decrevit, ut Magister Henricus Decanus S. Andreæ Ecclesiam Berblingensem nomine Abbatis ac Monasterii Schyrensis possideat, eidem tamen Monasterio censum annuum exinde persolvat, omnemque fidelitatem adhibeat.

Apud cl. P. Bern. Pezium col. 274.

Scribit Arembeckius, eodem anno in festo Divi Georgii Martyris Agnetem, Comitissam Palatinam Rheni, Bojariæ Ducissam, viduam Ottonis, consentientibus filio Ludovico & Henrico, duo prædia in Holzhansen & Waltenhausen Ecclesiæ Undenstorfensi liberaliter obtulisse. Hoholdus vero de Nydekke Frisingensi

Eccle-

Ecclesiæ quædam prædia in Sullingen, Rotenbach, Willchamingen : & alios quosdam census B. Mariæ, & S. Corbiniano Frisingæ obtulit. N. 51.

Mense Junio Conrado Episcopo nostro lis mota est super jure Advocatiæ seu defensionis dominii Enzerstorffensis, quæ Lectori præcipuè actorum superius recensitorum memori, mira videbitur. Marquardus, Ulricus & Chunradus fratres de Pilhdorf repetebant jus dictæ Advocatiæ Enzerstorffensis ab Episcopo nostro, tametsi is luculentissimis publicisque scriptis testimoniis eos convicisset, Conradum prædecessorem suum, jus prædictum ab eorumdem parente redemisse, & Austriæ Ducibus deinceps contulisse. Nihil hæc movebant filios, nempe tres fratres prædictos, quippe qui caussabantur, quod, tametsi hæc vel alia alicubi scripta reperirentur, tamen reapse nullas pecunias, sive Patri, sive sibi fuisse ab Episcopo numeratas. Sane adeo pertinaciter assertioni suæ insistebant, ut tandem utraque litigantium parte assentiente electi fuerint arbitri, qui causam compendio terminarent. Hi pronunciârunt, Episcopum Marquardo & fratribus numerare debere ducentas libras Monetæ Viennensis; ipsum verò Marquardum cum fratribus obligatos esse renunciare juri prædicto. Solutio deinceps secuta est die 30. Septembris: Apocha verò, ac confessio receptæ pecuniæ scripta fuit secunda die Mensis Octobris. Instrumenta damus in altera hujus Tomi Parte. N. 52. 53. 54. 55.

Novæ difficultates ob Advocatiam Enzerstorffensem.

Præcedente Mense Septembri Ludovicus Carniolæ ac Marchiæ Archidiaconus, seu Delegatus Apostolicus diligenti discussione examinavit causam Henrici Canonici Divi Andreæ, Parochialem S. Petri Ecclesiam (de qua supra dictum) sibi postulantis. Successit alia disquisitio Mense Octobri, partibus testibusque diligenter citatis. Litem definivit Delegatus Apostolicus in hæc verba.

Ecclesia S. Petri prope Wels adjudicatur Episcopo nostro.

Nos Ludwicus Archidiaconus Carn. & Marchie Judex à Sede Apostolica Delegatus in causa, que inter Venerabilem Patrem & Dominum - - - Electum Laventeñ. ex una & Magistrum Heinricum Can. Sancti Andree Frisinge, Notarium Venerabilis Patris & Domini C. Frisingeñ. Episcopi vertebatur ex parte altera super Ecclesia S. Petri Salzburgeñ. Dyoc. sita juxta Provinciam sive districtum, qui vulgo dicitur Longowe, auditis & intellectis meritis ipsius cause cum per certa & indubitata documenta luce clariora Instrumentorum & testium omni exceptione majorum, coram nobis in judicio lucidè sit probatum, quod idem Magister H. fuerit presentatus ad eandem Ecclesiam S. Petri Venerabili Domino & Patri Salzburgensi Archiepiscopo à Venerabili Domino C. Episcopo Frisingeñ. & quod idem Dominus Episcopus Frisingensis verus sit Patronus ejusdem Ecclesie, quodque plures Clerici ad presentationem Episcoporum Frisingensium ipsam Ecclesiam adepti longo tempore possederint, & quod Dominus Ulr. quondam Laventen. Episcopus eandem Ecclesiam tenuit temporibus vite sue ex patientia ejusdem Domini C. quondam Frisingensis Episcopi, ac recognoverit ipsum fuisse Patronum verum hujusmodi Ecclesie, & quod eadem Ecclesia S. Petri per se sit Parrochialis Ecclesia, sive Plebes, & quod alie due Ecclesie dependeant ab ea, tamquam filie à Matre, discussisque & examinatis exactâ diligentiâ singulis & universis, que ad instructionem talis negotii & pro jure ejusdem Magistri H. facere poterant, eandem Ecclesiam S. Petri ipsi Magistro H. Canonico S. Andree per diffinitivam sententiam cum omnibus juribus parrochialibus, decimis, dotibus, & pertinentiis universis, In nomine P. & F. & S. Sancti in scriptis adjudicamus. Inponendo eidem Domino Electo Laventen. ac sue Ecclesie, super eadem Ecclesia S. Petri perpetuum silentium, ipsumque ab eadem, quam qualitercunque tenuit occupatam, per eandem nostram diffinitivam sententiam penitùs amovemus. Insuper diffinitivè sententiando decernimus, predictum Magistrum H. fore instituendum canonicè in pralibata Ecclesia S. Petri, & eum in ea institutum auctoritate Apostolica defendendum. Item condempnamus sepefatum Dominum Electum Laventen. in XL. Marc. denariorum Frisacen. nomine fructuum perceptorum de pralibata Ecclesia S. Petri. Condempnamus etiam eundem Dominum Electum in V. Marcis denariorum Aquilegii. nomine expensarum, quas idem Magister H. in eadem lite probavit se veraciter expendisse. Hæc delegatus Apostolicus. De his etiam in sequentibus plura memorabimus. N. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64.

pag. 742. Dedicatur Ecclesia in Schönenfeld Superiori.

In Suevia Ecclesiastica legimus, eo anno Ecclesiam Parthenonis Cisterciensis in Schönenfeld Superiori ab Episcopis Hartmanno Augustano, Henrico Herbipolensi, Engelberto Aichstadiensi, Henrico Spirensi, & Conrado nostro Frisingensi fuisse sacris ritibus initiatum.

Extitisse eo tempore Monachii in Xenodochio S. Spiritûs Religiosos Viros, qui infirmis ministrarent, ex subjuncta Urbani Pontificis Bulla edocemur. Ea sic habet.

Urbanus Episcopus Servus Servorum DEI dilectis Filiis Magistro Hospitalis Sancti Spiritus de Castro Monacensi, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris Regularem vitam professis, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Eapropter Dilecti in DEO filii vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Hospitale Sancti Spiritus de Castro Monacensi Frisingensis Diæceseos, in quo divino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegiò communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum DEUM, & Beati Augustini Regulam in eodem Hospitali institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque Bona idem Hospitale impræsentiarum iustè, ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque Successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfatum Hospitale situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Redditum quotidianum, quem habetis in Theoloneo Castri Monacensis ex concessione quondam Ottonis Ducis Bavariæ, Domos, Macella, Curtes, prata, possessiones, & areas, quæ habetis in villis, quæ Gerelingen, superior, & inferior Pogenhausen, & Porf vulgariter nuncupantur cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis & pascuis in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis. Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenùs non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat; liceat quoque vobis Ecclesiasticos, vel laicos liberos, & absolutos è sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem Hospitali professionem fas sit sine Magistri sui licentia de eodem loco discedere, nisi arctioris Religionis obtentu, discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto; Crisma vero, oleum sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, à Diæcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam, & communionem Sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate exhibere. Probibemus insuper, ut infra fines Parochiæ vestræ nullus sine assensu Diæcesani Episcopi, & vestro Capellam, seu Oratorium de novo construere audeat salvis Privilegiis Pontificum Romanorum. Adhæc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, & Episcopis, Archidiaconis, seu Diaconis, aliisque omnibus Ecclesiasticis, sæcularibusve personis à vobis omninò fieri probibemus. Sepulturam quoque illius loci liberam esse decernimus; ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverunt, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publicè usurarii, nullus obsistat, salvâ tamen iustitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea, & possessiones ad ius Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi libera sit

vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Magistro, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutiâ, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris secundum DEUM, & B. Augustini Regulam providerint, eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ inposterum solicitudine providere volentes, auctoritate Apostolicâ prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temerè capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere; præterea omnes libertates, immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Hospitali vestro concessas, nec non libertates, & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus, & Principibus, vel aliis fidelibus rationaliter indultas auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegiò communimus.

Decernimus ergò ut nulli omnino hominum liceat præfatum Hospitale temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, seu sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. salva Sedis Apostolicæ auctoritate & Diæcesani Episcopi Canonicâ justitiâ, si qua igitur in futurum Ecclesiastica, sæcularisve Persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, ream se divino iudicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine DEI, & Domini nostri Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat ultioni. Cunctis autem eodem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

L.S. *Ego Urbanus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*

Ego Otto Tusculanus Episcopus.
Ego Stephanus Prænestinus Episcopus.

Ego Richardus S. Angeli Diac. Card.
Ego Ottavianus Sanctæ Mariæ in via lata: Diac. Card.
Ego Joannes S. Nicolai in carcere Tulliano Diac. Card.
Ego Ottobonus S. Adriani Diac. Card.
Ego Jacobus S. Mariæ in Cosmedin. Diac. Card.
Ego Gottfridus S. Georgii ad velum aureum Diac. Card.
Ego Ubertus S. Eustachii Diac. Card.
Ego frater Joannes S. Laurentii in Lucina pbr. Card.
Ego frater Hugo tit. S. Sabini pbr. Card.

Dat. Viterbii per manum Magistri Jordani Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Notarii & Vicecancellarii III. Kl. Aprilis Indictione V. Incarnationis Divinæ anno M.CC.LXII. Pontificatûs vero Domini Urbani PP. *IIII. Anno primo.*

De his fratribus infra ulterior mentio recurret.

§. III.

Acta Annorum 1263. 1264. & 1265.

Pax inter Rivales Archiepiscopatûs Salisb. ANno tandem Christi 1263. Salisburgi inter Philippum & Udalricum de Archiepiscopatu contendentes pax concluditur, cedente Philippo, & Udalrico in possessionem misso, uti Adelzreitterus scribit, & consentit Mezgerus, qui addit, Udalricum, cum se Salisburgensibus invisum cerneret (malorum enim præcedentium causam in eum plerique conjiciebant) & unà à Romanæ curiæ Ministris propter debita importune vexaretur, bienniô exactô crucem Archiepiscopalem, quam nimis gravem senserat, ultrò deposuisse, ac triennio post è vita migrâsse. Sic ille. Eodem anno decreverat equidem Pontifex utrumque Electum, Richardum scilicet, & Alphonsum Romanorum Regem esse appellandum: verùm res tota inter eam voculam stetit, reipsa neuter verus Romanorum Rex fuit. Eodem itidem anno lingua S. Antonii Paduani expers corruptionis reperta est. Nunc Frisingenses res prosequimur.

Non item inter Rivales Imperii.

Conradus Ep. novas vexationes ab Ecclesia sua amolitur. Subditi Wulfingi de Stubenberch prope castrum Chetz habitantes colonis Episcopi nostri in Welz & ad S. Petrum variis vexationibus graviter nocuerant: Episcopus damna sibi resarciri postulabat. Ad causam decidendam communi partium consensu arbiter electus est Bruno Olomucensis Episcopus, qui Wulfingo restitutionem imposuit, ac restitutionis modum præscripsit. Id actum est Græcii
N. 63. mense Februario, uti habet prolixum Instrumentum.

Mense Junio Fridericus Comes de Ortenburch cum fratre Henrico ac utriusque hæredibus cessère Episcopo nostro omnia jura, quæ habuère in Wartenberch, Cholach & Trasich. Vicissim Episcopus Ortenburgiis certam pecuniæ
N. 64. summam nempe viginti selibras Aquilegiensium denariorum ad futurum Divi Georgii festum promisit, & redditus annuos trium selibrarum collaturum sese condixit. Hæc Lacopoli gesta sunt, ubi ejus loci civibus Conradus Episcopus plures fundos pro augenda agricultura assignavit, imposito annuæ pensionis non
N. 65. gravi onere.
N. 66. Ipsis Kalendis Julii idem Episcopus noster veterem controversiam inter Decessores Episcopos, & Nobiles Vanstorffios super limitibus fundi ac sylvarum propè Welz agitatam composuit. Velsiô posthac Ulmerfeldam digresso Episcopo Engelschalchus de Remsperg promisit, se liberosque suos castrum Randekkense, quod feudi nomine ab Ecclesia Frisingensi majores sui obtinuerant, cum juribus ad illud pertinentibus nec vendituros, nec ære alieno oneraturos esse. Ejus pro-
N. 67. missionis testes in Instrumento enumerantur. Die vero 27. ejusdem mensis R.
* Neu-Statt. nobilis de Valchenberch in nova Civitate * Episcopo nostro datis literis pro Henrico Redelio, quem Episcopus ceu sibi, colonisque suis injurium in custodia de-
N. 68. tinuerat, fidejussorem sese constituit, si is libertati restitueretur. Promissioni testes nobiles fuêre adhibiti.

Grimoldus de Tauffkirchen prætendebat jus præsentandi Sacrum Curionem in Ecclesia, castro suo Tauffkirchensi adjacente. Verùm posthac lubens cessit:
N. 69. Testesque cessionis habuit Henricum Bojariæ Ducem, & Sifridum nobilem de Fraunberch. Id actum est in Landau, inferioris Bojariæ municipio, mense Septembri.

Arenbeckius ad hunc annum refert fundationem (fortè potius dotationem) inclyti Monasterii Firstenfeldensis, Cisterciensis Ordinis, cui fundator Ludovicus Severus, Bojariæ Dux posthac magnas opes adjecit. Id eum urgente Pontificis mandato fecisse, supra jam diximus.

Proxi-

Proximo anno, Christi 1264. Urbanus IV. PP. Urbe veteri * constitutus, Festum Corporis Christi in toto terrarum orbe celebrandum instituit, & vocato B. Thoma de Aquino, qui tum in loco præsens aderat, præcepit, ut de Festo illo Officium novum componeret; quod is etiam Angelico ingenio executus est, ut apparet ex Missa & Officio, hodieque sacris Liturgiis atque Breviariis insertis. Diximus vero Officium *novum* de Festo illo fuisse compositum, quia jam antehac alibi Festum hoc celebrari solebat, nempe Leodii, ubi ipse Urbanus, cum adhuc Leodiensis Ecclesiæ Archidiaconus esset, vidit festivam illam diem Sacrarissimi Corporis Christi peragi ob factam B. Julianæ Corneliensi revelationem, ab Episcopo & Theologis loci comprobatam. In fastis Benedictinis B. Juliana laudatur, & Ordini nostro asseritur. * Orvieto. Institutio Festi Corporis Christi.

In Austria duo Presbyteri Heberhardus & Henricus, duas parochiales Ecclesias, nempe in Waidhoven, & Hollenstein invaserant, insciis, ac postea maximè invitis Abbate ac Conventu Seittenstettensi, qui jus conferendi sibi competere contendebant. Fridericus Abbas Glunicensis * jussu & auctoritate Pataviensis Episcopi adversos Presbyteros illos, cum loco cedere nollent, excommunicationis sententiam pronunciavit, qua, cum nihil profecisset, Otto Lauteacensis Decanus in utraque illa Ecclesia eadem authoritate Divina officia sustulit. Ast ne istud quidem Interdictum Presbyteri illi, & Laici quidam attenderunt. Unde coactus est Seittenstettensis Abbas Sedem Pontificiam interpellare. Urbanus Pontifex, qui causæ disquisitionem Cremisanensi * Abbati ac Præposito S. Floriani commisit, jussitque memoratam excommunicationis sententiam, siquidem justitia id exigeret, Sedis Apostolicæ authoritate confirmare. Literæ Apostolicæ expeditæ fuerunt apud Urbem veterem pridie Nonas, id est, die 4. Mensis Junii. Id edoctus Waldinus de Bechona Clericus & Procurator Conradi Episcopi nostri in Curia Pontificia, monuit Papam, jus conferendi utramque Parochiam non ad Abbatem Seittenstettensem, sed ad Episcopum Frisingensem pertinere. Responsum est à Procuratore Seittenstettensis Abbatis, nihil exinde decessurum juri Frisingensis Episcopi, siquidem aliquod ei competeret. Quid posthac evenerit, inferius monebimus. Certum interim est, jus Patronatûs utriusque Ecclesiæ hodie ad Episcopum Frisingensem spectare. Lis super Parochiis Waidhovians, & Holensteinanas. * Gleink. * Cremsmünster. N. 70.

Mense Septembri Conradus Episcopus noster cum Conrado Abbate S. Stephani prata quædam in Zolling in utriusque Ecclesiæ commodum permutavit. In prædicto Monasterio manu coæva confirmatur illud, quod de Eclypsi ejusdem anni Scriptores alii asserunt. Additur eodem anno accidisse tonitru tanto impetu, ut porta Monasterii major à summitate usque ad terram passa fuerit ingentem scissuram. Hoc ipso anno Luipoldus de Haitenkaimb ea omnia, quæ feudi nomine eousque possederat, Episcopo nostro ultro cessit, uti in actis legimus. N. 71.

Mense Octobri Urbanus IV. vita functus est Perusiæ. Ei anno 1265. in Cathedra Petri subrogatus fuit Clemens IV. natione Gallus, *Lumen Juris* à Durando appellatus; Diem electionis Franciscus Pagius, solertissimus rerum Pontificiarum Indagator, determinare non audet. Notatu digna est hujus Clementis Epistola, quam proximo à sui assumptione Mense Martio ad Nepotem suum Petrum Grossum de S. Ægidio scripsit in hæc verba: Urbano IV. succedit Clemens IV.

Multis de nostra promotione gaudentibus, nos soli sumus, qui certius immensitatem oneris experimur: & ideo quod aliis gaudium, nobis metum subministrat & fletum. Sanè ut scias, qualiter his auditis debeas te habere, scire te volumus, quod humilior debes esse: neque enim, quod nos vehementer humiliat, nostros debet extollere, maximè cùm honor sæculi momentaneus, sicut ros transeat matutinus. Nec ad nos te vel fratrem tuum, vel de nostris aliquem venire volumus sine speciali mandato: quia spe sua frustratos, si secus præsumerent, oporteret redire confusos. Sed nec in tuæ Sororis nuptiis gradum quæras propter nos altiorem; quia nec nos haberes propitios, nec in aliquo adjutores. Si tamen eam cum filio simplicis militis desponsaveris, in tre- Ejus ad Nepotem memorabilis Epistola.

centis Turonensibus argenti tibi proponimus subvenire: & si altiorem quæras, nec à nobis denarium speret unum: & hoc ipsum secretissimum esse volumus, & tibi & Matri solummodo esse notum. Illud etiam scias, quod nullum nullamque de sanguine nostro sub nostræ sublimitatis obtentu inflari volumus: sed tam Alabiliam, quam Ceciliam illos viros habere volumus. Giliam visita, & dic ei, quod locum non mutet, sed remaneat apud Susam, & omnem maturitatem & habitûs honestatem observet; preces pro aliquo non præsumat assumere: nam & ei pro quo fierent, essent inutiles, & ipsis, qui rogaverent, damnosæ: & si per aliquos ex hac causa munera offerantur, ea respuat, si vult nostram gratiam obtinere. Datum Perusii in die Perpetuæ & Felicitatis. Hæc Religiosissimus Pontifex: Qui eodem Mense ad Morhardum Frisingesins Ecclesiæ Canonicum literas dedit sequentes:

Confirmat Sententiam in causa Ecclesiæ S. Petri prope Welfium superius latam.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Morhardo Canonico Ecclesiæ Frisingensis Salutem & Apostolicam benedictionem. Sua nobis Heinricus Rector Ecclesiæ S. Petri Salzburgensis Diocæsis petitione monstravit, quod eum ipse ad dictam Ecclesiam tunc vacantem à Venerabili Fratre nostro Episcopo Frisingensi vero Patrono ipsius Ecclesiæ fuisset Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Salzburgensi loci diocæsano canonicè præsentatus, tandem quondam Laventinensi Electo asserente, quod ad mensam suam ipsa Ecclesia pertinebat, & se sibi super hoc opponente idem Archiepiscopus ipsum Heinricum ad eandem Ecclesiam admittere denegavit. Cum autem præfatus Heinricus ad Archidiaconum Carn. & Marchiæ super hoc litteras Apostolicas impetrasset, & earum auctoritate super hoc coram ipso Archidiacono Electum convenisset eundem, dictus Archidiaconus cognitis causæ meritis, & juris ordine observato diffinitivam pro eodem Heinrico sententiam promulgavit, quam Apostolico petiit munimine roborari. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam ipsam, sicut est justa, facias per censuram ecclesiasticam firmiter appellatione remota observari. Dat. Perusii XV. Kalend. Aprilis, Pontifcatûs nostri anno primo.

Pataviensis & Salisb. Præsules.

Patavii eo anno obiit Otto Episcopus, cui successit Uladislaus Silesius, Divæ Hedwigis Nepos, quæ hoc anno in Album Sanctorum relata est. Verum post pauculos menses Uladislaus vocatus est ad Metropolitanam Cathedram Salisburgensem, succedente sibi in Sede Pataviensi Petro suæ quondam juventutis moderatore.

Jurisdictio in Subditos Waidhov. confirmatur Episcopo nostro.

Episcopus noster Conradus eodem anno ab Ottokaro Bohemiæ Rege obtinuit confirmationem Privilegii exemptionis à provinciali judicio pro subditis suis in Heybs, sive ut manu coæva in margine annotatum legimus, in Waidhoven. Literæ notabiles sic habent:

In nomine Domini Amen. Nos Otokarus Dei gratiâ Rex Bohemiæ, Dux Austriæ & Styriæ, & Marchio Moraviæ universis præsentium notitiam habituris salutem in perpetuum, ad memoriam rei perpetuam. Gesta regalia calumpniorum scrupulis exemptis quibuslibet inviolabiliter ut serventur, & ne à memoria hominum labili decidant per decursum temporum oblivioſum, eadem scripturarum vocabulis duximus mancipanda. Hinc est, quod universos & singulos tam præsentes quam posteros scire volumus, quod Reverendum in Christo Patrem, & Dominum Chunradum Venerabilem Episcopum Frisingensem amicum nostrum Karissimum, se nostris beneplacitis & desideriis promptum & paratum in omnibus exhibentem specialis prærogativa dilectionis, & favoris potioris gratiâ prosequentes ipsum Dominum Episcopum omnibus juribus provinciali judicio in Heybs attinentibus, quibus prædecessor suus felicis memoriæ gavisus esse dinoscitur, liberè ac plenariè volumus congaudere, ipsius judicii provincialis homines ad jurisdictionem & dominium jam tacti Domini Episcopi pertinentes ab exactionibus quibuslibet & venationibus indebitis, & tractionibus ad fora aliena videlicet Judicum nostrorum provincialium, seu Judicum Civitatum, vel aliorum quorumcunque judicum, & subjudicum penitùs eximentes, ita tamen, quod in signum exemptionis hujusmodi & indicium tria talenta denariorum Wiennensium singulis annis ad nostram Cameram, vel alicui alteri Personæ, cui ipsam summam deputandam duxerimus, faciat

ciat assignari, quemadmodum Prædecessor suus prætactus eandem summam annuam Comiti Ottoni de Hardeke piæ memoriæ dinoscitur exsolvisse, qui Comes Otto ipsum judicium provinciale una cum Comitia in Peilstain à nobis possedisse dinoscitur titulo feodali. In cujus rei testimonium, & robur firmitatis perpetuum, ut præmissa libertas & exemptio nostra de regia liberalitate concessa inconvulsa permaneat, & ne aliquo modo nostræ sub optentu gratiæ aliquatenus infringatur, præsentes nostrorum sigillorum munimine fecimus communiri. Actum Wiennæ anno Domini M.CC.LXV. VIII. Indictione præsentibus testibus Zmilone de Belkowe. Henkoñ. Marschalco, Dñem Wilhelmo de Phrinsperge, Disnata, Dapifero Moraviæ, Hartlibo Camerario, Zmielon de Brumawe, Heinrico Dapifero de Greizenstain, Marquardo Magistro Cellarii, Menhardo de Swarense, Ulrico de Lubsnik, Friderico de Lubsnik, Ditrico de Richendorf, Wlfingo de Aigen, Marquardo Leubsnekke, Chunrado Sappone & aliis quam pluribus fide dignis. Datum ibidem pridie Nonas Aprilis per manus Prothonotariorum nostrorum, Magistrorum Ulrici & Petri, Regni nostri anno quarto.

Pendebat interim adhuc lis super jure Patronatûs in Ecclesiis Waidhovensi, Aspacensi ac Holensteiniana inter Episcopum nostrum & Abbatem Seittenstettensem, quæ decisa est sequentem in modum. Continuatio litis super Ecclesiis Waidhov. Hollenstein &c.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Præposito, Herboni & Kalbocho Canonicis Ecclesiæ Ratisponensis Salutem & Apostolicam benedictionem. Transmissa nobis Venerabilis Frater noster - - - Episcopus Frisingensis Patronus Ecclesiarum de Waidhoven, de Aspach & de Holenstein Pataviensis Dyocesis petitione monstravit, quòd cùm felicis recordationis Urbanus Papa Prædecessor noster causam, quæ inter ipsum ex parte una, & - - - Abbatem & Conventum Monasterii de Sitansteten Ordinis Sancti Benedicti ejusdem Dyocesis ex altera super jure patronatûs Ecclesiarum ipsarum vertebatur ab audientia Magistri Gerardi Canonici Pataviensis auctoritate Apostolica cognoscentis de ipsa per appellationem legittimè ad Apostolicam Sedem delatam - - - - Abbati Monasterii de Tirbuopt per suas litteras duxerit committendam, idem Abbas de Tirboupt Magistro Marquardo Scolastico Augustensi commisit super hoc usque ad diffinitivam sententiam vices suas. Sed iidem Abbas & Conventus de Sitansteten sufficienti conficto gravamine ad audientia dicti Subdelegati ad Sedem Apostolicam appellarunt, quorum appellationem præfatus Subdelegatus frivolam, prout erat, finitò appellationis articulò ritè aliquamdiu processit in causa, & demum ad dictum Abbatem de Tirbuopt remisit eandem, qui cognitis ipsius causæ meritis, & juris ordine observato pro eodem Episcopo diffinitivam sententiam promulgavit, eosdem Abbatem & Conventum in quadam Summa pecuniæ ipsi Episcopo expensarum nomine condempnando, quæ sententia nulla legittima provocatione in rem transiit judicatam. Wernherus quoque perpetuus Vicarius Ecclesiæ in Welz Salzburgensis Dyocesis, quem nominatus Abbas de Tirbuopt executorem vice sui constituerat, quod sententiam ipsam executioni debitè demandandam in Rudolfum Abbatem dicti Monasterii de Sitansteten eidem diffinitivæ parere contumaciter denegantem Excommunicationis sententiam exigente justitia promulgavit, quam ipse Rudolfus Abbas dampnabiliter vilipendens divina officia celebrare, imò, quantum in eo est, veriùs prophanare præsumit in animæ suæ periculum, dicti Episcopi præjudicium & Ecclesiasticæ disciplinæ contemptum. Quare fuit pro parte ipsius Episcopi nobis humiliter supplicatum; ut easdem sententias curaremus Apostolico munimine roborare, ac eundem Rudolphum Abbatem pro hujusmodi præsumptionis excessu puniri pœna canonica mandaremus. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus sententias ipsas diffinitivam sicut est justa, per censuram Ecclesiasticam, Excommunicationis vero, sicut rationabiliter prolata, faciatis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, observari. Super eo autem, quod prædictus Rudolfus Abbas sic ligatus divina officia temerè celebrare, quod Canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes, quod decreveritis per censuram eandem firmiter observari. Quod si non omnes*

* Thierhaupten.

bis

bis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Perusii XVI. Kalend. Maji Pontificatûs nostri anno primo.

Ottokarus providet subditis Frisingensibus in Wels.

Post dies pauculos Ottokarus novâ gratiâ prosecutus est Conradum Episcopum nostrum, dum in favorem colonorum illius in Welz & ad S. Petrum ad Styriæ Capitaneos sequens mandatum direxit.

Otakarus Dei gratiâ Rex Bohemiæ, Dux Austriæ & Styriæ & Marchio Moraviæ dilectis sibi - - - - - Capitaneis Styriæ, cæterisque - - - suis officialibus præsens scriptum intuentibus universis salutem & omne bonum. Quia Reverendum in Christo Patrem & Dominum Chunradum venerabilem Episcopum Frisingensem amicum nostrum Karissimum specialis dilectionis prærogativâ prosequimur & favoris, adeò, quod homines ipsius Domini Episcopi ab exactionibus, pernoctationibus, herbergariis, vexationibus indebitis liberos esse volumus & exemptos, universis vobis & singulis damus præsentibus districtiùs in mandatis, quatenus de Advocatiis prædiorum in Welze ac in Sancto Petro ipsius Domini Episcopi, simplexque jus Advocatiæ, quod nobis de eisdem prædiis competere dinoscitur, annuatim statuto ad hoc loco & tempore tantummodo requiratis, quo etiam jure habito homines ipsius Domini Episcopi residentes in prædiis memoratis, & officiales eorundem prædiorum exactionibus, pernoctationibus, vexationibus indebitis nullatenùs aggravetis, prout nostram conservare diligitis gratiam & favorem. Talem circa præmissa diligentiam adhibentes, ne nostra super his audientia a modo requiratur. In cujus rei testimonium præsentes nostri sigilli munimine fecimus roborari. Datum in Greze, año Domini M.CC.LXV. VIII. Indictione. VIII. Kalend. Maji.

Hæc Conrado Episcopo Rex Ottokarus. Sequentia vero Udalricus Karinthiæ Dux.

Potestas judiciaria in Gutenwerd &c. limitat.

Quoniam quod scripturarum confirmat auctoritas, improborum non potest, nec debet improbitas infirmare, & oblivio contraria memoriæ abolere, Nos Ulricus Dei gratiâ Dux Karinthiæ, Dominus Carn. & Marchiæ præsentibus profitemur & ratum haberi volumus, quod per totum prædium Ecclesiæ Frisingensis in Gutenwerd & alibi situm in Marchia per nos, sive per judicem nostrum provincialem nullam jurisdictionem, seu auctoritatem judiciariam exercere volumus, aut debemus, nisi in certis casibus infra scriptis, his videlicet de homicidio, quod vulgariter dicitur Totslach, de furto, & de raptu seu violenta corruptione Virginum seu Mulierum, quod vulgariter dicitur Notnunft perpetratis in prædicto prædio judicabit judex provincialis noster sub hac forma, quod rei seu obnoxii talium criminum per officialem Venerabilis Patris & Domini pro tempore Episcopi Frisingensis assignentur judici nostro proinciali, sine rebus tamen ipsorum, quæ cedent ipsi Domino Episcopo, & Judex noster faciet judicium de personis talium, de rebus nihil sibi penitus usurpando. Si vero judicium exercendum fuerit de vulneribus seu effusione sanguinis, quod plutiger Pfenninch dicitur, Judex noster cognoscet de causa & judicabit, etiam emenda pro tali delicto debita remittetur solum ad manus Judicis nostri, sed solvetur Officiali Episcopi memorati, ita quod Judex noster de emendis hujusmodi nihil sibi audeat vendicare. In præmissis igitur casibus, in quibus judicabit Judex noster, vocabit etiam reos ad judicium, & de citatis tertiò, & ob contumaciam se à judicio absentantibus, emendam ipse judex noster accipiet & nil ultra. Item tabernam in prædicto prædio Dominus Episcopus Frisingensis habeat, & nullus alius præter ipsius Domini Episcopi voluntatem. Similiter volumus & concedimus, ut in festis dictis Chirchtach, quæ certis temporibus celebrantur in prædio memorato judex noster nec thelonium aliquod recipiat nec angarias seu vexationes quascunque in confluentes ibidem homines audeat exercere. Remittimus etiam denarium, quem judex noster consuevit recipere in dicto prædio pro urna vini vendita ab hominibus prælibatæ Ecclesiæ Frisingensis. Insuper prohibemus districtè, ne quisquam Judicum nostrorum provincialium indicat seu habeat judicia, quæ vocantur Lantgericht in villis prædii sæpedicti, nisi forsè in foro Gutenwerd, quod per præsentes nolumus inhibere. Ut autem præmissa robur obtineant perpetuæ firmitatis, præsentes tradidimus nostri sigilli muni-

nimine roboratas. Datum juxta castrum Nidekk in Ecclesia S. Johannis, Anno Domini M.CC.LX. quinto XVIII. Kalend. Julii.

Idem Ulricus Dux Episcopo nostro permisit sive prope villam Zlap, sive in alio Marchiæ loco Castrum aliquod exstruere atque munire, ea tamen conditione adjecta, ut, si occasione ejusmodi castri damnum quoddam emersurum esset Duci, Episcopus maneret obstrictus, ejusmodi damnum resarcire. Literas, lacunis non N. 72. carentes, in partem alteram transferimus, uti & eas, per quas proprietas prædii N. 73. cujusdam in Celle Episcopo nostro ad illatorum quorumdam damnorum compensationem mense Septembri attributa fuit, ipso Udalrico Duce sese fidejussorem constituente. N. 74. Idem Dux eodem adhuc mense homines quosdam proprios Ecclesiæ Frisingensi liberaliter donavit. Quo ipso tempore executioni mandata fuit & Apostolica authoritate confirmata sententia in favorem Frisingensis Ecclesiæ adversus Lavantinum Episcopum ejusque Cathedrale Collegium lata. Morhardi Frisingensis Canonici, Præpositi Werdensis & Delegati Pontificis literas in N. 75. ea causa Frisaci datas in parte altera reponimus.

Mense Octobri Henricus Præpositus, & Calhohus Canonicus Ratisbonensis ab excommunicationis vinculo *ad cautelam* ex commissione Apostolica absolverunt supradictos Eberhardum & Henricum Plebanos in Waidhoven & Holenstein. Literarum hic est tenor.

Hainricus Dei gratiâ Præpositus, & Chalhohus Canonicus Ratisponensis Judices à Sede Apostolica delegati, idemque Chalhohus vicem gerens Domini Erbonis in eadem causa Delegati viro provido & discreto Decano Laureacensi salutem & fraternam in Domino Charitatem. Noveritis, quod nos cognitis causa meritis inter Procuratorem Abbatis & Conventus de Sitansteten ex una parte, & Procuratorem Eberhardi & Hainrici Sacerdotum in Waidhoven & Holenstein Ecclesiarum ex altera, qui Sacerdotes conquerebantur coram nobis se per Abbatem de Gleunich & à vobis sententia Excommunicationis & Interdicti contra juris debitum notatos, & quamvis hac ratione & aliis multis rationibus dicerent sententias esse nullas ipso jure, tamen ipsos absolvimus ab hujusmodi sententiis ad cautelam, recepta primitus à Procuratore ipsorum & nomine eorum satisfactione de parendo juri & judicatum solvendo. Unum volumus & mandamus vobis Auctoritate Apostolica, qua fungimur, firmiter præcipientes, quatenùs præfatos Sacerdotes publicè in Ecclesia vestra denuntietis coram Clero & populo ab hujusmodi sententiis absolutos ad cautelam, ipsosque ad omnes actus legittimos admittatis. Datum & actum apud Ratisponam in majori Ecclesia anno Domini M.CC.LXV. VII. Kalend. Novembris.

Kalendis Novembris Episcopus noster commodis colonorum suorum in Reuchlinstorff & Müllleuten (vicis in Austria sitis) egregie ac liberaliter prospexit. Literas desuper confectas Lector in Parte instrumentaria reperiet. Cum Goritiæ Comite Alberto eodem anno tractatum super divisione liberorum, ex hominibus utrique parti propriis progenitorum, conclusit. N. 76.

§. IV.

Continuatio Actorum tum publicorum tum domesticorum usque ad annum Christi 1268.

Mensis Februarius anni 1266. Manfredo Conradi defuncti Regis Spurio fratri fatalis fuit. Licet enim adversus Carolum, Ludovici Francorum Regis fratrem, quem Clemens Papa ad capessendum Siciliæ Regnum superiori anno evocaverat, fortissimè dimicaret, demùm tamen ab Apulis & Siculis desertus, multis confectus vulneribus occubuit, ultimus Germani, tametsi spurii sanguinis ad ea usque tempora Siciliæ possessor. *Gabr. Bucel. in Annal. Germaniæ.*

Idem ibid. Feliciora auſpicia eodem anno Rudolphus Habſpurgicus expertus eſt, cum quadam die decantatam illam pietatem erga Sacram Evchariſtiam, quam Sacerdos ad ægrum portabat, ex equo deſiliens exhibuiſſet, & Sonipedem ſuum Sacrorum Miniſtro donâſſet. Eadem enim adhuc die ex Moniali quadam Benedictina Farenſis Parthenonis audiit, ſe ad Imperium à Divino Numine deſtinari. Rex Bohemiæ eo Anno collecto ingenti exercitu, nemine ſibi reſiſtente, transdanubianam Bojariam rapinis exagitavit, & plura loca munita ſolo æquavit. Scriptores quidam addunt, Salisburgenſem & Patavienſem Præſules eidem junxiſſe copias ſuas. Verum Patavienſi ea res carò ſtetit, cum Bojariæ Dux paulò poſt ejus Urbem cepit, diripuit, ac cives quosdam interfecit. Salisburgenſis Archi-Epiſcopus eo tempore Henricum Theologum ex ordine minorum Chiemenſi Epiſcopatui præfecit atque confirmavit.

Componitur lis Inticenſis. Meinhardus Comes Goriciæ & Tyrolis, Aqnilejenſis, Tridentinæ & Brixinenſis Eccleſiarum Protector Inticenſia prædia, caſtrumque (more nobilium illius temporis) violenter invaſerat. Audaci facinori Epiſcopus noſter mox ſeſe oppoſuit, idque propoſitis gravibus momentis apud Comitem effecit, nt cauſam arbitrio Friſingenſis Præpoſiti dirimendam relinqueret, cujus judicio etiam Epiſcopus noſter ſe ſtaturum promiſit. Pronunciavit Præpoſitus, prædia Inticenſia cum caſtro ac cæteris juribus ſemper pertinuiſſe ac pertinere ad Friſingenſem Eccleſiam: Comiti ſe nihil adjudicare, niſi jus Advocatiæ ſeu defenſionis, & hoc quidem ſub certis reſtrictionibus & conditionibus; uti latè patet in prolixis

N. 77. 78. literis, quas in parte altera recitamus. Et huic quidem arbitrio etiam Comes ſe ſubmiſit, literasque aſſenſûs ſui teſtes Epiſcopo dedit. Ludovicus quoque Bojariæ Superioris Dux, cum Epiſcopus noſter bona quædam clientelaria in Awe-

N. 79. dorf ejus Notario contuliſſet, literas ſuæ *Celſitudinis* ſigillo munitas expediri juſſit, quibus promittit, cedente, vel decedente Notario ſuo eadem bona ad Friſingenſem Eccleſiam redire debere.

Ipſis Kalendis Auguſti Conradum Epiſcopum noſtrum Monaſterio ſuo confirmaſſe Parochiam Glonerſtorfenſem Undenſtorfenſes Canonici Regulares tradunt. Ad eundem annum pertinere dotationem Firſtenfeldenſis Monaſterii legimus in *Ciſtercio bis Tertio.* Hundius ſcribit, in Feſto S. Petri eodem anno fuiſſe eò vocatos Monachos ex Allerspach: quæ cauſa eſt, cur inclytum Monaſterium Firſtenfeldenſe Cœnobium illud Allerspacenſe ceu Matrem agnoſcat.

Menſe Septembri Henricus Inclyti Monaſterii Tegernſeenſis Abbas Conrado Epiſcopo noſtro ac Friſingenſi Eccleſiæ ob commoditatem ſitus ceſſit proprietatem cujusdam prædii clientelaris in Gunzenhauſen, ſub ſpe tamen proprietatem alterius ejusmodi prædii ab Epiſcopo recipiendi: nti plenius habetur in li-

N. 80. teris donationis ſeu ceſſionis, quas in parte altera damus, nbi ſubjungimus do-

N. 81. nationem quorumdam liberorum Fringſienſi Eccleſiæ factam.

Seittenſtettenſi Abbate ac Conventu apud Sedem Apoſtolicam conquerentibus, in cauſa ſupradictarum Parochiarum fuiſſe contra ſe à Delegato Pontificio latam ſententiam, absque eo, qnod ipſi ſufficienter fuiſſent auditi, Clemens Pontifex, ad S. Floriani, & Werdenſis Eccleſiarum Præpoſitos, nec non ad Magiſtrum Ulricum de Nertingen Pataviensem Canonicum literas Apoſtolicas dedit, quibus eis mandavit, ut in rei geſtæ ſeriem ſedulo indagarent, &, quod juris ordo expoſceret, Apoſtolica Authoritate denique decernerent. Prolixas literas da-

N. 82. tas Viterbii 4. Non. Novembris rurſus in altera parte repræſentamus.

Ottokarus ſemper benignus in Epiſcopum noſtrum. Proximo menſe Decembri Ottokarus Bohemiæ Rex, Dux Auſtriæ & Styriæ &c. *Univerſis* ſuis *Capitaneis*, *Judicibus*, *Officialibus atque Venatoribus in Auſtria conſtitutis* inſinuavit privilegium venandi cariſſimo ſuo Epiſcopo, Conrado noſtro conceſſum, monuitque eos, ut non ſolum nullum ei obicem ponerent, ſed potius omnem favorem & obſequium impenderent. Literas datas apud Frieſtat

N. 83. ibidem in Parte II. reponimus. Quo eodem tempore idem Rex cum eodem Epi-

ſcopo

scopo tractatum super liberorum divisione iniit, & Comiti de Hardeke Judici Provinciali Austriæ mandavit, ut causam, quæ vertebatur inter Ecclesiam Frisingensem & Dominam de Pottendorff super Castro Herrantstein juxta Jurinm Leges terminaret: & Waidhovensium civium antiqua jura ac consuetudines in emptione & venditione ferri, aliisque mercimoniis sarta tecta servaret. Ita Episcopus noster nullum non movit lapidem, ut Ecclesiæ suæ possessiones ac privilegia semper illæsa tueretur: quod etiam per reliquum vitæ suæ decursum indefessè præstitisse in consequentibus apparebit. Collegio Canonicorum S. Andreæ eodem anno Ecclesiam in Braittenbach donavit. N. 84. N. 85. N. 86. N. 87.

Anno sequenti Christi 1267. Fridericus Gerstensis * Monasterii Abbas Judex Delegatus Petri Pataviensis Episcopi, discussa, quæ inter Offemiam de Pottendorff & Episcopum nostrum vertebatur, quæstione super proprietate fundi, & jure Patronatûs Ecclesiæ in Herrantstein, in favorem Frisingensis Ecclesiæ sententiam pronunciavit. Id factum est in Amsteten 5. Idus Martii. Acta ex literis Lectori profusius innotescent. Idem Episcopus noster, ut variis, quas timebat, litibus materiam præscaret, diversa Instrumenta eodem Mense ac loco coram Henrico de Hardekke Judice Provinciali Austriæ produxit, & fide publica transsumi rogavit atque obtinuit.

* vulgò *Steyr-Garsten.* Terminatur controversia super Ecclesia in Herrantstein. N. 88. *Lib. 5. Tradit. fol. 61.*

Ea tempestate Gibellini inquieti Conradinum, Conradi olim Regis filium adversus Guelphos seu Pontificios concitabant. Conradinus fretus auxilio Avunculi sui Ludovici Bojariæ Ducis, comitantibus ipso Ludovico, nec non Friderico Austriæ Duce cum florentissimo equitatu in Italiam contendit, cum ingenti plausu Veronæ, Mantuæ, ac postea Papiæ exceptus. Territus eo nuncio Pontifex contra omnes, cujuscunque status ac conditionis homines, qui Conradino quibusvis modis faverent, Excommunicationis sententiam promulgavit: Caroli vero Andegavensis dignitatem Regiam confirmavit, & adjecto titulo *Servatoris pacis* Mense Aprili auxit. Scribit Adelzreitterus, Ludovicum Bojum execrationum Pontificiarum fulmine territum se in Germaniam retulisse. Subsecuta Conradi tristia fata paulo infra referemus. *Bucel. Chronic. Salisburg. Pag.*

Viennæ in Austria die 10. sequentis Mensis Maji Guido, Tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus Synodum celebravit, in qua comparuêre, Joannes Pragensis, Petrus Pataviensis, Conradus noster Frisingensis, Leo Ratisbonensis, Bruno Brixinensis, Amalricus Lavantinus Episcopi, cum multis Abbatibus, Præpositis, Archidiaconis & Decanis. Capita constitutionum hæc erant. I. Clerus in victu, gestu & aliis se habeat decenter, continenter & castè vivat. Prælati subditis gravamina non inferant. Laici bona Ecclesiæ occupata restituant. Clericorum percussores & interfectores singulis annis diris devoveantur. Capto Prælato aut Canonico cessetur à Divinis. Pluralitas beneficiorum interdicta esto. Decimæ debentur Clero non Laicis. Usurarii sive Clerici sive Laici excommunicentur. Patroni Ecclesiarum non involent in bona Clericorum decedentium. Prælati ac cæteri, qui curam animarum habent, in suis Ecclesiis resideant. Intra dimidium annum fiat visitatio Monasteriorum Ordinis S. Benedicti. Judæi cogantur uti pileis cornutis, ut dignosci possint ab aliis: item Sacris Curionibus præstent idem, quod fidelis exhiberet, si in Judæi domo habitaret. Decimas etiam prædiales iidem Judæi persolvant. Ad balnea, triclinia, tabernas Christianorum non admittantur. nec servos vel ancillas, aut nutrices in suis ædibus retinere præsumant: ad nulla publica officia assumantur. &c. &c. quæ omnia Decreto Synodi comprehenduntur, quod Henricus Canisius *Tom. I. antiq. Lect.* inseruit. *Henr. Canis. Tom. I. antiq. Lect. à pag. 614.*

In eadem Synodo die undecima Maji decisa est nova lis, quæ inter nostrum & Brixinensem Episcopum succreverat. Defuncto Conrado Episcopo nostro Bruno Brixinensis Episcopus contra datam fidem jus præsentandi Clericos ad Ecclesias in fundo Inticensi ædificatas sibi arrogaverat. Id tolerare non potuit Episco- *Jus præsentandi in fundo Inticensi.*

pus noſter: hinc occaſionem nactus in Synodo rem Epiſcopo Brixinenſi proponendi, proprias eidem literas exhibuit, quibus olim fideliter confeſſus eſt, in Inticenſi fundo nullum ſibi jus Patronatûs competere. Tam luculenter convictus Brixinenſis Epiſcopus pacifice ceſſit, jus præſentandi Præſuli noſtro recognovit, & inſtitutos à ſe ejusmodi Clericos ex Eccleſiis illis amovit. Inſtrumentum
N. 89. videſis in altera parte.

Menſe Junio Fridericus de Huſekke compenſavit Epiſcopo noſtro damna
N. 90. Eccleſiæ Friſingenſi illata aſſignato reditu annuo ſex librarum: quem tamen cenſum feudi nomine recepit. Literæ rem diffuſius exhibent.

Conſecratur Uladislaus Archiep. Saliſb. ab Ep. Patavienſi.

Eodem Menſe Junio Sabbato poſt feſtum Pentecoſtes Petrus Pataviensis Epiſcopus in Metropolitana Eccleſia Salisburgenſi Clericos ordinavit, & aſſiſtentibus ſibi Friſingenſi noſtro, Ratisbonenſi & Chiemenſi Epiſcopis electum Archi-Epiſcopum Uladislaum Sacerdotio initiavit. Sequenti vero die Sanctiſſimæ Trinitati Sacra idem Petrus Epiſcopus cooperantibus ſibi mox laudatis Antiſtitibus eundem Uladislaum Epiſcopum conſecravit. Exiſtimamus eum honorem ab Archiepiſcopo fuiſſe, delatum Petro Epiſcopo Pataviensi ex ſingulari gratitudinis titulo, quippe quem Archipræſul olim habuerat ſuæ adoleſcentiæ moderatorem. Certè Uladislaus datis literis publicis conteſtatus eſt, ſe per hoc nolle afferre præjudicium Friſingenſibus Epiſcopis, neque digniorem locum, aut jus conſecrandi Salisburgenſem Archiepiſcopum adimere. Literæ ſic habent:

Absque præjudicio tamen Epiſcopi Friſingenſis.

Nos Udezlaus Dei gratiâ Sancte Salzburgen. Eccleſie Electus, A. S. L. tenore preſentium confitemur & notum facimus preſentium inſpectoribus univerſis, quod recipiendo conſecrationem Epiſcopalem à Venerabili Patre, Domino Petro Patavienſi Epiſcopo non intendimus prejudicium aliquod generare Eccleſie Friſingenſi & Reverendo Patri Domino Ch. ejusdem Epiſcopo ſuper prioritate vel majoritate, ſi quam inter Suffraganeos Eccleſie Salzburgen. de conſuetudine vel de jure circa conſecrationem hujusmodi celebrandam ab eo dinoſcitur rationabiliter optinere. In cujus rei evidentiam preſentes litteras ſigillo noſtro fecimus communiri. Dat. Salzburge. Anno Domini M.CC.LXVII. Indict. X. III. Idus Julii. Exiſtimo vero in hac ultima temporis nota lapſum eſſe librarium, qui loco Menſis Julii debuiſſet ponere Menſem Junium. Archiepiſcopus enim menſe Julio jam non erat merè Electus (ut literæ habent) ſed conſecratus, & quidem die 12. Junii, cum anno 1267. Paſcha inciderit in diem 17. Aprilis, & Feſtum SS. Trinitatis in diem 12. Junii. Itaque 3. Idus, id eſt, die 11. Junii Uladislaus dictas literas exaravit, & poſtera primùm die in Epiſcopum à Petro Pataviensi unctus eſt.

Franc. Pagi Tom. 3. Breviarii Pontificum Roman. pag. 578.

Lis inter Epiſcopum noſtrum & Abbatem Seittenſtettenſem terminatur. N. 91. 92.

Extat in Epiſcopali Tabulario Inſtrumentum quoddam, ex quo aperte conſtat, cauſam ſupra memoratam vertentem inter Epiſcopum noſtrum & Abbatem Seitenſtettenſem fuiſſe per arbitros compoſitam, ita, ut Abbas neutiquam totâ cauſâ ceciderit, ſed inſignia quædam jura Monaſterio conſervârit. Et quoniam Inſtrumentum illud confectum eſt Salisburgi, aliud verò Inſtrumentum præcedenti innixum, datum legimus die 7. Auguſti hujus anni, ſuſpicamur, Inſtrumentum præcedens, in quo arbitrium fusè explicatur, fuiſſe exaratum eo ipſo tempore, quo, ut ſupra vidimus, noſter & Pataviensis Epiſcopus convenêre Salisburgi Menſe Junio. Utrumque Inſtrumentum in Parte altera cum Lectore communicamus.

Agnes Palatina Rheni & Bojariæ Duciſſa integram quamdam familiam per-
N. 93. petuis ſervitiis hujus Cathedralis Eccleſiæ addixit. Inſtrumentum Lector in Parte ſecunda reperiet.

Iis temporibus neque nobilibus, neque ignobilibus Principum aut Sacrorum Præſulum ſubditis permiſſum erat promiſcue contrahere Matrimonia cum Miniſterialibus neque Colonis, alteri Principi aut Domino ſubjectis, niſi id ejusmodi Principes aut Domini conceſſiſſent, ut ſæpè hactenùs vidimus. Inde vero enata fuêre non pauca incommoda, cùm libertas (quam Sacri Doctores ad contrahen-

trahendum Matrimonium necessariam esse omnino censent) ejusmodi lege valdè coarctaretur. Ut hoc incommodum quadantenùs mitigaretur, sæpenumero ac frequenter Principes, Prælati & alii id genus proceres eum vicinis suis Principibus ac Dominis pari consensu convenerunt, ut subditi utriusque partis conjungi liberè possent, eo unico observato, ut liberi ex ejusmodi Matrimonio procreati, prout fieri posset, inter Dominos dividerentur æqualiter. Et talem tractatum etiam inter se iniêre anno 1268. Hartmannus Augustanus, & Conradus noster Frisingensis Episcopi. Imo Conradus eum proprio etiam Cathedrali Collegio idem conclusit, atque morem antiquum renovavit. Clarius res in Instrumentis apparet. N. 94. N. 95.

Mense Majo Episcopus noster Ecclesiam in Simmershausen dedicavit. N. 96.

Mensis Augustus Conradino Suevo tristissimus fuit. Cùm enim is fretus multorum ac potissimùm Romanorum quorumdam civium, aliquarum etiam civitatum auxiliô versus Apuliam movisset, Carolus, Rex Siciliæ à Pontifice institutus, cum exercitu eidem in ipso Divi Bartholomæi festo occurrit, eumque campestri certamine devicit, atque non ita multo post cum aliis quibusdam Principibus in tristem captivitatem redegit. Clemens Papa post trimestre, nempe Mense Novembri exeunte, è vita migravit. Ex quo ipso Scriptores Catholici Pontificem liberant à calumnia de extremo supplicio Conradini, quippe quod is primum sequenti anno Mense Octobri subiturus erat. Conradini captivitas. Obitus Clementis IV.

Hoc anno inter Henricum Bojariæ inferioris Ducem ac Conradum nostrum quæstio mota est, Ducine an Episcopo competeret jus conferendi Ecclesias in Termarskirchen & Hermarskirchen? Dux arbitrio Conjugis suæ Elisabethæ causam decidendam reliquit: quæ statim pro Episcopo contra Maritum pronunciavit; arbitrioque Princeps statim datis Episcopo in horum fidem literis se submisit. N. 97.

§. V.

Fata Ecclesiæ, Romani Imperii, Regum & Principum Germaniæ usque ad annum 1272.

Cardinales numero decem & septem, qui Viterbii (ubi mortuus & sepultus fuerat Clemens IV.) præsentes erant, circa electionem novi Pontificis in tam diversas abiêre sententias, ut ipsa electio inter summas discordias propè in triennium protracta fuerit, à die scilicet 29. Novembris anni 1268. (quo Clemens obiit) usque ad Kalendas Septembris anni 1271. quo demum Gregorius X. in Successorem electus fuit. Causam tantæ dilationis fuisse tradunt, quod unusquisque Cardinalium ad Pontificatum aspiraret, ac cedere alteri nollet. Ita eo tempore, quo Imperium aut biceps, aut Acephalum fuit, etiam Ecclesia capite visibili caruit, grandi rerum deformitate tam in Regno quam in Sacerdotio oborta. Difficultas in electione Pontificis.

Horribilia sunt, quæ anno 1269. secuta fuêre. Conradinus, ultimus è Suevorum Cæsarum, Regum & Ducum familia, quem superiori anno à Carolo Andegavensi prope lacum Fucinum profligatum, è fuga retractum & custodiæ mancipatum fuisse diximus, post novem mensium squallorem Judicum sententiâ eum Friderico cognato Austriæ Duce Neapoli luctuosum spectaculum fuit, capite illo coronando publicè plexus in Urbe Regia, quam majores sui Reges possederant. Truculenta illa sententia duas celebratissimas familias una die extinxit, Suevicam nempe, atque Austriacam, cum Conradinus, ut diximus, Sueviæ: Fridericus Austriæ Ducum ultimus fuerit. Scio, non deesse, qui Caroli facinus cupiant pulchris coloribus depingere. Ast non desunt, qui existiment, crudelitatem illam post annos tredecim stetisse necc Gallorum omnium, quos Carolus in Siciliam miserat, de quo suô locô. Addunt aliqui apud Adelzreitterum, Conradinus decollatur.

„ demeffum Friderici caput ingenti miraculo Deiparæ nomen inclamâffe: areolam, „in qua uterque occubuit, fanguineo circulo divinitus fuiffe circumfcriptam: „quadrum vero, quo ifte orbis fepiebatur, diu, quafi rotantibus lacrimis, illu„ ftriffimis funeribus parentâffe.„ Hæc ille.

Mezger. Duker. Uladislaus Salisb. Archiep. veneno perit.

Aliud funeftum fpectaculum fequenti anno, Chrifti 1270. Salisburgum vidit. Uladislaus Archiepifcopus rebus Ecclefiæ ac Diœcefeos fuæ ubique locorum optimè compofitis in patriam fuam fe contulerat, aditurus hæreditatem à Patre fibi relictam, eamque Salisburgenfi Ecclefiæ pofthac addicturus. Verùm avaritia confanguineorum, qui maluiffent è Divi Ruperti patrimonio opes decerpere, quam Uladislao portionem defignatam cedere, vultu quidem læto, fed poculo trifti exceptus, pro falute miftum potioni venenum haufit. Id ut advertit pius Archipræful, accelerato, quantum potuit, itinere ad Ecclefiam fuam reverfus eft, ubi paulò poft Spiritum cum omnium ingenti luctu placidè emifit, in Bafilica Metropolitana conditus. Succefforem habuit Rudolphum, illuftri ftirpe Hocheneckia in Suevia editum.

S. Ludovicus Rex Galliarum.

Eodem anno ad cœlos migravit S. Ludovicus Galliarum Rex, nobiliffimis inftructionibus filio, filiæque relictis, quas latè Raynaldus commemorat. Hungaria quoque Belæ Regis, fratris S. Elifabethæ, obitum planxit.

Raynald. n. 34. S. Bennonis Reliquiæ è tumulo levantur.

Mifniæ hoc anno offa Divi Bennonis è tumulo fuêre levata, quæ mox ingentibus prodigiis claruerunt. Vinum enim, quo Epifcopus Witigo facras exuvias laverat, omnia morborum genera fanavit. Cafula & Lituus Pontificis, qui eum facro corpore tumulo fuerant illata, poft tot annos vitium non acceperunt, quo utique fignificabatur, Bennonem dignitatem Epifcopalem fanctiffimè gefliffe. De his erit alio loco prolixius agendum propitiis fuperis, cum hoc thefauro nunc gaudeat Bojaria noftra.

Cardinales concluduntur in Conclavi.

Si fas eft infiftere iis, quæ Francifcus Pagius, accuratus rerum à Romanis Pontificibus geftarum Scriptor in Gregorio X. commemorat, fatebimur, à Raynerio Gatto, præfecturam Urbis Viterbienfis, & Albertum de Montebono, Magiftratum gerente, Cardinales tanto tempore difcordes, fuiffe anno 1270. conclufos in conclavi, usque dum concors novi Pontificis electio fequeretur. Id egregiè probat laudatus Pagius ex Viterbienfi Tabulario. „Itaque (ut profequitur Pagius) „Cardinales tandem, qui jam tribus ferè annis inter fe diffentientes fuerant, „ five timore Dei, five pudore fui, aliorumque omnis generis hominum conti„ nuis exhortationibus, precibus, querelis, fortè & minis commoniti, feu, ut „ quidam ajunt, diminutione alimentorum, per viam compromiffi, in fex Car„ dinales facti, fuadente maxime Sancto Bonaventura Ordinis Minorum Generali „ Magiftro - - - Kalendis Septembris, anni Millefimi ducentefimi Septua„ gefimi primi in Pontificem renunciârunt Thealdum Viee-Comitem Placenti„ num, Archidiaconum Leodienfem &c. qui è Syria accerfitus fequenti anno Gre„ gorii X. nomen affumpfit, Romæ confecratus & coronatus.

Eligitur Gregorius X.

Patres Dominicani Landishuti.

Eodem anno, Chrifti 1271. tefte Hundio, Henricus Dux inferioris Bavariæ, frater Ludovici Ducis, Patres Ordinis Prædicatorum Landishutum recepit. Retulit nobis quidam hujus Inftituti Vir clariffimus, id accidiffe die 10. Augufti, Divo Laurentio facra. Fundationem verò præcipuè Illuftri Familiæ Fraunbergicæ effe ferendam in acceptis. Hoc ipfo anno Richardus Anglus, circa Germaniæ Regnum Rivalis Alphonfi Hifpani, è vita migravit. Alphonfum fceptrum Germaniæ, quod nunquam obtinuerat, Electoribus alteri tradendum reliquiffe perperam quidam fcribunt, ut infra videbimus. His ita Lectori ob oculos compendiò pofitis, ad Conradum Epifcopum noftrum revertimur.

Iterum vacat Imperium.

§. VI.

§. VI.

Acta Conradi Episcopi Annis supra relatis.

INter hæc primò locò ad annum Christi 1269. occurrit novum exemplum transumendi literas ac Instrumenta Antiqua publica fide. Id contigit 13. Septembris ejus anni: quo Fridericus Præpositus, Otto Decanus, totumque Collegium Frisingensis Ecclesiæ Conrado Abbati in Weihenstephan, ejusque Conventui: Conventus item Novæ Cellæ absente Præposito: S. Andreæ & S. Viti Ecclesiarum Decanis & Capitulis exhibuêre literas salvas & incorruptas Militum, id est, nobilium fratrum Wernheri, Conradi & Jacobi de Lok, id est, Lacopolitanorum anno Christi 1262. signatas sigillis Conradi Purchgravii de Luenz, Magistri Henrici Notarii Curiæ Frisingensis, & ipsius Wernheri Militis, quibus luculenter testati fuêre iidem fratres, quod ipsi neque coram Duce Carinthiæ, neque alibi unquam jactitarint, Castrum Lock, seu ut hodie vocamus, Lack, vel sibi, vel progenitoribus suis fuisse feudi nomine concessum, neque alia quædam jura sibi arrogare aut velle, aut posse. Transumptæ literæ fuêre munitæ sigillis Abbatis & Conventûs in Weihenstephan, uti & reliquorum Capitulorum, quibus autographum fuerat exhibitum. De his Lector partem operis secundam consulet. Sanè istis literis Episcopus facile convicit supradictum Conradum, ejusque hæredes, qui sibi quædam jura venandi ac similia arrogaverant. Nihilo tamen minus posthac Episcopus noster Seniori hæredum ultrò quasdam Aucupii & alias facultates scriptô concessit 6. Idus Octobris anno 1269. Dolendum est, has posteriores literas vetustate fuisse detritas, nec totas posse legi. Quod idem dicendum de aliis literis; ex quibus saltem illud ceu rem certam eruimus, Episcopum nostrum eo mense moratum fuisse Lacopoli, ubi etiam lites quasdam alias composuit. Inde vero secessisse Inticam docemur ex Instrumento, quo contentiones quædam, quæ inter ipsum & Henricum Welfsberg intercesserant, fuêre sopitæ. Literas in Parte altera reponimus. Mense Novembri etiam Wernhardus Comes de Leonberch publicis literis testatum fecit, sibi in certis prædiis ad Collegium Cathedrale pertinentibus nihil competere nisi jus Advocatiæ seu defensionis. damus literas in altera Parte.

Exemplum novum transumendi Instrumenta. *N. 98.* *Episcopus noster Lacopoli.* *N. 99. 100. 101.* *N. 102.*

Ex actis postea secutis intelligimus Conradum Episcopum annum Christi 1270. magnam partem in Austria & vicinis Provinciis exegisse. Primo enim die Februarii Viennæ cum subditis quibusdam Lacopolitanis concordiam sancivit. Die 3. ejusdem Mensis confirmationem quorumdam privilegiorum ab Ottocaro ibidem obtinuit: uti etiam die præcedenti eidem Ottocharo Regi feuda, quæ ex Morte Ulrici Carinthiæ Ducis anno superiori juxta Megiserum defuncti erant aperta, contulit. Juvat literas Ottokari his inserere.

N. 103. *Episcopus noster in Austria.* *N. 104.* *N. 105.*

Nos Ottakarus Dei gratiâ Bohemie Rex, Dux Austrie, Styrie & Karinthie, Marchio Moravie, Dominus Carniole & Marchie universis notum facimus tam presentibus quam futuris, quod Reverendus in Christo Pater & Dominus Chunr. Ven. Frisingñ. Ecclesie Episcopus universa feoda, que sibi & Ecclesie Frisingñ. vacare ceperunt per mortem Domini Ulrici Karissimi Avunculi nostri bone memorie, quondam illustris Ducis Karinth. & Domini Carniole & Marchie nobis & heredibus nostris in perpetuum feodali tytulo contulit possidenda, consideratione provida considerans & attendens defensionis & commoditatis fructum, que à nobis vel nostris heredibus sibi & Ecclesie Frisingensi in futurum poterunt pervenire. Nos vero versa vice universa jura & libertates Ecclesie Frisingñ. in aliis & hiis prediis ad ipsam Ecclesiam pertinentibus eidem Domino Episcopo & suis Successoribus integraliter promisimus observare. In cujus rei testimonium & ad perpetuam memoriam prefato Domino Episcopo & suis Successoribus dedimus

Conradus Ep. quædam feuda confert Ottokaro Regi.

Teſtibus graviſſimis. *mus preſentem paginam ſigillorum noſtrorum munimine roboratam, Teſtibus, qui aderant ſubnotatis, qui ſunt Ven. in Chriſto Patres & Domini Perhtoldus Babenbergenſis, Petrus Patavien. Theodricus Gurzen. Bruno Olomucn. Eccleſiarum Epiſcopi. Menhardus & Albertus fratres Comites Guricie & Tyroln. Fredericus Comes de Ortenberch, Ulricus Comes de Sternberch, Pernhardus & Hainricus Comites de Phannenberch, Otto Comes de Orlamunde, Guntherus Comes de Schwarzenburch, Heinricus Comes de Hardeke. de Bohem. Zmilo de Prumowe, Ulricus de Nova domo, Babarus de Straconiz, Ulricus de Turtenholz, Burchardus de Chlingenberch, Marſcalcus Bohm. de Moraň. Hartliebus Camerarius, Riznata Dapifer. de Auſtria, Otto Camerarius de Perchtolſtorf, Otto de Hazlaw, Fridericus de Lengenpach, Heinricus de Hawenvelt, Rapoto de Valchenberch, Radolfus de Wechingen. de Styria, Ulricus de Leibtenſtain & Otto filius ſuus. de Karinthia, Wilhelmus de Chrech, Cyzlo Piucerna Karinthie, Otto de Vochenmarh, & alii quam plures fide digni. Actum & datum Wienne anno Domini Milleſimo CC.LXX. IIII. Non. Februarii.*

Ottokarus & Conradus noſter certant mutuâ benevolentiâ. Ex his pluribusque aliis hactenus recitatis literis fit ulterius perſpicuum, Bohemiæ Regem, ceu Auſtriæ Ducem ac Epiſcopum noſtrum certâſſe quodammodo, uter alterum magis ſibi devincire poſſet: Sanè Ottokarus non ita multo poſt, nempe menſe Aprili novam Epiſcopo gratiam fecit, ac certam annuam penſionem avenæ eidem in perpetuum remiſit datis ſequentibus literis:

Nova Ottokari gratia. *Nos Ottakarus Dei gratiâ Bohemie Rex, Dux Auſtrie, Styrie & Karinthie, Marchio Moravie, Dominus Carniole, Marchie, Egre, ac Portûs Naonis notum facimus univerſis, tam preſentibus quam futuris, quod propter grata & fidelia, que Reverendus in Chriſto Pater Dominus Chunradus venerabilis Friſingenſis Epiſcopus, amicus noſter Kariſſimus nobis ſepiùs impendit obſequia, ejus precibus inclinati, omnem avenam, que vulgariter Marichfuter dicitur, que de prediis Friſingenſis Eccleſie in Udmarvelt, Waidhoven & Holnſtain nobis ad noſtra granaria debebat dari, annis ſingulis de ſpeciali gratia eidem Domino Epiſcopo, & ejus Succeſſoribus in perpetuum harum teſtimonio duximus relaxandam. Volentes pariter & mandantes, ut nullus Procuratorum, Judicum, vel Officialium, qui pro tempore in terra ſuperioris, vel inferioris Auſtrie, vel alibi noſtro nomine fuerint de cetero hujusmodi avenam ſive Marichfuter à memorato Domino Epiſcopo, vel à dictorum prediorum Officialibus exigat vel requirat. Ne vero hujusmodi gratia vel traditio ſepe dicto Domino Epiſcopo aut ejus Succeſſoribus per nos propter fidei ſue merita liberaliter & favorabiliter facta poſſit à nobis & noſtris heredibus, vel ab aliis impoſterum revocari, in perennem memoriam preſentem paginam eidem Domino Epiſcopo & Succeſſoribus ſuis tradidimus noſtrorum pendentium ſigillorum munimine roboratam. Actum & datum apud Brunnam, anno Domini M.CC.LXX. Sexto Kaln. Maji.*

Caſtrum Randek incipit vacare: inde lis. Circa idem tempus Caſtrum Randek cum aliis feudis poſt mortem Beneficiarii ad Eccleſiam Friſingenſem redîerat: & tamen uxor defuncti Caſtrum illud cum prædiis Epiſcopo cedere nolebat. Id Epiſcopus noſter expoſuit Ottokaro Regi: qui ſtatim ad Comitem de Hardekke ſequentes literas dedit.

Quam Epiſcopus nunciat Regi. Rex jubet inquiri. *O. Dei gratiâ Rex Bohemie, Dux Auſtrie ac Styrie & Marchio Moravie dilecto ſibi H. nobili Comiti de Hardekke ſalutem cum plenitudine omnis boni. Reverendus in Chriſto Pater & amicus noſter venerabilis Epiſcopus Friſingenſis nobis ſuâ querimoniâ demonſtravit, quod vidua quondam Reinſpergarii cum ejus amicis Caſtrum in Randekke, quod cum ejus omnibus attinenciis & aliis poſſeſſionibus dictus Reinſpergarius in feodum tenuit ab Eccleſia Friſingenſi, ſibi contra juſticiam vendicet & uſurpet, vobis in hac parte committimus vices noſtras mandantes firmiter & diſtricte, quatenus ſi vobis per legittima documenta conſtiterit, quod dictum Caſtrum cum ejus attinenciis & poſſeſſionibus antedictis poſt obitum dicti Reinſpergarii ſit ad eandem Friſingenſem Eccleſiam juris ordine devolutum, memoratum Dominum Epiſcopum in adepta, ſive in adipiſcenda dicti Caſtri & dictorum prediorum poſſeſſione manutenere atque defendere mediante juſticia ſtudeatis, & quicquid poſt obitum Reinſpergarii prefata vidua colonis*

ipſorum

ipsorum prediorum violencie intulerit, hoc per vestram sentenciam & defensionem emendari & restitui faciatis. Datum aput Znoym pridie Idus Junii.

Nihilominus posteà causæ decisio Abbati Mellicensi commissa est, ut ex sequentibus intelligimus. Abbati Mellicensi injungitur decisio.

Viro discreto & amico speciali S. Serenissimi Domini Regis Bohemie Scribe * per Austriam, Or.* miseratione divina Abbas Monasterii Medlicensis sinceram in Domino voluntatem. Noveritis, quod cum nos ex mandato Domini nostri Serenissimi Regis Bohemie presideremus ad cognoscendum in causa, que vertitur inter Dominum Ch. venerabilem Episcopum Frisingensem ex una parte, & Dominam Al. viduam quondam Eng. de Remsperch ex altera, super castro in Randekke & possessionibus attinentibus eidem, prefata vidua, coram nobis die sibi prefixo nolente comparere predictus Episcopus Frisingensis per sententiam obtinuit coram nobis ex relatione & testimonio de vicinia meliorum, quod predictum Castrum in Randekke & possessiones attinentes eidem cum omnibus aliis feodis, que dictus Eng. tenuit ab Ecclesia Frisingensi, sint ad eandem Ecclesiam Frisingensem devolute. Unde cum prefatus Dominus Rex nobis dederit suis literis in mandatis, ut eandem sententiam vobis destinaremus nostris scriptis, presentem paginam vice sententie vobis duximus destinandam cum universis nominibus testium, qui super hujusmodi negotio jurati, & vice sacramenti testimonium perhibuerunt coram nobis. Testes autem sunt hii, Marquardus de Zinzindorf, Ekk. de Vihdorf, Otto de Tesenix, Otto dictus Hesib, Rudgerus de Lohe, Jubart de Perwinstorf, Heinr. de Lubsenib, Dietricus de Prant, Leup. dictus Varel, Eberlo de Winsperch, & alii quam plures de vicinia fide digni. Datum & actum apud Ecclesiam in Tbs, anno Domini M.CC.LXX. proximâ tertiâ feriâ ante festum beate Margarete.*

* Sidelino.
* Nempe Cancellario.
* Ortolphus.

Hanc Ortolphi Abbatis sententiam mox ratam habuit Ottokarus, & suo per Austriam Cancellario in hæc verba rescripsit.

Otakarus Dei gratiâ Rex Bohemie, Dux Austrie, Styrie & Karinthie, Marchio Moravie, Dominus Carniole & Marchie, Sidelino Scribe per Austriam graciam suam & omne bonum. Cum dilectus Amicus noster Dominus Chunradus venerabilis Episcopus Frisingensis Castrum in Randeke cum suis attinenciis & possessionibus spectantibus ad illud obtinuerit per sentenciam coram Abbate Medlicensi auditore à nobis super illo negotio Deputato, licet tibi prius super hoc direxerimus scripta nostra, iteratò injungimus tibi firmiter, & mandamus, quatenus predictam sentenciam, quam dictus Abbas tibi in suis literis declaravit, mandare non differas execucioni, inducens auctoritate nostra predictum Episcopum vel procuratorem ipsius in corporalem possessionem bonorum eorundem, ipsumque inductum contra omnes rebelles pro viribus in jure suo manuteneas, & defendas.

Eodem Mense Julio vergente Ulrico Schrabaz famulo nobilium de Hertenberch alapa Frisingensis Ecclesiæ subdito inflicta carò stetit. Non erit injucundum legere Instrumentum desuper erectum in hæc verba. Pœna alapæ inflictæ.

Nos Gerlochus & Fridericus Fratres de Hertenberch presentibus profitemur & scire volumus universos presentium notitiam habituros, quod nos pro alapa, quam Ulricus dictus Schrabaz famulus noster in foro Lok dedit homini Ecclesie Frisingensi ad manus Magistri Heinrici Scribe Kar. Carni. & Marchie fide data promisimus exhibere satisfactionem debitam & condignam. Et ut hoc promissum finaliter compleamus operis per effectum, & ne etiam deinceps occasione hujusmodi excessus universis hominibus vel alicui hominum dicte Ecclesie per nos vel per nostros homines dampnum seu gravamen aliquod inferatur, ecce universa bona, qua G. Pater noster, pie memorie Domino Ch. quondam Episcopo Frisingensi propter quosdam excessus, quos contra eum fecerat, liberè resignarat, & ab ipsius manibus in feodum recepisse dinoscitur, denuo pro emenda auctoritate presentium taliter obligamus, videlicet, ut si, prout superius expressimus, per nos, vel per nostros dampnum aliquod inferatur hominibus Ecclesie supradicte, eadem feoda ipso facto vacantia ad manus prelibati Domini Episcopi vel suorum Successorum sint liberè devoluta. In hujus rei perennem memoriam presentes con-

conscribi fecimus, & nostri sigilli munimine roborari, Testibus presentibus subnotatis, videlicet, Dominis Ortolfo de Pfebe, Griffone de Reutenberch; Ulrico & Chunrado de Waldenberch Militibus. Lienhardo & Georio de Gutenberch, Minhardo de Hohenowe, Wilhalmo, Engelberto & Hiltprando Notar. & aliis quam pluribus fide dignis. Datum in Lok, anno Domini M.CC.LXX. proximo die Dominico post festum beati Jacobi Apostoli.

Apud P. Bern. Pez. Anecdot. T. 3. part. 3. col. 278. Ad hunc eundem annum Arembekius hæc de Episcopo nostro annotavit: *Conradus Comes Silvester Frisingensis Episcopus Nonis Augusti Hospitale S. Spiritûs in Landshut exemit, & à Matrice divisit, ac privilegiis ditavit.*

Præsentatio & Institutio in Eccl. Herrantstein. Die 26. Mensis Novembris Petrus Pataviensis Episcopus ad præsentationem Episcopi nostri Magistro Ulrico, Pataviensi Canonico Ecclesiam in Herrantstain contulit datis literis sequentibus.

Nos Petrus Dei gratiâ Ecclesie Pataviensis Episcopus scire volumus presentium quoslibet inspectores, quod cum in causa, que inter nobilem Dominam Offemiam de Pottendorf & heredes ejus ad Fridericum Clericum ex una parte, & Reverendum in Christo Patrem Dominum Ch. Frisingensem Episcopum & Magistrum Ulr. Illustris Regis Bohemie Prothonotarium Ecclesie nostre Canonicum ex altera super Ecclesia in Herrantstein vertebatur, dilecto in Christo fratri F. Abbati Gerstensi commisimus vices nostras, idemque Abbas in causa eadem ritè processerit & canonicè, ac diffinitivam sententiam pro Reverendo in Christo Patre Frisingensi Episcopo ac Magistro Ulrico supra dictis tulerit juris ordine observato, Nos processum hujusmodi de prudentum Virorum consilio & precipue venerabilis in Christo Patris Domini W. Seccoviensis Episcopi, tunc Pataviensis Decanum, examinatum diligentius approbantes, predictam sententiam confirmavimus, & tenore presentium confirmamus ad sepedicti Frisingensis Episcopi ejusdem Ecclesie Patroni presentationem Canonicam predicto Magistro Ulrico Ecclesiam in Herrantstain predictam jure ordinario conferendo, & ipsum mittendo per dilectum in Christo Rudlibum in Spangberch Decanum in possessionem illius tanquam Pastorem legittimum corporalem. In cujus rei testimonium presentes literas sigillo nostro ipsi Magistro Ulr. dedimus communitas presentibus testibus Domino W. Ven. Episcopo Seccoviensi, tunc Pataviensi Decano, Domino Ditrico Decano Meldicñ. Alberto Scriba nostro, Heinrico Scriba de Wieñ. Wernbardo Notario Chunrado Plebano de Grillenberch, Ottone, Hainrico, Chunrado Laicis & aliis fide dignis. Datum in Wienne anno Domini M.CC.LXX. VII. Kaln Novembris.

Sequenti anno, Christi 1271. per Episcopos ac Religiosos Viros compositum fuit gravissimum bellum inter Ottokarum Bohemiæ, & Stephanum Hungariæ Reges, quod pluribus abhinc annis eorum arma passim exercuerat. Inter præcipuas pacis leges constitutum est, ut Styria, Carinthia, Carniola deinceps Sceptro Bohemiæ subessent: & Episcopis quibusdam munus demandatum est, ut nascituras fortè controversias dirimerent, ac pacis violatores, qua armis, qua censuris Ecclesiasticis coërcerent. Id totum discimus ex literis utriusque

Ad ann. 1271. num. 27. Regis, quas Raynaldus integras recitat; ubi legimus, inter supradictos Episcopos etiam fuisse Conradum nostrum. Sic enim ibi inter alia habetur. *Praterea, ut multiplicatus funiculus pacem faciat pleniorem, Venerabiles Patres Electus Salzeburgensis, Pataviensis, Frisingensis, Ratisponensis, Pragensis, Olomucensis, & Seccowiensis Episcopi Regni terrarumque nostrarum juraverunt pacem præsentem inter ipsum Regem* (Stephanum) *& nos* (Ottokarum) *ordinatam tenere ac servare, & nos inducere juxta promissionis à se factæ formam, ad eandem mutuo observandam, & tenendum ea, qua in præsentiarum promisimus, & promittimus, spopondimus & spondemus, sicut in ipsorum literis plenius continetur. Promiserunt etiam, quod, si nos, quod absit, pacem infringere contingeret, vel ea, qua in præsens placitum sunt deducta, iidem Salzeburgensis Electus, & Episcopi nominati, Regnique nostri Barones non deserent, & Regi Hungariæ adherebunt ex debito præstiti juramenti. Verum si Regem Ungariæ pacem, vel ea, qua in placitum devenerunt infrin-*

infringere contigerit, vel turbare, Archiepiscopi & Episcopi Regni sui & Barones ac Comites iidem juxta formam præsentis compositionis & ordinationis eum deserent, & nobis adhærebunt similiter ex debito præstiti juramenti, sicut in ipsorum patentibus literis continetur. Item Electus Salisburgensis, & Venerabiles Patres Pataviensis, Frisingensis, Ratisbonensis, Pragensis, Olomucensis, Seccoviensis Episcopi de nostra & Baronum nostrorum voluntate ex nunc sententiam excommunicationis promulgârunt; quam, si nos, quod absit, pacem transgredi contigerit, ipso facto incurremus, & nihilominus iidem Electus & Episcopi totum Regnum, terrasque nostras Ecclesiastico subjicient in suis Diœcesibus Interdicto, non obstantibus literis seu indulgentiis impetratis, vel imposterum impetrandis. Archiepiscopus etiam Strigoniensis &c. Datum & actum Pragæ anno Domini M.CC.LXXI. prid. Idus Julii.

Qui hæc attentè legerint, atque adverterint Episcopos Frisingensem atque Ratisbonensem medio Mense Julio hujus anni ceu pacis supra recensitæ conciliatores Pragæ extitisse, mirari non desinent, cur Præsules isti à quodam Scriptore Boico tam dirè vapulent, velut *galeati Episcopi in mutuam suam suorumque clientum cædem sævientes cum pudendo istius evi dedecore!* Qua enim ratione duo *feroces & ferrô flammaque mutuo grassantes Episcopi* ad concordiam inter Bohemos atque Hungaros constituendam, Pragam fuissent ab Ottokaro evocati, quibus non vacabat à mutuis cædibus atque concussionibus abstinere? Sanius itaque sentiunt, qui opinantur, non ipsos Episcopos, sed Episcoporum duntaxat clientes, seu Ministros ac Subditos inter se fuisse collisos, & in perniciem mutuam tam atrociter sæviisse. Pacem inter utramque Partem Ludovicus Severus, Bojariæ Dux Wasserburgi constituit die Divo Martino sacra, datis literis, in modum sequentem scriptis: ex quo opinio nostra non modicum habebit suffragium.

Concordia inter subditos Episcoporum Frisingensis & Ratisbon. *Vid. Lib. 5. Tradit. fol. 134. a.*

Nos Heinricus Dei gratiâ Comes Palatinus Reni, Dux Bawarie universis presentia inspecturis volumus esse notum, quòd vidimus litteras super compositione inter Reverendos Patres Venerabiles Episcopos Frisingensem & Ratisponensem confectas mediante arbitrio fratris nostri Karissimi L. illustris Comitis Palatini Reni Ducis Bawarie, salvas per omnia in hec verba. Nos Ludwicus Dei gracia Comes Palatinus Reni Dux Bawarie constare volumus presencium inspectoribus universis, quod cùm Reverendi in Christo Patres Dominus Chunradus Frisingensis, & Dominus Leo Ratisponensis Ecclesiarum Episcopi super diversis dissensionum articulis, dampnis, incendiis, rapinis, captivacionibus, depecuniacionibus, homicidiis, & aliis multis malis inter homines eorundem jam dudum exortis, uterque ipsorum pro se, & pro Ecclesia sua, hominibus & servitoribus suis in nos, tamquam in arbitrum seu arbitratorem, vel amicabilem compositorem finaliter compromisissent, prout in litteris sub sigillis eorundem Episcoporum super hoc confectis lucidius continetur, Nos cum quibusdam Ministerialibus utriusque Ecclesie nobis ad hoc deputatis, habito consilio saniori primo & principaliter pro communi predictarum Ecclesiarum commodo & quiete taliter duximus arbitrandum, ut homines & servitores partis utriusque inter se vicissim & mutuo pro universis commissis & perpetratis hinc inde ad pacis & amicicie redeant unionem, evacuatis fidejussionibus & promissis, ex quibus racione precedencium exactionum alter alteri dici poterat aliquatenus obligatus filiis Ulrici Holzhousarii interfecti, & Rutlibo fratre ipsius R. pro se & pro suis attinentibus, in quantum potuerint, sine dolo eum Albardo de Vrawnhoven, suisque servitoribus & complicibus per pacis osculum ad amiciciam inviolabilem reformatis. Sanè, ut pro morte predicti Ulrici Holzhousarii aliqua satisfactio prestetur & emenda, arbitrando decrevimus, quod Dominus Leo Ratisponensis Episcopus curiam in Seboenbach cum suis attinenciis absolvat ab Albardo de Vrawnhoven, ipsamque pro emenda conferat Liebhardo dicto Chlechel titulo feodali, quod si facere non potuerit, viginti libras Ratisponenses solvet eidem Liebhardo ante festum Purificacionis proximè nunc venturum, Sifrido dicto de Rotenbach, & Heinrico dicto Oberndorf, etiam super hoc fidejussionibus deputatis. Adhec arbitrando pronunciavimus, ut uterque Episcoporum de omni dampno, quod in propriis curiis villicalibus, aliisque prediis, bu(o)bis, & cola-

niis sustinuerit per homines alterius Episcopi, respondeat querelantibus & emendet, exceptis, ut vulgariter loquamur, Seldeneriis, de quorum dampnis Dominis eorundem, quos ratione persone respiciunt, respondebitur per eum Episcopum, cujus homines ipsos rapinis vel incendiis offenderunt. Preterea cum Ecclesia Frisingensis per homines Ratisponensis Ecclesie rapinis & incendiis immoderatè dampnum sustinuerit circumquaque, deliberato consilio super hoc taliter fuimus arbitrati, ut Dominus Ratisponensis Episcopus nomine satisfactionis & emende quadringentas libras Monacensium denariorum nomine Ratisponensis Ecclesie persolvere debeat Episcopo & Ecclesie Frisingensi juxta formam subnotatam. Deputabit enim Dominus Ratisponensis Episcopus Ecclesie Frisingensi de possessionibus in Neuchingen circa officium Hohenburch ad Episcopatum Ratisponensem pertinentibus ad quinquaginta libras Monacenses in proventibus annuatim, quos proventus Frisingensis Episcopus tamdiu recipiet singulis annis, & in sortem computabit, donec de Summa quadringentarum librarum eidem plenariè fuerit satisfactum. Modius autem Monacensis mensure tritici vel siguli pro una libra Monacensi, modius autem ordei vel avene pro dimidia libra computabitur, porcis, denariis, & minutis proventibus circa communem modum & consuetum in debito resecandis. Si verò aliquo annorum sterilitas, grando, violentia, vel alius defectus supervenerit prediis deputatis, hujusmodi dampnum emendabitur Frisingensi Ecclesie per proventus annorum, qui sequentur, neutro Episcoporum exigente aliquam extraordinariam exactionem in prediis memoratis, quamdiu predicta Summa quadringentarum librarum plenius non fuerit evacuata, jure instituendi, & destituendi in propriis prediis Domino Ratisponensi Episcopo integraliter reservato. Adhec arbitrando decrevimus, quod si prefatus Episcopus Ratisponensis dicto Frisingensi Episcopo vel suis procuratoribus prelibatas possessiones ad quinquaginta libras annuatim ante instans Purificacionis festum octo diebus non curaverit assignare, aut assignatas sub sigilli sui, & Capituli Ratisponensis, & Advocati earundem possessionum, si quispiam fuerit, noluerit vel non potuerit confirmare, ex tunc, id est, octo diebus ante festum Purificacionis Ulricus de Dornberch ViceDominus & Canonicus Ratisponensis, Ulricus de Punnchoven, & Heinricus de Mosdorf Milites, & Albardus de Vraunhoven fidejussores, prout in manus sepe dicti Domini Frisingensis Episcopi & nostras fide data vice Saeramenti promiserunt, aput Lantshu(o)t intrabunt obstagium, inde nullatenus exituri, donec premissa singula compleantur modo debito, sicut decet. In hujus itaque nostri arbitrii seu promulgacionis robur & perpetuam firmitatem placuit partibus presentem cedulam suorum & nostri sigillorum munimine roborari. Acta sunt hec apud Wazzerburch anno Domini Millesimo CC.LXX. in die beati Martini, presentibus testibus subnotatis, Enichone Sancti Andree, & Heinrico Mosburgensis Ecclesiarum Prepositis. Ulrico de Dornberch, Chunrado de Lupp(o)ch Ecclesie Ratisponensis Canonicis, G. de Velben, H. de Preysingen, Fr. de Vreuntsperch, Chunrado de Haldenberch, O. de Waldekke, Al. Schilwaz, C. & G. fratribus de Haslang, Ulrico de Mosen, G. dicto Waller, Binaldo de Eja, H. de Porta, L. de Pu(o)telpach, S. Dapifero & aliis pluribus fide dignis. Nos igitur, quantum ad nos pertinet de jure Advocacie in possessionibus per Dominum Ratisponensem Episcopum Frisingensi Episcopo assignatis, in signum nostri consensus & ratihabicionis hujusmodi arbitrii presentes litteras sigilli nostri robore placuit communiri. Datum.

Perpensis hisce Henrici Ducis literis attentus Lector advertet, rixas illas non tam ad Episcopos, quam ad Episcoporum Ministros atque colonos esse referendas: quod tantò est verosimilius, quod constet, Conradum Episcopum superiorem annum in Austria vicinisque provinciis exegisse, & hoc etiam anno die 26. Januarii fuisse constitutum Waidhovii in Austria, & adhuc Mense Julio in Ottokari provinciis perstitisse. hoc ultimum mox vidimus. primum verò constat
N. 106. ex literis locationis, Waidhovii die prædicta datis, quas in altera Parte recitamus.

Mona-

Monachii eodem anno Capella Divæ Virginis facta est Parochialis Ecclesia, die 24. Novembris à Conrado Episcopo nostro consecrata, uti ex Hundio discimus. Bene addunt Fasti Wessofontani, id datum fuisse precibus civium Monacensium. Gregorius X. sequenti Mense Martio factum probavit. Damus ex Archivo Basilicæ S. Petri Monachii literas ea super re à Conrado & Gregorio X. scriptas. Primæ sic habent. Ecclesia B. V. Monachii fit Parochialis. Tom. 2. pag. 479.

Conradus Dei gratiâ Ecclesiæ Frisingensis Episcopus Universis Christi fidelibus, ad quos pervenerit præsens scriptum, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Licet à Sanctis Patribus Provinciarum, Diœcesium & Parochiarum termini ab antiquo sint distincti, certi tamen sunt casus & ab eisdem Sanctis Patribus in Sacris Canonibus expressi, ex quibus vel propter quos unio & divisio prædictorum est suis Superioribus reservata. Nec est mirum vel reprehensibile judicandum, si secundum varietatem temporum status Ecclesiarum aliquotiens variatur: præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit. Cum igitur populus baptismalis Ecclesiæ S. Petri in Monaco adeò per Dei gratiam excreverit in immensum, quod unius Pastoris regimine sine periculo animarum difficulter valeat gubernari. Cujus insuper Ecclesiæ Cimiterium adeo positum est in angusto, quod etiam non sufficiat tumulandis corporibus mortuorum. Nos deliberatione provida, piaque contemplatione devotis precibus dictæ plebis annuentes, requisito super hoc etiam habito Capituli nostri consilio & consensu præfatam Ecclesiam S. Petri cum plebe sua in duas baptismales Ecclesias pro communi utilitate civium duximus dividendam, juxta terminos plebis decimarum pro dotis bonorum Virorum arbitrio distinguendos. Ita ut Ecclesia S. Mariæ, quæ hucusque simplex Capella exstitit in Monaco, legitimum cum omni jure parochiali de cætero residentem Rectorem habeat, quemadmodum Ecclesia S. Petri hucusque habuit, distinctamque & perpetuam tanquam Matrix Ecclesia sepulturam. Proviso, quod utraque Ecclesia & S. Mariæ & S. Petri debitis & assignatis terminis, plebis, dotis, decimarum sit contenta. adjicientes, ut uterque Rectorum tam in Ecclesia S. Mariæ, quam in Ecclesia S. Petri residentiam & hospitalitatem servent pro sua modulo facultatis duos secum socios habeat Sacerdotes, qui cum ipso curam plebis peragant, & doctorem puerorum, dummodo proventus & obventiones cujuscunque Ecclesiæ ad prædictorum sufficere valeant honestam sustentationem. Ad hæc pro nobis & Successoribus nostris promittimus, prædictas duas baptismales Ecclesias de cætero non uniri, & ad manus unius personæ aliquatenus non devolvi. Populum insuper, qui de novo Ecclesiæ S. Mariæ subjicitur, tanquam Ecclesiæ baptismali, ab omni observatione & obedientia, qua tenebatur Ecclesiæ S. Petri suoque Rectori, auctoritate præsentium duximus absolvendum, subjiciendo eum proprio & legitimo Sacerdoti, cui ad subjectionem & obedientiam tenebitur, tanquam vero suo animarum Provisori. Ut autem præmissa à nobis & à nostris Successoribus permaneant inconvulsa, Nos ad hujus facti robur perenne & perpetuam firmitatem præsentem cedulam ad petitionem Universitatis civium in Monaco transcribi jussimus & nostri & Capituli Frisingensis sigillorum munimine roborari. Datum & actum apud Monacum anno Domini Millesimo ducentesimo septuagesimo primo, octavo Kal. Decembris.

Gregorii vero Papæ decimi literæ sunt sequentis tenoris.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Episcopo Frisingensi Salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm à nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod cùm populus oppidi de Monaco tua Diœcesis, qui Parochiali Ecclesiæ S. Petri ejusdem oppidi duntaxat tunc temporis existebant, adeò per Dei gratiam excrevissent, quod per unum solum Rectorem, per quem eadem Ecclesia regebatur, eis non poterant commodè Sacramenta ecclesiastica exhiberi, Tu ad quem libera collatio ipsius Ecclesiæ pertinet, ad prædictorum Parochianorum supplicationem provida deliberatione præhabita Parochiam ejusdem Ecclesiæ in duas dividens Ecclesiam S. Mariæ prædicti Confirmatio Pontificia.

 oppi-

oppidi, quæ tunc Capella erat, & Parochiam aliquam non habebat, auctoritate ordinaria Parochialem Ecclesiam ordinâsti, statuens, ut deinceps utraque Parochiarum prædictarum proprium Rectorem habeat, quemadmodum habet Ecclesia eadem S. Petri. Ad id Rectoris ejus & Capituli Frisingensis assensu nihilominus accedente, prout in patentibus literis inde confectis tuo & Frisingensis Capituli sigillis signatis plenius dicitur contineri. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc providè factum est, & in alicujus præjudicium non redundat, ratum & gratum habentes id auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis confringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & B.B. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Urbem Veterem IIII. Kal. Aprilis, Pontificatûs nostri annô secundô.

Patres Ordinis Prædicatorum hoc anno Landishutum fuisse introductos Adelzreitterus eum Hundio commemorat. De his nos supra. Die 19. Martii
Prædia & potestas judiciaria in Pugenhausen & Vering superiori cedunt Episcopo nostro. sequentis anni Ludovicus Dux prædia quædam in Pugenhausen & superiori Vering, nec non potestatem judiciariam in dicto Pugenhausen eessit Episcopo nostro, qui vicissim Duci prædia quædam in Chircheim, & Sleispach, quæ Episcopus eousque pignoris loco possederat, aliasque obligationes dimisit. Libertas tamen relicta fuit Successoribus Episcopis, tractatum illum revocandi. Eodem die Episcopus noster ab eodem Duce obtinuisse videtur defensionem Ecclesiæ in eodem Pugenhausen. Quid intuitu ejusdem traditionis Episcopus Duci rependere debe-
N. 107. ret, arbitrio quorumdam nobilium relictum est. Sanè quid ii pronunciârint,
N. 108. Jurisdictio in Ismaning. hactenùs nobis incompertum manet. Postea mense Novembri idem Dux judiciariam potestatem etiam in Ismaningen in perpetuum Episcopo nostro cessit. Qui
N. 109. minimè ingratus sequenti statim die universa feuda, quæ per mortem Nobilium Virorum Comitum de Niwenburch ad Ecclesiam Frisingensem fuerant devoluta, Duci concessit, certis quibusdam conditionibus adjectis, quas ex Instrumento in
N. 110. Parte altera producendo Lector intelliget. Albertus de Ceyselberch eo anno
N. 111. cautionem fecit Episcopo nostro, suos Colonos imposterum nullum damnum Ecclesiæ Frisingensi esse irrogaturos. Ad eundem annum videtur pertinere In-
N. 112. strumentum Tysonis Junioris, quo se Clientem esse profitetur Ecclesiæ Frisingensis.

Video alicubi notatum fuisse, eo anno Episcopum Conradum à Præposito Schefftlariensi obtinuisse Molendinum in Ismaning: & invicem eidem Præposito eessisse aliud Molendinum in Epolding, adjecta quadam compensatione pecuniaria. Verum ista pertinere ad annum Christi 1278. inferiùs ad oculum demonstrabimus. Undenstorffensia monumenta habent, eodem anno Conradum Episcopum confirmasse ei Monasterio donationem decimarum, superiori anno à Ludovico Bojariæ Duce factarum, sic enim literæ Frisingam datæ testantur.

§. VII.

Publica Imperii & Ecclesiæ Acta annorum 1273. 1274. & 1275.

Franc. Pagi. Richardo Henrici Angliæ Regis fratre, quem in Regem Romanorum votis
Pontifex urget electionem novi Imperatoris. haud sufficientibus electum fuisse alibi diximus, anno Christi 1271. Mense Aprili defuncto, & juribus Alphonsi Castellæ Regis itidem haud felicius electi, nimium claudicantibus, Gregorius Pontifex fortem Germaniæ miseratus anno 1273. *præcepit Electoribus Ecclesiasticis sub pœna privationis officii: Sæcularibus*
Naucler. *vero sub pœna Excommunicationis, ut sine cunctatione se resolverent, & Ecclesiæ Advocatum*

catum darent. Convenerunt itaque Francofurti eodem anno circa Calendas Octobris Electores Moguntinus, Coloniensis, Trevirensis, Ludovicus Severus Rheni Palatinus, Principes alii magnô numerô qui uno alteroque die de persona eligenda deliberârunt. Aderat inter cæteros Principes Mainhardus Comes Tyrolis, qui inter disceptantium voces exclamabat, præferre se omnibus tres Principes, Bernardum nempe Carinthiæ Ducem, Albertum Goritiæ Comitem, & Rudolphum Habspurgicum. Huic ultimo præ cæteris favebat Moguntinus Elector, multa de virtute Rudolphi ingeminans, cumque tandem jus totum nominandi Imperatorem datum esset Ludovico Bojariæ Duci ac Comiti Palatino, is urgente Moguntino Rudolphum Cæsarem proclamavit: cujus voto etiam communi applausu cæteri accessêre, sicque Rudolphus ab omnibus, qui aderant, Rex Germaniæ dictus est, tametsi is minimè præsens esset, sed obsidione Urbem Basileensem premeret: qui tamen acceptô electionis nunciô Francofortum profectus, assensum Electoribus præbuit.

Palatius. Conventus Principum.

Ludovicus Boicus Imperatorem pronunciat Rudolphum Habspurgicum.

Soluto Principum Conventu mox Aquisgranum itum est: ubi cùm sceptrum Regium fortuitò non reperiretur, & Proceres, dicturi Sacramentum discepturent, an deficiente Sceptro legitima esset fidei promissio, Rudolphus Crucifixi imaginem prehendit, & ad Principes conversus in hæc verba, Eberhardo Altahensi teste, prorupit: *Ecce signum in quo nos & totus mundus est redemptus: & hoc signo utamur loco sceptri.* dictum illud Principes adeo commovit, ut procumbentes ad osculum Crucis, quod Rudolphus præmiserat, lubentes novo Regi præstitô Sacramentô se obligarent. Sacris ita peractis Rudolphus potentiam affinitate firmavit, tresque filias suas tribus Electoribus, nempe Ludovico, Bojariæ nostræ Duci ac Palatino Comiti Rheni, Mahtildem: Agnetem Alberto Saxoni, Hedwigem Ottoni Brandeburgico desponsavit.

Qui coronatur Aquisgrani.

Henr. Canis. Tom. 1. antiq. Lect. pag. 307.

Et tres filias tribus Electoribus despondet.

Gregorius Pontifex eo ipso tempore Mediolanô Lugdunum prosequebatur iter, quem locum pro Concilio Generali celebrando designaverat. Causæ hujus Concilii erant subsidium Terræ Sanctæ, Græcorum cum Ecclesia Romana Unio, morum ac disciplinæ reformatio: ac modus ad celerem Romani Pontificis electionem procurandam.

Pontifex venit Lugdunum.

Comparuête in Concilio Lugduni Patres ingenti numero, nempe Episcopi quingenti, Abbates sexaginta, alii Prælati circiter mille: Legati Michaëlis Græcorum Imperatoris, & Metropolitanorum Orientis, nec non & Regis Tartarorum: Jacobus Rex Aragoniæ, Oratores Germaniæ, Franciæ, Angliæ, Siciliæ & Cypri Regum, aliûque maximo numero. Acta Concilii saluberrima hic recitare nostrum non est, sed mittimus benignum Lectorem ad Collectores Conciliorum, & inter hos ad Harduinum. Id solum ex Francisco Pagio monemus, Rudolphum electum Romanorum Imperatorem misisse ad Gregorium tempore Concilii, qui non in ipso quidem Concilio, sed tamen in Cardinalium consistorio auditi fuêre, admissique ad Sacramenta Rudolphi nomine nuncupanda, & privilegia Romanæ Ecclesiæ, à veteribus Imperatoribus concessa, confirmanda: idque factum est, postquam Pontifex Oratores Alphonsi Castellæ Regis: Imperium sibi etiamnum postulantis, re infecta dimiserat. Id actum legimus Lugduni in prædicto Consistorio anno MCCLXXIV. quinta die mensis Junii: Cæsarisque Legati literas juramenti ac Confirmationis sigillis suis roborârunt. Porro secuta Electionis Cæsareæ confirmatio à diversis ad diversos menses ac dies refertur. illud certum est, Gregorium die 26. Sept. ad Rudolphum dedisse literas, quarum hæc erat inscriptio: *Rudolpho Regi Romanorum illustri.*

Conventus Lugdunensis.

Confirmatur electio Rudolphi.

Sequenti anno, Christi 1275. Gregorius cum Alphonso Rege colloquium habuit, quippe qui etiam post causam Imperii in favorem Rudolphi decisam adhuc ejus obtinendi cupidine tenebatur. Ast Pontifex respondit, jure licuisse novum Imperatorem eligere, maxime cum ipse Alphonsus jam antehac promiserit, se in potestate Pontificis fore. His & aliis rationibus denique Alphonsus cessit. Ottacharus

Quidquid opponeret Alphonsus Rex.

N. 113. charus Rex eo anno Episcopo nostro, quem iterum vocat sibi *idemptitate Sanguinis junctum*, privilegia ab Avunculo suo Ulrico anno 1265. concessa, rursus innovavit. Porro Pontifex demum eodem anno Lugdunô digressus, Lausannam nunc nobilem Helvetiæ Urbem in itinere divertit, ubi ad eum Rudolphus cum Regina, liberisque suis venit, juramentum suorum Legatorum confirmavit, & Romandiolam cum Exarchatu Ravennæ Romanæ Ecclesiæ cessit. Pontifex postea die 10. Januarii sequentis anni Arretii*, quæ Hetruriæ Urbs Episcopalis est, è vita piè migravit.

Rudolphus Pontifici Sacramentum dicit.

* Rezo.

Dum hæc extra Germaniam aguntur, Rudolphus Imperii Principes ad Comitia Francofurtum* evocavit. Ibi cùm comparuisset Legatus Ottokari Seccoviensis Episcopus, & Rudolphi electionem in dubium vocâsset, ægrè violentas manus evasit. Felicior Ludovicus Bojariæ Superioris Dux à Rudolpho delatam sibi Conradini hæreditatem, nempe Schongaviam, Peittingam, & multa alia loca, quæ Adelzreitterus commemorat, sibi impetravit. Ottokaro Henricus, inferioris Bojariæ Dux, adhæsit.

* *Alii ponunt* Norimbergam.

Ottokarus frustra se opponit electioni Rudolphi. Boji felicius adhærent.

Terminato Lugdunensi Concilio Fridericus Salisburgensis Archiepiscopus Synodum Salisburgi indixit. Decretum erat Lugduni bellum sacrum pro recuperanda Terra Sancta, ad cujus felicem prosecutionem decima Pars omnium redituum Ecclesiasticorum in Sexennium erat persolvenda. Id Archiepiscopum Præsulibus sibi subjectis publicâsse & cætera quoque Concilii Decreta exposuisse dicitur. Lego etiam in antiquis duobus Chronicis Salisburgensibus inter cæteros etiam Salisburgi comparuisse Episcopum nostrum: id quoque Mezgerus noster cum Dükero asserit: ut adeò eam assertionem deinceps vix in dubium trahere præsumerem, nisi me perplexum redderent Acta illius Concilii, quæ apud Harduinum extant, ubi nulla Episcopi nostri Frisingensis fit mentio, tametsi nomina aliorum Episcoporum ibi præsentium disertè memorentur. Verum domesticis potius, quam extraneis Scriptoribus fides adhiberi solet. Adverto insuper, in eo Salisburgensi Concilio primò locô tractatum fuisse de Capitulis provincialibus Abbatum Ordinis S. Benedicti. Secundo de Revocatione Monachorum fugitivorum. Tertio de prava consuetudine Abbatum erga Monachos. Quarto de dignitatibus Abbatum. Quinto de Canonicis Regularibus: ac postea de pluribus beneficiis Clericorum: de vagis Scholaribus, de Advocatis Ecclesiarum &c. Synodo absoluta ipsis Kalendis Novembris, nempe festa omnium Sanctorum luce, recens restauratam Metropolitanam Basilicam Salisburgensem, cooperantibus sibi Episcopis Archipræsul sacris ritibus initiavit.

Synodus Salisb.

Cui interest Episcopus noster.

Acta Synodi.

Dedicatio Basilicæ Metropolit.

Secutus est Salisburgensi Ecclesiæ infaustus annus. Cum enim Fridericus Archiepiscopus Rudolphum agnovisset bonorum suorum feudalium Patronum, atque clientelaria obsequia exhibuisset, irritatus Bohemiæ Rex Ottokarus ferro & igne in ditiones Archiepiscopi grassatus, ingentia damna Provinciæ intulit. Imperator Augustam eo anno Conventum Principibus indixit, qui etiam magnô numerô comparuêre. Ottokarus tum Legatum Wernhardum Seccoviensem Episcopum: Henricus vero inferioris Bojariæ Dux, Præpositum Oetinganum misère. Cum vero Ottokarus graviter accusaretur à Principibus, tum quod injustè Austriam, Styriam aliasque Imperii provincias, quippe vacante Cæsareo throno nonnisi vi occupâsser, ac Salisburgensem insuper ditionem fœdè devastâsset, Rudolphus Legatos ad eum misit, qui ipsum ad Comitia ac causam dicendam vocarent. Hos ubi Ottokarus nonnisi ignominiosè excepit, bellum adversus illum in Comitiis decretum est. Nunc iterum Frisingam nos recipimus.

Ottokarus fautores Rudolphi exagitat.

Offensam Principum incurrit. Citatur ad Comitia. Bellum in se concitat.

§. VIII.

§. VIII.

Acta domestica supradictorum annorum.

ANno 1273. juxta Monumenta Tegernseensia Heinrico II. Tegernseensium Abbati successit Ludovicus, natus ex Comitibus de Grünspach, prius Schyræ à puero Monachus, posteà Abbas Weihenstephanii ac demum Tegernseæ, ad cujus promotionem tum Bojariæ Duces, tum Conradus Episcopus noster collaborârunt. Nonis Februarii illius anni Conradus Episcopus noster ab Ottokaro Bohemiæ Rege atque Austriæ Duce novam obtinuit Confirmationem Privilegii, potestatem judiciariam exercendi in omnes subditos suos in Austria constitutos. Literæ datæ fuêre Viennæ.

Apud P. Bernard. Pezium Anecdot. T. 3. P. 3. col. 529.

Ludovicus Abbas in Tegernsee. N. 114.

Mense Aprili Albertus Comes Goritiæ atque Tyrolis Conradum Episcopum nostrum ad se invitavit, quippe eum quo seria quædam negotia expendere cupiebat. Hinc suis omnibus imperavit, ut venienti Episcopo, iisque omnibus, qui eum comitaturi essent, eam omnem humanitatem exhiberent, quam sibi ipsi essent exhibituri. Sane num venerit Episcopus ad Albertum, quidque negotii gestum sit, nobis manet incompertum. Mense Octobri Episcopus noster, vel potius illius Præfecti, Leonardum de Gutenberch, qui sive subditis, sive prædiis Episcopi damna quædam intulisse videbatur, intra custodiam tenebant. Verùm cum pro Leonardo nobiles quidam fidejussores sese obtulissent, isque Episcopum, ejusque Ministros ac colonos sincerâ amicitiâ colere adpromisisset, adjectis quibusdam restrictionibus custodia eidem fuit ampliata. Literæ datæ fuêre Labaci, quas Provinciæ Præses Ulricus de Habspach scribi jussit. Circa idem tempus Nobilis quidam Rudgerus ab Episcopo nostro Dominio Inticensi Præfectus prædia quædam ab eodem Episcopo pignoris nomine sibi attributa, ultra præfinitum tempus usurpaverat. Cùm verò demum adverteret, se injuriam facere Episcopo, ad mentem rediit, & sub certis conditionibus cum Episcopo convenit. Alias quasdam villas Episcopus sequenti die ab Henrico de Scharfenberch datô pretiô redemit. Die verò proximè subsecuta Episcopus prædium quoddam prope Lak Plebano loci locavit. Ex literis præstariis intelligimus, Episcopum ipsum eo tempore suisse in Lak commoratum. Acta vero sequentia demonstrant, eum postea regressum esse in Austriam: nam sequenti anno Mense Januario Viennæ reditus quosdam in Hollenburg Gozzoni de Crembsa locare decrevit: nec multo post litem super castro Randek & prædiis eo pertinentibus composuit. Instrumentum super hoc posteriori tractatu inter omnia Frisingensium Tabulariorum Instrumenta est omnium primum, quod idiomate Germanico suit conceptum & scriptum. Hinc illud huc omnino inserendum censuimus cum omni sua hirsutie, quæ adhuc eo tempore idiomati illi inhærebat. Sic igitur habet.

Conradus Ep. sedulo curat res Ecclesiæ suæ. N. 115.

N. 116.

N. 117.

N. 118.

N. 119.

N. 120.

Terminatur causa castri Randek.

Ich Albeit von Reinsperch, Witeh Hern Engelschalches von Reinsperch tun allen den chunt, di disen brief ansehent, daz ich den Chriech, den ich mit minem Herren dem Bischof Chonrat von Frisingen, uber daz Haus ze Randek het, und uber daz Vrbor, Lehent, unde Manschaft, also ez zu dem Vrbor ze Randek gehoret, und gehören schol, und auch uber ander Manschaft, diu in mines Herren des Bischofes Luzze* leit ze Vdmaruelt, und anderswa, gesuchet, und ungesuchet, daz ich vor hete nach mines Wirtes tote, also geslichtet han, und zefuret han, nach sinem Genaden, daz ich dargie unde in sin hant gap allen den criech, und alles daz reht, des ich auf daz gut, daz da hie vor genant ist, iach oder geiehen mohte und dar von stunt unverschaidenlichen unde daz er mir di genade tet, nach sines Rates wisunge, daz er mir daz Vrbor, unde di Purch, Zehent unde Manschaft ze Randek gelichen hat, ze einem Leipgedinge ze min eines Leib, und niht fürbaz, also diu Sliffach* gen halp get,*

Primum Instrumentum Archivi Frisingensis, Germanico idiomate exaratum.

* die

* hod. Lüss de quo egimus Tom. I. p. 112.

* Vocabulum rivi

prope Randekh, hod. Schlifsau-Bach. — *sollen. — *keinen. — *was. — *ohn. — *Heissung, seu Befelch. seu potius Verheissung. — *keines. — *dise Vergleichung.

get, unde niht vorbaz, also ob ich einen wirt nem, oder kint gewinne, daz diu nihtes niht rehtes nach minem tode, auf daz Gut, daz da vor genent ist schullen ischen wan daz ez sa zehant an daz Goteshaus ze Frisingen vreilich an allen criek scholl gevallen. Darze han ich minem Herren dem Bischof gehaizzen bi minenn triwen, also ich sweren scholl, daz ich dez Vrhores, noch dez zehenden, noch der Manschaft ze Randeke, also si dar gehoret nihtes niht anwerden schol, weder mit verchaufen, noch mit versezen, noch mit deheinen* dinigen andern, unde ob ich daz tete wider min gelubden, daz schol dhein stete haben. Vnd darzu schol ich von dem Rehte, das ich an dem Leipgeding gib, gantzlich sin geuallen. Swaz* aber der andern manschafs ist, di Her Engelschalch min Wirt von dem Goteshaus ze Frisingen hat dishalp der Sliffach ze Vdmarvelt und anderswa, auf des Goteshaus aigen von Frisingen, da bin ich gar von gestanden, unde han mich sin verzigen, also daz diselben manschaft min Herre der Bischof haben schol an* Criek ewichlichen, und sin nachchomen. Darzu nach miner bet, unde nach miner Haizze* hat Wlsing, der auf dem Haus ze Randeke sizzet, minem Herren dem Bischof gehaizzen bi sinem triwen, also er sweren schol für sich und für sine chint, ob er oder siner Kinde deheinez* mich über leben, daz diu dem Leben der Purge ze Randeke, und des Lebens des si habent, daz zu der Purge gehoret, nindert nachvolgen. wan daz ze minem Herren dem Bischof und mir dester grozer stete hab, han ich disen brief gegeben mit minem hangendem Insigel. Disiu Verehenung* ist geschehen des iares, da Christes Geburte waz, tausent, zweihundert, vier und sibentzek iar, an dem druezehensten tag eingendes Hornunges. Bi der Verrihtegung sint disiu zuegewesen, min Herre Abte Rudolf, und Her Purchart der Custrer von Sitansteten, Probst Hainrich von Isen, Maister Herman, und* Magister *Vlrich meines Herren des Bischofs Schreiber, Her Hainrich der Pharer von Gemnich, Her Marquart Priwasen, und Her Vlrich von Lusnik, zwai Riter, Her Otto von Volkenstorf ein Dienstman.*

Instrumenta jubentur scribi sermone vernaculo. — *Ehrnspiegl.*

Lego in Chronico Anonymi Leobiensis, quod Vir Cl. P. Hieronymus Pezius edidit, hoc anno in Comitiis Norimbergensibus statuisse Rudolphum recens electum Imperatorem, ut imposterum Decreta, & literæ contractuum conscriberentur idiomate vernaculo ac Germanico, ut hoc pacto consuleretur iis maximè, qui latini sermonis essent ignari. id ipsum etiam alii asseverant. Verum dum addunt, ante hanc constitutionem nullas literas fuisse vulgari sermone conscriptas, nescio, an non erroris manifesti convincantur Instrumentô mox allatô, quod laudata Adelhaidis jam Mense Januario germanicè concepit, scripsitque. Certe constitutionem illam nonnisi tractu annorum usu fuisse receptam, in consequentibus videbimus. Conradus Episcopus noster eo anno Mense Julio Monasterio Tegernseensi Parochialem Gmundensem Ecclesiam pleno jure concessit. Literæ sic habent:

Ecclesia Gmundensis conceditur Monasterio Tegernseensi.

In nomine S. & Individuæ Trinitatis Amen. Nos Cunradus Dei gratiâ Ecclesiæ Frisingensis Episcopus insinuandum duximus omnibus Christi fidelibus tam futuris, quam præsentibus, præsentem paginam inspecturis, quod cùm Monasterium in Tegernsee fame utique copiosè plurimum anxiaretur, propter honestam & solemnem hospitalitatis frequentiam, quæ ibidem ex antiquo devotè, & indifferenter cunctis advenientibus observatur & exhibetur, Nos ad petitionem dilecti in Christo Fratris nostri Ludovici Abbatis ejusdem Monasterii, Ecclesiam in Gmunden cum usufructu, & omnibus pertinentiis, in qua Patronatûs jus cum jure Advocatiæ possidet ab antiquo, in subsidium hospitalitatis & defectuum, quos sustinet, de consilio, & consensu proprio totius Capituli nostri prædicto Abbati pleno jure ad usum mensæ - - - - dedimus, atque concessimus liberaliter perfruendam. Acta sunt hæc Frisingæ in Ecclesia Cathedrali Anno Domini MCCLXXIV. Quarto Idus Aprilis.

Idem Conradus Episcopus Mense Februario areas amplissimis Frisingensis Ec-
N. 121. clesiæ ædibus Viennæ contiguas pro dote Sacelli iisdem ædibus adjuncti assignavit.

Hoc

Hoc anno, die 4. Aprilis consecratam fuisse aram maximam, totamque Basilicam Cathedralem Frisingensem à Friderico Archiepiscopo Salisburgensi, Conrado Episcopo nostro Frisingensi, Petro Pataviensi, Leone Ratisbonensi & Joanne Chiemensi discimus ex Instrumento, quod repertum fuit anno Christi 1461. cùm Proëpiscopus Frisingensis illud ipsum summum Altare iterùm dedicasset: fortè de his suo loco plura.

Ottokarus Rex eodem Mense Episcopo nostro certa privilegia in Guttenwerth confirmavit. Extant ea super re literæ, sed quas integras recitare non possumus ob nimias lacunas, quæ ex incuria quadam membranæ illatæ fuisse videntur. Felicius ad nos pervenêre aliæ Ottokari literæ, qua is præcipua ædium Episcopi Viennensium privilegia Mense Majo stabilivit. Eas in parte II. reponimus. N. 122.

Enicho Conradi Episcopi nostri fratruelis, Præpositus Collegiatæ Ecclesiæ Divi Andreæ eodem anno domum lapideam magnis suis sumptibus haud procul à dicta Ecclesia sibi ædificavit, idque ad splendorem Urbi conciliandum. Obligavit insuper non solum Successores suos Divi Andreæ Præpositos, sed etiam se ipsum, ut intuitu ædis illius singulis annis Cathedrali, ac Divi Andreæ Collegiis certam pecuniæ summam pendere deberent. Eam donationem Conradus Episcopus die 5. Octobris authoritate sua probavit. *Domus Præpositi Divi Andreæ splendidè ædificatur.* N. 123.

Eodem Mense Ottokarus Rex potestatem judiciariam etiam super causa sanguinis in Urbe ac vicinia Lacopolitana ultrò Episcopo nostro cessit, ita tamen ut in recognitionem annis singulis certa pensio Regi, aut Ministris Regis persolveretur. Sequenti anno obortis quibusdam quæstionibus tandem concordia inter Episcopum nostrum, & Ditmarum de Grisenfels secuta est. N. 124. N. 125.

§. IX.

Acta reliquorum annorum, & Mors Conradi II. Episcopi.

Vidimus supra, Gregorium X. Summum Pontificem rebus caducis valedixisse anno Christi 1276. 10. die Januarii. Huic die 21. ejusdem Mensis unanimi Cardinalium suffragio successit Petrus, à patria sua Tarantasiensis dictus, primùm Ordinem Prædicatorum professus, posteà factus Archiepiscopus Lugdunensis: inde Episcopus Cardinalis Ostiensis, demum Ecclesiæ Romanæ Hierarcha, assumpto Innocentii V. nomine: qui tamen post menses quinque ac dies duos morte sublatus sacram tiaram reliquit Hadriano IV. qui & ipse nonnisi 39. diebus Pontificis electi nomen tulit, prius mortuus, quam Mitra Pontificiâ exornaretur. Ei subrogatus est Joannes XX. solitus aliàs vocari XXI. cujus rei rationem Franciscus Pagius examinat. Sed ne hujus quidem Pontificis vita in integrum annum duravit, ut infrà videbimus. Ita unicus annus vidit quatuor Pontifices. Gregorium X. Innocentium V. Hadrianum IV. & quem modò diximus Joannem XX. dictum XXI. *§. VIII. Innocentius V. Papa. Hadrianus IV. Joannes XX. al. XXI.*

In Bojaria nostra Ludovicus & Henricus Duces, qui jam à biennio & amplius infestis armis fuerant collisi, hoc anno, Christi 1276. ad concordiam redière. Rudolphus verò Rex cum exercitu movit in Austriam, quam etiam brevi edomuit, ipsâ etiam Viennâ in potestatem redactâ. Habuit in Comitatu suo Archiepiscopos Moguntinum & Coloniensem; Episcopos Herbipolensem, Ratisbonensem & Pataviensem: Ludovicum & Henricum Bojariæ utriusque Duces; è quibus posterior nuper Rudolpho reconciliatus fuerat. His accessêre multi nobiles Rhenenses, Francones, Suevi. His immeritò nonnemo adjungit Conradum Episcopum *Rudolphus Imp. movet in Austriam. Cui nondum accessisse videtur Episcopus noster.*

pum nostrum, quippe qui recentissimis beneficiis Ottokaro, adversus quem processit exercitus, non poterat se ejus hostibus jungere; maximè quia ditiones Frisingenses in terris Ottokari sitas prima die Maji hujus anni ejusdem Ottokari defensioni commendaverat. Id, & plura alia ex Ottokari literis ea die datis intelligimus.

O. Dei gratiâ Bohemie Rex, Dux Austrie, Styrie, & Karinthie, Marchio Moravie, Dominus Carniole, Marchie, Egre, ac Portûs Naonis, Dilectis sibi, universis Capitaneis, Judicibus, & Officialibus seu Procuratoribus per Austriam, Styriam, Karinthiam, Carniolam & Marchiam constitutis, gratiam suam & omne bonum. Vobis singulis & universis tenore presentium declaramus, quod de nostra bona voluntate pariter & consensu reverendus in Christo Pater Dominus Ch. venerabilis Episcopus Frisingensis, Amicus noster Karissimus, se pro tempore in Partibus Bawarie recipiet, pro quibusdam suis arduis negotiis, que dilationem non capiunt, peragendis, sicut etiam nobis nuper aput Brunnam existentibus familiariter & secretè proposuit, oraculo vive vocis. Unde cum idem Dominus Episcopus, tamquam ille, qui se nostris affectibus & beneplacitis conformem reddidit, propter cujuslibet sinistre suspicionis tollendas & abolendas maculas, quibus forte à suis emulis & inimicis posset circa nos sua innocentia obfuscari, petivit à nobis cum instantia, quod aliquem de nostris familiaribus & servitoribus sibi nominatim exprimeremus, cujus fidei atque diligentie in ejus absentia committeret Castra, munitiones & possessiones, quas sub nostri districtus dominio habet Ecclesia Frisingensis. Cujus Ecclesie precibus inclinati, communem & non suspectam personam, videlicet Magistrum Heinricum de Lok, venerabilem Werdensem Prepositum, dilectum Capellanum nostrum, de cujus examinate fidei constantia plenam confidentiam gerimus, nominatim expressimus Domino Episcopo memorato, dantes eidem strictius in mandatis, ut se de dictis munitionibus & possessionibus ipsius Domini Episcopi nostro nomine intromitteret, atque easdem regeret & teneret, donec ad ipsius Domini Episcopi reditum & adventum, & qui omnes querelas Frisingensis Ecclesie hominum & lesiones & ofensas dictorum possessionum absente prefato Domino Episcopo, aut in remotis partibus constituto ad nostram regalem audientiam deportaret. Unde vobis singulis & universis sub optentu nostre gratie damus strictius in mandatis, quatenus sepedictum Dominum Episcopum in suis castris, munitionibus, possessionibus & hominibus, quamdiu absens fuerit, nullus ex vobis presumat offendere vel gravare; precipue cum idem Dominus Episcopus nostro nomine easdem possessiones & munitiones sepedicti Heinrici commiserit potestati, quas propter hoc omni prerogativa & solatio gaudere volumus tanquam nostras. Datum Brunne anno Domini M.CC.LXX. sexto, Kaln. Maji.

Aliam posteà gratiam 2. die Junii Ottokarus Conrado præstitit, dum eidem permisit licentiam complura prædia in Austria à Civibus quibusdam Crembsensibus emendi: ac secutum tractatum literis suis roboravit. Instrumenta super eo tractatu erecta in Parte altera legenda offerimus. Et hæc quidem gratiarum vincula ligabant Episcopum nostrum, quo minus aliquid adversus Ottokarum, suum amicum, movere posset. Ast cum postea Rudolphus rerum Austriæ potitus fuisset, soliumque suum eo pacto egregiè stabilivisset, tandem Conradus rebus Ecclesiæ suæ meritò metuens Rudolphi gratiam quibusdam obsequiis prensare coactus est, quam etiam facile sibi conciliavit à Rege erga Imperii Principes, Status, ac maximè Episcopos perquàm munifico. Et primam quidem gratiam die 17. Mensis Decembris Rudolphus Cunrado Episcopo Viennæ exhibuit, uti ex literis sequentibus Lector perspiciet, quæ sic habent:

N. 126. 127. 128. 129. 130.

Conradus Ep. demum prensat, & obtinet gratiam Rudolphi.

Rudolfus Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus universis Mutariis, Thelonariis per Austriam constitutis, dilectis fidelibus suis, gratiam suam & omne bonum. Equitatis vigor expostulat, & ordo suggerit rationis, quod etsi ad omnes Imperii Romani fideles munificentie nostre dexteram debeamus extendere debitam, Principes tamen velud bases egregias, quibus Imperii Celsitudo potenter innititur, speciali prerogativa nos decet attollere, & condignis beneficentie nostre favoribus ampliare. Eapropter nosse

vos

*vos volumus universos, quod nos accepta & placida grate devotionis obsequia, que per venerabilem Ch. Frisingensem Episcopum Principem nostrum Karissimum, nobis impensa sunt hactenùs, & adhuc impendi nobis & Sacro Imperio poterunt gratiora, benignius intuentes, & propter hoc magnopere cupientes, ut ipse & Episcopatus suus votis congaudeant commodis, & augmentis continuis prosperentur, eidem de liberalitate Regiâ libenter & liberaliter duximus concedendum, ut universa ipsius victualia & ligna, que pro edificiis suis & familia necessaria habuerit, quotienscunque eadem in descensu vel ascensu per terras & aquas deduci contigerit, liberè transeant seu procedant, absque cujuslibet exactione thelonei sive mute. Propter quod universis & singulis vobis districtè precipiendo mandamus, quatenus eundem Venerabilem Principem nostrum contra indultam sibi à nobis hujusmodi gratiam molestare, vel inquietare nullatenus presumatis. Datum Wienne XVI. Kaln. Januarii *, Indictione quinta, Anno Domini M.CC.LXXVI. Regni verò nostri anno quarto.* * id est, 17. Decembr.

Hæc tum Rudolphus Conrado Episcopo: de quo legimus, eum Mense Septembri illius anni Monasterio Scheffrlarlensi concessisse facultatem emendi prædia quædam à Sighardo Dapifero suo. Instrumentum in Partem alteram differimus. N. 131.

Ex hactenùs recensitis certum est, à Rudolpho Viennam jam anno Christi 1276. fuisse occupatam. Interim perplexos nos reddunt Rerum tum Austriacarum, tum Boicarum Scriptores, num ad hunc vel ad sequentem annum referenda sit decantata illa Ottokarianæ arrogantiæ delusio, quam aliqui ad hunc, alii ad sequentem annum referunt, alii alto silentio premunt. Rei series hæc fuisse dicitur.

Principibus pluribus atque Ladislao Hungariæ Rege ad castra Rudolphi transeuntibus Ottokarus de belli exitu malè ominatus, ultrò conditiones pacis admisit, maximè postquam Rudolphus filiam suam Wenceslao, Ottokari filio: vicissim Ottokarus Rudolpho, Rudolphi Imperatoris filio, filiam suam promisit. His amicitiæ vinculis ulterius in has pacis conditiones conventum est, ut Ottokarus Austria, Styria, Carinthia, aliisque provinciis vicinis, privata potestate occupatis, cedat, easque Cæsaris ac Principum arbitrio permittat: electionem Rudolphi approbet, & in ejus verba jurando, Bohemiam atque Moraviam, ceu beneficiarias provincias ab eo recipiat, atque Hungaris ablata restituat. Hæc omnia promisit Ottokarus, id unum deprecatus, ne cogeretur in propatulo Sacramentum clientelare flexis genibus ex more Rudolpho dicere: id enim sibi probro fore, qui olim Rudolphum inter suos Ministros numeraverit. Itaque in Insula Danubii Camberga, utcunque remota ab arbitris, sub tentorio suggestum sublime patatur, soliumque auro coruscans eminentiori loco erigitur. Ibi Rudolphus, diademate equidem & Imperialibus insignibus conspicuus, cæterum veste cinerea, ab Ottokaro sæpè delusa, assidentibus sibi Imperii Principibus Regem sedens exspectat. Ille cum paucis Regni sui Optimatibus tentorium ingressus, conscenso suggesto ad Cæsaris pedes genua flectit, & ex veteri consuetudine, tactis Sacrosanctis Evangeliis jurejurando Cæsari fidem adpromisit, Bohemiæ atque Moraviæ vexilla ab eo recipiens. Interea tentorium arte compositum, in latera diducitur, & humi laxatur, eoque pacto Ottokarus, ad Cæsaris genua supplex, spectandus exercitibus præbetur. Inde risus inter Germanos, inter Bohemos verò fremitus exortus est, qui maluissent acie cum Germanis congredi, quam Regem suum, auro gemmisque fulgentem, Rudolpho adgeniculatum conspicere. Ottokarus, qui facilè adverterat, rem non fortuitò, sed astu contigisse, in præsens equidem tacuit, verum irarum animo plenus petitâ veniâ ad suos rediit, de vindicta potius, quam de servanda fide consilia tractaturus. Verùm ista interim missa facimus, & ad acta Conradi nostri, quæ ad annum Christi 1277. pertinent, convertimur. *Aremb. Adelz. Palatius.*

Totus in eo fuit hoc anno Conradus, ut jura atque privilegia Ecclesiæ suæ à novo Imperatore confirmarentur. & sanè promptissimum expertus est Rudolphi

 ani-

N. 132. animum. Hic enim Mense Februario Privilegia Lacopolitana datis literis Episco-
N. 133. po stabilivit. Mense Majo inprimis cum Conrado antiquum super liberorum di-
N. 134. visione tractatum renovavit: eademque die privilegia Waidhoviana: item privi-
N. 135. legium usurpandi sibi Metalla in propriis fundis reperta: ac prærogativas etiam
N. 136. ædium Frisingensium Viennæ existentium firmavit. hæc omnia & alia plura, facta
N. 137. sunt die 18. Mensis Maji. Proxima die Conradus Episcopus tribus Imperatoris
N. 138. 139. 140. 141. 142. 143. filiis, Alberto, Hermanno & Rudolpho jus Advocatiæ in Enzerstorff & Aspach feudi nomine contulit, & Imperator defensionem eorum locorum ac jurium Frisingensium in se coram multis Principibus suscepit: Episcopo insuper nostro antiquam potestatem judiciariam in suos subditos per Austriam: uti etiam jura ve-
N. 144. 145. nandi vetera novis literis communivit: die verò 21. & 23. ejusdem Mensis alia privilegia coram multis Imperii Principibus rata habuit.

Ita lego in lib. 5. Trad. à fol. 33. a. alibi aliter designatur annus. Inter hæc Leo Ratisbonensis & Joannes Chiemensis Episcopi electi arbitri, die Mensis Januarii undecima hujus anni, inter Conradum Episcopum nostrum, Ulricum, Fridericum & Hainricum fratres de Schaffervelde ex una: & Marquardum, ejusque filios de Cinzindorf ex altera parte litem composuerunt, & pro Episcopo nostro sententiam pronunciârunt. Episcopus vero noster Walthero, Vice-Domino Villacensi ejusque hæredibus prædia quædam propè Hardek in be-
N. 146. 147. neficium tradidit: Ottonem vero de Tirnstein ab injustè usurpatis piscationibus &
N. 148. 149. pascuis Mense Februario repulit: eodemque Mense Friderico Norimbergensi,
N. 150. Burggravio prædia quædam prope Ambstettam sub certis conditionibus in jus be-
N. 151. neficiarium attribuit. Mense denique Julio Ludovico Bavariæ Duci Castrum Hertanstein sub certis restrictionibus elocavit.

Ab eo tempore nulla alia Episcopi nostri acta nobis occurrunt usque ad
N. 152. Mensem Septembrem, quo is Alberto, Præposito Illmonasteriensi & Sifrido ejusdem Ecclesiæ Canonico sub certis quibusdam pactis usum domûs Ratisbonensis, ad Ecclesiam Frisingensem pertinentis, concessit. Octobri Mense à fidejussoribus Gozzonis civis Crembsensis (de quo suprà) Episcopo nostro per sententiam
N. 153. quadringintæ semilibræ argenti intra Mensem solvendæ fuêre adjudicatæ. Is pau-
N. 154. lo post Jubardum de Udmarfeld suum in Austria causidicum constituit: eodemque Mense supradictus Gozzo, ex captivitate, in quam ab Ottokaro Rege con-
N. 155. 156. jectus fuerat, liberatus causam suam cum Episcopo nostro conclusit: eumque tractatum Rudolphus Rex eodem die sua auctoritate stabilem esse jussit. Paulo post Episcopus noster Conrado de Summerawe concessit, ut curam bonorum, quæ
N. 157. Ecclesia Frisingensis in Superiori Austria habebat, in se susciperet.

Posthac Episcopum nostrum se Vienna Frisingam recepisse discimus ex Instrumento, quo Monasterio Neocellensi Mense Decembri decimas quasdam in Peingen, præsentibus Ludovico Tegernseensi, & Conrado Weihenstephanensi
N. 158. Abbatibus: ac Ottone, Wernhardo, & Philippo de Waldek adjudicavit: ac tandem eodem Mense prædium quoddam propè Erdingam veterem Conrado
N. 159. Rostauscher pro certa annua pensione locavit. Hoc anno creduntur conscripta fuisse privilegia hebdomadarii Mercatûs Aspacensis, quæ in quinto Traditionum libro reperiuntur, sed tanta obscuritate oblita, ut ea Lectori obtrudere pigeat.
N. 160. 161. 162. 163. Alia quædam incertorum annorum Instrumenta in Parte secunda exhibemus.

Delati nunc ad annum Christi 1278. malumus publica acta primò locô ponere, ne res Frisingenses per anni decursum gestas iisdem interpolare cogamur.

Joanni PP. succedit Nicolaus III. Joannes XXI. ad quem hactenùs in texendo Romanorum Pontificum Catalogo pervenimus, cum longam sibi vitam pollicitus esset, nonnisi Menses octo in Petri Sede numeravit, Viterbii ex ruina testudinis cameræ novæ, quam in Palatio Viterbiensi sibi struxerat, oppressus Kalendis Junii anni 1277. Vacante postea sex mensium spatiô Romana Sede tandem in Festo Divæ Catharinæ sacro, successit Petrus de Ursinis, natione Romanus, antehac Cardinalis Tituli S. Nico-

lai

lai in carcere Tulliano, unde sibi Nicolai III. nomen assumpsit. Promotus ad Pontificatum id præ aliis curæ habuit, ut Italiæ paci consuleret. Malè meruebant Itali, ne Rudolphus ad repetenda Imperii jura in Italiam Antecessorum more armatus veniret. Quare ab ipso Pontifex confirmationem bonorum ac privilegiorum Ecclesiæ Romanæ petiit: quam etiam per Legatum Cæsareum Impetravit, ab Electoribus quoque & Principibus probatam. Rudolphus, qui dudum Sacramentum Gregorio X. dixerat, neque unquam cogitabat, suorum decessorum periculosa vestigia in Italiam sequi, aut promissionis factæ fidem infringere, eo anno, Christi 1278. longè alio arma convertit, adversus potentissimum Bohemiæ Regem Ottokarum depugnaturus. Ottokarus sive ex delusa à Rudolpho arrogantia, sive à Kunegunde Uxore, superba muliere, ac supra fœminam feroci, ad abolendam injuriam, sibi, uti credebat, antehac illatam, bellum instaurare decreverat. Vicissim Rudolphus, ubi bellô novô se peti intellexit, exercitum reparavit, Regemque Hungarorum Ladislaum in armorum societatem feliciter pellexit. Imperatorem secuti sunt Principes Imperii plures; qui tametsi exercitum validum conflâssent, viribus tamen Ottokaro nequaquam pares erant. Decretoriæ pugnæ diem varii variè designant. Stero noster, & Rerum Austriacarum Scriptores plerique diem 26. Augusti statuunt. Mellicense Chronicon locum aciei vocat *Stilvrid.* Ibi primo statim conflictu Cæsar periculo vitæ præsentissimo obnoxius fuit, equô, cui insidebat, confossô à percussore, quem Ottokarus magnô propositô præmiô conduxerat. Cæsar in terram effusus ipse erat confodiendus, nisi à fidelibus stipatoribus periculo fuisset exemptus. Ingens excelsi animi specimen tum Rudolphus præbuit. Cùm enim emissarius Ottokari captus fuisset, à Rudolpho permissus non est occidi, quod diceret, Reipublicæ interesse, Virum adeo fortem inter vivos servari. Instauratô postea præliô Rudolphus Bohemorum aciem fortissimè perrupit, ipseque Ottokarus multis saucius vulneribus occubuit. Ejus cadaver à calonibus, indignissimo sanè facinore, vestibus omnibus nudatum, cum quidam Episcopus contemplatus esset, hos versus pronunciavit:

Petit à Rudolph. Imp. confirmationem bonorum Ecclesiæ Rom.

Bellum cum Ottokaro.

Qui in acie perit.

Quam brevis & tristis instet mortalibus istis
Regnandi finis, nos docet iste cinis.

Cadaver illud postea Rudolphus in Bohemiam remisit digno honore sepeliendum. Deinceps Imperator Moraviam totam in potestatem redegit: & cum filio Ottokari pacem post multos tractatus constituit, Bohemiâ eidem feudi nomine collatâ, & filiâ suâ juxta promissionem jam aliàs factam, in matrimonium collocatâ. Ita Rudolphi potentia indies ingentia obtinuit incrementa. Porro Imperator Henrico Bavaro, qui unà cum suis Ottokari exercitum secutus fuerat, supplici ignovit, initurus regna per clementiæ gradus. In Benedictoburano Archivo extat Autographum, quo Rudolphus Imperator eo anno Ortolphum, eo nomine secundum, loci Abbatem inter Imperii Principes numeravit, Benedictoburanam ditionem Principatum dixit, & eidem Abbati Ministros ex nobilitate assignavit.

Et in Bohemia tumulatur.

Non sine augmento potentiæ Rudolph.

P.Pez. Tom. 3. p. 3.

Anno 1278. Ecclesia Werdensis ab Abrahamo Episcopo Frisingensi olim fundata, & eousque Episcopis Frisingensibus subjecta jussu Rudolphi Imperatoris per Bertoldum Bambergensem Episcopum à gravibus vexationibus Ottonis de Vinchenstain feliciter fuit liberata. Lector rem ex Instrumento prolixo, quod in Partem alteram transferimus, plenius intelliget. Mense Aprili ipse Conradus Episcopus noster Isanensi Capitulo illata quædam damna piè compensavit. Mense Aprili cum Ulrico Præposito Neocellensi prædium quoddam clientelare permutavit, ac denique die 18. Mensis Julii Friderico Præposito Scheffilariensi tradidit prædium ac Molendinum in Epholdingen; vicissim vero aliud prædium ac Molendinum propè Ismaningam à Præposito recepit die 24. ejusdem Mensis. Ex quo manifestè convellitur opinio eorum, qui scripsêre, Conradum nostrum jam obiisse

N. 163. *Hund Metrop.* T. 2. *pag.* 441. N. 164. N. 165. 166.

obiisse die 18. Aprilis Ann. 1278. quod etiam magis confirmatur ex autographo quodam Instrumento, in Monasterio Benedictoburano reperto, ac illa ipsa die, nempe 18. Aprilis sigillô Conradi Episcopi nostri munito, in quo de
N. 167. quadam transactione tractatur. Imò reperitur Monachii in Xenodochio S. Spiritus aliud Instrumentum, primùm Mense Decembri à Conrado expeditum, tenoris sequentis.

Conradus D. G. Ecclesiæ Frisingensis Episcopus universis Christi fidelibus præsentibus, & futuris, ad quos præsentes pervenerint salutem in omnium salutari.

Cùm ex iniuncto nobis Pastoralis officii debito sacram plantare Religionem, & fovere plantatam, modis omnibus teneamur, maximè ubi circa debilium, & decumbentium infirmiorum profectum intenditur, & salutem. Nos ex visceribus charitatis Hospitalis S. Spiritûs in Monaco, in quo ægrorum & egentium decumbit multitudo, volentes facere conditionem meliorem, cum consensu, & Capituli nostri legitima voluntate hanc præfatæ domui S. Spiritus exemptionis libertatem duximus concedendam; ut fratres ibidem DEO famulantes cum familia eorundem, & decumbentes infirmi in eodem Hospitali cum aliis servitoribus in eadem domo, de cætero, & in perpetuum liberam apud Hospitale prædictum habeant sepulturam, & Rectorem Sacerdotem, qui nullo respectu habito ad Parochiales Ecclesias Monacensium ad petitionem Civium Monacensium ad annum, vel ad annos; ad tempus modicum, vel in perpetuum; ad curam animarum pro divinis officiis celebrandis, & pro corporibus mortuorum sepeliendis in eodem Hospitali, per nos, nostrosve Successores instituetur, prout eidem Hospitali, & decumbentibus ibidem visum fuerit expedire: absolvimus insuper præfatum Hospitale cum universis suis fratribus, familia, & infirmis, qui in eodem Hospitali commorantur, ab omni obedientia, & subiectione, qua tenebantur hactenùs Baptismali Ecclesiæ Monacensium. Adhæc eidem Hospitali viginti libras æra Nobis & Successoribus nostris ratione subiectionis debitas ab eodem prætextu cuiusdam recompensationis nobis facere in pecunia numerata duximus pro subsidio relaxandas, aliis juribus Episcopalibus nobis nostrisque Successoribus in eodem Hospitali plenius reservatis. In cuius itaque exemptionis nostræ robur, & perenne testimonium præsentem schedulam Hospitali memorato tradidimus, nostri, & Capituli Frisingensis sigillorum munimine roboratam. Datum apud Monacum anno Domini 1278. Cal. Dec.

Denique extat insuper Instrumentum, ab hoc Conrado Ecclesiæ Werdensi
N. 168. Anno 1279. 1. Martii concessum, quod in Parte altera recitamus. Rectius itaque mors Conradi II. ad annum Christi 1279. differtur, quod etiam coæva manu Weihenstephanensi notatum fuit, quidquid contradicat lapis sepulchralis Conradi, qui fortassis successu temporis una Monade detrita vitium accepit.

N. 169. 170. 171. Extant adhuc alia tria Instrumenta sub hoc Conrado conscripta, in quibus tamen nullæ sufficientes notæ Chronologicæ apparent. Ea nihilominus in parte altera reponemus legenda: Tradunt, Conradum Apoplexiâ è vivis fuisse sublatum, & in lectulo inventum esse exanimem. Tumulô illatus est in Cathedrali Ecclesia, & quidem propè Capellam S. Georgii, Vir de Ecclesia Frisingensi summè meritus, quippe pro qua annis fermè 21. verè multum *sudavit & alsit, multa tulit fecitque.* Ecclesiæ Romanæ eo tempore præerat Nicolaus III. Imperio Rudolphus, Bojariæ superiori Ludovicus Severus, inferiori Henricus XIII. Salisburgensem lituum ferebat Fridericus, Pataviensem Petrus, Ratisbonensem Henricus II. Brixinensem vero Bruno Comes de Kirchberg.

Monemus hic obiter Lectorem, post literas Conradi Episcopi Anno 1278. in favorem Fratrum Xenodochii S. Spiritus Monachii exaratas nullam deinceps mentionem nobis hactenus occurrisse. Hinc, quo fato Sacra illa familia Monachii desierit, nescire nos fatemur.

CAPUT

CAPUT QUARTUM.

Fridericus, XXVIII. Epiſcopus Friſingenſis.

§. Unicus.

Compendium Regiminis Friderici.

SAepius in Inſtrumentis Friſingenſibus hujus ævi nomen Friderici occurrit, è quo tamen diſcerni non poſſet, quis eorum poſt Conradum II. Sedem Friſingenſem conſcenderit, niſi fida ac coæva manus Weihenſtephanenſis ad annum Chriſti 1279. hæc appoſuiſſet: *Chunradus Epiſcopus obiit, Fridericus Summus Præpoſitus ſubſtituitur.* Quis fuerit noſter Fridericus. Et de hoc ipſo ex actis anni 1266. conſtat, eum fuiſſe ortum ex Comitibus de Montalban, ſeu de Monte Albano: quæ nobilis familia, ex judicio Illuſtris Comitis de Prandis, ejuſdem ſanguinis cum hodiernis Comitibus de Schlandersperg erat. Annum Electionis, ut confidimus, benè deteximus. Menſem, diemque nullibi ſufficienti fide reperimus annotatum, quamquam certum eſſe debeat, cum aut Menſe Martio, aut Aprili dicti anni fuiſſe aſſumptum.

Paucula de Friderico Majores noſtri nobis reliquerunt, quæ proinde compendio complectemur. Primum, quod ſub Friderico Epiſcopo occurrit, Inſtrumentum Menſe Majo anno 1279. exaratum continet, Rudolphum Imperatorem N. 172. ad preces Friderici Epiſcopi confirmâſſe jura ac privilegia Lacopolitana, quæ Meinhardus Comes Tyrolis invaſerat. Aliæ literæ eodem anno Menſe Decembri conſcriptæ reperiuntur, quas Gerlochus de Hertenberch Epiſcopo noſtro tradidit juramento firmatas, ſe deinceps nullam injuriam Gunthero Friſingenſis N. 173. Eccleſiæ Mareſchallo, à quo ob rixas Lacopoli in captivitatem redactus fuerat, illaturum.

Ad annum Chriſti 1280. ex actis publicis nihil ferè memoriâ dignum occurrit, præter mortem Nicolai III. PP. quam is die 22. Menſis Auguſti obiit, qui Obit Nicolaus III. PP. eo anno neminem habuit in Cathedra Petri Succeſſorem. Menſe Julio Epiſcopum noſtrum Lacopoli fuiſſe moratum, diſcimus ex literis, quibus ibi feuda N. 174. quædam ſibi aperta iterum elocavit.

Die 22. Menſis Februarii ſubſequentis anni ſuffragiis Cardinalium unanimibus in Pontificem electus eſt Martinus IV. antehac Tituli S. Cæciliæ Cardinalis. Martinus IV. PP. Rudolphus uti ſemper, ita eodem anno omnes curas ad ſopiendas Statuum Imperii rixas atque diſcordias feliciſſimè impendit. In Bojaria noſtra circa illud tempus extinctæ fuêre multæ illuſtres familiæ, quarum opes potentiæ Bavaricæ accrevêre. Fridericus Salisburgenſis Archiepiſcopus eo anno Synodum coëgit, Synodus Salisb. cui inter cæteros Epiſcopos etiam Fridericus noſter interfuit. Acta Synodi Mezgerus ſtrictim exhibet. In actis ab Harduino relatis quorumdam Epiſcoporum ibi præſentium nomina manifeſtè fuêre depravata

Menſe Martio hujus anni Epiſcopus noſter cum Friderico de Freuntſperg, Dapifero ſuo ſuper officii ſui proventibus ſequentem in modum tractatum inſtituit.

Nos Fridericus Dei gratia Friſingenſis Epiſcopus notum cupimus fieri tam præſentibus quam futuris, quod reſignatis Domino Chunrado venerabili Predeceſſori noſtro

stro felicis recordacionis septem libris denariorum Monaceñ. quas Fridericus Miles de Friuntsperch dilectus noster Dapifer & Ministerialis de theloneo Monacensi tenuerat loco proventuum sui dapiferatûs officii, idem prædecessor noster redimens ab eodem Friderico pensionem VII. libr. sibi curiam nostram sitam in villa, que dicitur Homeras Dyocesis Brixinensis in recompensacionem pro XXX. libris denariorum Monacensium ante annos aliquot obligârat. Veniens itaque ad nos prelibatus noster Dapifer à jure, quod ei in predicta curia competebat, cessit liberè & absolutè, renuncians omnibus instrumentis seu litteris sibi super obligacione sepe dicta editis & conscriptis. Nos quoque restituimus seu reassignavimus eidem Friderico usufructus sepe dicti sui officii recipiendos annis singulis secundùm consuetudinem à retroactis temporibus approbatam. In cujus rei testimonium presentem cedulam conscribi jussimus, nostri & prefati Friderici sigillorum munimine roboratam. Hujus rei testes sunt. H. Mosburgensis, H. Ismensis, E. Sancti Viti: Magister H. Werdensis, Magister Her. Ardacensis, C. Inticinensis, O. Slierseensis Ecclesiarum Prepositi; C. & M. Canonici Frisingenses. C. Miles de Heslang, Vl. Miles de Vellenberch, & Al. frater ejusdem & alii quam plurimi fide digni. Dactum & actum Frisinge anno Domini Millesimo CC. LXXXI. Nonis Martii.

* Lilienfeld. N. 175. N. 176. Mense Majo idem Episcopus noster Monasterio Campililiorum* certa jura ac prædia in Austria cessit: Mense vero Julio à Rudolpho Imperatore priscam in Austria venandi licentiam nova confirmatione roboratam impetravit. Quo eodem Mense nemine non obstupescente nix cecidit Frisingæ & alibi: unde tanta secuta est frumenti caritas, ut etiam nobiles pane ex avena confecto uti coacti sint. E Monasterio Eberspergensi hoc eodem anno ad Cœnobii Wessofontani Regimen vocatus est R. P. Udalricus Moser, qui deinceps fortunas ejusdem Monasterii & fortiter vindicavit, & egregiè auxit.

Constat de hoc Episcopo nostro, eum anno 1282. Mense Decembri ex Paralypsi obiisse. Hinc tanto minus mirandum est, cur eo anno nulla ejus acta reperiantur. Freibergerus de eo sic scribit: *nihil emit, nihil vendidit: solummodò pecuniis intentus fuit: sed dimidia pars secundùm communem æstimationem non fuit inventa. habuit secum familiares, qui de eadem pecunia suspecti erant. Sepultus in Capella S. Leonardi.* ubi sequens lapidis sepulchralis inscriptio visitur: *Sexto Idus Decembris anno Domini MCCLXXXII, obiit Frisingensis Rector, fortis ut Hector: transmigrans iste poscit tua gaudia Christe.*

Fridericus Ep. construit & dotat Sacellum S. Augustini. Etiam SS. Ambrosii & Francisci cultor præcipuus. Domus Tegernseensis Frisingæ. Hic Episcopus ad Sacellum S. Augustini in ædibus, dictis Schöneck, constructum tradidit Molendinum in Nozing, & prædium quoddam in Lampferding, ut ex annuis reditibus Festum dicti Sancti Ecclesiæ Doctoris solemnius celebretur. Dies quoque Divorum Ambrosii & Francisci honoribus sacros voluit festivius peragi, assignatis in eum finem ex Ecclesia Veldkirchensi & prædio in Ismaning proventibus. Plura de hoc Episcopo hactenus non reperimus. Tegernseensia monumenta habent, Abbatem loci sub Friderico pretiô comparâsse domum quamdam propè Ecclesiam S. Andreæ in Monte, quam posteà Successor Friderici Enicho à Tegernseensibus obtinuit, alia quadamm æde in ejus locum in foro Urbis assignata. de his suo loco redibit mentio.

Rudolphus Imp. promovet res Familiæ suæ. Ex publicis Imperii actis hujus anni sequentia lubet delibare. Rudolphus Imperator de Imperio jamjam optimè meritus Augustam Vindelicorum solennia Comitia indixerat. Comparuêre in Rudolphi filiorumque ejus Alberti ac Rudolphi gratiam cum pompa exquisitissima Imperii frequentes Principes, quibus etiam accessisse fertur Wenceslaus Bohemiæ Rex, tametsi primùm duodecimum aut decimum tertium annum ageret, interfuturus honoribus affinium suorum, qui eos exspectaverant. Antequam omnes Principes essent congregati, Imperator filium suum Albertum Elisabethæ, Mainhardi Comitis Tyrolensis lectissimæ filiæ, despondit. Nuptiæ fuêre festivissimè celebratæ, atque eo pacto Rudolphi hæredibus ac posteritati jus quoddam non solum in Comitatum Tyrolensem & Carinthiæ Ducatum, verum etiam in Austriam accessit. Postea cum Principum adventan-

ventantium numerus esset auctus, Rudolphus frequenti Senatui hæc jussit proponi: *Constare Principibus, se à primo Electionis tempore summa virium contentione, etiam cum propria vita evidenti periculo eò semper collaborâsse, ut collapsum perniciosissimò interregnò Imperii statum restitueret: id quod etiam accedente divino auxilio consecutus fuerit. Nec minùs scire Principes, se avulsam ab Imperio Austriam eidem iterum adjunxisse. Provinciam illam equidem destitui in præsens herede masculo; interea tamen Uxori Meinhardi Comitis Tyrolis jus quoddam in Austriam competere, quod ipsa in filiam suam Elisabetham transtulerit, ac ceu dotem assignaverit. Confidere itaque se, Principes esse passuros, ut filium suum Albertum, Elisabethæ sponsum, Austriæ Ducem renunciaret. Rursus cum etiam interfectò Conradinò Duce orbata esset Suevia, cujus aliàs pars notabilis ad Habspurgicos pertineret, sperare se, eosdem Principes consensum facilem præbituros, si alteri filio Rudolpho eam jure beneficiario commendaret. Cæterùm se semper eò collaboraturum, ut de Imperiò, Imperiique Statibus quàm optimè mereretur, ac favoribus Principes, Statusque complecti valeret.*

Ad hæc plerique Principum, quibus Cæsaris propositum jamjam antehac innotuerat, facilem illi assensum præbuêre. Soli ferè duo Bojariæ Duces Ludovicus & Henricus Austriam, Carinthiamque sibi deposcebant, quippe quæ multis titulis ipsis essent debitæ, & à Bojaria injustè fuissent quondam avulsæ. Verum actum egêre, cùm Imperatoris merita præ oculis versarentur, cui eapropter denegari nihil poterat, maximè quia etiam obstabant jura Elisabethæ, cujus cum Alberto Nuptias Ipsi Principes promoverant. Ita Boji tulêre repulsam, utut modestissimam: qui posteà etiam nondum absolutis Comitiis redière in Bojariam. Rudolphus verò Alberto filio Austriam, Rudolpho Sueviam, Mainhardo Carinthiam feudorum Imperialium nomine festivissimè tradidit.

Bojariæ Ducibus frustra repugnantibus.

Filii Rudolphi Imp. munifice dotantur.

In hunc annum incidêre famosæ illæ Vesperæ Siculæ, quas breviter hic inserendas censuimus. Compendium rei hoc est. Solemnibus Paschæ diebus Joannes Prochryta Siculus cum Græcis & Arragoniis convenerat, ut per totam Insulam uno eodemque tempore, dum sacrarum campanarum sonitu ad Vespertinos Hymnos populi de more convocarentur, omnes ubique Galli occiderentur, quippe quorum jugum Siculi ferre diutius non possent. Res tam secretè acta est, ut Galli inermes nihil tale vererentur, nihil suspicarentur. Campanis itaque consonantibus mox itum est in Gallos tantâ sævitiâ, ut non solum Milites, verum etiam Uxores & parvuli immanissimè trucidarentur. Fœminæ etiam Siculæ, quæ fœtum ex Gallis conceperant, truculentissimo ferro cecidêre, ne quid Francici sanguinis in Sicilia superesset. Ferunt octo Gallorum millia spatiô duarum horarum cæsa fuisse. Non desunt Scriptores, qui existiment, Deum hanc atrocissimam cædem permisisse in pœnam Caroli Andegavensis, Siciliæ tunc Regis, qui Conradinum atque Fridericum, nobilissima & ultima suarum familiarum germina, immiti Carnificis ferro succiderit, & Augustas familias inaudita crudelitate extinxerit, ut alibi jamjam meminimus.

Vesperæ Siculæ.

CAPUT QUINTUM.

Enicho, XXIX. Episcopus Frisingensis.

§. I.

Primordia Enichonis Episcopi usque ad annum Christi 1288.

DE Enichone, ceu Divi Andreæ adhuc Præposito semel, iterumque in superioribus mentionem ingessimus. Erat progenitus ex Comitibus Silvestribus, Conradi II. Episcopi Fratruelis, Vir egregiè doctus, atque facundus. Fratres habuit Hugonem Præpositum Ardacensem & Canonicum Moguntinum, ac Gerardum Præpositum Frisingensem. Ejus Electionem ad diem 24. Mensis Januarii anni 1283. videmus referri, in qua superâsse dicitur æmulum suum Henricum de Klingenberg Rudolphi Imperatoris Cancellarium; qui tamen annis sequentibus Constantiensem Mitram reportavit. De hoc nostro Episcopo ad annum sui Regiminis primum Mensibus Majo, & Junio legimus, quod varias Ecclesiæ suæ illatas injurias validè represserit, & mediante arbitro Friderico de Hauseck adversus Adelhaidem de Reinperch prædium quoddam Haberberch dictum, quod Antecessor Episcopus absque Cathedralis Collegii consensu elocaverat, præsente magna Nobilium frequentia feliciter evicerit. Id actum est Waidhovii *in Aula*, nempe Castro Episcopali. Prolixas literas damus in altera Parte.

Electio Enichonis.

N. 177. 178. 179. Incipit jura Ecclesiæ tueri.

N. 180.

Rudolphus Imperator eo anno gravissimum vitæ discrimen adiit. Cùm enim adversus quosdam Sueviæ Comites, qui se Rudolpho nihilò deteriores esse jactitabant, arma strinxisset, eorumque castra, eruptionibus ad prædas, ac cædes opportuna destruxisset, ac tandem etiam ad Sabaudum, ejusdem indolis Principem debellandum progressus esset, in conferta hostium agmina mira virtute prolapsus, confosso, cui insederat, sonipede in terram ruens, cum multis hostibus unus pugnavit, ac tandem, cum resistere multitudini non posset, in vicinum lacum se præcipitem dedir, armis, atque loricâ gravem, ubi arrepto palo tamdiu natavit, donec Hermannus de Waldeck eum suis accurrens Cæsarem periculo eripuit, suis interim hostes fortissimè profligantibus, & in fugam agentibus. Ubi tantò major erat Rudolphi gloria, quantò is non robusta, aut virili, sed senili potius ætate pugnam commisit.

Ehrenspiegl. pag. 119.

Porro sedatis eum in modum turbis Rudolphus Clero Imperii magna immunitatis privilegia asseruit: in utroque Magnus: in utroque Cæsar.

Majo Mense sequentis anni ad superos transiit Fridericus II. Salisburgensis Archiepiscopus, cui omnium eligentium suffragiis Rudolphus de Hocheneck, Rudolphi Cæsaris Vice-Cancellarius, Vir per omnia maximus, suffectus est. Interim extinctâ Familiâ Comitum de Mosspurg, universum Mospurgense clientelare Dominium ad Frisingensem Ecclesiam rediit. Illud postea Mense Octobri Henricus Bojariæ inferioris Dux à nostro Episcopo sub certis legibus accepit. Juvat statim hic exprimere feudales litteras.

Dux Bavariæ Dominium Mospurgense jure beneficiario accipit.

Nos

Nos Heinricus Dei gratiâ Comes Palatinus Reni Dux Bawarie tenore presentium profitemur, quod universa feoda infra nostri ducatûs terminos sita, que olim Comites de Mosburga à Frisingensi Ecclesia possidebant, post obitum eorumdem Comitum sine heredibus decedentium à manibus Reverendi in Christo Patris & Domini nostri Karissimi Domini Enichonis venerabilis Episcopi Frisingensis suscepimus nos & heredes nostri feodali titulo possidenda. Ipse vero Dominus Episcopus Frisingensis in collatione hujusmodi feodorum ad Comites quondam in Mosburga spectantium excipiendo se & suos Successores retinuit Advocatiam in Isen cum omnibus ejusdem Advocatie attinentiis quesitis & inquirendis. Et insuper Advocatias curie villicalis in Mosburga & dotis ibidem in Scho(e)nperge, & in utroque Hummel, in quantum ad Domini Episcopi mensam spectant antedicti. & in Seiboltstorf, & in Moshaim, & in Reut, & siquas alias possessiones habet inter Frisingam & Mosburgam sitas in presentiarum has & non alias Dominum nostrum Episcopum recognoscimus recepisse. de Hummel videlicet ambobus intelligimus sive proprietate, sive jure advocatitio quicquam optineat in eisdem. Nos verò è converso promisimus pro nobis & heredibus nostris, quod Judices nostri non debent de cetero ipsius Domini nostri Episcopi Frisingensis Judices seu Officiales impedire in judicio exercendo in possessionibus suis apud Æutingen, sed Officiales & judices memorati Domini Episcopi judicabunt in possessionibus suis ibidem omnia preter homicidium, furtum quocumque, & violentas virginum & mulierum oppressiones, & legem Corneliam, in quantum pertinet ad fracturam hostiorum & domorum, & preter gravia vulnera ex gladiis & cutellis provenientia, deformitatem aut perpetuam lesionem aut mutilationem aut nasûs vel oculorum privationem inducentia, que debeat per nostrum provincialem judicem judicari. Aput utrumque verò Hummel Domini nostri Episcopi Judices & Officiales omnes culpas, noxas & excessus judicabunt preter maleficos, videlicet fures homicidas Virginum & Mulierum Oppressores, quos judicabunt Domini nostri Episcopi Judices & Officiales, & judicatos tradent nostris judicibus puniendos, sicut in districtibus quibusdam Ecclesie Frisingensis extra nostrum dominium optinuit ex antiquo. Ad hec promisimus, quod nos seu heredes nostri forum in Mosburga in edificiis vel structuris Civitati Frisingensi prejudicantibus nullo modo recuperabimus, & quod nichil juris in praita spectante ad curiam villicalem in Mosburga vendicabimus, aut usurpabimus quoquo modo. preterea etiam promisimus, quod nullum prorsus impedimentum prestabimus in transitu & vectura salis civibus & hominibus extraneis occasione fori Mosburgensis in Civitatis prejudicium Frisingensis. Novissimè promisimus Preposito & Canonicis in Mosburga observare illibatas omnes libertates, articulos subnotatos, videlicet, quod eisdem Preposito & Canonicis instituere & destituere licat suos colonos in eorum prediis & possessionibus, atque corrigere jure suo illos, qui se per Matrimonium ab Ecclesia Mosburgensi alienârint, & quod familia eorumdem Canonicorum & Officiales non trahantur ad judicium secūlare in causis levibus, in quibus Canonici habebunt cognoscere de excessibus eorumdem. & quod fugitivi ad Monasterium de Mosburga & ad domus eorumdem Canonicorum, quas inhabitant, gaudere debeant emunitate debita & consueta. Actum & datum Mosburge Anno Domini Millesimo CCLXXX. quarto, octavo Idus Octobr. Testibus presentibus subnotatis, qui sunt, Domini Gerhardus Sancti Andree, Eberhardus Sancti Viti in Frisinga, Magister Heinricus Werdensis, & Fridericus Mosburgensis Ecclesiarum Prepositi, Bertholdus de Housen Archidiaconus & Canonicus Frisingensis, Herbordus Sancti Andree & Leonhardus Sancti Viti Ecclesiarum Canonici, Otto de Waldek, Heinricus de Wolvoltsdorf, Wimarus Vrumesel, Bertholdus de Geboltspach, Dietmarus Leitner, Chunradus Turtenvelderius Milites, Chunradus de Halunberch, Albertus Judmannus, Chunradus de Putelpach Ministeriales Ecclesie Frisingensis, Bertholdus de Swellingen. Ex parte verò nostra Magister Fridericus nostre Curie Prothonotarius, Albertus Comes de Hals, Chunradus de Preisingen, Albardus de Vraunhoven, Richkerus & Harpertus fratres de Abaim, Heinricus de*

*al. preparemus.

M 3 Pholin-

Pbolingen, Purchardus de Winterberch Milites & alii fide digni. In cujus rei testimonium & in perhennam memoriam presentem paginam nostri pendentis sigilli munimine jussimus roborari.

Arembeckius factum illud perperàm ad annum sequentem transtulit: benè tamen ostendit, etiam aliquos Duces sequentes ab Episcopis Frisingensibus fide clientelari ditionem Mospurgensem accepisse.

Monachii eo anno jussu Ludovici Ducis Fratres Minores S. Francisci ex Monasterio in Anger migrârunt in aliud Monasterium recens erectum prope Ducalem Aulam Veterem (*Altenhof*) cum eos Dux sibi propiores habere optâsset. Angerense Monasterium Monialibus Divæ Claræ fuit assignatum. Episco-
N. 181. po nostro interim jus patronatûs Ecclesiæ in Probstorff coram Delegato Apostolico adjudicatur: qui etiam literas indemnitatis ob damna à Wilhelmo Scherffenbergio in Guttenwerd illata accipit, Viennæ in die S. Clementis datas: qua de
N. 182. re infra mox iterum erit sermo.

Proximo anno Christi 1285. ad superos die Mensis Martii 28. abiit Martinus PP. IV. ex morbo Medicis incognito. Cardinales post quatuor dierum intervallum concordi suffragio Jacobum Sabellum, S. Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinalem Perusii Martino substituerunt, Honorium IV. dictum, uti Franciscus Pagius probat: *ex quibus* (pergit Pagius) *constat, observatam non esse Constitutionem Gregorii X. de reclusione Cardinalium in Conclavi post novemdialia.*

Martino V. sufficitur Honorius IV.

Judæi Monachii igni addicuntur.

Variæ Bojariæ turbæ ad eundem annum à variis Scriptoribus recensentur, quæ tamen ab aliis ad annos præcedentes referuntur. Nos, quoad fieri potest, manus coævas sequimur, è quibus illud è Codice Weihenstephanensi, & aliis Scriptoribus antiquis certum est, eo anno Monachii fœminam quamdam ab Hebræis pecunia corruptam, vicino suo parvum filiolum abstulisse, & juratis Christiani Nominis hostibus Judæis tradidisse: cujus illi sanguinem punctùris plurimis elicuerunt, nefandis usibus adhibendum. Patratô immani facinore Hebræi fœminam illam rursus pecunia aggressi, eandem permoverunt, ut alium quoque parvulum suffuraretur. Hunc quoque cùm illa ad Judæos esset deportatura, â Patre insequente deprehensa, territa, & ad judicium delata, facinus confessa est. Vulgatâ mox per urbem rei indignissimæ famâ cives concurrerunt; ac Judæos centum, ac quadraginta (al. octoginta) ignibus concremârunt. Hodie locus impii facinoris, vulgò *die Grufft*, Divæ Virginis Deiparæ honoribus sacer est, ubi multæ gratiæ clientibus Partheniis divinitùs dispensantur. De illo, Deo dante, plura suô locô.

Episcopus noster Viennæ.

In antiquo Chronico Claustro-Neoburgensi, à P. Hier. Pezio edito legimus, Episcopum nostrum Enichonem Viennæ Nuptiis filiæ Mainhardi Comitis Tyrolensis Dietrico Thuringiæ Landgravio desponsata una cum Episcopo Seccoviensi, atque universis penè Austriæ, & Styriæ Nobilibus interfuisse.

N. 183. Scherffenberg us promittit satisfactionem.

Mense Januario ejusdem anni supra dictus Wilhelmus de Scherfenberch pro damnis, quæ Colonis Frisingensibus in Gutenwerd intulerat, coram testibus scriptò sese obligavit, se, nisi usque ad medium imminentis Quadragesimæ dictis Colonis injurias resarturus esset, octo prædia in Villa Logon Ecclesiæ Frisingensi ceu propria consignaturum. Literæ datæ fuerunt Gutenwerdæ.

Posthac

Posthac Episcopus noster Welsium superioris Styriæ se contulit, ubi ad preces Henrici, eo nomine tertii Abbatis Admontensis, cui Albertus Austrius Provinciæ Styriæ gubernationem, & Episcopus Seccoviensis Ecclesiastici Status reformationem commiserat, plura clientelaria prædia vacantia Udalrico, & Henrico fratribus, Abbatis ex Sorore Nepotibus, sub certis conditionibus tradidit. Mense Octobri Enicho Inticam se contulit, ubi ad ejus preces Albertus Comes Goritiæ, & Tyrolis Officiales suos, qui Intiecenses variis, multisque vexationibus offenderant, coërcuit: & circa alia quoque jura protectionem Episcopo adpromisit. N. 184. *Episcopus beneficus erga Nepotes Abbatis Admontensis.* N. 185. *Sarciuntur injuriæ Inticenses.* N. 186.

Eodem anno die 22. Mensis Novembris Rudolphus Imperator Oratores ad Honorium Pontificem misit cum literis, quibus aut exponebat, aut potius simulabat se Romam venturum ad capessenda Imperii insignia, rogando Pontificem, ut diem Coronationi Imperiali præfigeret. Pontifex multo tractatu super eo negotio habito, rescripsit Imperatori ultimo die Maji sequentis anni, & diem Purificationis B. M. V. anni 1287. constituit, hortatus Imperatorem, ut, qua par esset, pompâ ad celebritatis augendam Majestatem se compararet. Verùm cum Rudolphus identidem timeret, ne ex suo discessu novæ turbæ in recens pacata Germania subnascerentur, & aliàs Italis sese credere nollet more Antecessorum suorum, è quibus multi lætè intraverant Italiam, nunquam verò sine aliquo incommodo, aut luctu reversi fuerant, iter illud semper distulit, ac demum omninò omisit, contentus coronam Imperatoriam sibi deberi. *Rudolphus agit de sui coronatione.* *Ast minimè seriò.*

Cæterùm cùm eum in modum multorum animos suspendisset, ipse S. R. I. Electorum Numerum auxit, & tribus Sæcularibus, tribusque sacris Principibus Bohemiæ Regem, generum suum, adjunxit, eo consilio, ut si fortè vota eligentium forent numero paria, septimus Elector dubium discerneret, & eum Imperatorem diceret, cui ipse accessisset. Eo pacto Rudolphus quatuor Romani Imperii Electores nactus est generos. *Rex Bohemiæ adnumeratur Electoribus Romani Imperii.*

Interea Episcopus noster Mense Junio Lacopoli cum Wilhelmo S. Martini Plebano rationes iniit, atque eum 120. Marcarum Aquilejensium denariorum debitorem deprehendit. has cùm ille in præsens numerare non posset, fidejussores obtulit, & sic Episcopo tantisper satisfecit. Paulò post, nempe Mense Julio, Albertus, Goritiæ, atque Tyrolis Comes, incertum, an gratuita liberalitate, an stringente quadam obligatione, eidem Episcopo nostro (quem passim consanguineum suum appellat) annuos 50. Marcarum proventus assignavit; quos tamen ab Episcopo feudi nomine recepit. Eodem adhuc Mense cum Comitibus de Ortenburch partitionem liberorum, qui ex utriusque subditis conjugio junctis nascerentur, tractavit, atque conclusit. Postea Lacopoli Monachium reversus, in Monasterium Schefflariense perquàm liberalis fuit. Mense Novembri cum Monasterio Rotensi de dividendis liberis tractatum iniit; eodemque Mense exemptionem à telonio Monacensi iisdem Rotensibus confirmavit. Demum facta permutatione Tegernseensibus pro cessione cujusdam domûs infra muros Frisingenses sitæ aliam in eadem urbe assignavit. N. 187. N. 188. *Comes Goritiæ munificus erga Episcopum nostrum.* N. 189. N. 190. N. 191. N. 192. N. 193.

Circa initium anni 1287. Cardinalis Joannes, Episcopus Tusculanus, ceu Sedis Apostolicæ Legatus venit in Germaniam, petens ab Imperatore auxilium adversus Hispanos, & Gallos, quippe qui Ecclesiæ, & Imperio in Italia multa subtraxissent, ac etiamnum possiderent. Imperatori integrum non erat discedere ex Germania, in qua adhuc passim timeri debebant discordiæ, neque omnia prædantium Nobilium castra destructa erant. Itaque ulterius urgente Cardinale Ecclesiasticos Principes Herbipolim convocavit, ubi Legatus ingens subsidium ad bellum sacrum petiit, nempe decimam (alii scribunt, quartam) partem omnium Ecclesiasticorum proventuum, & quidem ad annos quatuor ab universo Clero Pontifici pendendam. Convenerunt autem Herbipoli Henricus Trevirensis, Sigefridus Coloniensis, Arnoldus Bambergensis, Enicho Frisingensis, Bruno Havelburgen- *Ehrenspiegl.* *Pontifex ab Imperatore petit suppetias.* *Principum conventus*

burgensis, Conradus Argentoratensis, Henricus Merseburgensis, Bruno Brixinensis, Sigefridus Augustanus, Burchardus Metensis, Reinboldus Eustettensis, Probus Tullensis, & plures alii; & ipse quoque Imperator haud procul aberat. Audita Legati postulatione cum nemo alius in faciem ei resistere auderet, Probus Tullensis Episcopus, SS. Theolog. Doctor, Ordinem Divi Francisci antehac professus, suggestum conscendit, & oratione energica Legato sese opposuit, totius Cleri nomine ad Concilium Generale provocando. Irritatus ea voce Legatus statim Probum, ceu Sacræ Sedi refractarium, diris devovit. Oritur interim in Ecclesia tumultus, & imprecationi Legati uno omnium ore contradicitur, adeò, ut Legatus timeret, ne mortem sibi Germani inferrent. Hinc in tantas vociferationes prorupit, ut Ministri Itali è templo sese proriperent, atque exclamarent, Pontificium Legatum à Germanis fuisse trucidatum. Audiit ista Imperator, & mox è Corporis sui Custodibus Bernardum de Bobenhausen cum aliquot armatis misit, qui Legatum, si fieri adhuc posset, periculo eriperent. Hunc illi inter Episcopos medium, & præ timore semimortuum repererunt, & ad suum diversorium reduxerunt. Ita re infecta singuli Episcopi ad Sedes suas reversi sunt. Solus Probus Episcopus à Legato è cœtu fidelium motus posthac Lituum Pastoralem resumere prohibitus, & ad Ordinis sui socios se recipere jussus est: quam ille sententiam etiam æquô animo, & hilari vultu tulit.

Resistit.

Porrò dùm hæc aguntur in Germania, Honorius Pontifex in Cœna Domini mortuus est, cui ob Cardinalium dissidia integro illo reliquo anno nemo in Romana Sede successit. Episcopus noster eo anno Mense Februario quandam prædiorum permutationem, inter Monasterium Schefftlariense, & Libhardum Nobilem de Westerhaim factam, ratam habuit.

Mors Honorii PP. *N. 194.*

Illustres Domini de Freindtsperg Udalricus cum Conjuge sua Rukarde, item Conradus, & Fridericus omnes germani Fratres eodem anno, Christi 1287. ædificium sacri sui Parthenonis in Valle Beatæ Mariæ (*Mariathal*) qui est locus hodierni Comitatûs Tyrolensis, Frisingensis tamen Diœcesis prope Ratenbergam, ad felicem finem perduxerunt, congruis proventibus dotârunt, illudque Monialibus Divi Dominici, è Monasterio Altenhohenau accitis tradiderunt. Operis Director erat Wigandus ejusdem Ordinis Prior Ratisbonensis. Episcopus noster unà cum Cathedrali suo Collegio easdem libertates, indulgentias, & gratias novo sacro Gynæceo tum concessêre, tum permisêre, quas alii Conventus ejusdem Instituti per Germaniam consentientibus Locorum Ordinariis à Sede Apostolica fuerant consecuti. Et his in hodiernum usque diem locus ille Parthenius gaudet.

Initia Parthenonis Mariathal. *Hæc ex literis Frisingam datis.*

§. II.

Acta tum publica, tum privata ab Anno Christi 1288. usque ad 1295. ubi de coëmpto Comitatu Werdenfelsensi.

Honorio IV. Pontifice ante decem, & amplius Menses è vivis sublato tandem Anno 1288. 22. Febr. conspirantibus omnium Cardinalium votis electus est Hieronymus Asculanus Cardinalis Prænestinus, qui grat. in Nicolaum III. à quo in Collegium Cardinalium adscitus fuerat, animi ergò Nicolai IV. Nomen assumpsit, primus ex Ordine S. Francisci Pontifex renunciatus, ut Franciscus Pagius accuratè deducit. Julio Mense Enicho Episcopus noster Marquardo Abbati Tegernseensi, quem Avunculum suum vocat, confirmavit exemptionem à telonio ad Pontem Monacensem, ab Ottone II. Monasterio illi concessam.

Nicolaus IV. PP. *In Brev. Gest. Pontificum Rom.*

Damus

Damus literarum Compendium in parte 2. N. 195.

In Tomo VI. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii legimus, eodem anno die 7. Novembris translatum fuisse Corpus Beati Virgilii à Rudolpho Salisburgensi Archiepiscopo in Synodo, quam eo tempore convocaverat, cooperantibus sibi suffraganeis suis Enichone Frisingensi, Henrico Ratisbonensi, Bernero Seccoviensi, Bernardo Pataviensi, N. Gurcensi, Conrado Chiemensi, & Conrado Lavantino Episcopis. Inter Abbates etiam præsens erat Fridericus Mellicensis, uti Fasti ejus Monasterii memorant. Inter cætera, quæ in ea Synodo decreta fuerant, prohibebatur Ecclesiasticis Personis, ne Officia Sæcularia in se susciperent. Eo decreto præcipuè notabatur Admontensis Abbas, qui, ut supra diximus, Alberti Austriaci nomine Styriam gubernabat. Statuto illo offensus idem Albertus Austrius, maximè, quod videret, Archiepiscopum gratiarum à Cæsare Rudolpho, Patre suo, acceptarum immemorem, passim adversus eum bilem exerere, prædia quædam Archiepiscopi diripuit. Neque Archiepiscopo animus defuit cum Alberto manum hostilem conferendi. Multæ ultrò, citroque direptiones, incendia, cædésque secutæ sunt. Pag. 1274. Translatio S. Virgilii. Synodus Salisb. Offendit Albertum Austriacum. Inde novæ rixæ.

Convenerant equidem Lyncii sequenti anno Christi 1289. ad pacem inter litigantes constituendam ambo Bojariæ Duces, Arnoldus Episcopus Bambergensis, Enicho noster Frisingensis, Henricus Ratisbonensis: Comites item Udalricus de Heimburg, & Fridericus de Ortenburg: ast nullo effectu secuto. Archiepiscopus non ita multò post mortuus Mitram, bellumque successori reliquit. Metropoliticum Collegium Rudolpho Archiepiscopo Stephanum, Henrici Bavariæ Ducis filium substituere cogitabat, eumque in finem Oratores, & inter hos Episcopum Lavantinum Conradum ad Pontificem miserat. Ast Pontifex ubi intellexit, Stephanum 21.um ætatis annum egressum non esse, Salisburgensibus prædictum Lavantinum Episcopum Conradum præfecit. Mors archiepiscopi. *Mezger in Hist. Salisb. pag. 451.* Conradus IV. Archiep. Salisb.

Rudolphus Imperator proximo anno Christi 1290. Comitia Erfordiæ celebravit, & Saxoniæ Provincias latronibus purgavit, centum & undecim capite damnatis, & plusquam sexaginta arcibus eversis. Scribunt nonnulli, ambos Bojariæ Duces, qui hactenus, nescio quibus de causis, inter se dissidebant, bis, & quidem aliquando Frisingæ ad tentandam concordiam convenisse, quo effectu secuto, incertum. Addunt, Ludovicum, Bojariæ Superioris Ducem, cogitasse de castro, seu arce Frisingæ erigenda, cui se, absente Episcopo, Cathedrale Collegium opposuerit metu futuri periculi ex ædibus munitis oborto. Litis postea arbitrium ab utraque parte commissum fuisse Ratisponensi Episcopo: qui pro Ludovico pronunciaverit. Hæc illi. In Frisingensibus chartariis ea de re nihil invenio. *P. Gabr. Bucel. in Annal. German.* Dissidia inter Duces Bojariæ.

Rudolphus Imperator exactis vitæ 73. annis, morti jamjam propinquus anno 1291. Francofurti nova Comitia convocavit, in quibus cogitabat Albertum filium suum, Austriæ Ducem, Electoribus commendare, ut is Regni Successor renunciaretur. Verùm dum Electores diffidebant, nihil actum est: ac Rudolphus paulo post Mense Augusto Germershemii è vivis excessit, Insigni pompa funebri Spiræ sepultus. Ejus de Imperio merita in superioribus retulimus. gratitudinis tamen studio ducti, quas is in Monasterium Benedictoburanum gratias contulit, tribus, quæ supersunt, Instrumentis in altera Parte demonstramus. Austrii Styriique eo anno adversus Albertum Ducem in aperta prorupêre odia, quod is Suevis, Hermanno imprimis Landenbergio, & Eberhardo Waldseensi curam Provinciæ ad coercendam quorumdam Austriacorum licentiam præ indigenis commisisset. Mors Rudolphi Imp. N. 196. 197. 198.

Primi tamen cessere Viennenses, ab Alberto recepti in gratiam, postquam omnia sua Privilegia Alberto permiserunt: quæ is publicè legi jussit, &, quæ sibi, posterisque suis fraudem afferre possent, laceravit. Schyrenses Annales memorant, eo anno Ulricum Perchtinger è Cœnobio Tegernseensi ad Mitram Schyrensem fuisse evocatum. Austriaci frustra se opponunt Alberto Duci. Pag. 287.

PP. Eremitæ S. Aug. introducuntur Monachium.

Ratisbonæ anno præcedente R. R. P. P. Eremitæ S. Augustini Comitia totius Ordinis Generalia Mense Junio celebraverant. In his inter cæteros comparuêre Viri qua Sanctitate, qua Doctrina præcellentissimi Beatus Clemens Auximas, totius Ordinis Supremus Magister, etiam rebus ultra vires naturæ gestis celeberrimus: B. Ægidius Romanus, è nobilissima Columnensium Familia Oriundus, in universitate Parisiensi, ubi *Doctoris Fundamentalis* Nomen retulit, SS. Th. Professor publicus, deinceps verò Archiepiscopus Bituricensis in Gallia: B. Augustinus Novellus de Therano: B. Henricus de Weymaria Saxo, Professor Parisiensis, aliique Viri præstantissimi.

Horum pulcherrimum vitæ genus, ac Religiosissimam conversationem adeo probârunt Serenissimi Bojariæ Duces Rudolphus, ejusque Frater Ludovicus, postea Imperator, ut aliquam ejus Instituti Coloniam sibi Monachium mitti petierint: Cui etiam Anno 1291. prope, & extra Urbis mœnia (quibus tunc quidem Monachium claudebatur) in loco, qui eo tempore *das Haberfeld* nominabatur, spatiosam aream assignârunt. P. Otto de Vohburg illuc à suis cum aliquot Fratribus missus, primus Prioris Officium gessit, & ex Principum munificentia prima tum Ecclesiæ, tum Cœnobii fundamenta jecit. Verum de his suo loco plura.

Miser status Rei Christianæ in Terra Sancta.

Cæterum annus, de quo agimus, Rei Christianæ in terra sancta funestissimus fuit. Christiani eo tempore adhuc Ptolemaidem, Urbem Syriæ nobilissimam, & Mercatorum Orientis, & Occidentis ditissimum Emporium, ac prætera alia fortalitia in iis partibus obtinebant: quæ ipsa tamen omnia hoc anno amiserunt, expugnante illam Ægypti Soldano, multis fidelium millibus tum trucidatis, tum mari suffocatis, tum in captivitatem redactis. Multi opinabantur, quod, si Fratres Hospitalarii, Templarii, ac Teutonicæ Nationis, cum reliquo populo paria studia fovissent, actum egisset Soldanus. Rebus adeo afflictis, Nicolaus Papa omnibus Ecclesiarum Prælatis mandavit, ut Synodos Provinciales cogerent, atque deliberarent, qua potissimum ope vel consilio Soldano occurri posset?

Porrò Synodus Salisburgi celebrata rescripsit Pontifici, consultum videri, ut prædicti tres Ordines coadunarentur in Ordinem unum sub uno Duce, melioribus eorum observantiis retentis, cæteris vero abjectis. Præterea etiam Romanorum Imperatorem cum aliis Regibus, atque Principibus esse implorandum. Idipsum etiam alii sacri Præsules suadebant. Sane Nuncii Salisburgenses, qui hæc exponere Pontifici jussi fuerant, eundem jam non repererunt inter vivos, quippe mortuum anno 1294. die 4. Mensis Aprilis. Itaque totum Pontificis propositum mors destruxit, jactura Terræ Sanctæ nunquam satis deplorandâ. Post mortem Nicolai ob Cardinalium dissidia in annum usque tertium Sedes Apostolica vacavit. Corona verò Imperii studio potissimum Moguntini Archiepiscopi & Electoris imposita est Adolpho Nassovio, sexto post Rudolphi obitum mense, quam tamen exspectaverat Albertus Austrius, sedandis eo tempore Austriæ turbis intentus.

Nicolai PP. mors destruit consilia christiana. Adolphus Nassovius fit Imperator.

De Episcopo nostro Enichone legimus, cum anno eodem quædam jura, ac vini pensionem annuam pretiô comparâsse.

N. 199. In Frisingensibus Actis ad Annum Christi 1293. nihil occurrit animadversione dignum, præter Instrumentum quoddam, quo quidam Lacopolitani conciliati fuêre circa jura aliqua, quæ beneficii nomine ab Ecclesia Frisingensi possidebant. Instrumentum exhibemus in secunda Parte, idque maximè ob nomina multorum Te-

N. 200. stium, quæ ibidem recitantur. Collegio D. D. Canonicorum S. Andreæ eo anno Meinhardus Carinthiæ Dux, Comes Tyrolis notabilem à teloneis immunitatem concessit. Weichenstephanenses ad eum annum notârunt, die 27. Julii ventorum vehementiâ plures ædes, ac muros fuisse dejectos. Secuta est statim post initium sequentis anni Mense Januario Mors Ludovici Bojariæ Superioris Ducis, qui, postquam superiori anno Viros Aris addictos Laicorum judiciis exemit, ac

Mors Ludovici Sev. Ducis Bav.

Fri-

Frisingensi Ecclesiæ, atque quibusdam Monasteriis, aliisque illata damna refundi jussit, Severus esse desiit, pia morte defunctus. Tumulo illatus est Firstenfeldæ, Episcopo nostro Frisingensi cum Antistite Ratisbonensi justa funebria Eidem persolventibus. Filios reliquit Rudolphum, S.R.J. Electorem, Comitem Palatinum Rheni, & Ludovicum, Superioris Bojariæ Ducem, post electum Imperatorem, ut suo loco dicemus.

Immortali beneficio eo anno Ecclesiam suam sibi devinxit Episcopus noster, quando à Bertoldo Comite de Eschenlohe Comitatus Partenkirchensem, & Mittenwaldensem coëmit. Damus venditionis literas.

Episcopus Enicho comparat Comitatus, Partenkirchen, & Mittenwald.

Wir Grafe Perchtolt von Eschenloch tun allen den chunt, die disen prieff angesehent, und gehörent lesen, daz wir die Grafschaft ze Partenchirchen, und ze Mittenwald, gesucht, und ungesucht, mit elliu diu daz darzu gehört mit Vogetei, mit gerihte, mit Grafenfuter, mit Wäiden, mit geiaid, mit Vischwäide, mit allem dem reht, als wirz gehabt haben, mit Leuten, und mit gute verkouffet, und gegeben haben unserm lieben herren dem Pischof Enichen ze Frisingen ebichlich zu besitzzen, und ze niezzen, mit sogetanem geding, daz er, oder sin Nachchoem uns geben sol alle iar, dieweil wir leben ze Partenchirchen fünif Potzner fuder wins, des wins, des man im ierchlich von keler git, des sullen zwai fuder bei dem pesten sin, und der andern gemäiner wein, der im von dannen chumt, und were aber, daz er voer ehafter no(e)t, daz ist, ob er denselben win, als verre versezze, oder sust vor vrleug, oder voer unfrid heraus nicht chomen mohte, daz er uns dez wins angeuerd niht mehte gegeben, so sol er uns fur denselben win geben zwainzich zal markh Perner, wir enhellen dann uf den win gern biten, und ist auch daz wir des anders niht gelouben wellen, so sol itz sin orberster Winprobst bereden, daz dem also si ane geuerde, und dem sullen wir gelouben, darzu sol er, oder sin nachkome, swenn er iar und tach nunz, und gewer an derselben Grafschaffte hat gehabt, uns geben ze Purckhute zwainzich pfund Münicher pfenning, und sol uns die halbe geben auf Sand Gorgen tach, und halb uf Sand Marteins tach, diewil wir leben, und stet auch an unsrer wal, ob wir an dem draten iar sitzen wellen hintz Werdenvels, oder swenn wir wellen danach, da sol er uns auch die vorgenanten zwainzich pfunt Municher pfenning ze Purkhute hingeben, oder anderhalp, swa wir sitzzen, die wil wir leben, und swenn wir nicht mer sin, so ist paider wine, und Purkhute ledich dem Pischof von Frisingen, und auch dem Gotshuse daselben, ane alle widerred, und darumb daz derselb chouf, und derselbe gewerft unserm lieben herren dem Pischof Enichen, und dem Gotshus ze Frisingen ebickblichen stete welib, darumb haben wir die vorgenanten Grafschaft, und alles daz, daz dazu benant ist, und daz darzu gehort, gesuht und ungesuht, verlihen ze rehtem leben unserm vorgenanten herren dem Pischof und sinem Gotshus ze Frisingen zetragen, und zehalten hern Friderich dem Hellen von Aurolfingen, und hern Ulrich dem Pucher, die des Pischofs Ritter sint, und Engelwan von Wippenhusen, Wernher von Nännhouen, Chunrade von Nännhouen, Chunrat von Puetelpach, Frideriche dem Swebinger, Hainrichen dem Sinatzen, Ludewige dem Paltzinger, Märchline dem Mulrieder, Chunizeline dem Protär, und Häinriche dem Ismonninger, die alle des Gotshuss, und des Pischofs ze Frisingen Dienstman sint, und dieselb haben dazselb Lehen mit unserm hant, und mit unsern guten willen gesetzt unserm Herren dem Pischof und dem Gotshus ze Frisingen umb tusent March lotiges silbers. Und daz daz alles war si, und auch ebichlich belib stete unserm Herren dem Pischoff, und dem Gotshus ze Frisingen, darumb haben wir in disen brief gegeben undern unserm, und unsers Herren des Aptes von Tegernse, und under unsers Obaims Gebhartes von Wilheim Insigeln versigelt. Daruber ist demnach geziuch der voergenanten Taidingen allersamt, und des vorgenanten gewerftes unser herren Apt Marquart von Tegernse, und Apt Chunrat von Wibensteuen, Tumbrost Gerhart ze Frisingen, Her Eberhart der Chelner, der Probst von Sand Vite, Her Ott von dem Tor Probst ze Slierse, Her Perchtolt der Geboldspeche, Her Perchtolt der Husner, Her Eberhart von Pullenhusen, Her Arnolt von Eschenloch, Her Winmar der Helle, die alle Chorherren

sint ze Frisingen. Unser Herr Graf Friderich, der Hochmäister was ze dem Tempel, der von Montfort, Gebhart von Wilhaim, und sin sun Gebhart, Her Wernhart der Vrei von Hagenawe, Her Perchtold von Egolfingen, Ulrich Unster, Chunrat Hochenprukker, Heinrich Gerr, Chunrat Aiserstain, und dennoch ander Leute genueg. Daz ist geschehen nach Christes Geburd uber tausent iar, und uber zwai hundert iar, und in dem vierden iar nach neuntzich iaren an Sand Gregorigen tach.

Utilitas illius contractus. Existimamus, nunquam ab aliquo Frisingensi Episcopo Dominia tam utilia, tam opportunè sita fuisse pretio comparata. Præterquam enim, quòd Census annui exinde accrescentes sint seipsis notabiles, etiam illud præcipui commodi accedit, quòd secundò fluviô Libusa ex Municipio Partenkirchensi, ac vicinia: ex altero verò Municipio Mittenwaldensi secundo flumine Isara possint Frisingam nulla difficultate celeriter advehi Marmora, ligna, esculenta omnis generis, maximè Rupicapræ, quibus Comitatus præcipue Partenkirchensis mire abundat: item Cervi, Capreoli, Attagenes, & alia id genus volatilia. Præterea Comitatus ille Principibus suis delicias Regibus dignas exhibet, dum eo venandi gratia se conferunt. Sæpius enim fit, ut uno aspectu venantibus sese offerant ducentæ damæ in petrosis suis atque altissimis cacuminibus conspicuæ, quæ ex vicino monte globis trajici facile possunt, ac deinceps ad mensam novam voluptatem afferunt, etiam egregiis pellibus suis obsequium exhibentes, & ægagrotilos (*Gambskugl*) suos, ut Medici vocant, aliaque ad Medicinam apta subministrantes. Et hæc omnia Frisinga Enichoni suo fert in acceptis.

Mense Majo prædicti anni Episcopus noster Basilicam Divi Petri Monachii rursus Divinis honoribus dedicavit, atque novis indulgentiis locupletavit. Literas rei gestæ in parte altera recitamus. N. 201.

Mense Junio postea portorium Monacense quibusdam civibus Monacensibus sub certa annua pensione Episcopus noster locavit.

Monumenta R. R. P. P. Eremitarum S. Augustini, & alia Monacensia produnt, Episcopum nostrum hoc anno 1294. die 31. Martii Veringæ datis literis novam constructionem Monasterii, & introductionem P. P. Eremitarum S. Augustini in Urbem Monacensem probasse: postea Monachium sese contulisse, ac primâ Dominicâ post Festum SS. Apostolorum Philippi & Jacobi primo quidem præsentibus Rudolpho, & Ludovico Ducibus Chorum Ecclesiæ R. R. P. P. Minorum S. Francisci sacris cæremoniis initiasse; postea verò non deposito habitu Pontificio, comitante, & applaudente magna populi frequentia ad Cœnobium Eremitarum S. Augustini fuisse progressum, ibique primam aram in honorem S. Joannis Baptistæ, S. Joannis Evangelistæ, ac S. Augustini consecrasse, & demum etiam consueta benedictione Cœmeterium lustrasse. Neque vero prima erat ea gratia, quam Reverendissimus Noster Antistes Patribus Eremitis S. Augustini concessit, quippe qui jam ante decennium, nempe Anno Christi 1284. facultatem iis largitus fuerat in Urbe, ac Diœcesi Frisingensi verbum Dei libere prædicandi, addita etiam noxarum remissione iis; qui Patrum illorum piis exhortationibus aurem præbituri, aut peccata sua confessuri essent. Harum Gratiarum testes literas in secunda Parte plena manu recensebimus.

Consecratur Ecclesia PP. Augustinianorum Monachii.

N. 202. 203. 204. 205.

Cæterum post mortem Nicolai IV. Pontificis, qui, ut diximus, die 4. Aprilis Anno 1292. obierat, Sedes Romana vacavit usque ad Mensem Julium, præsentis anni 1294. adeoque annis duobus, ac tribus Mensibus: & tunc primum Cardinales urgentibus civibus, nutu magis Divino, quam deliberata voluntate elegerunt Petrum de Mortone, sic dictum à Monte Morrone, quem pacatioris vitæ desiderio cum fratribus suis, Divi Benedicti Regulam, quam adolescens solenniter professus fuerat, rigidè observantibus inhabitabat, idque non sine lacrymis, quod viderent, suffragia sua unanimia se contulisse in Virum verè sanctum, deinceps dictum Cælestinum V. qui novam Congregationem sub dicta S. Benedicti Regula fundaverat, ab ejus nomine *Cælestinorum* appellatam, quæ usque hodie eximiè

Petrus de Morrone eligitur in Pontificem, dictus Cælestinus V.

miè floret. Tantum onus Vir humillimus non nisi coactus demum admisit: cumque id diu gerere solitudinis studio neutiquam vellet, paulo post Constitutionem edidit, quæ extat *cap. quoniam de Renunciat. in 6.* qua declaravit licere Pontifici se dignitate abdicare. Et tunc demum post menses circiter sex *priscam solitudinem, in qua suavissimum ac jucundissimum Angelorum & Beatorum colloquium crebro delibaverat, secum animo repetens, illamque amplissimo Dominatui longe præferens, Urbisque & Orbis deliciis potiorem ducens mirando, inauditoque supremi honoris & sui-ipsius contemptus exemplo, Papatu sese ultro abdicavit.* Causabatur inter cætera Vir sanctus scientiæ defectum; quod quidam Cardinales, Tiaræ Pontificiæ dudùm inhiantes cum voluptate audierant, imò etiam inscitiam ei palam affinxerant, multa alia in eo inique carpendo. Ast quam nullum scientiæ defectum reipsa habuerit, solidissimè Franciscus Pagius demonstrat, dum recenset ejus scripta: nempe 1. de virtutibus Opus quinque partibus distinctum. 2. De vitiis, & de hominis vanitate. 3. De Exemplis, & aliis Moralibus. 4. De Sententiis Patrum Eremitarum. 5. De Miraculis B. Mariæ Virginis. 6. De Censuris, seu summam Cœlestinam. 7. De Sacramentis Ecclesiæ. 8. De Decem Præceptis Decalogi. 9. De Præceptis Ecclesiæ. 10. De Legibus. 11. Epistolas septem ad Varios. 12. Formulam literarum, ut vocant, *dimissorialium* ad Ordines suscipiendos. 13. Orationes devotissimas viginti, & plura alia. Atque hæc in venerationem ac defensionem Sanctissimi Pontificis visum est hic inserere.

Breviarium.

Tom. 3. pag. 101.

Cœlestinus inter alia Constitutionem Gregorii X. de includendis post dies novem à morte Pontificis Cardinalibus confirmaverat. Eam itaque legem, eousque non observatam, tandem secuti fuêre Cardinales. Cum enim cessio Cœlestini contigisset die 13. Decembris, postea die vigesima tertia ejusdem Mensis se in Conclavi apud Castrum Novum, Civitati Neapolitanæ contiguum, ubi Cœlestinus cum suis morabatur, incluserunt, & die mox sequenti, 24. Decembris suffragia sua contulerunt in Benedictum Cajetanum, S. Martini Presbyterum Cardinalem, Virum Doctissimum, sed in quo post Ejus assumptionem fastum, & arrogantiam quidam coævi Scriptores notârunt, aliis Ejus virtutes prolixe enumerantibus. Is Bonifacii VIII. Nomen sibi indidit, Romæ in S. Petri Basilica die 2. Mensis Januarii 1295. coronatus: qui, ut nonnulli volunt, posthac Cœlestinum arctæ custodiæ inclusit, quod timeret, ne forte Vir sanctus à populo devoto tanquam Summus Pontifex coleretur, maximè quia à nonnullis dubitabatur, an is Pontificatum licitè relinquere potuerit? Alii tamen de Bonifacio modestiora recensent.

S. Cœlestino V. succedit Bonifacius VIII.

Dum hæc fiunt in Italia, Enicho Episcopus Noster recens coempto Comitatui Werdenfelsensi præfecit Hertwicum, ex pervetusta Illustri Familia Eckheriana natum: qui idcirco primus nomine Frisingensis Ecclesiæ eum Comitatum administravit. Id egregiè probatur ex Monumento quodam Benedictoburano, coæva manu scripto, ubi agitur de terminis quibusdam Territoriorum Werdenfelsensis, & Benedictoburani, Anno Christi 1295. constitutis, aut potius renovatis. Juvat in debitum obsequium Illustrissimæ Familiæ Eckherianæ Instrumentum illud huc exscribere.

Hertwicus Ecker primus nomine Frisingensis Principis Præfectus comitatuum nuper coëmptorum.

Anno Domini M CC L XXXXV. proxima Dominica ante Mychaelis lis orta fuit pro terminis prædiorum nostrorum in Walgowe, & ipsa lis eodem die decisa est & determinata per viros discretos utriusque partis, quibus commissum fuerat in animas eorum. Erant autem octo viri, qui prædictos terminos super animas suas coram nobis Abbati in Burren & Judice de Werdenfels cognomine Ekker taliter limitaverunt, & bonâ conscientiâ distinxerunt: ex parte Frisingensium quatuor scilicet Wernherus Swer de Mittenwalde, Hertwicus, Terrenbochus, Pertholdus Hinteberger, & Cho(v)nradus Vettler. Ex parte vero nostra Hainricus Gero(v)ner & frater suus Hainricus. Fridricus de Enznowe & Chu(o)nradus Cholbe de Dessenbach. Hii insimul congregati iurati dixerunt una voce, quod sepis, quod vulgariter dicitur Fridzo(v)n, debet ire de Ecclesia super Sesteich &

circa totum Sefteich usque ad Winchelfeld, & circa totum Winchelfelt usque an das chrumptal. & hanc sepem debent sepere solumodo coloni Frisingensium. item der panZo(v)n vadit altera parte de Ecclesia usque in aquam, qua dicitur Vinze. hanc sepem debent communiter omnes sepere. Item omnes communiter tam nostri quam Frisingenses debent insimul communicare pascuas tam in campis, quam in nemore de Sestaeige ultra pascuam, qua dicitur phareich usque in Walgo(v)wen furtte. item dixerunt, quod una fibro(v)tt debet ire de Espansestor usque in Tferam, & si Frisingenses volunt illam vertere, tunc debent sepere superiorem sepem, & nostri debent sepere inferiorem. Si autem Frisingenses nolunt hanc sepem sepere, tunc nihil debent illuc pellere. item dixerunt, quod R(v)odolfmose & Forhpergenmose specialiter pertineant nostris, & Saberfee & superior Sabermose pertinet Frisingensibus, Testes qui huic facto interfuerunt, sunt de MittenWalde. Chunradus Friese. Hertwicus Judex. Hainricus scolaris. Otto Welgi. Chunradus Reinardi filius, Pertholdus Hinterperger, Wernherus Swar, Hertwicus Zerenbo(v)ch, Chunradus Vettler. De nostris Hainricus Geruoner & frater suus Henricus, frater suus Fridricus, frater suus Pertholdus, Chunradus Cholbe, Chunradus Niokonne, duo Ruota de Nazaret, Albus & filius suus de Nazaret, Suevus & filius suus. Chunradus de Walbense, Geruoner de Jachenawe, Meinhardt & Petrus de Nazaret, Phrille de Toche, Albus praepositus, Hainricus Werbmaister. Bernhardt de Osterboven, Nicher de Germisgò. Pertholdt Hofischer. de Walgò: Chunradus Geron, Hainricus Weigser, Karolus Weibser, Hainricus & Wernherus dicti Fober. Pernhart Husser. Ulrich Besinger, Chunradus Hozkircher. Joannes de Schiringen, Ortolf Tegan. Chunradus & Pertholdus Ram So(v)wer. Cho(v)nradus Cocus, & alii fide digni.

In hoc Instrumento Hertwicus Eckher non vocatur equidem *Praefectus*, sed *Judex* Werdenfelsensis. Ast nomine *Judicis* antiquis illis temporibus bene intelligebatur idem, quod hodie nomine *Praefecti* significatur. Quid enim est hodie Praefectus, nisi is, cui judiciaria potestas intra certos limites concessa est? Verum ista monere eruditos, supervacaneum est.

Caeterum hodie Monasterium Benedictoburanum nulla praedia in Comitatu Werdenfelsensi possidet, ut suis locis dicemus.

Obitus S. Petri Coelestini.

Eo adhuc anno Coelestinus sanctissimam animam ad Coelos transmisit, cruce aurei coloris, nullibi affixa, sed mirabiliter in aëre prae foribus Sancti Viri pendente, quam Custodes jam à die praecedente conspexêre. Robertus Salentinus Viri Sancti Discipulus animam Coelestini in coelum efferri conspexit. Claruit statim etiam post mortem magnis prodigiis. Tumulo illatus est in sui Ordinis Monasterio Ferentini.

§. III.

Prosecutio Actorum usque ad Annum 1302. ubi de quorundam Sacrorum Coetuum interitu.

Interitus Monasterii Madronensis.

Circa annum 1296. Rubolphus, superioris Bojariae Dux, & Comes de Surberch gravibus dissidiis fuêre collisi. Nemini vero ea contentio durior accidit, quam Madronensi nostro Monasterio, de quo jam in primo Tomo plura retulimus. Illud à diffidentium militibus non solùm rebus omnibus spoliatum, verum etiam solo aequatum est, Monachis omnibus inde in exilium ejectis. Erat tum in eo Monasterio Monachus quidam Conradus, natus ex Comitibus de Hornstein, Antecensium Comitum Consanguineus. Hic inter alia Liturgiam quandam vetustam, ac pretiosam, quam Majores sui fieri curaverant, ipse vero Madronam ceu partem Patrimonii attulerat, furori diripientium subduxit, & Sacello Andecensi, jam tum celeberrimo, quo se ceu ad natale solum contulerat, dono

dono dedit. Id quod totum ipse in Sacro illo Codice notavit. Hæc Liturgia etiamnum in Andecensi celeberrimo Monasterio asservatur. Residui proventus desolati Monasterii hodie percipiuntur à loci Præposito, quem Reverendissimi Frisingenses Ordinarii semper è suis Canonicis solent assumere, atque instituere. Porro Ecclesia Madronensis præterea etiam habet Ministrum è Clero Sæculari, qui ibi Divina peragit.

Episcopus noster succurrit Monasterio Tegernseensi.

Vix non paribus fatis eo tempore obnoxium fuit Celeberrimum Monasterium Tegernseense, in quo ejectis cæteris nonnisi sex Sacerdotes Religiosi morabantur. Ea de causa Marquardo Abbati, Avunculo suo, Enicho Episcopus noster proventus Ecclesiæ in Warngaw consentientibus Ecclesiæ suæ Canonicis An. 1297. in perpetuum annexuit, postquam annis præcedentibus eidem Monasterio etiam immunitatem à teloneo Monachii ad Isaræ pontem solvendo confirmavit, ut supra diximus.

Felicior status Monast. Benedictoburani.

Ad quod plures ejectæ Moniales convolant.

Vicinum Monasterium Benedictoburanum eo tempore videtur meliori fortuna gavisum fuisse, quippe quod aliis saeris hominibus potuit opem ferre. Id lego in antiquo Codice Ebersperġensi, cui titulus: *Etliche Chronickhen* : ubi sequentia habentur. *Nota, quod sub Annis Domini M CCC. & circa illa tempora infra spatium XX. annorum propter nimiam aggravantiam, & exactiones Principum, & Advocatorum suorum infra scripta Cenobia Sanctimonialium depauperaverunt, & subierunt Claustrum S. Laurentii Peyrn Ordinis S. Benedicti* (nempe Monasterium Benedictoburanum, cui adjunctus erat Parthenon S. Laurentii) *Claustra in Pollingen, & in Raitenbuch Ordinis S. Augustini Regularium Canonicorum, & Claustrum Ordinis Præmonstratensis etiam Monialium in Staingaden.* Eadem propemodum verba Hundius ex Codicibus Pollinganis, & Dietramicellensibus extraxit, quæ in Ejus Metropoli Lector inveniet, ubi de Pollingano inclyto Monasterio agit. Sane quamdiu ibi tot Moniales potuerint subsistere, non possumus decernere. Ipse Divi Laurentii Parthenon ob temporum, hominumque injurias postea esse desiit.

Etiam Monasterium Monialium Benedictoburanarum extinguitur.

Triclinium Monialium Benedictoburanarum nostra adhuc ætate conspeximus: uti etiam Divi Laurentii Sacram Ædem; quæ tamen sub Placido, atque Eliando nuper defunctis, ac Magno nunc feliciter præsidente Abbatibus debuerunt cedere novis ædificiis.

Adolphus Imperator fastiditur.

N. 206. 207.

Enicho favet Alberto Austriaco,

Qui armis prævalet. Fit Imperator.

Anno jam supra dicto, Cristi 1297. Adolphus electus Romanorum Imperator complurium Imperii Principum, Statuumque odia incurrit, Albertum, Austriæ Ducem sibi in Regem deposcentium. Inter hos etiam Enicho Episcopus noster Alberto adhæsit, eidemque ante mediam Quadragesimam Welsii notabilem pecuniæ summam sub certis pignoribus mutuam dedit, uti ex Instrumentis ibidem, & in Monasterio Admontensi conscriptis liquet. Quorsum iis pecuniis indigeret Albertus, cito innotuit, dum statim ingentem exercitum per Bojariam duxit; quo ipso tempore cum sex armatorum millibus Frisingæ pernoctavit, uti coæva manu Weichenstephanensi edocemur. Progressæ sunt Alberti Copiæ in Alsatiam usque, ubi militum numero auctæ Adolphum, ab omnibus fere Principibus (exceptis Ottone, & Rudolpho Bojis) derelictum sibi cum exercitu habuere obvium. Secutum est prælium acerrimum, quo Albertus ipse proprio, ut quidam volunt, pugione Adolphum interfecit, paulo post à Principibus, à quibus jamjam antehac in Regem cooptatus fuerat, iterum, & quidem plurium accessione, Rex renunciatus, ac coronatus est. Ei Principum Conventui etiam Enicho noster interfuit. Deinceps idem Imperator Principes, Statusque Imperii Norimbergam convocavit, qui maximo numero convenere. Tradunt aliqui, alteram Alberti electionem ibi factam fuisse. In iis Comitiis novus Cæsar filium suum primogenitum Austriæ Ducem dixit: dum interim Bonifacius Papa Sextum Decretalium Librum, summorum Virorum opera pluribus locis ad majorem claritatem redactum, ad Scholas publicas misit.

Libri Decretalium publicantur.

Electioni Alberti refragatur Pontifex primum: Petierat à Bonifacio eoipso tempore Albertus recens electus Romanorum Imperator missis solennibus nunciis, ut sui repetitam electionem ratam haberet. Verum Bonifacius multis juris & facti rationibus asseruit, electionem illam fuisse irritam, ac nullam. Imo adhuc post triennium ad Electores Imperii literas dedit, quibus Albertum in judicium accersivit, & per Moguntinum, Coloniensem, ac Treviresem Archiepiscopos Alberto denunciavit, ut Oratores suos ad Sedem Apostolicam mitteret, ad impositum sibi læsæ Majestatis crimen, quod cæso Adolpho commiserat, purgandum. Sed tandem Bonifacius propter obortam inter se, ac Galliæ Regem Philippum gravissimam simultatem, ut haberet, quem opponeret Philippo, electionem probavit recepta ab Alberto promissione satisfactionis pro omnibus injuriis, & facinoribus commissis; item præstito juramento fidelitatis: ac Confirmationis omnium Privilegiorum ac jurium ab Imperatoribus Antecessoribus Romani Sedi concessorum. Ita electio primum quinto, postquam facta est, anno, Christi 1303. fuit confirmata, ut infra plenius monebimus.

Franc. Pagi. Tom. III. p. 527. 140. Quam postea ratam habet.

Metropol. Salisb. T. I. p. 168. Interea Frisingæ Cathedrale Collegium Anno Christi 1299. declaravit, nihil juris se circa ædes à Duce Bojariæ ibidem exstructas postulare, nihil etiam deinceps postulaturum, velut apud Hundium legimus. Frisingæ ea de re nihil reperio.

Ad Annum Sæculi XIII. ultimum, Christi 1300. multi notant, Bonifacium VIII. fuisse primum Institutorem Centenariæ Indulgentiæ, quæ hodie Jubilæi nomine appellatur. Verum Franciscus Pagius in Gestis Bonifacii egregie demonstrat, sacræ hujus Indulgentiæ observationem Bonifacio esse antiquiorem. Ii, qui Veterum Romanorum Ritus non ignorant, sciuntque centesimo quolibet anno Ludos Sæculares Romæ magna Religiositate fuisse celebrari solitos, facile intelligent, eum Pontificem, qui hanc primus instituit, ad Ludos illos respexisse, & ad tollendum superstitiosum Romanorum Sæcularem annum, sanctum illum annum instituisse, christiane quolibet sæculi fine celebrandum. Semper enim curabant Vicarii Christi, ut profanis Gentilitatis Ritibus Christianos opponerent, & sic priscas superstitiones eliminarent, uti passim Bartholomæus Piazza docet. Sane ut Bonifacius quoque Majorum vestigiis insisteret, & eam Indulgentiam firmius stabiliret, egregia testimonia quorundam, qui ultra centum annos provixerant, & Centenariæ Indulgentiæ ad finem proxime elapsi sæculi Romæ concessæ memores erant; adduxit: His accessere repetitæ preces Cardinalium, Procerumque Romanorum, quæ facile permoverunt Pontificem, ut Jubilæum publicaret. Subsequentes Pontifices Paulus II. & Sixtus IV. cum vitæ humanæ brevitatem considerarent, eas Indulgentias intra centum annos quater dispensandas censuere, uti hodieque praxis habet.

Tom. III. a pag. 530.

Emerologio Romano.

Nova factidia in Germania, Dum in Italia Pontifex saluti animarum dictum in modum prospicit, Alberti tamen electionem stabilire recusat, ingens in Germania contra Imperatorem tempestas exoritur. Causa tumultus potissima erat, quod Albertus portoria, Imperatoribus antiquitus solvi solita, verum ab Electoribus Rheni in suos usus tracta, repeteret, causatus non immeritò, quod alias paucula admodum subsidia ab Imperio Imperator caperet. Id permovit Moguntinum, Coloniensem, Trevirensem, & Palatinum Electores, ut de Alberto evertendo, atque exautorando consilium inirent. Animadverso periculo Cæsar hostes aggressus, eorum conatus ita fregit, ut fere præter id, quod sperari poterat, paulo post è tantis periculis liber emerserit. Saraceni, hodie Turcæ dicti, eo anno primum sibi Regem Ottomannum delegere, qui Turcicæ Monarchiæ initium dedit, cujus progenies latissime prolatis Imperii finibus, etiamnum Sceptrum Turcicum rotat.

Tölzense municipium venditur Enichoni Episcopo. Municipium Tölzense (olim Germanice dictum *Tollenz*, unde Aventinus illud forte non incongrue latino sermone vocavit Tollenciacum) ad ripam Isaræ haud procul ab Alpibus Superioris Bavariæ cubat, populosum sane tum numero civium,

divium, tum vicinorum affluentiâ Colonorum Alpestrium, qui ibi necessaria emunt, vendunt. Illud cum castro adsito, ac vicinis quibusdam juribus Enichoni Episcopo nostro vendidit Rudolphus Bojariæ Superioris Dux, reservato tamen jure illud reluendi intra decennium. Literæ Tractatum plenius dabunt, quæ sic habent.

*Wir Rudolph von Gotes genaden Pfalzgraf ze Rein, und Herzog ze Bayren verieben und tun chunt allen den, die disen Brief ansehent oder horent lesen, daz wir mit Ludwig unsers Bruder hant, und mit sinem guoten willen unserm lieben herren und Mag, * dem ersamen Bischof Enichen von Frisingen, und seinem Gotshaus unser Purch ze Tollentz mit dem Marcht darunder, und drey Mül an dem Marcht, mit sogetanen guoten, die hernach geschriben sint, ze Gräling vierzehen lehen, ze Vispach zwelf guot, ze Läutzing zwey guot, ze Rinchenrain ein lehen, ze Vakichaw ein lehen, ze Mültal einen hof, und ein lehen ze Sahsenheim einen hof und einen Zehenden, der in dem hof get, ze Ratswinchel ein lehen, ze Pursenried zw Swaig, und darzu den Zehenden, den wir haben in der Pfarr ze Chümhstorf, kleinen und grozzen. Der Marcht und dieselben Urbor gelten mit sampt der Steur eins und neunzick pfunt, und acht und dreizik pfenning Müncher, und an derselben gült ist gerait der mutt waizs Müncher mas umb zwelf schilling Müncher pfenning, der Rokk umb ein pfunt, deu Gerste umb fünf Schilling, der Haber umb ein halbes pfunt, ie daz swain als es nach dem Vrbor stet, daz hundert chaes auf einer swaig umb ein pfunt, und auf den Ait, und auf der anderen swaig daz hundert umb fünf Schilling, daz huon umb einen pfenning, der Cent aier umb sehs pfenning, und selbe gült ist halben an truchen pfenning, und haben an getraide als vor auz genomen ist. Darzu geben wir im allen den geriht, die wir uber daz selb läut und guot gehabt haben, mit allem dem reht, als wir es gehabt haben. Wir geben im auch allen den reht, die wir haben gehabt uber des Gotshaus läut und guot ze Frisingen, die da ligent und sint in unserm geriht ze Wolfratshausen. deu vorgenant Purch ze Tollentz, und den Marcht, Urbor, zehenden und geriht, läut und guot verkauft haben dem vorgeschriben unserm Herrn Bischof Enichen und sinem Gotshaus ze Frisingen mit allen den eren, und rehten, die darzu gehörent ze velde, und ze dorf, ze holtz und ze wismat, und ze wazzer, besuocht oder unbesuocht, umb vierzehenhundert pfunt, aht und funfzik pfunt ein halbes und aht pfenning, die iezunt angeslagen sint, und gerait an silber umb Neunburd March, zwo und sibenzik March silbers und sehsthalb lot, und chumbt ie die march umb zwelf Schilling Müncher pfenning, und ist daz selb Müncher geloet, und chumt an dem vorgeschriben chauf ie daz pfunt gaeltes umb sehzehn pfunt Müncher pfenning mit sogetanen geding, daz wir oder unser erben daz vorgenant guot wider chaufen mügen, swenn wir wellen, von dem nahsten Perihtentag inner zehen iaren umb daz vorgeschriben guot, das wir im also an silber verrihten sulen als vorgeschriben stet. und wär, daz wir daz selb guot niht widerchaufen in den iaren, als vorgeschriben ist, so sol es des Bischofs und des Gotshaus ze Frising aigenleich und ewichleich sein, und sulen auch wir und unser erben iegleihs guots nach sinem reht des Bischofs und des Gotshaus gewer sein an aller der stat, da sein not ist und er sein bedarf. Ist auch, daz wir selb guot wider chaufen, swie es danne hat ungevärlich, also sulen wir es wider chaufen, und ist er uns furbaz nihts mer schuldich weder er, noch sein Gotshaus. Er sol auch läut und guot inne haben und niezzen an gevaerde als ander seins Gotshaus guot. Wär auch, daz er an der vorgenant Purig oder an läut oder an guot dheiner slahte schaden neme, swie daz geschähe, daz sulen wir im helfen anten und reten als unser selbs guot. Swaz auch unser vorgenant Herre der Bischof oder sein nachchomen lösen wil des guotes, daz dabei gelegen ist, daz wir versezet haben, des hat er vollen gewalt, also doh swenn er iht desselben guotes lösen wil, daz er daz selb guot, da er damit loset, unsern Amptläuten antwurt, und nah derselben rat und weisung lose, und sol auch uns ez ze losen geben mit dem vorgenant guot als er ez geloset hat. Swaz er auch an der ofgenant Purig verpawt oder verzimmert, dez not ist, daz sol gesten an unserm Rihter ze Wolfratshausen, und an sinen pfleger ze Tollentz, und swie si daz ver-*

* Mag, id est, agnato. vide Speculum Speidelii.

richtent, sol man im widergeben mit dem andern guot. werden aber die zwen ze ebrig umb daz pawe, so sol es gesten an dem TuombProbst ze Frisingen, und an den Probst ze Ilemünster als an einem Vberman, und swaz die danne darüber sprechent, daz sol man stät haben. Und wär auch daz im dheiner slahte schad geschäh, oder beswerung an demselben guot unredleich von uns oder von den unsern, oder swaz wir gewaltleich sein, daz sulen wir im ablegen, und widerlegen in einem Manod, und darumb haben wir im gesazt ze porgen unverscheidenlich und unser vier Amptläut Alb. den Juden. Ch. von Bayrprunn, Heinr. den Preisinger von Wollenzoch, und Lud. den Schenchen auz der Awe, mit der bescheidenheit, ob man iht bräch als vor ausgenomen ist, so sol er die pürgen manen, und dieselben sulen im daz abrihten gentzleichn in einem Manod. Täten si des niht, so sulen si ze Frising invaren in rehter geiselschaft, und nimmer auz chomen, unz ez im gar abgelegt werde, und ob die Pürgen einer niht einwür, des Got niht einwelle, so sulen wir, oder unser Erben im einen andern setzzen, swenn er in vordert, darnach in einem Manod an des toten stat, der als guot sei. Ob wir des niht täten, so sol er die Bürgen manen, und sulen die laisten ze Frising. aber als lang und ez geschehe dar über daz der chauf, und deu taidinch stat und unzerbrochen beleib hinnefür unserm herren dem Bischof sinen nahchomen und dem Gotshaus ze Frisingen von uns, und von Ludwig unserm lieben Prueder, und von andern unsern Erben, geben wir im disen brief mit unserm insigl, darunder sich unser vorgenant Prueder Lud. wan er aigens Insigl noh nit hat, verbindet, und wir in, als ein pfleger mit sambt uns darunder verpindten mit unserer lieben Hausfrowen M. und unsern O.* und S.* Pfalnzgraven ze Rein und Herzogen ze Bayrn, und mit unseren vier Amptläut die vorgenant sint, Insiglen versigelten mit den gezeugen, die da bei waren, und hernach geschriben stent, unser lieber Mag Tumprobst Gerhart von Frisingen, und Probst H. von Ilemünster unser oberster Schreiber, Graf Ulr. von Helfenstein mit des Insigel der brief auch versigelt ist. Chunr. von Plochingen. C. von Wildenrod. Dietr. von Wildenstein. H. sin Pruder. Ekke von dem Hof. Eberh. von Greiffenberch. Berh. von Rechingen. Heinr. der Wat von Gekenpeunt. Ar. von Waldekh. O. von Eyrinspurch und C. von Püllbach Riter. unser lieb getrewen Ulr. von Roremos unser vitztum. Berh. unser Rihter zu München. Heinr. unser Rihter ze Wolfrath, und ander Biderwer läut genuch. Dat. Monaci M CCC. in die Oswaldi.*

* Mathild. * Otto. * Stephan.

Chronic. Bajoar. col. 284.

Arnbeckius ad eundem annum annotavit sequentia. *Item M CCC. in die Matthei Otto, & Stephanus Duces Bavariæ inferioris Dominium & Castrum Kransperg demptis Nobilibus in eo Frisingensi Ecclesiæ donarunt, seu impignorarunt mediante privilegio eorum Sigillis roborato. Hic etiam Otto anno suo ultimo Clero, & Ecclesiæ Frisingensi utilia Privilegia liberaliter donavit.* Hæc Arenbeckius.

Etiam Krantsperga datur Frising. Ecclesiæ.

Rudolphus Dux in Matrem & fratrem injurius.

Superioris Bojariæ Dux Rudolphus sequenti anno, Christi 1301. pupillarem procurationem fratris sui Ludovici, futuri Imperatoris, qui tunc sub potestate Matris Mechtildis hærebat, sibi vendicare studebat. Id ut effectum daret, Matrem & Ludovicum fratrem e Suevia Monachium captivos jussit adduci. Mechtildis potissimum utebatur Consiliis Conradi Otlingeri, fidelis, ac vere prudentis viri. Hunc confictorum scelerum damnatum capite plecti Rudolphus mandavit. Mechtildis Consiliario optimo destituta ad Enichonis Episcopi nostri, atque Ottonis, inferioris Bojariæ Ducis consilia confugit. Horum suasu oppida, sibi violenter erepta, Rudolpho cessit, exiguum censum ad sustentandam viduitatem sibi præservans, ita tamen, ut Tractatus ab ipso Imperatore, fratre suo confirmaretur. Placuit ea cessio Rudolpho: qui idcirco una cum Matre Hochstadium, ubi tunc morabatur Imperator, contendit. Illuc cum venisset Mechtildis, rem omnem Alberto Cæsari, fratri suo detexit, seque in integrum restitui petiit. Annuit justæ petitioni Albertus, ac Mechtildi sorori non solum dotalia loca, verum etiam curam tutelarem Ludovici filii adjudicavit, maximè cum hic protestaretur, se domum non rediturum, nisi sub materna potestate. Rudolpho, qui gravissimum æs alienum contraxerat, vectigalium administratio tamdiu fuit adempta,

donec debita omnia fuissent expuncta. Ipse, sub specie honoris in Aula Cæsaris retentus, ac postea ad bellum, quod Albertus illaturus erat Bohemo, Imperatori comes esse coactus est. Ita Rudolphus, dum fratris Curator fieri optaverat, sub alio Curatore ipse vivere debuit. Enicho Episcopus noster eo anno Castrum Zuestorff cum omnibus bonis ad illud pertinentibus ab Ottone & Stephano inferioris Bojariæ Ducibus coëmit, uti ex literis sequentibus constat.

Luit. Enicho comparat castrum Zuestorff cum prædiis.

Wir Otto und Stephan von Gotes genaden Pfalnzgraven ze Rein und Herzogen ze Bayren tuon chunt allen den, die disen brief sehent, oder hörent lesen, daz wir unserm lieben Herren und Mag dem ersamen Bischof Enichen ze Frisingen, im, und sinen nahchomen und auch dem Gotshaus ze Frising verchaufft und gegeben haben zuelstorf deu veste mit willen und gunst aller der erben, die darzu gehörent, mit allem dem, daz Seyfrit der Frawnberger von dem Zuolstorf und von seinen erben geworben het, und inne gehabt hat besuoht und unbesuoht, ze velde, und ze dorfe, mit allem dem reht, als er ez inne gehabt hat, ez sei dorfgeriht, äkher, holz, Wismat, waide und wazzer, ahgen nah aigens reht, und lehen nah lehensreht, daz haben wir im gegeben und verchauft umb hundert pfunt pfenning Regenspurger Münsse, und derselben Pfenning hat er uns genzlich und gar an allen schaden auzgeriht, und gewert hinz Bauereni und siner geselscheft Chaufläunten von Florenz. Ez sol auch derselbe unser Herre der Bischof sein nahchommen und daz Gotshaus ze Frisingen gewalt haben und reht daz selb guot zu pawen, und ze pezzern mit unserm guten willen, und sulen wir si darzu fürdern und niht irren, und sulen auch wir, und unser erben dhein weis niht gestaten, daz ieman ander daselben ihtes pawe oder zimmere under seinem willen, daz derselben veste oder dem Gotshaus schedlich sei oder werden müg, daz selbe wenden und weren mit der hant. Wir geheizzen und verbinden uns auch darzu, daz alle die Erben, die darzu gehörent, der wir gewaltich sein sich sulen verzeihen auf dieselbe veste, und guot, und sulen auch aufgeben aigen naher Aigens-reht, und leben nah lebens-reht, und sol daz geschehen in einem iar, geschäh aber des niht inner iarsvrist, swelchen schaden daz Gotshaus des näm, den sulen wir im wenden an gevärd als umb unser selber guot. Wär aber, daz ieman dheiner slaht ansprach auf die vorgenannt veste, oder guot hiet, oder noh gewunne mit gewalt oder mit reht, des sulen wir und unser erben dem Bischof und dem Gotshaus ze Frisingen vor sein, und geholfen mit leib und mit guot. Wir wellen auch daz unser Vitztum von der Rot, swer danne ie Vitztum ist, derselben veste und des guotes mit uns, und an unser stat schermen, und retter sein dem Gotshaus ze Frisingen vor aller notred, und vor allem gewalt. Wir sulen auch gewalt haben, und des Zuestorfers erben die dazselb guot durch reht anerbet, wider ze chauffen dieselben veste, und daz guot, von dem nähsten Liechtmissetach, der nu chumt schierst inner sehs iaren, swenne wir wellen, mit unserm, oder mit irem aigenem guot. Und wär daz wir oder dieselben Erben nicht wider chauften dieselbe veste und daz guot in den Jaren, als vorgeschriben ist, so sol ez des Bischofs und des Gotshaus ze Frisingen fürbaz aigenleich und ewichleich ein an alle ansprach, als ander sin aigen, und sin guot. Und daz daz also stät, und unzerbrochen beleib hinne für von uns und von unsern Erben, geben wir disen brief versigelten mit unser baider Insigelen, und mit den gezeugen, die hernach geschriben sint. Unser lieber Mag Herr G. der Tumprobst ze Frisingen, Meister Jorg unser Oberster Schreiber, Graf Ulr. von Sehelchlingen, der Truhsätz von Ekkemül, Ch. von Satelbogen, Reicher unser Viztum von der Rot, Frid. der Aindorfer, und ander genug. Der brief ist geben ze Lantshut, do von Christes geburt waren drewzehenhundert iar, und in dem ersten iar nähsten Montags vor Sunewenden.

Legimus in Annalibus Paderbornensibus, Enichonem Episcopum nostrum sequenti anno, Christi 1302. inter alios Episcopos adfuisse, cum Cæsar Coloniensem Archiepiscopum ad Rodenkircham inter Bonnam, & Coloniam ad obsequium redire compulisset.

§. IV.

Romanæ, Gallicæ, Germanicæ, atque Bohemicæ vicissitudines usque ad Annum Christi. *1308.*

DIcere in superioribus cœpimus, Pontificiam Electionis Alberti Imperatoris confirmationem secutam esse Anno Christi 1303. Nunc rem nonnihil plenius damus.

Pontifici cum Rege Galliæ male convenit. Bonifacius Pontifex Anno Christi 1300. quaquaversum Sacræ militiæ Præcones miserat, omnesque Principes ad mittenda Cassano Tartarorum Regi Christiano auxilia sollicitaverat. Potissimum egit apud Gallos, eorumque Regem Philippum, sed qui bello Flandrico implicitus erat, & idcirco domesticas necessitates causabatur, nec patiebatur, ut præscriptæ à Pontifice collectæ fierent: qua re non modice Pontificem offendit. Gravius exasperavit Pontificem Philippus, cum implacabiles ejus hostes Columnenses ad se profugos recepisset, eoque ipso visus esset eorum defensionem in se suscipere. Gravissimè vicissim Bonifacius, vel (ut rectius dicam) Bonifacii Legatus offendit Philippum Regem, apud quem gravibus etiam exautorationis comminationibus causam Pontificis egit. Non tulit acerbiora verba Philippus, sed Legatum (qui erat Appamiensis in Gallia Episcopus) Narbonensi Archiepiscopo, ejus Metropolitano, in custodiam dedit.

His auditis Bonifacius Legatum alium, nempe Archidiaconum Narbonensem misit, gravioribus etiam comminationibus instructum: qui etiam commissum sibi munus diligentissime exequi sategit. Verum dum ista fiunt, literæ Pontificiæ Legato rapiuntur, &, præsente Rege, igne comburuntur. Sequitur decretum severum adversus mandata Pontificis, ipsumque Pontificem, quod Rex per Legatum suum Petrum Flottam intrepidè nunciari jussit. Bonifacius ad hæc non minus intrepidus gratias à Romanis Pontificibus factas Regibus Galliæ tantisper suspendit, Regemque data epistola admonuit, ut meminisset, se subjectum esse Hierarchiæ Ecclesiæ, cui si obedire nollet, infidelitatis infamiam sibi accersiturus esset. Circumferuntur hodieque literæ Bonifacii ad Philippum, Philippi ad Bonifacium, quæ à quibusdam censentur veræ, ab aliis habentur commentitiæ. Illud tamen certum videtur, diffidia utrinque semper magis, ac magis incaluisse.

Franc. Pagi Tom. III. in Bonifacio VIII. Existimant Viri quidam eruditi, diffidium illud occasionem præbuisse Bonifacio Pontifici, ut Electioni Alberti Imperatoris, quam tanto tempore rejecerat, tandem Anno Christi 1303. confirmationis robur adjiceret. Et hoc ipsum rursus iras Philippi Regis gravius accendit, maximè quando interim Pontifex Regem Galliæ à cœtu fidelium alienum pronunciavit, & jamjam palam declaravit.

Obitus Papæ. Interea Pontifex à Columnensibus Anagniæ capitur, ac male habetur: sed paulo post ab Anagniensibus libertati restitutus, Romam se contulit, & post spatium unius mensis exspiravit, post 302. annos deinceps repertus plane incorruptus. De his videri inter alios potest sæpe laudatus P. Franciscus Pagius.

Tom. I. Scriptor. Rerum Austriac. col. 399. In antiquo Chronico Salisburgensi, quod Cl. P. Hieronymus Pezius publici juris fecit, de Bonifacio (qui ante Pontificatum dicebatur Benedictus) legimus versus sequentes.

Nomina bina tibi sunt, praclarus amictus
Papa Bonifacius modò, sed quondam Benedictus.
Ex re nomen habe: benefac, benedic, Benedicte;
Aut cito perverte: malefac, maledic, Maledicte.

Eodem

Eodem tempore Albertus Imperator Bohemiam bello tentaturus erat. Verum cum Regnum quaquaversum optimis præsidiis, & numerosissimo milite munitum expertus esset, una cum Imperii Principibus, qui ejus exercitum secuti fuerant, re infecta retro cessit. Inter dictos Principes etiam Episcopus noster à Scriptoribus numeratur. *Idem ibid.*

Porro Bonifacio suffectus est Benedictus XI. e celeberrimo Prædicatorum Ordine assumptus. Cæterum eodem anno idem Albertus Imperator mercatum singulis septimanis in Inching instituendum Norimbergæ eidem Episcopo nostro Enichoni concessit, quod inter Frisingensia notata reperimus. Benedictus XI. Papa.

Benedictus XI. postquam Oratores & literas Philippi Francorum Regis recepit, eique etiam non petenti absolutionem à censuris impertivit, sicque Regem, ac Regnum Galliæ in integrum restituit, die sexta Julii anni sequentis ex veneno obiit, Perusii in templo PP. Prædicatorum tumulo illatus. Conciliat Regem Galliæ.

Fatis etiam Mechtildis Rudolphi Palatini Mater, Alberti Imperatoris soror concessit. Proximo anno, Christi 1304. varii Nobiles ad resarcienda damna, Frisingensi Ecclesiæ illata, varia prædia Episcopo nostro Enichoni cesserunt, sed ea mox feudi nomine ab eodem receperunt. Idem Enicho Episcopus Officium rei Venatoriæ Bertholdo Röchlinger, ejusque hæredibus atribuit. Bertholdo Smozer vero, qui certas decimas in Holzhausen, & Ampach fidei clientelari ab Ecclesia Frisingensi possederat, ast tunc Præmonstratensem Ordinem in inclyto Scheffilariensi Monasterio amplecti cogitabat, gratiam fecit, ut easdecimas eidem Cœnobio libere donare posset. Instrumenta damus in 2. Parte. N. 208. 209. 210. 211. 212. 213. N. 214. N. 215.

Interim post mortem Benedicti XI. Sedes Pontificia vacaverat Mensibus decem, & viginti quatuor diebus, cum demum anno Christi 1305. ad Summum Pontificatum à Cardinalibus assumptus est Clemens V. Gallus, antehac Bertrandus dictus, Burdigalensis hactenus Archiepiscopus, necdum in Cardinalium numerum adscitus. Verumbrevi Cardinales subiit pœnitudo factæ electionis, dum Clemens, obsequiosissime licet in Italiam invitatus, eò venire noluit, ipsosque Cardinales in Galliam accersivit, ubi deinceps Sedem Pontificiam Avenione constituit, multis sequentibus annis ibi perstituram summo Italiæ malo: Gallorum commodo. Scribunt eam fuisse Stropham Philippi Regis, qui cum tribus Cardinalibus, quibus libera eligendi facultas à cæteris commissa fuerat, propositis præmiis clam egerit, ut Bertrandum eligerent, cum quo Rex jam antehac super pluribus articulis tractatum inierat, quem Bertrandus etiam juramento firmavit. Non defuere omina, quæ eam electionem cœlo non fuisse probatam demonstrasse visa sunt. Cum enim Clemens, sacra tiara conspicuus, & equo sublimis per plateas applaudente populo progrederetur, collapsus paries Pontificem ex Sonipede præcipitavit, Corona Pontificia procul excussa. Eadem ruina è vivis exturbatus est Dux minoris Britanniæ: & Carolus Regis frater vulnus periculosum retulit. Brevi post cum inter Pontificis & Cardinalium famulitium rixæ essent exortæ, frater ipsius Clementis interfectus est. Plura missa facimus, & è Galliis Frisingam revertimur. Benedicto IX. succedit Clemens V. Qui Sedem figit in Gallia. Sinistra Pontificatus omina.

Enicho Episcopus noster eo anno ab Alberto Imperatore more Antecessorum suorum petiit, & impetravit confirmationem quorundam Privilegiorum, eorum nempe, quibus eousque gavisæ fuerant Ædes Frisingenses Viennæ. Assensum suum post dies paucolos etiam præbuit Rudolphus Regis Alberti filius: qui etiam antiqua venandi in Austria jura Enichoni stabilivit. N. 216. N. 217.

Frisingæ quæstio inciderat, ad quem pertineret Parochiali Ecclesiæ in Maisach Pastorem constituere, cùm jus illud sibi Nobiles de Weilheimb postularent. Cessit Episcopus noster Gebhardo de Weilheim, qui statim Episcopo fratrem suum Wilhelmum, Majoris Ecclesiæ Frisingensis Canonicum, nominavit. Salviensis Episcopus, Enichonis Suffraganeus eo anno Monasterium Weichenstephanense honoribus SS. Michaëlis Archangeli, & Stephani Proto-Martyris consecravit. *Hæc ex annotationibus nobis exhibitis. Chronic. Weihenstephan.*

Lib. Statutorum. Enicho Episcopus eo anno diligenti manu annotari jussit Custodes Castrorum quorundam, ad Frisingensem Ecclesiam pertinentium; item Custodum stipendia: Castrorum etiam proventus annnos, pecunias aliis creditas, decimas, ac limites. Ipsum Frisingense Episcopale Castrum custodiebat quidam Nobilis Pitlbekius cum quatuor excubitoribus, & janitore. Ottenburgum concreditum fuit Nobili Judmanno cum 12. excubitoribus, balistario uno, tympanotriba uno, atque uno janitore: Erchingæ impositus erat Nobilis Milriederus cum custodibus duobus. Castrum Burgkrainense tuebatur quidam Burgravius cum 12. excubitoribus, balistario uno, uno janitore, & aliis quibusdam, quorum Officia nos hodie non satis assequi ultro fatemur. Zuestorffium quoque habebat custodem, cujus tamen nomen non exprimitur. Werdenfelsio præerat quidam Nobilis Waldekerus: Tölzio Nobilis Kemnaterus: Rottenfelsio Liechtensteinius: Preisekio, & Clingenfelsio Nobilis Scherffenbergius, Inchingæ Kolbeckius: Eberstorffio Eberstorfferus. Ulmarfeldæ Wernhetus de Schafferfeld; Weidhovensis Custodis nomen non exprimitur, stipendium tamen illius, & aliorum præsidiariorum adjunctorum numerus accurate exprimitur. Harum, ac plurium similium rerum notitiam Enichoni Episcopo debemus.

Anno insecuto, Christi 1306. Wenceslaus Bohemiæ Rex à milite quodam percussus ad æternitatem abiit. Quis facinoris præcipuus autor fuerit, non constat, cum percussor prius à Prætorianis fuerit discerptus, quam suasorem, aut caussam illius potuisset exponere. Secuta est contentio ingens, cui deinceps Bohemiæ Corona imponenda esset, Procerum suffragiis in varias factiones abeuntibus? Albertus Imperator ægre tulit, quod Bohemi se inconsulto tractarum de eligendo Rege instituerint. Hine acta Bohemorum rescidit, & Rudolphum, filium suum, Viduæ Wenceslai desponsatum, Regem renunciavit: qui tamen statim sequenti anno ex esu æstivorum fructuum ventris profluvio Regno, ac vivis valedixit, secuta fœda Regni florentissimi devastatione.

Episcopus noster eo tempore multa prædia in Lueg, Klingenfels, & Superiori Bayrischdorff pretio comparavit. Prædia ad Inticam pertinentia, atque proventus Episcopus noster anno 1307. manu Bernardi Vindinger Sacellani sui exacte conscribi jussit.

Helveti ab Alberti Cæsaris Ministris durius pressi, atque exasperati paulatim iniêre periculosa consilia, ausuri suo tempore, quidquid furor dictaturus esset: de quo suo loco.

§. V.

Residui quatuor anni Enichonis Episcopi.

Alberto Imp. succedit Henricus Luzelburgicus. Tristem vitæ exitum Anno Christi 1308. Kal. Maji habuit Albertus, gloriosus ille alioquin, atque invictus Imperator, à Joanne fratris filio interfectus, quod ejus hæreditatem justo diutius tutorio nomine detinuisse videretur. Corpus illius primum in Wettingensi Monasterio conditum, deinceps verò una cum Adolphi cadavere Spiræ tumulatum est. Ita duos Principes mortuos, qui in amplissimis Imperii Provinciis simul vivere non poterant, cepit unus, idemque angustus tumulus. Novembri Mense Imperii Electores Regni coronam detulere Henrico Comiti Lucelburgico, Principi optimo, cujus electionem Clemens V. Pontifex mox probavit.

N. 218. N. 219. N. 220. Henricus de Seveld eo tempore Episcopo nostro plura prædia, in Comitatu Werdenfelsensi sita, una cum aliis quibusdam juribus vendidit. Ipse vero Episcopus noster Decimas Trahovenses duobus civibus in Lienz, ad dies vitæ sub pen-

pensione annui census locavit, addita etiam ea obligatione, ut, quoties Episcopus illac transiturus esset, duo prædicti Cives alimenta congrua suis sumptibus illi exhibere obstricti essent.

Coronatio Henrici Imperatoris, eo nomine septimi, secuta est in Festo Epiphaniæ anni sequentis, Christi 1309. Ritu festivissimo, quem optimo jure merebatur Princeps pius juxta & fortis, qui etiam titulum Invicti promeriturus erat. Hic eodem anno Comitia celebravit, in quibus ingens Principum numerus, & inter hos, Trithemio teste, etiam Enicho Episcopus noster comparuit. Multa ibi pro bono Imperii publico fuisse egregiè constituta, idem Trithemius noster asseverat. Coronatur Henricus VII.

In Weichenstephanensi Chronico legimus, Conradum eo nomine secundum ejus Monasterii Abbatem, fuisse in Ananiensem (*alibi:* Anyensem) Episcopum, ac Proepiscopum Frisingensem à tribus Episcopis consecratum. Id factum esse in Civitate Concordia, coæva manu legimus in Codice perquam antiquo. Additur in Chronico, eum nihilominus Abbatiæ clavum ad triennium sibi retinuisse. Subjungitur, eo tempore Frisingæ trium Episcoporum conventum fuisse celebratum. Causa non exprimitur.

Episcopus noster eo anno pluribus Nobilibus, in quibus ab aliis gravia damna illata fuerant, satisfecit. Literas longiusculas in Parte II. reponimus, ubi plura Nobilium Nomina Lectori occurrent. N. 221.

Superior nostra Bojaria sequenti anno, Christi 1310. novam sui inter fratres Rudolphum, & Ludovicum partitionem experta est, certis constitutis arbitris, quorum nomina Adelzreitterus enumerat, qui etiam civitates, & oppida recenset, quæ utrique Fratrum obtigere. Urbs Bojariæ hodie primaria Monachium Ludovico: Rudolpho vero Ingolstadium cessit. Neque idcirco pax inter Fratres tam cito coaluit, cum ii etiam posthac ad tempus cædibus, & incendiis in se mutuo grassarentur, *qui* (ut bene refert laudatus Adelzreitterus) *mos pessimus istius ævi fuit, & fructus fraternorum odiorum, quibus erat volupe male facere, tametsi ex alieno malo nihil caperent emolumenti.* Ita ille. Nova Bojariæ partitio.

Bojaria inferior paulo ante ab Austriis, uti etiam à Salisburgensi Archiepiscopo armorum Austriacorum socio ingentia damna pertulir: qui tamen à Bojis fortissimè fuere oppressi, præda ingenti ex Castris Austriacorum direpta, sarcinis vero Salisburgensium perquam exiguis sub hasta, ludibrii causa, nonnisi levissimo pretio venditis. Nihilominus eodem adhuc anno Conradus Salisburgensis Concilium Provinciale celebravit, in quo comparuere Wernhardus Patavienisis, Joannes Brixinensis, Henricus Gurcensis, Albertus Chiemensis, Fridericus Seccoviensis, Wernhardus Lavantinus Episcopi, Procuratores item Episcoporum Frisingensis, & Ratisbonensis cum aliis Abbatibus ac Præpositis Salisburgensis Archiepiscopatûs, atque absentium Procuratoribus. In hac Synodo renovata, & ex parte declarata, ac mitigata fuere statuta superiorum Conciliorum Provincialium, maxime quæ contra Clericos tabernas frequentantes; & joculatores, atque habitu minus Clericali utentes fuerant edita. Porro Prælati Ecclesiarum jussi fuere annis singulis rationes exhibere Collegiis suis. Monebantur etiam Abbates Ordinis S. Benedicti, & Præpositi ac Prælati S. Augustini, ut Capitula (Comitia) sua singulis trienniis celebrarent juxta normam à Sacris Canonibus præscriptam. Lectæ etiam fuere Literæ Pontificiæ continentes gratias conferendas volentibus transfretare, aut eleemosynas largiri in subsidium Terræ Sanctæ: quæ & plura alia legi possunt tum apud Henricum Canisium, tum apud Clarifs. P. Hier. Pezium. Rixæ inter Austriacos & Bojos. Synodus Salisb. Tom. I. antiq. Lect. p. mihi 625. Tom. I. Script. Rer. Austr. col. 406.

Petierat etiam Pontifex decimam partem omnium Ecclesiasticorum Proventuum in præsens biennium: quam petitionem Synodus admisit. Et hinc forte hoc anno Enichonis Episcopi jussu annotati fuere census singulorum Dominiorum

rum Frisingensium: ubi postea hæc norma solvendi annotatur, quam Lector forte vix alibi reperiet.

Iste est modus solutionis decimarum Papalium, impositarum Anno M CCC X & XI. Concordaverunt omnes in hoc, quod Summa decime duorum annorum, si qua fuerit, vel esse poterit, persolvenda, solvi debeat Summo Pontifici in terminis infra scriptis, ita duntaxat, quod primus terminus solutionis faciende de primo anno, qui incipit in proximo anno futuro Sancti Georii, sit in proximo futuro festo Beati Martini. Et secundus terminus solutionis faciende ejusdem anni, sit in alio festo subsequenti Beati Martini. Secundus vero terminus & ultimus sit post hec in subsequenti festo Beati Georii. Et quòd decimam dabunt de omnibus possessionibus, bonis & redditibus & beneficiis Ecclesiasticis, hoc est de eis, que beneficiorum intuitu possident, expensis necessariis deductis. Necessarias vero expensas dixerunt esse, quas arando, colendo, colligendo & conservando pendunt, sine quibus res subsistere non potest. Et quod Ecclesie, quarum redditus pro majori vel media parte in oblationibus, Legatis, seu Testatis consistunt, de eisdem oblationibus, Legatis, seu Testatis decimam solvere teneantur. Item Capelle, Collegia, seu Conventus in communi de suis redditibus decimabunt. Item siquis ex uno beneficio sex M. arg. ponderis patrie redditus habuerit duntaxat eos non decimabit, ultra si vero habuerit decimas inde solvet, aut si plura beneficia habuerit, que conjuncta predictam M. excedant, nimirum de ambobus, aut omnibus insimul decimabunt. Hospitalia vero & domus Leprosorum cum annexis sibi Ecclesiis, super quibus fundata sunt, decimas non prestabunt. De Infirmariis, Vestiariis, Sacristiis & Hospitalibus Religiosorum non decimabunt, nisi ultra provisiones necessarias de illis officiis exhibendas, esset excessus redditauum illorum officiorum, tunc de illo residuo fiat declaratio communi decime apponenda. Pastores vero & Vicarii insimul, vel quilibet pro parte sua decimabunt, ita tamen, quod plene de omnibus redditibus Ecclesie, decima persolvatur. Ordinarii personas providas deputabunt, qui eandem decimam colligent & servabunt, & si Nuncius Domini Apostolici eisdem unum vel plures voluerit adjungere, sue relinquitur optioni. Preterea sub juramento solventium decima persolvetur. Item Ordinarii subjectos ad solutionem decime istius per censuras Ecclesiasticas poterunt coartare. Item decima fiet de bonis Ecclesiarum hac taxatione premissa ut tempus estimationis decime solvende bladi & vini, sit inter festum Beati Mich. & Sancti Martini. De caseis autem solvatur decima, sicut Prelati consueverunt, à suis Rusticis loco caseorum recipere in festo Beati Georii, secundum jus & terre consuetudinem.

Concilium Oecum. Viennæ in Gallia. Proximo anno, Christi 1311. Enichonis Episcopi ultimo Clemens Papa V. Viennam Allobrogum Episcopos ad Concilium Oecumenicum convocavit, quod ipsis Kalendis Octobris inchoatum, die Maji 7. anni sequentis finitum est. Tres causæ ad illud Pontificem impulere, 1ma, ut Templariorum, multorum flagitiorum infamia laborantium, causa exploraretur. 2. Ut Terra Sancta, à Saracenis occupata, recuperaretur: Tertia, ut Ordo Ecclesiasticus reformaretur, & ad vigorem pristinum reduceretur. Hæ tres causæ totidem Sessionibus fuere conclusæ. Primo loco decretum fuit bellum Sacrum. Secundo loco extinctio Templariorum. In tertia denique fuere procusæ Clementinæ; quæ tamen postea primum à Joanne XXII. publicandæ erant. Præterea etiam accessit Constitutio de Festo Corporis Christi feria V. post Octavam Pentecostes quotannis celebrando. Scribunt aliqui, suadente Raymundo Lullo etiam decretum fuisse, ut in Academiis publicis linguæ Hebraica, Arabica, & Chaldaica docerentur, eo quod earum usus ad Orientalium Conversionem esset summè necessarius. Porro qua ratione Templarii posthac fuerint extincti, tametsi hic scribere cuperemus, id tamen ab instituto nostro satis alienum existimamus, & Lectorem ad Scriptores alios remittimus. *Chronic. Hirsaug.*

Rejicitur iniqua postulatio Regis Galliæ. Refert inter alios Trithemius noster, in eodem Concilio Clementem Papam Philippi Regis Gallorum iniquam & malignam petitionem, qua memoriam Bonifacii VIII. è Catalogo Pontificum deleri, & ossa ejus postulavit ignibus cremari,

mari, coadunatis Patribus proposuisse, &c, quid ipsi de Bonifacio sentirent, singulos requisivisse. Episcopos vero audita Regis temeritate non sine magna animorum indignatione adversus eum fuisse justa ratione commotos, ejusque impio desiderio consentire noluisse, quippe qui semper Bonifacium crediderint verè Catholicum, ac nulla unquam hæresi contaminatum. Nihilominus tamen, ut ab impetitione Principis iniqui (in cujus potestate Viennæ erant constituti) liberarentur, consensisse, ut Rex cum suis absolveretur à censuris, quas ob illatas Ecclesiæ, ac Pontifici injurias incurrisset, tametsi maluissent iidem Concilii Patres (si tempus, locusque permisissent) novis illum censuris subjicere, ac diris devovere.

Nostro Episcopo hoc anno Dominica die ante Festum Divi Joannis Baptistæ proposita fuere sequentia Holenburgensium, & aliorum gravamina. 1. quod Zelkingerius, & Christianus de Vihoven abstulerint Colonis Episcopi in Wagrein tempore vindemiæ anno 1310. octoginta sex vasa vini, valentia plus quam quingentas libras: ad quorum quidem restitutionem adstringebantur præcepto Austriæ Ducis, verum identidem moras nectebant. *Querelæ Episcopo nostro à suis propositæ.*

Hinc rogatus fuit Episcopus, ut restitutionem urgeret. 2. quod multi extranei in Insulis Episcopi pascerent equos, & pecora sua, & pascua penitus inutilia redderent. 3. quod Abbas Zwetalensis, aliique non solverent pensiones annuas, ac Decimas Episcopo debitas. 4. quod quidam ipsius Enichonis subditi ab aliis graviter fuerint percussi, nulla satisfactione pro damnis inde emergentibus secuta. 5. quod quidam extranei sibi arrogarent potestatem judiciariam in Colonos Frisingensis Ecclesiæ &c. Jussit Episcopus hæc gravamina diligenter conscribi, veluti oculis nostris hodieque cernimus. Hinc dubitare fas non est, eum totis viribus eo connisum esse, ut tanta incommoda à se, suisque depelleret. *Ejus jussu annotantur.*

In festo SS. Petri & Pauli Apostolorum civis Viennensis ab Episcopo nostro in beneficium seu feudum accepit Villam in Gabliz una cum sylva prope vallem dictam *Rözroertiger Grabn*, quam Episcopus à Maurbeckiis comparaverat. *Uti etiam concessio feudi cujusdam.*

Deinceps Episcopus noster exactè annotavit omnes proventus anni præcedentis, & decimam eorum partem ad Summi Pontificis propositum persolvit. Id tum ex Instrumento quodam, tum ex libro Ratiociniorum constat. *Et proventus.*

Antequam fatis concederet Enicho, sequentem donationem Canonicis S. Andreæ fecit, quam subjungimus: *N. 111.*

Nos Enicho Dei gracia Episcopus Ecclesie Frisingensis universis inspectoribus & presencium auditoribus in perpetuum. Quoniam pie rei dare consultum presentis vite habetur subsidium & eterne remuneracionis premium expectatur. Idcirco ut per Sanctorum patrocinia amplietur in hoc seculo nostra salus, & eorum intervenientibus meritis celestem in futuro & gloriam consequamur, pro reverencia Sancti Andree Apostoli Capitulo, & Canonicis, qui in Ecclesia ejusdem Apostoli Frisinge Collegiata & proxima nostre Kathedrali Ecclesie nunc presentes sunt, vel deinceps in ea fuerint instituti, de consilio & assensu expresso Capituli nostri Frisingensis dudum obtento & precedente, Ecclesiam parochialem in Hochenprunne, nostre dyocesis, cum universis suis rebus, attinenciis & juribus donamus & tradimus ipsi Capitulo & Canonicis Sancti Andree, ad usus communes, post decessum Magistri Heroldi, Canonici Pataviensis, qui Rectoratum predicte Ecclesie in Hochenprunne nunc tenet, & hujusmodi donacioni spontaneus consensit, perpetuo & inviolabiliter permansuram. Ita quod nos, vel successores nostri, in eadem donata & tradita Ecclesia, preter Kathedraticum, & visitacionem congruam, nil penitus exigamus. Sed Capitulum Sancti Andree predictum, pro utilitate sua, & comodo, ipsam Ecclesiam in Hohenprunne, & res suas disponat, & ordinet libere, absque impedimento, vel contradictionis obstaculo alicujus. In cujus rei perhenne testimonium, atque robur presentes litteras, nostri pendentis Sigilli munimine, jussimus consignari. Actum & datum Wienne, anno Domini Millesimo, trecentesimo, undecimo, in prima vespera beate Marie Magdalene. *Collegio S. Andreæ donatur Ecclesia in Hochenbrunn.*

Præterea idem Episcopus ordinavit, ut Divi Marci Festum imposterum so-

Enichonis fundationes. lito festivius celebraretur, assignatis in stipendium Ministrorum Ecclesiæ certis proventibus. Trinam etiam anniversariam sui memoriam cum Officio Defunctorum & Missæ Sacrificio fundavit. Hinc anniversarius dies obitus celebratur die 28. Julii, quo è vita discessit hoc anno. Diei vero septimi annua memoria

Et Mors. fit die 4. Augusti: Tricesimi vero die 26. ejusdem Mensis. Obiit verò Viennæ, quo se contulerat ob neglectim tractatas à suis Præfectis suarum per Austriam Dynastiarum administrationes. Corpus ejus atomatibus conditum, Frisingam fuit reductum, ubi in Ecclesia Cathedrali prope aram SS. Georgii & Henrici tumulum obtinuit cum hoc Epitaphio:

Epitaphium.

Cleri flos Enicho quondam, sed nunc velut Echo
Hic subterratus Præsul jacet incineratus
Ut luti testa: Deus o Requiem sibi præsta,
Parcat & examen justi sibi judicis. Amen.

Nostra hac ætate, & quidem anno Christi 1701. die 24. Maji reperta fuere Enichonis ossa prope hodiernam Divi Michaelis Archangeli aram: ex quibus ap-

Calvariæ descriptio. parebat, eum fuisse staturæ mediocris. Calvaria illius aspicientibus admirationem ciebat ob protensa, atque prominentia dentium præsepia: id quod movit Celsissimum nostrum Principem Joannem Franciscum, ut ad ejus similitudinem aliam calvariam è gypso scitissime fabrefieri curaret, quam nemo absque admiratione aspicit. Cæterum legimus in domesticis Chronicis, eum in suos Consanguineos opibus competentibus destitutos, profusa nimis liberalitate fuisse usum, adeo ut

An fuerit prodigus in consanguineos? Cathedrale Collegium graviter offenderit. Freibergerus scribit, eum à Canonicis suis eapropter fuisse redargutum; & ideo ab ejus Consanguineis multa incommoda Frisingensi Gremio provenisse. Addit vero, Canonicos ea tulisse patienter, eo quod Collegium semper ultra annos Episcopi provivat. Denique asserit, mortuo Enichone etiam eos interiisse, qui ei adhæserant. Verum utut Freibergero contradicere nolimus, illud certum est, Enichonem etiam à Consanguineis Ducibus multa Privilegia, ac Jura Ecclesiæ suæ singulari, qua pollebat, eloquentia impetrasse, & sic cum laude præfuisse. Unde alii Scriptores eum non modicis en-

Laus illius peculiaris. comiis prosecuti sunt. Illud præ oculis habemus, forte vix ullum suorum Prædecessorum in annotandis Ecclesiæ suæ annuis proventibus, Ministris, Præfectis, & supellectilibus militaribus Castrorum suorum, stipendiisque eorundem Ministrorum tam fuisse exactum, qualis ipse fuit. Lapidi ejus sepulchrali decussatim fuit insculpta Crux cum Lituo Episcopali, his verbis appositis. *Enicho Ep°. Frising. XXIX. rexit XXIX. annis, mortuus V. Cal. Aug. in die Panthaleonis Anno Domini M CCC XI.* Unde intelligimus, eum ad plures transiisse, cum Clemens V. præesset Catholicæ Ecclesiæ, Henricus VII. Romano Imperio: Salisburgensibus vero sacra jura diceret Conradus IV. Pataviensi Bernardus: Ratisbonensi itidem Conradus IV. Brixinensi vero Joannes III. Quo ipso tempore Dux Monacensis erat Rudolphus, Ingolstadiensis Ludovicus: Bojariam vero inferiorem gubernabant Henricus & Otto: & alius Otto eorum Patruus.

N. 223. 224. & 225. In parte altera sub Num. 223. 224. & 225. recitamus adhuc tria instrumenta, ad Enichonis Acta pertinentia, quæ nobis serius fuere exhibita. In iis tamen, præter Nobilium nomina, nihil singulare Lectori occurret.

CA-

CAPUT VI.

Godefridus, XXX. Episcopus Frisingensis.

§. I.

Primum Godefridi Episcopi biennium.

CErtum est, anno Christi 1298. Godefridum quemdam de Greiffenberg fuisse Majoris Ecclesiæ Frisingensis Canonicum. Neque minus obscure constat, Godefridum quemdam ab Anno 1302. usque ad annum Christi 1311. fuisse ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Decanum, postea in Solium Episcopale sublimatum. Sane an hæc de una, eademque persona debeant accipi, ignoramus equidem, verum forti conjectura ducimur, utrumque de eodem Godefrido esse interpretandum: ut proinde vero propius cohærere videantur, qui de Godefrido Episcopo scribunt, eum fuisse ex Greiffenbergiis, quam ii, qui eum ex Hachsenakeriana familia prognatum asserunt. Illud etiam ex manu coæva Weichenstephanensi perspicuum est, Godefridum Episcopum antehac fuisse Majoris Ecclesiæ Decanum. *Godefridi genus. Fuit Canonicus, ac postea Decanus majoris Ecclesiæ.*

Electio Godefridi in asperrimum tempus incidit, cum & annus esset perquam sterilis, & possessiones vacantis Ecclesiæ Frisingensis à variis prurientibus Nobilibus essent fœde direptæ, Principum quoque Bojariæ exactiones instarent, & tamen pars decima proventuum Summo Pontifici esset pendenda. Vide Lector, quanta licentia usi sint nobiles in rebus Frisingensis Ecclesiæ sibi usurpandis: Inprimis Henricus, & Albertus Goritiæ Comites, quorum tuitioni Dominium Inticense commissum fuerat, vacante Sede Frisingensi non solum omnes proventus Inticensis Territorii suo ærario intulerunt, verum etiam ipsam quoque universorum prædiorum proprietatem deinceps sibi arrogarunt. Nec cessere Episcopo Godefrido jura illa, donec is 500. Marcas Veronenses eis temporis successu persolveret. Carinthiæ quoque Dux Henricus eadem occasione omnia vina prædii, dicti Keller, abstulit, & ipsum prædium occupavit, neque illud dimisit, donec ei Episcopus 200. Marcas Veronenses numerarit. Idem Dux Dominium Lacopolitanum invasit, ac proventus omnes in suos usus redegit, neque prædia, ac jura Episcopo restituit, donec trecentæ Marcæ Aquilejenses prius ipsi ab Episcopo fuerint solutæ. Major adhuc fuit audacia Rudolphi de Scherffenberg, qui non solum fructus, atque possessiones prædiorum Frisingensis Ecclesiæ in Marchia Sclavoniæ sitas, dixit esse suas, verum etiam bis mille Marcas è Colonis extorsit. Recuperavit tamen Episcopus postea dominium nonnisi 3. Marcis Aquilejensibus Rudolpho in lytrum solutis. *Dura Godefridi initia. Lib. Statutorum. fol. 4. d. ob vexationes Ecclesiæ suæ.*

Universas etiam Frisingenses in Austria Præfecturas Dux Austriæ invasit, tamdiu eas non restiturus, donec ex Proventibus sequentium annorum adhuc 600. Libræ sibi pro redemptione solverentur. Summa universa, quam Godefridus Episcopus exponere debuit, ut prædia ab occupantibus absolverentur, ad bis mille ducentas quinquaginta libras ascendit, rametsi etiam proventibus eorum antea carendum fuerit. Ita durissima fuere Regiminis Godefridi primordia: maxime cum etiam Pontifici Decimarum nomine 1005. libræ eo anno fuerint persolvendæ: quæ summa pecuniarum iis temporibus fuit plane notabilis, ac magna, ad

quam conquirendam summo labore, ac patientiâ maximâ Episcopo nostro opus fuit.

Dies Electionis incerta. De die electionis Godefridi Episcopi nihil certi audemus statuere. Illud tamen constat, eum anno 1311. post Divæ Luciæ Festum, nempe Mense Decembri usum adhuc fuisse Insignibus Decanatûs Cathedralis, quæ eo tempore Pelicanum præsentabant. Forte tunc nondum confirmata fuerat Ejus Electio à Summa Sede, Viennæ Allobrogum, aut Avenione constituta.

Episcopus Mechtildis Ducissæ votis annuit. Cum interim ab Anno Christi 1300. (quo Rudolphus Bojariæ Dux una cum fratre suo Ludovico Enichoni Episcopo Castrum, Municipiumque suum Tölzense una cum pluribus allis juribus vendiderat, servato tamen intra decennium illud reluendi jure) jam effluxissent anni omnino fere duodecim, Mechtildis Bojariæ Ducissa Episcopo nostro Godefrido supplex facta est, ut ad redimendum amplum illud Dominium adhuc triennium adjiceret. Godefridus nulla lege stringi poterat ad Castrum illud, illucque pertinentia jura retro vendenda, quippe cum statutum reluitionis tempus jam transiisset: Nihilominus annuit Ducissæ, &, inter conditiones alias, etiam eam adjecit, ut nisi intra dictum triennium redderetur pretium, in prima venditione expositum, deinceps nulla spes esset castrum
N. 126. illud pretio aliquo recuperandi. Exhibemus prolixas Mechtildis literas datas Mense Februario anni 1312. in Parte Operis secunda, ubi etiam reponimus
N. 127. confirmationem gratiæ, à Prædecessore Enichone Collegio Ellenhardino factæ.

Salisburgi Conrado IV. Archiep. succedit Weihardus. Salisburgi proximo Mense Martio Conradus IV. Archiepiscopus in Festo Divæ Virginis ab Angelo salutatæ (qua die ante 58. annos primam lucem aspexerat) ad lucem perpetuam transiit. Conrado Archiepiscopo Kalendis Aprilis suffectus est Weihardus de Polhaim, Metropolitanæ Ecclesiæ hactenus Decanus, à Clemente V. Pontifice in Festo SS. Abdon & Sennen, nempe 30. Julii, consecratus, ac postea in die 27. Augusti etiam Pallio decoratus.

Tom. I. Script. Rer. Austriac. col. 407. Recessit Conradus Archiepiscopus è Curia Pontificia die 20. Mensis Decembris non sine magno viarum, & expensarum incommodo. Id legimus in sæpe laudato Chronico Salisburgensi, quod Clariss. P. Hier. Pezius in lucem protraxit.

Godefridus quosdam proventus vendit. Pecunias dat mutuas. Opinamur, eodem anno Episcopum nostrum vendidisse reditus annuos, quos in Præfectura Cranspergensi hactenus Ecclesia Frisingensis possederat: & Enicho Episcopus anno 1305. per Georgium de Lock conscribi jusserat. In libro enim Godefridi jussu conscripto hæc annotata cernimus.

Anno Domini M CCC XII. feria tertia post Georii Dominus Got. Episcopus de pecunia solucionis Castri in Cransperch mutuavit (i.e. mutuas dedit) *Mille centum octoginta septem libras cum dimidia Ratisbonenses Communitati Civium Monacensium, pro quibus à Festo Beati Jacobi futuro per unum annum restituent Domino Episcopo ad Cameram mille marcas argenti puri Augustensis ponderis. Alias duodecim de Civitate Monacensi ammoniti Frisinga intrabunt obstagia secundum tenorem instrumenti sui.*

Quid sit obstagium? Ubi iterum monemus Lectorem, *Obstagii* nomine intelligi speciem quandam juris Germanici, dum quis se, suamque personam pro certa argenti summa, si stato tempore non solvatur, quasi obsidem tradit.

Rer. Germanic. Scriptores. *Marca* hic videtur idem esse, ac dimidia libra, qua veteres utebantur in solutionibus, ut Gotthelffius Struvius in Glossario ad novam Freheri editionem explicat.

Subditur vero in prædicto Codice, ut sequitur. *Item de eadem pecunia & ad prædictum terminum mutuavit Einwico Gollirio, Eberhardo dicto Maisl, & Bernardo dicto Satler CCCLVI. libras, & LX. denarios pro CCC. Marcis argenti Augustensis ponderis sub tenore, & pena prædictis. Fidejussores cum eis sunt Wernberus Schvet: Nycolaus dictus Tullbech, & H. Sentlinger.*

Subjunguntur ulterius sequentia, quæ in obsequium Patriciarum quarundam Familiarum Monacensium statim hic exprimimus. *Item de eadem pecunia, & ad prædictum terminum mutuavit Ludovico Chuechel, Bernardo Schrenk, Marq. Schietoni,*

toni, Bern. & Chunrado Wilbrechtn CCC LVI. Libras, & LX. denarios Ratisbonenses pro CCC. Marcis argenti, ponderis Augustensis. Fidejussores cum eis sunt Nycol. Schreuch, Joh. Shiet, & Churadus Chraji. ita ibi.

Simillimis conditionibus Godefridus Episcopus noster eodem anno Frisingensibus civibus 402. libras; Haulenhauseris triginta: Pharmacopolæ trecentas quinquaginta sex mutuas dedit: uti in sæpe laudato Codice legimus, planeque colligimus, Godefridum Episcopum, statim post prima, ac tam dura Regiminis initia modis, quibus poterat, omnibus Ecclesiæ suæ succurrisse. Idem Episcopus circa Festum Pentecostes Hermanno de Haldenberch defensionem Castri Werdenfelsensis commisit.

Mense Junio, & quidem die Apostolorum Principibus Petro & Paulo Sacra Henricus VII. Romæ, non quidem in Vaticano, ut alias assolet, sed in Laterano signa Augustalia suscepit à Cardinalibus, quos ad hoc negotium Clemens V. absens destinaverat. Ne ea celebritas in Vaticano perageretur, Roberti Salernitani copiæ, aliique obstitere, qui aditum ad Vaticanum Henrico intercluserunt. Multos alios sinistros eventus inter Italos eo tempore Henricus tolerare debuit, quamvis non defuerint alii quidam ex Italis, qui ejus partes acriter tuebantur. Ita raro plenam felicitatem Imperatores Germani in Italia invenerunt. Henricus VII. coronatur.

Godefridus Episcopus noster assentiente Cathedrali Collegio eo anno Mense Julio vicino Monasterio Novæ Cellæ pro commodiori alimonia Ecclesiam Parochialem Haidolfinganam sub certis sacrarum precationum, & Sacrificiorum obligationibus donavit. Primariæ hujus donationis literæ multas lacunas habent, quas idcirco hisce censuimus non inserendas. Extant vero ea super re aliæ literæ saniores scriptæ ab Episcopo in hunc modum. Haidolfinga unitur Neo-Cellæ.

Gotefridus Dei gratia Episcopus Frisingensis dilecto in Christo Archidiacono inter aquas (nempe Isaram & Ambronem) *salutem in Domino - Parochialem Ecclesiam in Haydolfingen Præposito & Conventui Nova Cella de consensu Capituli nostri tenendam donavimus, & perpetuo possidendam: Cujus etiam Regimini Dietricus Plebanus ibidem ad manus nostras cessit spontanea voluntate. Quare vobis mandamus præcipientes, quatenus nomine prædicti Conventus unum, aut duos de suis Confratribus per vos, aut vobis substitutum mittatis in possessionem præfata Ecclesia corporalem, plebem sibi fideliter in Domino committentes. Datum Anno Domini trecentesimo duodecimo in die Divisionis Apostolorum.*

Eodem Mense Julio Otto Rex Hungariæ è Ducibus Inferioris Bojariæ assumptus, uti etiam Henricus & Otto Duces fide jurisjurandi promiserunt Episcopo nostro, se deinceps nulla tributa à Colonis ac prædiis Frisingensis Ecclesiæ exacturos, aut recepturos. Literas in Parte altera damus, dum interim miramur, Ottonem Regem adhuc anno præsenti provixisse, quem quidam Scriptores jam pridem ad tumulum extulere. Duces Bavariæ propitior habet Episcopus. N. 228.

Episcopum nostrum Partheniis Deiparæ amoribus fuisse pie addictum, & in ejus potenti patrocinio spes suas collocasse, discimus ex eo, quod Diem octavam à Nativitate ejusdem Gloriosæ Virginis voluerit iisdem Ritibus in Cathedrali Basilica celebrari, atque ipsum primarium Nativitatis Festum peragi solebat. Id ut perpetuis temporibus observaretur, Collegio suo Cathedrali Parochialem Ecclesiam Flintspacensem Aiblingensis Præfecturæ attribuit. Obligatur vero D. D. Canonici ea die exorare Matrem Gratiæ, ut Ea ipsis Divini Spiritus Lumen impetret, quando aliqui ad Dignitates Frisingenses, potissimum vero ad Episcopalem essent assumendi. Id actum est Frisingæ 2. die Augusti 1312. Sane ipsum Festum Nativitatis Ejusdem B. V. Godefridus postea Isanæ celebravit, & Isanensibus Canonicis sequentem gratiam contulit. Octava Festi Nativ. B. V. Frisingæ solemni ritu peragitur. *Autograph. in tabulario Cathedr. Ecclesiæ.*

Nos Gotfridus Dei gratia Episcopus Ecclesiæ Frising. Notum fieri cupimus præsentium inspectoribus universis, eidem Capitulo & cuilibet de Canonicis Ecclesiæ Ysnen. nostra Dioc. pro nobis & successoribus nostris hoc jus recognovimus & perpetuo observari volu- Godefridus beneficus in Isanenses. *Ex Metrop. Hund. T. 2. pag. 242.*

volumus & observari concedimus per præsentes. Idem, nullus Capitaneus Burgravius, seu judex noster in Burkrein vel alius quicunque Officialis noster ullam penitus jurisdictionem temporalem in Canonicos dictæ Isnen. Ecclesiæ aut aliquem ex eis vel in Edituum seu Pulsatorem eorum, aut in domos & familiam eorumdem Canonicorum debet imposterum exercere. Sed quicunque actiones aliquas eisdem vel aliquibus ex eis movere seu intentare habuerit, Decanum loci aut alium Ecclesiasticum judicem competentem adeat justitiam & judicium recepturus, prout tamen alias prædictis Canonicis de jure communi est indultum pariter & concessum non obstante eo videlicet, quod nos & Ecclesia Frising. ac Successores nostri jus Advocatiæ possidemus in prædictorum Canonicorum & Ecclesiæ Isnen. hominibus, prædiis atque bonis. In perhennem igitur memoriam & perpetuam omnium præmissorum roboris firmitatem sæpe fatis Canonicis & Ecclesiæ Isnen. præsentes dedimus litteras nostri Sigilli robore communitas. Datum Isnen. Anno Domini M CCC XII. in die Nativitatis B. Mariæ Virginis.

Versatur in Austria. *Lib. Statut. fol. 32. c. N. 229.* Autumni tempore Godefridum se contulisse in Austriam, discimus ex literis, quibus Henrico Archiatro Neostadiensi partem ædium suarum Viennensium die 28. Octobr. sub annuo censu locavit. Postea Mense Novembri Reimperhto de Eberstorff sub certis proventibus commisit curam Castri Enzerstorffensis, adjecitque potestatem judiciariam non solum in quoslibet levius delinquentes, verum etiam in facinorosos exercendam, mulctis minorum excessuum eidem relictis, majorum vero Episcopali ærario reservatis.

Weichenstephanii novus Abbas Henricus. Conrado II. Abbati S. Stephani, atque Ecclesiæ Frisingensis Proepiscopo eo anno subrogatur Henricus Sevelder ex Monasterio Divi Quirini in Tegernsee accersitus, uti legimus manu coæva annotatum in sæpe laudato Codice antiquo Weihenstephanensi, in quo nulla mentio cujusdam Nicolai Abbatis inter utrumque medii occurrit. Ex eodem MS. Codice intelligimus, eodem adhuc anno Ottonem Hungariæ Regem, ac Bojariæ Ducem Landishuti toxico sublatum fuisse.

§. II.

Posteriora Acta Godefridi Episcopi Ejusque mors.

Episcopus persistit in Austria. Vidimus, Godefridum anno superiori in Austriam abiisse, & quoniam in Codice sub eo conscribi cæpto legimus, eum anno Christi 1313. Ulmerfeldæ die 7. Januarii cum Præfecto Granarii rationes iniisse, ac postea die Dominica post Festum Dominicæ Ascensionis Waidhovio recessisse, suspicamur, eum totam hyemem in eadem Austria exegisse. Quorsum Waidhovio se contulerit, non annotatur. Quia tamen ex eodem Codice constat, Episcopum nostrum Mense Septembri illius anni cum Comite Goritiæ Henrico, & 7. aliis Carniolæ, ut videtur, Nobilibus quasdam antiquas lites composuisse, suspicamur eum Waidhovio illuc se contulisse. Mense Octobri Cives Monacenses, atque Frisingenses, aliique supra nominati Creditores partem debitorum suorum Frisingensi Ecclesiæ persolverunt: quibuscum Magister Chunradus, & alius, dictus Puetelbeckius, calculum duxere, pecuniasque ab iis recepere.

Supellex militaris Weidhovii. Placet exhibere Curioso Lectori universam supellectilem tam militarem, quam œconomicam, quæ anno supra dicto Præfecti Weidhoviensis custodiæ commendata fuit. Damus ipsa Scriptoris antiqui verba; quæ sic habent.

Anno

Anno Domini MCCC. tertio decimo circa Ascensionem Domini subscripta res annotata sunt in Camera Waidhoven, & C. Wielandi custodia assignata. Primo II. balistæ valde magna. item II. Wagarmbrust magna. item Statpal-balistæ LVII. item X. arcus pro balistis. Item arcus Ungaricus, & II. faretre Ungarica. Item I. Spangürtl & II. faretra pro balistis. Item vasculum cum telis. Item IIII. pelles vitulina. item XLVI. faretra sine Corio, & II. cum Corio tantum. Platna VI. & I. Item III. Peingerat, Manica ferrea VI. item I. falera ferrea. item Pernspies V. Panzerium & Galea IIII. Gollirium I. & XIII. Helmparten. Cuspides VIII. & I. habet Portulanus, & Balisterius. & VI. Spanbanch, quarum dua sunt ad Balisterium. Galea I. & VI. scutella ferrea. item I. Zerif cum telis paganicis. item I. clava cum arg. Pimuter. item lectus I. de Corio. item III. mensalia, & XVIII. manutergia, & frustra III. de Serico. item I. de Guglerio. & III. eyentaschen, & I. angstarium pitu-minatum, & II. angstaria lignea. item I. cutem cervinam, & I. vaccinam sed non integras. item lucibula ferrea, & IIII. patella, duo caldaria magna, & III. parva, & I. ferreum gebeng, uncos tres ferreos, & III. lora. item XI. flasce de ferro & corio & V. de stanno. item II. fabella de pennis pavonum. Item Petschach & Sella dextrarii & frænum Ungaricum. Postella & II. frena ad dextrarios. unum & uncos pro item II. tripodes ferrea & hami II. piscium. item XX. & I. statera ponderis. item cutis ursina, & II. campana, & I. tentorium, item I. Snizerzeug & ferreos incudes & II. Volanga ferrea. II. eysenwek & II. funes magni & II. mediocres & I. Mensa composita, alea magna, & II. parva. item II. pulvinaria rotunda, II. plumacea, I. lectum & I. coriale antiquum & III. birri. item III. cervicalia de Colonia. Kathedra Episcopalis, & basta XXV. item pannus in Cenaculo de Zendato & clypei VII. angstarius de stanno. cum Valchenbuben. item I. Viacum, frixarium, & III. patelle & cribrum pro pulveribus. item II. vascula pro armis. Craticula & II. scrinea. item I. Ribeysen. item scutella lignea. & II. Urinalia. gladii X. paganica forma. item I. compes magnus & horribilis, à quo nos benedicat, qui sine fine vivit & regnat. Amen.

Post hæc assignantur etiam vina, & alia, in hunc modum.

Item eodem anno & tempore Henricus Saxo granator assignavit eidem C. Wielandi in Cellario Weidhov. vini IIII. vasa plena, repleta cum V. urnis. Item in uno vase VIIII. urnas cum fecibus.

Item in alio vase vini rubei cum fecibus XIII. urnas.

Item vasculum cum aceto continentem IIII. urnas.

Item in granario assignavit eidem in avenna LVI. modios.

Item caseos serviciales CCC. & VII. caseos.

Item ibidem remanserunt XIII. casei putrefacti.

Hæc huc exscribere placuit, ut Officio Historiographi pro posse satisfaceremus. Quid enim curare magis debet Historicus, quam ut Lectori mores, ac genium temporum, hominumque fideliter ob oculos ponat? & quomodo luculentius ob oculos poni possunt, quam si propriis Majorum nostrorum verbis Lectori rem antiquariam proferamus? Porro cuperem majorem in modum singula supradictæ militaris Supellectilis barbara vocabula Lectori explicare: verum quia non solum pleraque vocabula, verum etiam res ipsæ nobis hodie sunt incognitæ, cogimur aliorum interpretationi ea relinquere.

Cæterum ad eundem annum Christi MCCCXIII. in antiquo Codice Weichenstephanensi hæc fuere coæva manu adnotata. *Hoc anno prafato Domino Regi ac Duce* (inferioris Bojariæ) *mortuo relicto parvulo harede cum aliis fratruelibus filiorum Ducis Stephani, major pars non sana Dominorum terra Duci Austria adhaserunt, & suos Nobiles cum aliis in terram introducentes. Tunc Dominus Ludovicus Dux Bavaria* Superioris *misericordiâ motus super parvulos patrueles terram eorum suo laudabiliter defendit, quosdam occidendo, LXX. & amplius nominatissimos Austria, ac Bavaria captivavit.* ita ibi. Rem distinctius alii explicant in hunc modum. Hungariæ quon- Novæ discordiæ inter Bojos.

quondam Rex & Inferioris Bojariæ Dux hæredem reliquerat Henricum, nondum ex ephebis egressum. Ad hujus tutelam pars major Nobilium ejusdem Bavariæ Secundæ Fridericum Austriacum invitavit, cum Landishutani, ac Straubingani Cives nullum alium, quam Ludovicum, primæ seu superioris Bojariæ Ducem vellent admittere.

Venit in Bojariam Fridericus cum exercitu, cui sese Nobiles prædicti junxerunt. Ex adverso Ludovicus cum exercitu occurrit, cui Landishutani, & Mosburgenses arma sociarunt. Pugna decretoria die 9. Novembris commissa est apud Gamelstorffium Mosburgensis Præfecturæ vicum, præcipuamque Victoriæ laudem retulere Landishutani, atque Mosburgenses, qui etiam opima Austriacorum spolia reportarunt. Illorum fortitudini deinceps datum est, ut suis Insignibus galeas inserere possent, quibus etiamnum haud immerito gloriantur.

Prælium.

Galeæ Landishutanæ & Mosburgenses.

Henricus interim Cæsar in Italia hactenus constitutus in oppido, quod Bonum * Conventum appellant, haud procul Senis Mense Augusto diem extremum clausit. Sunt, qui eum veneno interemptum fuisse asserunt, quod ei in Sacra Hostia porrectum fuisse dicunt, & quidem facinus cuidam ex Ordine Patrum Prædicatorum adstruunt. Verum hos operose juxta, ac validissime confutat Trithemius noster in Annalibus Hirsaugiensibus ad hunc annum, quem etiam alii accuratiores Scriptores sequuntur. Mirum est, quantis laudibus Germaniæ Scriptores Henricum ceu *Generis Humani Delicium*, ac Rebus Divinis addictissimum extollant, qui tamen ab Italis, ac præcipue à Raynaldo tam acriter vapulat? Certum est, mortem Henrici toti Germaniæ ingentem luctum attulisse, quippe quæ Electores in diversa studia impulit, eum alii Ludovico nostro Bojo, alii Friderico Austrio faverent, ingenti Imperii Schismate paulo post oborituro.

* Al. Boocovento.

Mors Heorici VII.

Godefridum Episcopum non semper optima valetudine usum fuisse ex eo merito conjicimus, quod post obitum deprehensus sit notabilem argenti summam Augustano Pharmacopolæ debere. Hinc forte finem vitæ prospiciens, ut Superos sibi redderet propitios, & Ecclesiæ suæ Canonicos sibi haberet perpetuo obstrictos, Parochialem Divi Georgii Ecclesiam Frisingensem die 22. Januarii an. 1314. iis contulit, ea tamen lege, ut Divæ Catharinæ Festum, utrasque nimirum Vespertinas Horas cum Summo Officio solenni Ritu celebrarent, & exequias suas, Anniversarium, Septimum, ac Tricesimum studiose peragerent. Erexit etiam in atrio Ecclesiæ Cathedralis Aras S.S. Trinitatis, ac Divæ Catharinæ, & insuper assignatis congruis proventibus duos novos Presbyteros instituit, qui ibi quotidie Sacris operarentur, & Divinas Laudes in Choro Basilicæ Cathedralis Ecclesiæ eum cæteris augerent. Verum id ultimum de Ara SS. Trinitatis, ac duobus Sacerdotibus rectius tribuitur Bertholdo de Röhling Frisingensi Burgravio, uti alibi annotatum cernimus.

Episcopus morbis obnoxius.

Ecclesiam Parochialem unit Cathedrali Collegio.

Clemens V. Papa Templariorum Ordinem extinguere statuerat, ut alibi diximus. Eorum Præses, Mola nomine cum Judicibus præsens adesset, ad Dei supremi Judicis Tribunal appellasse, simulque Clementem, atque Philippum Galliæ Regem (qui totius Catastrophes causa potissima censebatur) citasse dicitur. Id actum est Anno Christi 1313. cum Mola cum duobus Sodalibus ignibus traderetur.

Ordo Templariorum extinguitur.

Utcunque res habeat: Uterque, Pontifex, & Rex, quo citatus fuerat, compatuit proximo anno 1314. Clemens quidem die 20. Aprilis, cujus Thesaurus Pontificius statim direptus fuit: Philippus vero Mense Novembri, ab Apro in venatione ex equo dejectus, ac paulo post mortuus. Tres ejus filii paucis post eum annis Galliæ Sceptrum retinuere: & Regnum ad Valesios translatum est. Post Clementis obitum Sedes Pontificia ultra biennium vacavit. Inter hæc etiam Godefridus Episcopus noster ad æternitatem abiit, in Austria mortuus die 27. Mensis Augusti, unde comparatis Styræ, * Superioris Austriæ Urbe, sericis pannis funebri pompa ad Cathedralem suam Ecclesiam reductus, & prope aram Divæ Catha-

Obitus Clementis V. & Philippi Galliæ Regis.

Et Episcopi nostri.

* Steyer.

tharinæ terræ mandatus fuit. Nactus est obscurum Poëtam, qui in ejus sepulchrali lapide hæc sculpsit:

Ter centum mille bis quini quatuor atque
Fluxerunt anni Domini de virgine nati
Lux Augusti dat Gotfridum bene fini,
Clemens Agne Dei solum das Requiem ei.

Itaque mors Godefridi Episcopi nostri evenit vacante utroque, nempe Pontificio, ac Cæsareo Throno: Salisburgensibus Wichardo, Ratisbonensibus Nicolao, Joanne III. Brixinensibus Sacra jura dispensantibus. Sedem Pataviensem annis septem eo tempore non habuisse Episcopum, alicubi lego. Paulo ante obitum suum Episcopus noster inclyto Monasterio Firstenfeldensi Parochialem Ecclesiam in Yesewang donavit. N. 230.

CAPUT VII.

Conradus III. inter Episcopos Frisingenses XXXI.

§. I.

Privata, ac publica Acta usque ad annum 1316.

Post obitum Godefridi Episcopi, quem in diem 27. Augusti incidisse vidimus, elapsa plus quam unius Mensis intercapedine juxta Catalogos Frisingensium Episcoporum die 3. Octobris ann. 1314. Canonici Cathedralis Ecclesiæ in Episcopale Solium è suo Gremio evexere Conradum Sentlinger, Patricium Monacensem, Juris Canonici Doctorem. Et quoniam constat, sub Godefrido Episcopo Decanum Cathedralis Collegii fuisse Conradum Magistrum (id est Doctorem) suspicamur, Episcopum nostrum antehac Decani nomine DD. Canonicis præfuisse. *Quis fuerit Conradus III?*

Tertia die post electionem Conradi quidam, nomine Ludlinus Granso vicinis Eutingensibus magnam pecorum partem abegit, supellectilem quoque diripuit, ac insuper pecunias extorsit: quæ damna omnia diligenter fuere conscripta. Quid hominem moverit ad id audendum, vel an is damna deinceps compensaverit, non proditur. Idem dicendum est de Ottone quodam, filio Sifridi de Münchendorff, Gæstelio de Rottenbichl, Aschwino filio Tiebaldi, & Ortelio filio Ortolphi de Mengespurch, qui in Praschach Episcopo nostro, ejusque Colonis varias injurias intulerunt. Dubium interim esse non potest, quin Conradus Episcopus invasoribus rerum Ecclesiæ suæ sese diligentissime opposuerit, & de resarciendis damnis solicitus fuerit. *Varias vexationes patitur.* *Lib. Statut.*

Vacaverat interim, ut diximus, eo tempore Romanum Imperium, unde Electores Imperii Mense Octobri Francofurti comparuere, sed scissis in diversa partium studiis die 30. ejusdem Mensis bini ex urna prodiere Germaniæ Reges, ac Romanorum Imperatores, Ludovicus nempe Bojariæ nostræ Superioris Dux, quatuor Suffragiis electus: & Fridericus Dux Austriæ, trium votis ad coronam voca- *Eliguntur duo Reges Germaniæ. Inde Schisma.*

tus; ex quo dissidio Provinciæ Germaniæ vario partium studio pessime deinceps confusæ, ac laceratæ fuere. Helveti à Præfectis suis durissime afflicti, ea occasione urendum rati, facta conjuratione arces & castra repente invasêre, ac diruêre, Nobilibus aut interfectis, aut in exilium protrusis.

Conradus prospicit rebus Ecclesiæ suæ. Eo adhuc anno Episcopum nostrum de impetranda suæ Electionis futura Pontificia confirmatione fuisse solicitum, & pecunias quasdam eo fine collegisse, coæva manu annotatum fuit, ubi etiam legimus, Conradum jam eo tempore aliqua minoris momenti debita expunxisse; pro cessione juris Castri Zuestorffensis hæredibus numerasse XLIII. selibras: ducentas item selibras pro redimendis quibusdam prædiis, quæ à Prædecessore suo Godefrido fuerant oppignorata. Bellissima utique erant hæc Conradini Regiminis initia, sed quæ tanto erant lætiora, quanto iis etiam reliquus decursus atque finis erant felicius responsuri.

Lis inter Conradum & Scherffenbergium. Annus insequens, Christi 1315. Episcopum nostrum in Carniolam, & Marchiam evocavit. Scherffenbergii, in Frisingensis Ecclesiæ Ministerio constituti, ingentia incommoda Episcopis nostris iterum intulerant, Domino Guttenwerdensi, aliisque prædiis Ecclesiæ Frisingensi subtractis, unde acria dissidia inter partes exarsere. Episcopo nostro Petavium * Styriæ inferiotis ad Dravum fluvium urbem Mense Februario delato, aliorum arbitrio causa decidenda relicta est. Episcopi nostri partes tuebantur Magister Dietricus de Wolfsau Gurcensis Præpositus, & Otto Liechtensteinius Styriæ Camerarius. Scherffenbergii veto causæ assistebant Hartnidus de Petawe, & Fridericus de Leybenz. Adhibebantur in consilium Wichardus Salisburgensis Metropolita, Henricus Gurcensis, & Fridericus Seccoviensis Episcopi. Causæ meritis mature discussis jussus est Scherffenbergius Dominium Guttenwerdense, aliaque prædia, ac colonos, Frisingensi Ecclesiæ subtractos, plene restituere, ita tamen, ut reliqua damna, quæ inter utriusque partis colonos evenerant, censerentur esse mutuo compensata. Injunctum insuper fuit Scherffenbergio, ut ad spatium unius anni ad servitia Episcopi paratos haberet viros sedecim.

* *Pettau.*

Sopitur. Denique iidem arbitri constituerunt, ut Episcopus noster Scherffenbergio, siquidem ejus opera ad Frisingensis Ecclesiæ servitium uti ulterius vellet, ad felicius terminandum Ministerium centum Marcas veterum Græcensium denariorum numeraret. Sin minus, Scherffenbergius à servitio deinceps præstando: & Episcopus ab obligatione dictam pecuniæ summam solvendi liberi essent. Et hæc arbitrorum sententia parti utrique placuit. Arbitrium in literas redactum damus

N. 231. in parte operis secunda.

Petavio Lacopolim digressum esse Episcopum nostrum, ex eo discimus, quia feria II. post primam Dominicam Quadragesimæ, cum inde rediret, Castellanos seu Castri, & Turris veteris custodes reliquit Marquardum & R. de Pilichgrez, certa annonæ & nummorum quantitate iis assignata, & armis multis ad custodiam

N. 232. Conradus consecratus. castri relictis. Lacopoli statim rursus Petavium regressus est, ubi secunda Dominica Quadragesimæ inaugurationem Episcopalem accepit. Consecratores non nominantur; at dubium esse non potest, quin ii non fuerint alii, quam tres mox supra recensiti Præsules, nempe Wichardus Salisburgensium Archipræsul, Henricus Gurcensis, & Fridericus Seccoviensis Antistites, quos nuper ad dirimendam cum Scherffenbergio litem in consilium fuisse vocatos diximus. Pro sacris vestibus in ea functione adhibitis & aliis necessariis trecentæ Marcæ argenti puri, nempe non monetarii seu mixti, fuerunt expensæ.

Tertia deinde Dominica Quadragesimæ in reditu suo ad Welsium superius delatus ratiocinia iniit cum officialibus suis. Quo ipso tempore scribi cœpit Li-

Initia Codicis, qui vocatur *Liber Statutorum.* ber Rationum, quem præ manibus habemus, & ex quo ista decerpimus. Cæterum Codici illi exterius adscriptus est titulus *Statuta:* eo quod in eo etiam *Registrum Statutorum Capituli Ecclesiæ Frisingensis*, ceu pars Codicis præcipua continetur. Jussit Episcopus noster in illo annotari omnes illas Ecclesias, quas à tem-

pote

pore confirmationis suæ usque ad diem 17. Martii hujus 1315. anni ipse Ecclesiasticis Curionibus contulerat. Catalogus sic habet:

Primo Præpositura Schlierseensis.
Item Ecclesia S. Petri Monaci.
Item Ecclesia Attenchirchen.

Hergolzhausen.	*Item Ecclesiam in Gremelcheim.*
Eynspach.	*Item Ecclesiam in Haimenhausen.*
Messenhausen.	*Item Ecclesiam in Lantfridhusen.*
Greinbergingen.	*Item Ecclesiam in Holzen.*
Veltmochingen.	*Item Ecclesiam in Lobhausen.*
Mosen.	*Item Ecclesiam in Wompach.*
Hofchirchen.	*Item Ecclesiam Sulzmos.*
Wolfolstorf.	*Item Talchirchen.*
Perolingen.	*Item Ecclesiam Isen.*
Ursenperig.	*Holnbureh.*
Pogenhausen.	*Dachaw duabus vicibus.*
Aufchirchen.	*Item Ecclesiam Messenhusen.*
Greimershausen.	*Item Ecclesiam in Gungelhouen.*
	Item Ecclesiam in Ismaningen.
	Item Ecclesiam Werd.

Item præsentavit ad Ecclesiam in Waidhoven Patav. Dioc.
Item ad Ecclesiam in Guntershausen Ratisb. Dyoc.
Item ad Ecclesiam Sancti Laurentii prope Alaren Patavien. Dyocesis.
Item in Dyoc. Brixinen. præsentavit ad Ecclesiam in Niderndorf.

Episcopo nostro recens consecrato, & è Styria reduci Rudolphus Superioris Bojariæ Dux concessit, ut, dum Episcopus proviveret, Frisingensis Ecclesiæ Coloni coram alio tribunali conveniri non possint, nisi Frisingensi. Literæ sic habent.

Wir Rudolf von Gotes genaden Pfaltzgraf bei dem Rein, und Hertzog in Bayren, entbieten allen unsern Amptläuten, Vitztum, Richtern, und swie si genant sint, die wir ietzunt gesetzt haben, oder die wir fürbatz setzten unser huld, und alles gut. Wan der ersam unser Herre Bischof Chunrat von Frisingen uns gebeitzten hat, daz er für sich, und für sein Gotshaus umb aigen, umb leben, umb gelt, und umb ander sache, darumb er billeich ez tut, swer in ansprichet, gern wil tun vollen und gantzen reht vor dem TumProbst, und vor dem Techant datz Frisingen, haben wir angesehen sein triwe, und die ere, die er uns anlegt, und wellen daz er und sein Gotshaus, die weil er lebt vor uns, unsern Vitztumen, Rihtern, und vor allen unsern Amptläutn umb aigen, Leben, gült, und umb dhainerlay sache dhein recht tun sol, und daz man si mit fürgeboten auf den guten, noh mit anderlay geribt nit beswär. Davon wellen wir, und gebieten nu vestiechlichen bei unsern hulden, daz ir im, und sinem Gotshaus dieselben genade stät habet, und daz ir si mit nichten vberuaret. Wir wellen auch, swaz ir do wider tut oder riht, daz daz dhein chraft habe. Daruber ze einem vrchunde geben wir disen brief versigelten mit unserm hangenden Insigel, der gegeben ist ze München, do man zalt vor Christes geburt dreuzehenhundert iar, darnach in dem fünfzehenden iar des Freitags vor sant Georin tag. Coloni Frisingensis Ecclesiæ subjiciuntur judicio Episc. nostri.

Attilenses nostri mense Junio Episcopo nostro Conrado exhibuere literas olim anno Christi 1255. sibi à Conrado I. concessas, de quibus suo loco dictum est. Eas literas non solum publica fide transumpsit Episcopus Conradus III. verum etiam articulos omnes in iis contentos authoritate sua iterum confirmavit. *Supra cap. 2. §. 10.* Favet Attilensibus. N. 233.

Conradus, ex vetusta familia Puecheriana ortus, jam tertio abhinc anno nomine Frisingensis Ecclesiæ Præfecturam Comitatus Werdenfelsensis gesserat, incautius tamen, quippe cui opus erat gratiam Episcopi nostri prensare. Eam etiam obtinuit, & Præfecturam ab Episcopo recepit, ita tamen, ut determinatis stipen- Prospicit Comitatui Werdenfelsensi.

N. 234. 235. diis imposterum contentum se fore datis literis testari debuerit. id accidit Dominica Festum Divi Jacobi Apostoli praecedente.

Salisburgi Kalendis Augusti Wichardus Archiepiscopus tumbam S. Ruperti primi ejus loci Episcopi, aperuit, ibique reliquias illius cum capite praeter multas alias Sanctorum exuvias reperit, ac postea in Festo Natae Deiparae: demum iterum die 24. Mensis Septembris, quae translationi Divi Ruperti sacra est, devoto populo exhibuit; postea vero rursus suis locis decentissime recondidit. Existimamus, hoc ipso tempore antiquo Divi Ruperti tumulo recenter impositum esse lapidem sepulchralem, de quo in Dissertatione Prolegomena II. pag. 11. egimus. Certe inscriptio sculpta, & stilus nequiquam respondet Saeculo Christi VII. ut quidam perperam existimant, sed XIV. duntaxat, uti omnes veterum characterum gnari fateri cogentur. Veram literarum ideam apponimus. Caeterum Wichardus Archiepiscopus statim die 3. sequentis Mensis Octobris spasmo generali correptus in lethargum incidit, ac post triduum fatis concessit. Ei Fridericus III. de Leibniz, antehac Metropolitanae Ecclesiae Praepositus & Archidiaconus, concordantibus suffragiis die 24. ejusdem Mensis Octobris suffectus est.

Elevatio Reliquiarum S. Ruperti.

Chronic. Salisb. apud P. Hier. Pezium. T. I. col. 408.

Wichardo Archiep. sufficitur Fridericus III.

Ea tempestate Ludovicus Rex ad Rhenum variè exagitatus à Friderico Imperii rivale, Monachium retro cessit. Frater ipsius Senior Rudolphus, qui gloriam regni eidem dudum inviderat, cum eum jam propius advenire intellexisset, copias suas, quas ad pugnam instruere non audebat, per campos, viasque, per quas Ludovicus Monachium ingressurus erat, longis ordinibus ad pompam instruxit. Verum nihilominus antiqua in fratrem odia adeo non diu potuit premere, ut brevi, insalutato fratre Imperatore in castro Wolfratshusiano asylum quaesierit. Cum interim indies magis, magisque gliscerent fraterna odia, Conradus Episcopus noster muneris sui esse censuit eo conniti, ut fratres ad concordiam revocare posset. Vias igitur omnes tentavit, quibus fraternos rancores mitigaret. Commeavit atque remeavit à Ludovico ad Rudolphum, à Rudolpho ad Ludovicum, &, votis aspirante Numine, arduum negotium tanta dexteritate gessit, ut tandem interposita jurisjurandi religione spoponderint ambo fratres, se opes viresque sociaturos, & fortunam seu laetam seu tristem, eademque semper consilia habituros esse. Totus tractatus in literas redactus est, quae adhuc superesse dicuntur. Verum cum paulo post Ludovicus à Leopoldo Austrio, Sueciae Duce, lacesseretur, & adscitis unde unde auxiliis eundem aegre in Sueviam rejiceret, Rudolpho sibi neutiquam conferente jurato condictas suppetias, tandem ira exasperatus Wolfratshusium aggredi statuit, & ferro in fratrem agere. At Rudolphus, cum fratris potentiae obsistere non auderet, fuga salutem quaesiit, nunquam amplius deinceps in Boicam rediturus. Id ubi compertere Monacenses cives, Ludovico sese lubentes commisere.

Adelz. Diffidia inter Ludovicum Regem, ejusque fratrem. Pacantur ab Episcopo nostro.

Recrudescunt.

Idem Ludovicus Imperator paulo post Frisingam venit, ubi etiam Henricus, inferioris Bojariae Dux, comparuit. Episcopus noster Conradus complura praedia, in vicino Territorio Crantspergensi sita, à Ludovico Grans (Gransonem alibi dictum vidimus) comparaverat. Contractum illum ut ratum haberet tum dictus Dux, tum ipse Imperator, memoratus Granso institit. Annuit etiam Gransonis precibus uterque, Ludovicus scilicet & Henricus. Hujus literae sic habent.

Tractatus cum Gransone confirmatur ab Henrico, infer. Bojariae Duce.

Wir Heinr. von Gotes genaden Pfallntzgraf bei dem Rein, und Herzog in Bayren verjehen mit disem brief allen den die in sehent oder hörent lesen, wan unser Lieber Herre der Ersam Bischof Chunrad von Frisingen mit unserer gunst von sein und von seines Gotshaus wegen recht und redleichen gechauft hat von unserm lieben getrewen Lud. dem Grans mit willen siner chinde, und aller siner erben, die darzu geborent, ze Haidolfingen einen hof, ze Wippenhausen drey hof, und einen Paumgarten, ze Hopfawe ein Swaig, ze Purchausen daz Haus und drey Höf, ein Swaig, und ein Wis, ze Geifritspruk ein Mül, mit samt dem pruk-zol, und mit der Tabern, den Zehenden

ze

ze Tunshausen, ein hub ze Siwringen, und swaz er gehabt hat in unserm Geriht ze Chransperch, uberal, läut und gut, mit samt den Gerihten ze Purchausen und ze Wippenhausen, und swa er daz Geriht gehabt hat, auf den andern guten, die er Im verchauft hat, haben wir nah fleizziger bet des Grans, ze gagen unsers Lieben Herren des Hohgelopten Römischen Chünig Lud. mit seinem willen, daz vorgeschriben läut, und gut, mit sampt den gerihten, freileich und ewichleich geaigent für uns, für unsern lieben Bruder Hertzog O. und unsern Vettern Hertzog Heinr. und aigenez mit disem brief dem vorgenanten Bischof und dem Gotshaus ze Frisingen, also daz er, und sein nachchomen baider Läut und gut, und derselben geriht aigenchleich und ewichleich haben und niezzen sulen, besuht und unbesuht, gepawen und ungepawen, ze velde und ze dorf, mit walden und mit wismat, mit wayer und mit waide, und mit allen den eren, rehten und nutztzen, als ez der Grans herbraht, und inne gehabt hat. Ez hat auch unser Herre der Römisch Chunig denselben gewerft, und den chauf geuestent, und bestätigt mit sinen genaden, und mit sinen briefen. Vnd ze einem ewigen vrchund der vorgeschriben aigenschaft, geben wir disen brief versigelten mit unserm hangenden Insigel. Daz ist geschehen und ist der brief geben ze Frisingen. M CCC quintodecimo, Dominica ante Martini.

Imperatoris vero Confirmatio est tenoris sequentis

Wir Lud. von Gotes Genaden &c. Verjehen mit disem brief, allen die in sehent oder hörent lesen, wan der ersam Bischof Chunr. von Frisingen, unser lieber Fürst, von sein, und seines Gotshaus wegen, reht und redleich gechauft hat, von unserm getrewen Lud. dem Grans, mit willen seiner chinde und aller siner Erben, Purchausen, Wippenhausen, und swaz er gehabt hat in Chransperg, geriht uber läut und gut, besuht, und unbesuht mit samt den gerihten ze Purchausen, ze Wippenhausen, und auf andern guten, die er Im verchauft hat, mit allen den eren, rehten und nutzen, als er ez her braht, und inne gehabt hat. Und wan unser lieber Vetter Heinr. Pfallentz. Graf ze Rein, und Hertzog in Bayren fur sich, fur sinen Bruder O. und Heinr. sinen Vetern, nah des Grans fleizziger bet, ze unsern gagen, mit unsrer Gunst, und von unserm gewalt, daz vorgeschriben läut und gut freileich und ewichleich geaigent hat, dem vorgenanten Bischof, sinen nachchomen und dem Gotshaus ze Frisingen, haben wir von besundern genaden denselben gewerht, und den chauf bestätigt, und bestäten in, und vesten in, mit disen brief ewichleich, in allen den taidingn und in aller der mainung als die hantvest billet und hat begriffen, die der Grans uber denselben chauf geben hat. Und ze einen ewigen urchunde derselben bestätigung geben wir disen brief versigelten mit unserm hangendem Insigel. Daz ist geschehen und ist der brief geben ze Frisingen, M CCC quinto decimo, Dominica ante Martini, Regni nostri anno primo. Et ab ipso Imperatore Ludovico.

Prolixiores venditionis literas in Parte altera recensemus. N. 236.

Eodem adhuc mense Imperator Monachium regressus vetera quædam jura Episcopo nostro confirmavit, uti sequenti Instrumento edocemur.

Wir Lud. von Gotes genaden Romischer Chünig, ze allen zeiten merer des Reichs, verjehen an disem brief, und tun chunt allen die in sehent oder hörent lesen, wan unser lieber Fürst der ersam Bischof Chunr. von Frisingen, und sein Vorvaren grozzen gebresten anher gehabt habent, davon daz man si auf die lant schrangen, und für vorterlich geriht gezogen hat, haben wir Im und sinen nachomen ewichleich von besundern genaden erchennet irer reht, die si durch reht haben sulen, und haben im, und sinen nachchomen für uns, und für unser erben abgenomen, und nemen ab mit disem brief, uberal unser lant ze Bayren, daz geriht auf unsern schrangen, also, daz si fürbaz iemant angesprechen, oder beclagen müg oder sul, umb gült oder umb schaden, si selbe, ir amptläut, oder ir urbar auf dheiner unser schrangen, noch vor dheinem unserm Rihter. Ez sol auch der vorgenant Bischof Chunr. oder sein Amptman, daz reht tun umb gült und umb schaden vor seinem TumProbst, oder vor sinem Techant ze Frisingen. Verzigen die daz reht von im, oder verzügen si ez mit geuärde, so man daz Coloni Fris. Ecclesiæ iterum remittuntur ad judicium Episcopi.

bringen mach mit guter gewizzen, an geuärde in derselben sache, nach unser Rihter daz reht hintz im tun und sol im, und dem Gotshaus, daz doch an andern sachen an ir reht, und auch an der hant vest, als vorgeschriben ist, niht schaden, swelh reht auch unser Vitztum, unser Rihter, oder ander unser Amptläut fürbaz hintz in tüten, an als vor auzgenomen ist, daz sol ab sein, und sol dhein chraft niht haben. Wir geheizzen im auch, so wir verriht werden mit unserm Bruder Hertzog Rud. so sulen wir im beholfen sein, daz deu vorgeschribenn reht bestätigt werden, von Im, oder von sinen erben, vnd daruber ze einer sicherheit und ze einem ewigen urchunde geben wir disen brief versigelten mit unserm hangenden Insigel. Datum Monaci. M CCC quinto decimo. Sexta feria ante Katherine. Regni nostri anno primo.

Imperator novam & singularem gratiam Episcopo confert. Eodem * die ulterioribus Episcopi nostri precibus Rex Ludovicus annuit. Conradus Episcopus jure beneficiario in Friderici Austriæ Ducis (qui Germaniæ Regem se dici volebat) territoriis multa prædia possederat. Horum patronum, si Ludovicum agnosceret, ingentia incommoda ac damna sibi ac Frisingensi Ecclesiæ à Friderico accersiturus erat. Ut vero nec Fridericum, nec Ludovicum offenderet, supplex accidit Ludovico, ut pateretur præstationem clientelaris homagii tantisper differri, donec inter utrumque Regem sopirentur discordiæ. Ludovicus æquissimam petitionem Episcopi lubens admisit, datis in eum finem literis subjunctis:

*Wir Lud. von Gotes genaden &c. Verjehen &c. wan unser lieber Fürst der Ersam Bischof Chunr. von Frisingen sein gült und sein gut ein michelteil ligent hat under des Hertzogen gewalt von Oesterreich, und er an demselben gut grozzen schaden möcht wol nemen, von dem von Oesterreich, ob er ze disen zeiten seineu Leben von uns empfieng, haben wir In, und sein Gotshaus von besundern genaden besorget, und haben In uberhebt, daz er sineu Leben ze disen zeiten niht sul empfahen, biz der chriech zwischen uns und dem von Oesterreich werde beriht und vollendet, und sulen in auch darumb in der frist nihtes derwingen oder benöten, und haben Im auch die selben frist, sineu Leben, und sineu reht erlaubet. * Wir haben auch den vorgenanten Bischof C. in unser besunder genade, und scherm genomen, und wollen niht, daz Im oder sinem Gotshaus iemand iht tu an reht, und suer in an reht angriffe, haben wir in geheizzen, in und sein Gotshaus ze scherm auf ein reht, als verre unser gewalt ist. Daruber ze einem urchunde geben wir in disen brief versigelten mit unserm hangenden Insigel. Dat. Monaci Millesimo CCC. quinto decimo, sexta feria ante Katherine, Regni nostri anno primo.*

Episcopus Monasteriis favores impendit. N. 237. Vid. N. 195. N. 238. Conradus Episcopus noster eo anno erga Scheffrlarienses liberalem se exhibuit, dum clientelam certarum decimarum passus est transferri à Gebhardo Sachsenhausero in Monasterium prædictum. Literas in secundam partem differimus; uti etiam eas, quibus idem Episcopus concessionem olim anno 1288. Monasterio Tegernseensi factam confirmavit.

Vid. Lib. Statut. à fol. 12. a. b. c. & seqq. Mense Decembri Episcopus noster conscribi jussit Ecclesias omnes tum in sua Diœcesi sibi subjectas, tum extra diœcesin ad jus Patronatus spectantes. Catalogus diffusior est, quam ut locum hic inveniat.

Helvetorum fœderi hoc anno Suicii, Uranii & Sylvanenses dedere initium.

Annal. Hirsaug. Ludovicus tranquillitati Imperii prospicit. * Faustrecht Struvius in Synt. Jur. Publ. pag. 227. vocat jus manuarium. L. X. c. 34. De Ludovico Bavaro ad annum 1316. hæc notat Trithemius noster. Ludovicus Rex convocatis Principibus cunctisque sibi fideliter adhærentibus pacem in omni Regno Romanorum servandam constituit: latrocinia prohibuit &c. ita tandem libido prædandi * quæ jam à multis centenis annis gravissime passim invaluerat, ut ex multis documentis hactenus perspeximus, saltem ad tempus sublata fuit. Illud jam suo ævo deploravit Otto Frisingensis Episcopus noster, dum scripsit: *Apud nos vero tam tetra jam videtur confusio, ut non solum reliquo anni circulo præda & incendio cuncta permisceant, sed & in ipso quadragesimali & pœnitentiali tempore contra divinas & humanas leges desævire non pertimescant.* Et sane turpissimum

mum erat inter Christianos, Statum contra Statum bella gerere, Vasallos contra „ Dominos, Urbes potentiores contra Principes insurgere, alterum ab altero in- „ festari, cæde, incendiis & rapinis omnia adimpleri, ut Struvius scribit, „ quem Lector consulere poterit. „

Mense Januario ejusdem anni Udalricus de Unehoven Episcopo nostro vendidit decimas in Pakharn & vicinis qnibusdam prædiis. N. 239. Ipse Episcopus eodem Mense summa industria omnem supellectilem aulæ suæ, uti etiam libros, vina ac frumenta conscribi jussit. *Lib. Statut. à fol. 18.* Isanensi Collegio gratiam fecit, ut eorum subditi libere possent matrimonium contrahere cum subditis Frisingensis Ecclesiæ: quod idem Frisingensibus concessere Isanenses. N. 240.

Martio Mense Episcopus noster Friderico Austriæ Duci (qui se constanter Regem gerebat) octingentas libras Viennensium denariorum mutuas dedit, pro qnibus Fridericus Episcopo nostro certos colonos & reditus annuos assignavit: N. 241. ac paulo post Mense Aprili Privilegia Domus Viennensis, ac prærogativas in Aspach, Probstorf & alibi confirmavit. N. 242. 243. Auxit etiam proventus suos in Styria novis prædiis à Rudolpho Liechtensteinio coëmptis. N. 244. 245. 246.

Inter hæc Divi Petri Sedes ob Cardinalium pertinaces dissensiones per annos duos ac menses tres viduata lugebat, cum Guascones, qui in Sacro Collegio erant, Guasconem sibi optarent Pontificem, cæteri vero in diversa studia essent abrepti, singuli faventem sibi Papam exoptantes. *Electio Joannis XXII.* Finem discordiis Philippus Pictavii Comes fecit, qui Cardinales Lugdunum invitavit, eosque illuc pertraxit, cum iis adpromisisset non solum omnem libertatem Pontificem deligendi, verum etiam Lugduno pro votis suis recedendi. Tractos postea in retia Cardinales, inclusos tenuit, tamdiu non dimittendos, donec Ecclesiæ Pontificem darent. Quadraginta dies fluxere, dum tandem suffragiis die 7. Augusti ex urna prodiit Jacobus, Caturcensis patria, patre Arnoldo, Sutore veteramentorum, *pauper. temporali substantia, sed dives ingenio & scientia, parvus corpore, sed magnus animo, Roberti Siciliæ Regis Cancellarius, postea Episcopus Avenionensis, ac demum anno Christi* 1312. *S. R. E. Cardinalis*, *S. Antoninus apud Reynaldum.* qui Joannis nomen assumpsit, dictus ab aliis eo nomine XX. ab aliis XXII. Lugduni Apostolicis Infulis decoratus. Hujus auctoritate Fridericus III. Archiepiscopus Salisburgensis Electionis suæ, superiori anno factæ, confirmationem, atque sacram inaugurationem inter plures alios sacros Antistites, ac demum Pallium consecutus est. Id Romæ accedisse Dükerus scribit, quod tamen asserere ausus non est Mezgerus, forte quod videret, antiqua Salisburgensium Chronica reliquisse dubitationi locum, & Sacra Sedes cum Collegio Cardinalium eo tempore adhuc in Gallia fuerit commorata. Episcopus noster Mense Octobri Bernardum de Schafferveld Ulmarfeldæ præfecit, & cum cæteris suis per Austriam Præfectis accurata ratiocinia iniit.

§. II.

Actorum continuatio: ubi de fundatione Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis in monte Frisingensi.

Dum mutuis inter se altercationibus exardescunt Bavarus & Austriacus Reges, Episcopus noster Conradus utrique parti obnoxius, utriqne fidelis, causas domesticas egregie promovit, cum neminem offenderet, & utrumque Regem obsequiis demulcere studeret. *Episcopi nostri dexteritas & prudentia.* Ita Ecclesiæ suæ prospexit optime, &, ut

ut domi tranquilla essent omnia, solicite curavit. Id ex actis anni 1317. colligimus, quo rebus suæ Ecclesiæ in Bojaria atque Austria egregie consuluit. Occurrit primo loco in quodam membraneo codice Attilensis nostri Monasterii, Episcopum nostrum, ipsis Kalendis Januarii Eberspergæ constitutum, Friderico, Attilensi Abbati copiam fecisse, ut, dum viveret, Wasserburgi dies suos exigere posset. Per anni decursum multa prædia tum beneficiaria, tum alia non exiguo pretio partim redemit, partim comparavit: quædam etiam desolata reparavit. Sacelli quoque Episcopalis ædificium notabili ære promovit, Urbem Lacopolitanam magnis expensis muro exteriori cinxit, Præfectos dominiorum suorum ad ratiocinia traxit, & varios nobiles iisdem dominiis recenter præfecit, decimasque Tranhovenses elocavit, rebus gestis ubique præsens. Cum anno sequenti, Christi 1318. pergeret Ecclesiæ suæ commoda curare, & interim Nobiles de Fraunberg jam à pluribus retro actis annis ingentia damna Frisingensibus Episcopis intulissent, tandem adhibito arbitro Ottone, inferioris Bojariæ Duce, partes ad concordiam fuere reductæ. Illata damna coævo idiomate & stilo damus.

Industria Episcopi.

Componitur lis cum Fraunbergio.

Datz sint die gebresten un der schad, den der Frowenberger weilent dem Gotshze Frising getan hat.

Vexationes à Fraunbergiis motæ.

Des ersten in dem chrieg, der zwischen dem Bistum und dem Frowenberger wert, bitz ouf richtigung, die ze Mosburg geschah von Hertzog Otten, hat der Frowberger das Bistumb und sein leut beschedigt und beraubet teurr danne auf sehs tausent pfunt.

Darzu hat er ze Chransperch des Bistums leut beschatzet, auf zway hundert pfunt. und hat in ir orn, und irer lider abgesniten, und zeben getöt in der cheichen.

Do deu richtigung ze Mosburch geschach, und schad gen schad wart abgenomen, da wart geschaiden von Hertzog Otten, daz er dem Bischof, seinen wilden pfart, gar und gantzlich solt widergebn, und gelten der er niht het, des hat er noch sein erben niht getan. Und schatzet auf derselben stat Bischof Enich, die pfart umb funftzehn hundert pfunt.

Darzu hat der Frowenberger und sein erben ietzu, dem Bistum vor, seins gerihts zu Purchrayn, ein mithel tayl, das daz Bistum alle nimt schaden mer denne dreizzich pfunt, und hat doch der Bischof daz selb geriht behabt vor dem Römischen Chünig Alb. ze derselben zeit, da er ez behabt umb den schaden der widern zeit vom dem geriht ist dem Bistum an layt gebn auf alles des Frowenberger gut umb zwai tausent pfunt. Daz habnt sein erben noh allez mit gewalt vor und sint auch schuldich des schadens, der seit der an layt geschehn ist von dem geriht.

Dar zu dwinget er für seinen Rihter des Bischofs Amptleut, umb iglich chlag, wider daz reht, und swes er auf seiner schranne bechömen wil, daz tut er, und lät
CCCXVIII. *an nyman dingen nur für sich selben. und wolt hewr auf seiner schranne, und in seinem gelayt, des Bischofs Amptleut, und Diener erschlagn habn, und beangst die umb ir lebn.*

Ez habent auch hewr die Frowhberger, des ir Vater ny getorst, gemuten ouf yner gut, da der Bischof Vogt uber ist, in irem geriht Nahtsedel genomen und gesucht, wider daz reht, und wider alter gewonhait.

Darzu hat der Frowenberger in seinem geriht, dem Bischof, vor sinen dienst von sinen Vrborn. Hæc summa querelarum erat.

Rem ita terminatam accepimus. Damna invicem illata compensata sunto, ita tamen, ut Fraunbergerius pro ablatis Episcopo equis 500. libras numeraret, & pro factis in Dynastia Burgkrainensi deprædationibus bis Mille libras denariorum persolveret. Ita demum pax cum Fraunbergiis restituta est.

Sedantur.

Episcopus noster eodem anno summo Pontifici decimas proventuum biennii exsolvit. Eum hoc anno in Styriam & Carniolam digressum, & circa Festum Divi Nicolai regressum esse, ex actis certum est, & manu coæva testatum cernimus.

Episcopus noster iter instituit.

mus. Literas locationis domûs, ad Divæ Catharinæ aram, in atrio Cathedralis Ecclesiæ à Godefrido Episcopo constructam, pertinentis, alibi referemus. N. 247.

Mense Aprili anni 1319. Episcopus noster Procuratorem in curia Romana constituit Taverninum Novariensem, constituto ei stipendio annuo sex florenorum. Hodie rerum & laborum pretia aliter taxantur. *Lib. Statut.*

Junio Mense Cathedrale Collegium consentiente Episcopo Conrado Laicum famulitium suum ad pauciores personas reduxit, atque imposterum nonnisi *Hofgamlinum, Grassarium, Molendinatorem*, & *Pistorem* habere voluit. *Hofgamlini* officium sic video explicari. *Officium Hofgemlini est, ut readificet seu reparet januas destructas, fenestras, scampna & gradus sed non de novo, & sibi debet provideri de lignis & rebus Domini, & si Dominus habet carpentarios, debet esse conservator instrumentorum eorumdem.* Alibi additur: *Hofgamlinus purgabit ambitum ad Mandatum in Cœna Domini, adaptabit aquam calidam: & citabit citandos in judicio comparendo coram Cellerario vel coram Præposito. Item semper debet esse præsens in divisione præbendarum, & quando Prælatis servitur.* è quibus suspicamur, Hofgemlini officium ab officio Æditimi non multum abluisse, & pluribus aliis insuper functionibus fuisse obnoxium. *Grassario* injungebantur sequentia: *Grassarius adaptabit Pistori ligna ad pistandum, præsens erit in divisione præbendarum, & quando Prælatis servitur.* Quid nomine *Molendinatoris* intelligendum sit, ex ipsa voce semilatina satis colligitur. Alibi adduntur sequentia: *Molendinator nobis molere tenetur, & apud eum molere tenemur, dummodo fideliter & diligenter circa nos suum exequatur officium.* Circa *Pistoris* officium hoc annotatur: *Pistor panes Capitulo cum diligentia & fidelitate pistabit, & male pistans tociens dabit Capitulo urnam latini vini.* Ita eo tempore vivebatur & scribebatur. Restringitur famulitium Laicum Cathedr. Collegii. Vid. N. 248.

Eodem Mense Junio Conradus Episcopus pro multiplicandis Divinæ Majestatis laudibus novam Collegiatam Ecclesiam in hanc usque diem celebrem prope Palatium suum molitus est, uti ex ejus literis discimus, quæ sequentia continent.

In nomine Domini Dei æterni amen. Cælestis Creator omnium, cujus imperscrutabilis providentiæ altitudo non includitur limitibus, & quem cæli cælorum nequeunt continere, sic ad sponsæ suæ Matris Ecclesiæ redemptæ affectum præcipuo consubstantialis Filii sui sanguine profectum eximium ac decorem ædificationem materialem crescere disposuit, & præordinando provide constituit in templum sanctum Domino, ut lapis iste angularis in Sacramento sui magnifici corporis ibidem nobiscum usque ad consummationem seculi permaneret, & in locis venerabilibus administratione & officio Pontificum delibutis veneraretur Sanctum per cuncta secula nomen ejus. Porro nos Conradus Dei gratia Episcopus Ecclesiæ Frisingensis ad ejus gloriam, per quem cælestis & terreni consistunt ædificii fundamenta Frisingen. Ecclesiæ nostræ sponsæ, cui Divina patientia præsidemus, exaltationis spiritualis honorem salutis propter augmentum & devotionis Christi fidelium universalem propagationem, nec non specialem ob reverentiam Sancti Johannis Baptistæ Præcursoris Christi, qui sanctificatus in utero Matris Salvatorem præcessit in Helia spiritu ac virtute, ipsumque factorem suum ac nostrum in deserto lucem beatitudinis digito demonstravit, & lympha meruit tingere baptismali; Capitulo nostro per campanæ sonitum more solito convocato, convenientibus dilectis in Christo Fratribus, Dominis Præposito, Decano, nec non omnibus & singulis in loco Capituli, qui volebant, debebant, & commode poterant interesse, deliberatione præhabita diligenti, tractatibus omnibus, discussionibus, ac solemnitatibus adhibitis, quæ in arduis ac majoribus causis ac negotiis, & præcipue subsequentibus de jure & consuetudine requiruntur, faventibus, cooperantibus, & consentientibus nobis generaliter omnibus, & singulariter universis nullo penitus discordante, autoritate nostra pariter & decreto solemniter ac auctorizabiliter Capellam Sancti Johannis Baptistæ sitam ante fores Ecclesiæ nostræ prædictæ Cathedralis, quæ Capella Episcopalis est antiquitus nuncupata, creamus, erigimus, ordinamus, diffinimus, ac tenore præsentium constituimus Capitularem & Conventualem sive Collegiatam, donantes & concedentes eidem ac personis Fundatio Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis in monte.

quibuslibet collegiatis in ipsa Deo militantibus omne jus, & quemlibet honorem in genere & specie, quod vel qui cateris Conventualibus & Collegiatis Ecclesiis & personis nostra civitatis vel diocesis ex statutis quibuscunque competunt consuetudinibus sive jure. Volentes, statuentes, & diffinientes, ut quantum ad originalem & primissariam institutionem sint in ipsa Capella Episcopali dignitas Prapositura, Capitulum, & sex Canonicatus & Prabenda, donec per nos, aut successores nostros personarum aut Collegii numerus pradicti fuerit Deo propitio augmentatus. Statuentes, ut Prapositus ejusdem Capella Episcopalis Collegiata Noster, & successorum nostrorum, sicut provisor ipsius antea fuerat, sit & existat specialiter Capellanus. Statuimus insuper & diffiniendo ordinamus, quod in prafata Ecclesia S. Johannis per Canonicos institutos & etiam instituendos tres Missa ad laudem Domini celebrentur. quarum prima die qualibet in diluculo submissa voce dicatur, secunda vero Missa, dum ad Primam pulsatur, vel ante, aut circa horam ipsam, officium videlicet diei conveniens solemniter decantetur. sed tertia Missa dicenda cum eadem, vel post concurrat. Solemniter etiam singulis diebus in ipsa Ecclesia Vesperas diei congruentes statuimus decantari, quando videlicet sonatur ad vesperas in Ecclesia Cathedrali. Insuper statuimus & irrefragabiliter ordinando mandamus, quod per totum anni circulum ter in qualibet septimana in pranominata Capella nostra Episcopali pro abolitione & remedio peccatorum nostrorum, atque salute animarum omnium, qui in Ecclesia nostra Frisingensi in officio Pontificali nos hactenus precesserunt, & qui orationibus & devotionibus hujusmodi indigent, decantentur solemniter Vigilia Mortuorum, nisi festa pracipua & solemnia hoc impediant exequendum. Qua quotiens occurrerint, sine protractionis tadio statim diebus sequentibus, quod in officio mortuorum omissum fuerat, perfecte & diligentius suppleatur. In his igitur officiis mortuorum taliter se habeant, quod singulis diebus Dominicis post vesperas decantatas in Ecclesia Cathedrali incipient cantando majores vigilias Mortuorum, inchoantes: Putasne mortuus homo &c. cum novem Psalmis & Lectionibus ad hac aptis. Secunda feria sequenti Missam publicam pro defunctis solemniter peragentes. Feria quarta autem & Feria sexta post vesperas decantabunt vigilias minores, quarum principium est: Credo, quod Redemptor meus &c. Cum psalmis & Lectionibus debitis & consuetis, & in diebus sequentibus in Missa publica commemorationem per collectas usuales Episcoporum faciant defunctorum. Jubemus praterea & statuendo diffinimus, quod in Festis Sanctorum Johannis Baptista Nativitatis & Decollationis Patroni ipsius Ecclesia, Dedicationis, Inventionis S. Stephani ProtoMartyris, Augustini, Gregorii, Hieronymi & Ambrosii, Catharina & Dorothea Virginum omnes & singula hora Canonica per ipsos Canonicos ibidem devote & solemniter decantentur. Per singulas nihilominus sextas Ferias ordinamus & volumus, quod prafati Canonici legendo tantum, prater alia officia eis tunc incumbentia, qua per hoc volumus decantari, dicant ibidem passionis Christi venerabiliter totum cursum. Item ordinamus & volumus, quod dicti Canonici possint diebus privatis in publico altari pro Canonicis Majoris Ecclesia Missas publicas decantare. Caterum formam & modum, quos Canonici supra dicti in horis, Missis, & devotionibus quibuslibet debent in sua Ecclesia absque diffinitis superioribus custodire, & quibus momentis sive temporibus in Choro Cathedralis Ecclesia nostra suam prasentiam exhibebunt, gratiâ melioris deliberationis nostra voluntati & dispositioni futura auctoritate prasentium reservamus. Et quia spiritualia sine temporalibus non subsistunt, quinimo auxiliis corporalibus suffulta fœcundioribus proficiunt incrementis, ad stabilitatem solitam ipsius structura, cujus profectum vehementi cordis desiderio amplectimur, considerationis intuitum diffundentes, de consilio, permissu; & expresso consensu pradicti Capituli nostri Frising. quod nobis, quantum in se esse potuit, consentiendo permisit liberam potestatem pradicta Capella Episcopali sive Ecclesia S. Johannis Baptista, & personis ibidem institutis, & instituendis, ac divinum cultum, ut pramittitur, exercentibus donamus & tradimus Ecclesiam parochialem plebis in Erding nostra diœcesis cum omnibus fructibus, obventionibus, & pertinentiis suis, ita, quod modo subscripto pradicta plebs in Erding cum omnibus juribus suis corporalibus & incorporalibus, spiritualibus & tem-

pora-

poralibus ad liberam dispositionem & administrationem Præpositi & Capituli Sancti Johannis prælibatorum deinceps pertineat, ipsamque plebem cum quibuslibet suis pertinentiis ejusdem Præpositi & Capituli communi Mensæ incorporamus, & per præsentes unimus, utendum & fruendum per eos, prout inferius exprimetur, congrua tamen sustentatione Vicario plebis prælibatæ in Erding, quem perpetuum, ut antea esse volumus, reservata; quem etiam Vicarium Præpositus Sancti Johannis, qui pro tempore fuerit, nobis & successoribus nostris instituendum & incurandum tenebitur præsentare; Nobis enim ac nostris Successoribus in sæpefata plebe Erding utramque legem diœcesanam & jurisdictiouis nihilominus integraliter reservamus. Sancimus autem & ordinando statuimus, ut Præpositus Sancti Johannis, qui pro tempore fuerit, de redditibus & pertinentiis plebis in Erding præcipue pro se divisim habeat decem libras denariorum Monacensium, & quidquid de pensionibus & redditibus prædictæ plebis fuerit, aut cesserit ultra prædictas decem libras, residuum solitum & consuetum communiter & æqualiter dividitur. Præpositus quoque præter redditus illarum decem librarum proventus unius integræ prebendæ, sicut unus ex Canonicis habebit, & in distributione communi sine diminutione reportabit. Insuper ad communes usus Præpositi & Capituli supra dictorum decimam, quæ Ecclesiæ nostræ vacavit per mortem spectabilis viri quondam Domini - - dicti de Wilhaym sitam in villa Ismaning, douamus, tradimus, & auctoritate præsentium incorporamus, præter hac de Capituli nostri Frisingen. sæpefati procedit beneplacito & permissu, & ad hoc, quantum iu se esse debet, & potest, favet concorditer & consentit, quod de possessionibus & rebus pro tempore nostræ administrationis acquisitis hactenus & emptis de novo vel imposterum acquirendis, & etiam de feudis nobis & Ecclesiæ nostræ nunc vacantibus, vel imposterum vacaturis in quibuscunque locis aut regionibus fuerint constituta, donare & incorporare valeamus ad instaurationem & fertilitatem copiosam prælibati Collegii Sancti Johannis, Præpositi & Canonicorum, & Ministrorum ipsius, quantum nobis expedire & competere videbitur, & sicut Dominus inspirabit, non solum pro numero persouarum superius designatarum, verum etiam, si decreverimus successu temporis plures persouas usque ad duodecim Canonicos ibidem instituere, aut prabendas, & earum redditus ampliare. Omnes etiam redditus ad eandem Capellam spectantes ab antiquo ipsi & personis ejusdem inviolabiliter permanebunt. De forma vero & modo instituendarum personarum taliter diffinimus, quod ad prædictum Collegium Sancti Johannis ordinetur & præficiatur perpetuo Præpositus per nos, & Successores nostros assumendus de Canonicis uostræ Ecclesiæ Cathedralis, & eadem Præpositura cum omnibus & singulis Canonicatibus & prabendis sine quolibet impedimento cum oneribus & formis supra nominatis & inferius nominandis per nos & Successores nostros libere conferantur ordinantes & statuentes, ut ad omnes & singulas Canonias & prabendas in eadem Ecclesia S. Johannis per nos & Successores nostros quoslibet præficiantur & assumantur, Canonici tamen, qui sint vere & actualiter Sacerdotes, & in Sacerdotio constituti, vel saltem in Diaconatu tales, qui statim omissis qualibet protractione & juris suffragio velint & possint in Sacerdotes post provisionem sibi factam proximo jejunio quatuor temporum ordinari. Siquis autem præter vel contra præmissa in Canonicum ejusdem Ecclesiæ S. Johannis præfectus, assumptus fuerit vel electus, omni jure, quod sibi competit, vel competere videbatur in Canonia vel prabenda in re & ad rem sine qualibet interpellatione statim & ipso facto penitus est privatus. Nos enim hoc statuto in perpetuum valituro cassamus & irritamus electionem vel provisionem aut institutionem contra vel præter præmissa de Canonicis prædictis taliter celebratam, imo cassam & irritam nunciamus, quicquid ex eo vel ob id fuerit subsecutum. Nobis quoque vel Successoribus nostris coutra prædictum statutum Canonicum aliquem ad Ecclesiam Sancti Johannis assumentibus, præficientibus, vel eligentibus statim ea vice, quotiens in hoc statutum ceciderimus, collatio Canonicatus & prabendæ pertineat ad nostræ Capitulum Ecclesiæ Cathedralis sub modis, formis & conditionibus prætaxatis. Et si in conferendo, vel providendo Capitulum discordaret, prævaleat major pars numeri in hoc casu. Volumus etiam & statuendo ordinamus, ut per eosdem Canonicos

Sancti Johannis ex se Decanus eligatur, cujus confirmatio ad Præpositum suum spectet, & is major & secundus in ipsa Ecclesia post Præpositum habeatur, qui Canonicis administret, & dividat redditus præbendarum, & negligentes in officio Divino puniat spiritualiter & temporaliter; cui quidem pro augmento honoris & laboris sui patientia sufferendi quinque libras denariorum Monacens. persolvendas de communibus obventionibus ipsius Collegii deputamus. Si quis autem suadente diabolo, cujus invidia mors intravit in orbem terrarum præmissa, vel aliquid eorumdem violare seu destruere præsumpserit, & dispositionem inspiratam divinitus laniare, cum Dathan & Abyron, quos terra vivos absorbuit, intereat, vermis ejus non moriatur, & ignis eum crucians nullatenus extinguatur, percussus anathemate contraria sibi sentiat elementa, maledictionibus pessimis repleatur, sic quod sua pertinacia malitia non inveniens Successorem exempla pœnarum alios retrahat ab offensa.

Nos Deinhardus Præpositus, Otto Decanus, totumque Capitulum Ecclesiæ Frisingen. considerantes, quod bona rei dare consultum, æternæ retributionis exspectatur præmium, & præsentis vitæ subsidium obtinetur, præsertim, quod laudabilis Dominus in Sanctis suis, quos extollit ingentior gloria meritorum, desiderat laudari, ipseque Reverendus Pater & Dominus noster, Dominus Conradus venerabilis Episcopus Frisingen. remunerationem administrationis creditæ de juris beneplacito obtineat, ut etiam partem censûs Ecclesiæ nostræ pro magnificanda sepultura sua, aut pro loco construendo valeat elargiri, recognoscimus & tenore præsentium publice profitemur, quod convenientes in Capitulo nostro ad hoc specialiter evocati generaliter omnes & singulariter universi juxta quod præmittitur tractatibus & solemnitatibus adhibitis, quæ de jure & consuetudine in talibus requiruntur, præmissis omnibus & singulis consensimus, & præsentibus consentimus, ipsaque collaudamus, ratificamus, & approbamus juxta modos & formas quaslibet superius annotatas, volentes omnia & singula supra dicta, scripta, & statuta perpetuo inviolabiliter perdurare & valere, sicut de jure melius valere poterunt & in solita subsistere firmitate. Renuntiantes pro nobis & Successoribus nostris in præmissis & quolibet eorumdem exceptionibus solemnitatis omissæ, restitutionis in integrum, doli mali, pecuniæ non numeratæ, in utilitatem non conversæ, & si conversæ, non durantis, appellationis, supplicationis, implorationis, officii cujuslibet superioris, nec non omni juris beneficio, quod nobis aut successoribus nostris posset contra prædicta quomodolibet suffragari, includentes huic oppressioni omnia & singula, quæ renunciationem quantamcunque desiderant specialem. Et in horum evidentiam præsentes litteras sigillo nostro majori, quo ad tractatus & majora negotia utimur, volumus consignari. Et nos Conradus Dei gratia Episcopus Ecclesiæ Frisingen. ad perrennem memoriam, & evidentem roboris firmitatem, ordinationem, diffinitionem, dispositionem Statutorum & præmissorum omnium cæterorum præsentes conscribi fecimus, sigillisque nostro ac Capituli nostri legitime roborari. Actum & Datum Frisingæ, Anno Domini Millesimo tricentesimo decimo nono, Sexto Idus Junii, Indictione secunda.

Judiciaria potestas plene additur Episcopo nostro in Comitatu Ismaningano.

Cum eum in modum sollicitus esset Episcopus noster de Divini Numinis laudibus exaugendis, etiam pro juribus Ecclesiæ suæ tum servandis tum stabiliendis vigilantissimum sese semper exhibuit. Proxima enim post Festum Natæ Beatæ Virginis die à Ludovico Imperatore pretio seu redemit, seu coëmit jus animadvertendi non solum in leviora delicta, verum etiam in facinorosos, puta homicidas, incendiarios, stupratores, eosque omnes, qui Mortis supplicium ex Legum Sanctionibus promererentur in ulteriori Isaræ ripa, nempe in universo hodierno Comitatu Ismaningano. Literæ desuper conscriptæ sic habent:

Wir Ludwich von Gotes genaden Römischer Chunich ze allen zeiten merer des Riches. Veriehen offenlich an diesem brief, daz wir mit verdachtem mut, und mit gutem willen unserm lieben Fürsten Bischof Chunraden von Freysingen und seinem Gotshaus

haus verchaufft geantwurtet, und auch ewichlich dem Gotshaus ze Freysingen veraigent haben für uns und an unsrer Erben stat und wegen, und auch unsers Bruders saeligs Hertzog Rudolfs Erben stat alle diu Lantgerihte, diu wir und der vorgenant unser Bruder Hertzog Rudolf gehabt haben auf dem Rayn bei der Iser in den dörffern, diu hernach geschriben sint, ze Obernvergen, ze Nidernvergen, ze Engelschalching, ze Taggolfing, und ze Ismaning, also daz der Bischof, und daz Gotshaus ze Freysingen, und swer ir pfleger sint, den si es empfelhent, fürbaz in denselben dörffern, und swaz dar zu gehort, über Läute und gut alle Lantgerihte ze dorff, ze velde, ze wazzer, ze waide, und ze wälden, und swaz dar zu gehört, haben, niezzen, und volfuern suln, nnd mugen, es sei umb deuffe, umb brant, umb notnunft, umb mort, oder swaz an den tot, oder diu gelider triffet, also daz der Bischof, und daz Gotshaus Stoch und galgen fürbaz auf dem Rayn in den vorgenanten dörffern und swaz zu den dorffern gehört, sol haben freylich und gäntzlich an alle unser, und unsrer Erben, und unsers Bruder säligen Hertzog Rudolfs Erben widerrede, oder Irrsal. Noch sol dchain Richtär von Wolfrathausen, oder dchain ander unser Richtär, Vitztum, oder Amptman fürbaz mit demselben Lantgerihte nicht ze schaffen noch ze wandeln haben, wan wir daz selb Lantgerihte, und dar zu den pan dem Bischof und dem Gotshaus ze Freysingen gäntzlich und ewichlich veraigent haben und verchaufft. Und mag der Bischof den galgen haizzen setzen, und zimern, als oft sein not geschicht, an swelche stat er wil, zwischen Nidernvergen und Ismaning, oder hinder dem Prüel. Zu dem vorgenanten gewerbt und chauff erchennen wir, und offen, daz wir alle dieu vorgeschriben Recht, Ehre, und Gerihte dem oftgenanten Bischof und dem Gotshaus ze Freysingen für uns und für unser Erben, uud unsers Bruder Erben Hertzog Rudolfs geben und verchouffen, und verzeichen darauf von unsers Fürstentums wegen des Hertzentums ze Beyren für uns, für unser, und unsers Bruder Hertzog Rudolfs Erben und an ir stat. Bestäten Im daz auch von des Riches wegen, daz er fürbaz von dem Riche mit ander seinen Leben haben sol, umb so gtan Ere und reht, die wir dem Bistum als oben begriffen ist, erchennen verchoufft haben, geit uns der Bischof hundert March lötigs silber Müncher gewihtes, der wir von seinen wegen mit rehten gewihte und gantzer zal gar und gäntzlich berihtet sein. Swaz auh der Bischof und daz Gotshaus ze Freysingen andrer hantueste oder Brief habent von unsers säligen Vater wegen weilant Hertzog Ludwigs, von unser selbes wegen, oder von unsers Bruder wegen Herzog Rudolfs, oder von des Riches wegen umb so gtaniu Lantgerihte, Dorfgerihte, oder anderiu gerihte, swie diu genant sint, si sein chlain oder groz, diu gehörent und sint zu den vorgenanten dorffern, und diu der Bischof Enichen in nutz und in gewer gehabt hat, den sol der chauff und disiu hantueste dchainen bruch noch schaden tun, si beleiben dannoch in aller der chrafft, und bei allen den rehten, als si vor gewesen sint, und sol auch von den vodern hantvesten diser gewerbt, und der chauff an dchainen sachen becbrenchet werden, er beleib stät und ganz. Wir gehaizzen auch dem egenanten Bischof und dem Gotshaus ze Freysingen, daz wir und unser Erben des selben Lantgerihtes ir gewer sein suln und wellen an aller der stat, da wir und unser erben daz billich tun, und swa sein dem Bistum not ist. Darzu loben Wir und gehaizzen dem Bischof, und dem Gotshaus ze Freysingen mit guten triwen, swenn wir berihtet werden mit unsers Bruder Erben Hertzog Rudolfs, daz wir oder unser Erben daz selb Lantgerihte mit ir gutem willen dem Bistum ze Freysingen bestäten suln, und vertich machen, als verre es dieselben unsers Bruder Erben, und von unsers Bruder Erben antriffet, swenn wir oder unser Erben von dem Bistum oder von seinem pfleger in Beyren des gemanet werden. Daruber ze urchunde, daz der chouff und diu tädinch von uns, von unsern Erben, und von unsers Bruder Erben dem Bischof, und dem Gotshaus ze Freysingen stät, und unzerbrochen beleib, geben wir disen Brief mit unserm Chunichlichen Insigel versigelten. Der geben ist ze Freysingen des Nähsten Montags nach unser Frowen tag als si geborn wart. Do man zalt von Crists geburt dreuzehen hundert iar, darnach in dem Neunzehenten iar, in dem fünften iar unsers Riches.

Ludovici Bav. infelix cum Friderico Austriaco conflictus.

Hæc lætiora erant, quam quæ eodem adhuc Mense subsecuta sunt fata. Gliscebant jam à pluribus annis inter duos electos Imperatores odia, varia in utrumque fortuna. Fridericus hoc anno ac Mense auctus copiis Salisburgensis Archiepiscopi, uti etiam Leopoldi fratris sui, Sueviæ Ducis, venit Müldorfsium, cum Ludovico pugnam decretoriam pugnaturus. Occurrit Ludovicus una cum Henrico Bojariæ inferioris Duce numeroso Milite stipatus, & collem prope dictam Urbem occupavit. Poterat palmam referre adversus Fridericum, nisi à venalibus quibusdam nebulonibus suis jamjam esset proditus ac venditus potenti hosti. Ferme ultimus ipse erat, qui periculum advertit, coactus propudiosam suorum fugam sequi: quod in Divi Archangeli Michaelis Festo accidit. Fridericus lætus incruenta victoria, cum nec subsistenti, nec eunti, nec redeunti ullus hostis occurreret, incendiis atque rapinis inferiorem potissimum Bojariam fœde afflixit, & provinciam ad ingentem desolationem deduxit: quæ etiam Episcopo nostro pluries quam bis mille libris stetit, ut in rationum libro ad eum annum annotatum cernimus.

Chronic. Salisb. apud P. Hier. Pez. T. I.

Mense Novembri cum Episcopus noster se in Austriam conferre statuisset, sequentem dispositionem domi reliquit. Numerabat in Waidhovensi ærario 836. selibras argenti, & pecuniæ monetariæ veteris alias selibras 800. Ex his Cathedrali Collegio assignavit sexaginta selibras ad comparanda prædia, quorum reditus postea in suo anniversario præsentibus essent distribuendi. Alias quadraginta selibras destinavit ad similem finem, ut census annuus exinde proveniens distribueretur inter eos, qui processionibus inter Pascha & Pentecosten institui solitis interfuturi essent. Decem selibras ordinavit pro pulsatoribus & æditúis; item pro luminibus ad anniversariam sui memoriam. Alias trecentas selibras impendi voluit ad Ecclesiam S. Joannis perficiendam, in qua etiam sibi tumulum elegit. Quod si ea summa major esset, ac res postularet, pecunias residuas Canonicis illius Ecclesiæ dari jussit. Pro luminaribus altarium sæpe dictæ Ecclesiæ constituit selibras quadraginta: pro futuris reparationibus ejusdem Ecclesiæ selibras sexaginta: alias ducentas ad comparanda prædia, quorum reditus Canonicorum usui deputabat. Collegiis Canonicorum S. Andreæ, S. Viti, & S. Castuli Mosburgi unicuique selibras tradi mandavit viginti, ut in iis quoque Ecclesiis annua sui memoria fieret.

N. 249.

Episcopus iter in Austriam provide meditatur.

Enzerstorffii in arca Monetaria repositæ erant viginti selibræ auri, & plures quam centum selibræ argenti. Ex his tres jussit expendi pro Sacro Calice, Divi Joannis Ecclesiæ offerendo: quinque pro augendis Canonicorum proventibus: alias quinque auri *ex humanitate & eleemosyna* assignavit Matri suæ, quam provectæ admodum ætatis fuisse oportet: tres Materteræ suæ Hailwigi. Magistro Cameræ suæ duas auri, argenti decem selibras donavit. Executores harum donationum instituit Ottonem Decanum, Enichonem & Henricum Magistrum Cameræ, Cathedralis Ecclesiæ Canonicos, quibus etiam plures alias pecunias in aliis suis Castris asservatas assignavit, pro meritis ac necessitatibus distribuendas. Granaria quoque ac Cellas vinarias reliquit frumentis ac vinis refertas. Vir sane providentissimus, qui iter destinatum ingredi noluit, donec domi omnia optime constituta cerneret. Porro an facta hac dispositione statim Frisinga discesserit Episcopus noster, nullibi edocemur. Ex actis sequentibus potius contrarium perspicimus.

§. III.

§. III.

Residua ejus temporis Acta usque ad obitum Conradi III. Episcopi.

IPsis Kalendis Januarii anni 1320. facta est, nescio quæ, compositio inter Episcopum nostrum & Ludovicum Regem, patuitque Episcopum nostrum teneri numerare Ludovico selibras Monacenses mille: quas etiam idem Episcopus tum Monachii, tum Landishuti, tum Augustæ Vindelicorum eidem assignavit. Sane unde eas pecunias desumpserit, distincte annotari Episcopus jussit. Videtur postea Episcopus in Austriam esse profectus, ubi in Festo Divi Jacobi Apostoli castro in Preisek, præfecit Rudolphum de Scharfenberch, in Clingenfels vero Merchlinium de Gutenwerd, utrique certis stipendiis assignatis. Plura etiam prædia in Austria eo tempore Episcopus coëmit, & alicubi ædificia refecit. *Lib. Statut.*

Notatu dignissimæ sunt literæ, quas eodem anno Fridericus Salisburgensis Archiepiscopus ad Summum Pontificem scripsit. Eas huc exscribere visum est.

Sanctissimo in Christo Patri & Domino suo Karissimo, Domino Johanni, calesti providentia Sacro Sancta Romana, ac universalis Ecclesia Summo Pontifici Fridericus divina miseratione Salisburgensis Ecclesia Archiepiscopus, Apostolica sedis Legatus cum devota & debita reverentia pedum oscula beatorum. Ad hoc Deus collatis clavibus Regni calestis, ligandi atque solvendi vobis generale Pontificium tradidit, ac Apostolica dignitatis Principatum contulit cum plenitudine potestatis, ut cateri Pastores Ecclesia in partem sollicitudinis vocati pro se omnibusque sibi commissis in singulis suis necessitatibus cum fiducia thronum gratia Vestra adeant, apud sanctam Sedem vestram misericordiam & materna consolationis quarant ubera, à qua sicut à sole radios, ab arbore ramos, & à fonte rivulos statum suum derivari cognoscunt, & ex cujus exundantis copia largitatis fluenta frequenter emanant gratiarum. Sane non sine grandi cordis amaritudine Sanctitati vestra facio manifestum, quod in Provincia mea nonnulla beneficia Ecclesiastica, videlicet dignitates, Personatus, & Parochiales Ecclesia, prater quas in eadem Provincia pauca sunt beneficia, vacant de jure, ex eo, quod eorum, qui illa de facto tenent, aliqui eo tempore, quo ea adepti sunt, fuerunt inhabiles ex defectibus ordinis & atatis, aliqui post adepta hujusmodi beneficia non fuerunt statutis à jure temporibus promoti ad ordines, quos cura requirebat, illorum aliqui alia receperunt beneficia, qua simul cumprimis de jure non poterant obtineri, & veniendo contra novam vestram Constitutionem, qua incipit: Execrabilis. facti sunt inhabiles tam ad habita, quam ad habenda; prafata quoque beneficia tanto vacaverint tempore, quod eorum provisio est ad Sedem Apostolicam devoluta. Licet autem tam ego, quam Suffraganei mei urgente nos morsu conscientia, saluti animarum providere, & corruptionem hujusmodi, qua non nostro, sed Pradecessorum nostrorum tempore subintravit, evellere summo affectemus studio, in hoc tamen nobis vehementer obsistit instantis malitia temporis, quo illicitos beneficiorum dictorum detentores cohercere, & ab eis amovere nequimus, tum propter propriam illorum, & amicorum suorum potentiam, tum etiam propter discordiam Principum contendentium de Imperii dignitate, qua quidem discordia pacem de nostris terminis exulare cogit, sociam pacis justitiam suffocat, pralia nutrit, seditiones excitat, & plerosque homines fecit insolentes adeo, & effrenes, quod ex severitate cohertionis ecclesiastica non revocantur à malo, sed quo magis percelluntur, amplius indurantur, propter quod ad succurrendum hujusmodi beneficiis & personis videtur utilius uti mansuetudine, quam rigore, & morbi hujusmodi vulnera non ferro sectionis, sed potius fomentorum lenitate curare, eo quod sive plectendo, sive igne- Archiepiscopus Pontifici explicat statū rei Ecclesiasticæ per provinciam suam.

ignoscendo id solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur. Suadet etiam hoc multitudo languentium illo morbo, cum detrahendum sit severitati, ubi de multorum strage & periculo timor subest. Suadet quoque personarum qualitas, quæ pro majori parte ex claro genere & nobili prosapia progenitorum splendidis pollent natalibus, quibus post assumptam militiam clericalem, & receptos sacros ordines secundum consuetudinem patriæ ad dimissa patrimonia non datur redeundi facultas, & nisi de beneficiis ecclesiasticis vitam agant, coguntur in confusionem sui generis & vituperium Clericalis ordinis infeliciter mendicare. Suadet hoc etiam beneficiorum ipsorum quantitas, quorum fere per totam provinciam memoratam reditus & proventus adeo sunt tenues & exiles, quod de unico beneficio persona literata vel nobilis se non valet secundum status sui decentiam exhibere. Literati quoque & nobiles, qui jura Ecclesiarum possunt defendere & tueri, nisi aliqua prærogativa juventur, de cetero Clericatum fugient, in quo detrahetur non modicum Cleri & Ecclesiarum commodo & honori. Suadet denique hoc dura Laicorum resistentia, qui hoc præsertim tempore, ut præmissum est, gravius insolescunt, & cum jus Patronatus & Advocationis in multis beneficiis eis competat, facilius illa destruuntur, & vel propriis applicant usibus, quam præsentatos à se consanguinitate forte vel affinitate sibi conjunctos patiantur ab illis removeri invitos. Cum igitur optimum huic morbo remedium adhibere sola possit vestra Clementia, quæ ad instar ejus, cujus vices geritis in terris, non vult mortem peccatorum, sed ut magis convertantur & vivant, de voluntate, consilio, & consensu Suffraganeorum prædictorum, & Capitulorum suorum tam pro me quam pro illis Sanctitati Vestræ cum omni devotione & reverentia supplico per viscera misericordiæ Jesu Christi, quatenus de gratia speciali tam mihi, quam illis singulis in suis Civitatibus & Diœcesibus providendi de dignitatibus, Personatibus, Parochialibus Ecclesiis seu aliis beneficiis Ecclesiasticis curatis & non curatis, quæ per novam vestram constitutionem præfatam, seu alio quocunque modo de jure vacant, & tanto vacaverunt tempore, quod eorum provisio est ad Sedem Apostolicam devoluta, eisdem, qui illa nunc tenent de facto, vel aliis personis idoneis, prout Vestræ Sanctitati visum fuerit faciendum, dispensandi quoque super pluralitate beneficiorum cum hiis, qui plura de facto jam tenent beneficia, juxta modum, quem secundum conscientiam nostram consideratis personarum & beneficiorum circumstantiis arbitrabimur, nec non super irregularitate & inhabilitate ex detentione beneficiorum hujusmodi contracta, remittendi quoque fructus, reditus & proventus ex hiis perceptos, cum non obstantibus & clausulis oportunis hac vice duntaxat concedere dignemini facultatem, ut per hoc status reformetur Cleri, salus crescat populi, & vestrorum apud Deum augeatur cumulus meritorum. Dat. Salzburg. X. Kalend. Novembris anno Domini M CCC XX. Hæc Pontifici Archiepiscopus. Quodnam vero responsum acceperit, nobis incompertum est, quibus sufficit, Germaniæ eo tempore statum ex laudatis literis genuine commonstrasse.

Variæ Episcopi curæ. Hæserat adhuc sequenti anno Conradus Episcopus in Austriæ & Carniolæ partibus. Et Lacopoli quidem in Festo Epiphaniæ Dominis Henrico & Alberto Comitibus Goritiæ & Tyrolis annuit, ut ex clientelaribus quibusdam Ecclesiæ
N. 250. 251. Frisingensis prædiis prædictus Albertus Comes Conjugi suæ Ofmeynæ dotem constituere possit. Deinceps plura iterum prædia comparavit in dictis partibus. Capellam etiam Ulmerfeldensem dotavit. Friderico Regi 335. selibras argenti dedit mutuas. Domum vero rediit circa festum SS. Simonis & Judæ Apostolorum: ubi consummato Ecclesiæ S. Joannis operi deprehendit impensas fuisse mille quadringentas libras, non computatis sumptibus factis pro comparata vinea in Holenburg, quam eidem Collegiatæ Ecclesiæ in novam dotem adjecit. Proximo & vitæ suæ ultimo anno in Schefftlariense Monasterium iterum liberalis fuit, veluti
N. 252. alibi docebimus. Atque hæc sunt acta Conradi Episcopi eo nomine tertii, quæ ad annos certos poterant reponi. Habemus vero ad manus acta incertorum annorum ingenti sane numero, quæ aliquot folia etiam Typorum implerent. Verum

rum quia pleraque non tam ad Historicos, quam ad Logographos pertinent, hic omittenda videbantur.

Mensem obitus Conradi Episcopi lapis sepulchralis diserte explicat, non vero annum & diem. Detritis enim initialibus verbis hæc duntaxat super-sunt: Mors Episcopi.

. . . . *Idus Aprilis obiit Chunradus Episcopus Frisingensis.* Annum designant Chronica domestica M CCC XXII. Terræ fuit mandatus in erecta à se Colle- Tumulus. giata Divi Joannis Baptistæ Ecclesia, in qua anniversaria illius memoria post Paschalia Festa celebratur. Veneno fuisse à famulo sublatum alicubi legimus. Illud constat, quod rerum omnium ingentem abundantiam post se reliquerit providentissimus Oeconomus, de Ecclesia sua optime meritus. Et quia in Frisingensibus Tabulariis nulla ad hunc annum occurrit novi Episcopi electio, existimamus, falli eos, qui scribunt, Mense Septembri Episcopum Frisingensem interfuisse pugnæ Ampfinganæ: quod infra quasi ad oculum demonstrabimus. Conflictus vero ille accidit sequentem in modum.

Ludovicus Boicus, Electus Imperator, amicorum auxilia atque consilia Conflictus prope Ampfingum. expertus fallacia, & Pontificis sibi intentatas minas perpendens jamjam Imperatoriam Majestatem exuere cogitaverat, ac hæreditariis suis provinciis contentus esse volebat. Verum non defuere viri cordati, qui longe fortiora consilia suggererent & timiditatis notam ab eo averterent: quibus etiam cessit Ludovicus. Fridericus quoque prosperiori fortuna hactenus usus totus spirabat in pugnam decretoriam. Huic Hungariæ Rex suppetias misit, Ludovico vero Rex Bohemiæ arma junxit. Fridericus insuper poterat præstolari fraterna auxilia à Leopoldo, nisi præfervidum ingenium sequiora suasisset. Sacri & profani vates tristia fata præsagiebant Friderico, læta Ludovico. Ille nihilominus eum exercitu ingenti in Bojariam ascendit, & castra in campis ampfingensibus Oenum inter & Isaniscum fluvios fixit. Occurrit cum exercitu suo etiam Ludovicus, cujus aciem vir fortissimus Seifridus Schweppermannus Norimbergensis ordinavit. Hic exploratis hostium copiis festinato agendum censuit, antequam Leopoldus, qui in depopulandis Montfortii, Ludovico addicti, arcibus moras trahebat, superveniret, & Fratris exercitum augeret. Is equidem tabellarium miserat, qui Friderico referret, se paulo post cum exercitu superventurum. At Firstenfeldenses tabellarium intercepere, ut adeo Fridericus scire non potuerit, an, & quando Leopoldus comparere vellet, aut posset? Suadebant amici, ut exspectaretur Leopoldus, de cujus adventu dubitari non posset. At Fridericus sprevit consilia, suorumque segnitiem accusans milites in aciem eduxit. Inde atrox pugna secuta est, tamque fortiter rem gessere Austrii, ut actum fuisset de Ludovico, nisi Schweppermanni peritia militaris, atque fortitudo, & Burgravii Norimbergensis astus rebus labantibus fortissimos humeros subdidissent. Hic ad prælii initium à cæteris Ordinibus secesserat, suisque signa Austriaca præferri jusserat. Austrii, Leopoldum adventare suspicati, tanto acrius instaurabant pugnam. Verum cum Burgravius stragem iis non modicam intulisset, turbati fuere ordines, & Hungari primum in fugam conjecti. Mox sequentibus aliis Fridericus Sonipede, cui insederat, Capitur Fridericus. confosso, una cum fratre, nobiliumque numero fere incredibili captus est. Ludovicus magni sane animi Princeps, & Friderico, & fratri ejus Henrico, tametsi ne quidem rogassent, vitæ veniam fecit, & Fridericum quidem in arce Trausniz custodiri jussit; Henricum vero Bohemo commisit, ad arcis Burgiliæ custodiam deinceps abductum. Pugnatum erat integra die, cum denique parta victoria obsonandum fuisset. Nihil vero in Castris Ludovici aderat, quo miles refocillari potuisset, præter ova aliqua. hæc inter suos jussit distribui, & singulis unum, Schweppermanno vero duo offerri mandavit. Leopoldus intellecta fratris fortuna ad eum animi mœrorem perductus est, ut, dum proviveret, nullum amplius lætitiæ signum ediderit. Fridericus Salisburgensis Archipræsul cum Alberto Pata-

vienfi & Theodorico Lavantino Epifcopis fuadente Friderico Auftrio Muldorffium fecessere. Unde verfus coævi:

Anno milleno CCC. bis quoque deno
Et bino, Sancto Wenetzlaij quoque festo
L. Rex prævaluit, F. Rex cito vincla fubivit:
Turbaque Baronum vinclatur magna fuorum
F. Salzburgenfis, Princeps Al. Pataviensis,
D. que Lavantinus cesserunt, ut debuerunt;
Heu tamen hi proprios inibi victos reliquerunt.
L. Rex quod cepit, M. C. L. X. tibi dicunt.
Conflictus habitus eft fub Dornberg prope Müldorf.

Vides, Lector, nullum Epifcopum Frifingenfem in Castris Friderici fuiffe. Vides infuper, falli eos, qui ad annum Chrifti 1322. alium Epifcopum Ecclefiæ Lavantinæ præfuiffe fcribunt, quam Dietricum, feu Theodoricum. Ratisbonenfi Ecclefiæ ea tempeftate præerat Nicolaus, antehac Regis Bohemiæ Cancellarius, qui iis turbis mifcere fe noluit. Ludovicus Imperator Clero fuæ provinciæ literas fequentes Menfe Septembri dedit, quarum autographum Frifingæ affervatur, tenor eft fequens.

Ludovicus Imp. favet Clero.

Wir Ludweich von Gotes Genaden Römifcher Chunich ze allen zeiten Merer des Reichs, verichen, und tun kunt allen den, die difen brief ansehent, oder horent lefen, daz wir durch Got, und ze mehrung unfers hails und unfern eren aller pfafheit in unferm Lande ze Bayren ienhalb Tunaw, und dishalbe alle ir vreiheit, die fi habent von gaeftleichen oder von waeltleichen rechten, von Paebften, und von Chayfern beftaeten ewichleichen mit difem brief für uns und unfer Erben, daz in dchain unfer Amptman, Vitztum, Richter, Vogt, Scherg, noch dchain Man in dem Land, Edel oder unedel, arm oder Reich diu dchainen weis bechrenchen oder ubervaren fol, pei unferm hulden, und pei unfern genaden. Es fol auh dchain Vogt von In noch von dchainen irem Gut, widem, hoffteten, oder fwas fi anders habent, es fein widemläut oder gut, niht mer nemen, dan daz alt Vogtrecht, und fol uber daz weder mit Stiwer noch mit dchainen andern dienft mer an fi vodern, noch von In nemen. Stirbt ein pfaffe, dez guts fol fich chain Vitztum, Richter, Vogt, Scherg underwinden, von dchainerlay fachen, funder fol es do hin gevallen, do es der pfaffe hin fchaffet, an diu chirchen, oder als es pfaefleichin recht fagent, von Paebften und von Chayfern. Es fol auch niemant dchainen pfaffen noch fein gut bechlagen vor dem Richter, dan vor Ir Richter, es fei umb gült, oder umb fwelcherlay fach daz ift, und fwas gewonheit wider diu vorgenanten vreiheit der pfaffen, und wider unfer vorgenant beftaesigung in allem unferm lande ze Bayren aufgeftanden fint, diu nemen wir ab, und wellen fi niht chraft haben. Swer daruber dchainen pfaffen wider fein Vreiheit und unfer Beftaetigung icht ungemachs tut, den wellen wir peffern darumb an feinem leib, und an feinem gut, und wellen, daz er uns gevallen fei, fwie wir in peffern wellen, als wir es mit dem Rechten erlangt heten gen Im, fwas darzu die pfaffen mit gaeftlichen Rechten gen dem handelnt, die fi befwaerent wider diu vorgefchriben unfer beftaetichheit, daz ift in do mit nicht abgenomen, es fei unfer gut wille und gunft, daz fi daz volfüren. Darüber ze einem urchund geben Wir Im difen brief mit unferm Chunigleichen Infigel verfigelt, der geben ift ze Munichen an dem Sunntag vor Sant Thomans tach, do man zalt von Chriftes gepurt driu zehen hunders Jar, darnach in dem zwai und zwaintzigiften iar, in dem niunten iar unfers Reiches.

CAPUT

CAPUT VIII.

Joannes, eo nomine primus, Episcopus Frisingensis XXXII.

§. Unicus.

Paucula Joannis Acta complectens.

Irritatur electio Ludovici Chamsteinii.

Conrado III. Frisingensi Episcopo terræ mandato Canonici Majoris Ecclesiæ equidem suffragiis suis Ludovicum de Chamstein in Cathedram sublimare optabant, verum votis irritis, cum eum Joannes Pontifex confirmare nollet, quippe electum ab iis, qui Ludovico Bavaro apud Sedem Apostolicam male descripto constanter adhæserant: quæ infelicitas posthac annis plurimis Ecclesiæ Frisingensi incubuit. Repudiato itaque Chamsteinio Electo Pontifex Frisingensibus Episcopum dedit Joannem de Güttingen nobilem Suevum, Decretorum Doctorem, qui primo Brixinensi, postea Bambergensi Ecclesiæ præfuerat.

Joannes à Pontifice designatur.

Legimus in Libro Traditionum quarto seu majori, Joannem, datum Frisingensibus, obiisse anno 1324. die Divo Marco sacra, nec nisi septimanis quinque & duobus diebus præfuisse. Verum ut ista credamus, adduci nulla ratione possumus. Certum enim est, Mense Januario, & quidem die septimo anno 1324. Frisingensi Cathedræ præfuisse Episcopum aliquem, & quidem à summa Sede confirmatum, quippe cum ea die Joannes Pontifex ad eum miserit Epistolam una cum aliis literis Apostolicis, quibus Pontifex declarat, quasnam ob causas non possit Ludovicum agnoscere ceu Romanorum Regem: easque literas jubet à Frisingensi Episcopo per Bojariam publicari. Fuit ergo eo tempore Frisingensis aliquis Episcopus. atqui hic non potuit esse Joannes, si dicatur obiisse Mense Aprili, & non nisi quinque hebdomatibus præfuisse, cum utique inter Menses Januarium & Aprilem plures, quam quinque septimanæ intercedant. quis ergo Januario Mense Episcopus fuit? Itaque omnino judicamus, Joannem obiisse equidem mense prædicto, quem etiam lapis sepulchralis notat, ast non anno 1324. sed 1323. ita ut memoratæ Pontificiæ literæ non ad Joannem, sed ad Conradum quartum, Joannis Episcopi Successorem datæ esse, censeri debeant, id quod etiam Adelzreitterus affirmat. Cæterum legimus in quodam Codice Tegernseensi, Joannem Episcopum cognomine appellari Wlfingum. alibi hic Joannes dicitur fuisse Brixiensis. Quod si verum esset, deberet dici fuisse Italus. Brixia * enim Urbs est Langobardiæ, ut Brixina * est Urbs Comitatus Tyrolensis. Verum in Joanne hoc obscura ferme sunt omnia. Neque supersunt ulla ipsius acta, ex quibus certiora possimus eruere.

Raynaldus ad dictum annum.

De iis literis infra.

* Brescia.

* Brixen.

Pag. 468.

Duces inser. Bojariæ mitigantur.

In Salisburgensi Historia nostri P. Josephi Mezgeri narratur, hisce temporibus Henricum & Ottonem Bojariæ inferioris Duces, & Henricum Palatinum Rheni censura anathematis notatos, eorumque terras Interdicto fuisse subjectas, quod Ecclesias & Personas Ecclesiasticas cum Laicis novis identidem exactionibus premere non verentur. Ipsos vero tum juramento tum publicis literis Ratisbonæ anno 1323. Mense Julio datis emendationi cavisse, ut sacro vinculo solverentur. Addunt alii, literas illas etiam Ludovici Imperatoris auctoritate fuisse firmatas: & ideo Fridericum Archiepiscopum Salisburgensem, Episcopos Albertum Pataviensem, Nicolaum Ratisbonensem ac Ulricum Chiemensem, unacum

Collegio Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis annuisse, ut Divina Officia, hactenus suspensa, per Boicam restituerentur.

Enzerstorffense Castrum, in inferiori Austria situm, atque Frisingensi Ecclesiæ subjectum, eo anno telis aliisque armis plurimis & reliqua supellectili militari fuit instructum, veluti manu coæva in Libro quodam Rationum reperimus. Num id jussu Joannis Episcopi: an potius Collegii Cathedralis contigerit, nemo nobis scriptum reliquit.

Tumulus Joannis Episcopi. Joannes Episcopus post brevissimam Frisingensis Ecclesiæ gubernationem tumulum invenit in Cathedrali Basilica ad aram S. Crucis, in cujus sepulchrali lapide leguntur sequentes Versus:

Lux Decretorum Johannes Vas & bonorum
Hic est fossatus, qui bis bis erat Kathedratus,
Huic finem sexte Maji tribuêre Kalende.

Illud hic animadvertimus, Joannem Episcopum fuisse fortassis primum, qui armis suis gentilitiis Æthiopem Frisingensem conjunxerit, quod in memorato illius sepulchrali lapide observamus.

Quinam ea tempestate Imperio, Bojariæ, ejusque Ecclesiis Cathedralibus præfuerint ex mox dictis constat.

In Ecclesia RR. PP. Augustinianorum Monachii jam eo tempore florebat pia Sodalitas Pistorum, sub invocatione Deiparæ & S. Corbiniani I. Episcopi Frisingensis erecta & gratiis Pontificiis decorata, cui è trecentis tum Urbibus tum oppidis Pistores nomen suum dederant. Ei Sodalitati anno 1323. Ludovicus Bavarus gratias singulares addidit, quas Lector intelliget ex antiquis Rhythmis, quos
N. 233. in Parte II. hujus Tomi adducimus.

CAPUT IX.

Conradus IV. Episcopus Frisingensis XXXIII.

§. Unicus.

Primordia Conradi IV.

Conradus IV. à Pontifice præponitur Ecclesiæ Frising. Si bene hactenus annis suis Frisingenses Episcopos assignavimus, & credibile nobis non videtur, Joannem Pontificem passum esse, ut Sedes Episcopalis diu vacaret, institutio Conradi II. Klingenbergii Suevi jam ad annum Christi MCCCXXIII. pertinet. Firmatur hæc opinio ex literis Pontificis statim Mense Januario sequentis anni M CCCXXIV. ad Episcopum nostrum exaratis. Ergo is Episcopus saltem Mense Decembri antecedenti atque anno superiori cathedram conscendit. Id fastigium Conradum non ex suffragiis Canonicorum, sed ex dispositione Pontificia fuisse consecutum certum tenemus, idque persuadent non solum tricæ, quibus mox ab initio sui Regiminis cum Cathedrali Collegio, Ludovici partibus addicto, fuit commissus ob discordias inter Sedem Apostolicam &

Lu-

Ludovicum vigentes: verum etiam Apostolica Commissio, quæ ad eum nunquam fuisset directa, si Ludovico adhæsisset. Sic autem habent Pontificæ literæ:

Venerabili Fratri Episcopo Frisingensi.

Pridem super certis petitis & supplicatis pro parte Magnifici Viri Ludovici Bavariæ Ducis, in discordia in Regem Romanorum electi, per dilectos filios Albertum de Strasburch &c. Dat. Avinione VII. Idus Jan. anno octavo. Sequuntur insertæ literæ, quibus Pontifex causas exprimit, ob quas Ludovico Imperium adjudicare non possit. tum subditur:

Quo circa Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in tuis Civitate & Diœcesi, in locis, in quibus expedire videris, dictam responsionem & alia contenta in eisdem literis per te, vel per alium seu alios, solemniter publicare procures, Clero & populo loci cujuslibet in publicatione hujusmodi convocatis: Nos de die receptionis præsentium, & iis, quæ super præmissis te facere continget, redditurus per Instrumenta publica inde facienda nihilominus certiores. Dat. ut supra.

Rem omnem diffusius Raynaldus commemorat. Nos ea solum attulimus, quæ Frisingensi nostro Episcopo Pontifex in mandatis dedit. Reliqua enim ad Frisingensem Historiam non ita pertinent.

An Episcopus noster Pontificias illas literas divulgare vel voluerit, vel potuerit, Cathedrali potissimum Collegio partes Ludovici acerrime fovente, ignorare nos fatemur. Divulgarunt illas Salisburgensis & Pataviensis Antistites, ast magnis suarum rerum dispendiis. Ludovicus à Pontifice è cœtu fidelium motus, quod ad causam dicendam præstituto tempore Avenione comparere noluerit, Norimbergam Principes convocavit, Avenionem Legatum misit, & à Pontifice ad Concilium generale appellavit, ita tamen, ut interim sese Ecclesiæ subjectum omnino profiteretur.



HISTORIÆ FRISINGENSIS SÆCULUM SEPTIMUM,

Ab anno Christi MCCCXXIV. usque ad annum MCCCCXXIV.

Sive

LIBER SEPTIMUS

De Episcopis Frisingensibus.

CAPUT PRIMUM.

Continuatio actorum Conradi IV. Frisingensis Episcopi XXXIII.

§. Unicus.

Publica Imperii & Conradi nostri gesta reliqua, ac Mors: ubi de fundatione incliti Monasterii Ettalensis.

Tom. I. Metrop. p. 169.

Exulat Conradus Episcopus.



SI Hundio credimus (quod ratio temporis & rerum gestarum conditio facile persuadet) Cathedrale Collegium Frisingense Mense Junio anno Christi 1325. publicis literis palam fecit, nunquam se Conradum instar Episcopi habiturum, quamdiu is cum Ludovico Imperatore in gratiam non esset rediturus. Addit Hundius, eosdem Frisingenses Canonicos cum Ludovico fœdus pepigisse. Hinc nemo non intelligit, Conradum nostrum summo Ecclesiæ Hierarchæ, à quo Frisingensi Ecclesiæ impositus fuerat, arctissime adhæsisse, & ideo Frisingæ eo tempore *locum in diversorio* non reperisse. Certum est, & paulo inferius videbimus, Austriam ei magis, ac Bojariam fuisse propitiam.

In-

Interim inter Bojum & Austrium Reges tranquilliora sidera illuxere. Ludovicus suapte indole ad ignoscendum pronus, accedentibus plurium Regum ac Principum consiliis, Pontificisque comminationibus: ac demum (ut Carthusiani Maurbacenses tradunt) eloquentia Viri Religiosissimi Godefridi Prioris Maurbacensis eousque permotus est, ut Fridericum, captivum Regni rivalem, non solum è custodia dimitteret, verum etiam Imperii Socium renunciaret.

Ludovicus Imp. conciliatur Friderico.

Apud P. Hier. Pez. Tom. II. col. 343. & seqq.

Fasti RR. PP. Eremitarum S. Augustini Monachii referunt, R. P. Conradum Tattendorffer, Monasterii sui Priorem, cui Ludovicus Imperator conscientiæ suæ secreta concredere solebat, ejus reconciliationis fuisse strenuum promotorem, & utrique Regi post præstitum pacis juramentum Sacrosanctæ Eucharistiæ epulum porrexisse. Literas concordiæ æterna memoria dignas producunt ex tabulario Cæsareo Austrii, ex Chartario Electorali Boji, quamquam illæ, si conferantur, non in omnibus cohæreant.

Confer Ehrnspiegl & Adelzreitterum.

Sunt, qui existiment, solum Regis nomen Friderico remansisse, regimen vero stetisse penes Ludovicum. Utut res se habeat, Fridericus deinceps apud memoratum Godefridum, conscientiæ suæ arbitrum, & Carthusianos suos Maurbacenses (quorum ipse Fundator erat) asceticæ vitæ dulcedine illectus magnam reliquæ vitæ partem exegit, Regis tamen titulum retinuit, uti ex Maurbacensibus, aliisque documentis certum est. Ferunt, eum deinceps titulum *Pulchri* amisisse, quod curæ in custodia ipsum exederint. Leopoldus ejus Frater, Sueviæ Dux, visa fratris Regis Friderici macie aucto animi mœrore deinceps etiam pertinacius nullam animi exhilarationem admisit. Interim licet rivali suo Ludovicus reconciliatus fuerit, nullam tamen gratiam in aula Pontificis reperit, tametsi ejus causam multi viri docti verbis scriptisque propugnare studuerint. Hinc magis, magisque exasperatus, implorantibus Italis, qui Pontificem frustra Romam invitaverant, tandem in Italiam contendit, dum interim Episcopo nostro ex Austria Frisingam ascendere nondum licebat, qui anno Christi 1326. prope Ulmerfeldam ædes quasdam Gotfrido de Anevelt in pignus dedit: & sequenti anno, Christi 1327. confirmationem jurium Inticensium ab Henrico Bohemiæ Rege, Duce Carinthiæ, ac Comite Tyrolis obtinuit. Quo anno demum Episcopum nostrum deprehendimus in Bojaria, & quidem in Castro Burgkrain, ubi Isnensibus Canonicis certa privilegia Mense Novembri stabilivit.

Ludovicus ingreditur Italiam:

N. 254.

N. 255.

N. 256.

Episcopus noster venit in Bojariam.

Ludovicum Imperatorem inter hæc anno 1326. sexta feria ante Festum Dominicæ Ascensionis Frisingæ fuisse, tabulæ Fürstenfeldenses demonstrant, quibus prohibuit, ne homines proprii dicti inclyti Monasterii alibi jus Civitatis acquirere possent, nisi id Abbas permitteret.

N. 257.

Sequenti anno Ludovicus Imperator superatis Alpibus Tridento Mediolanum venit, ubi coronam, quam ferream dicunt, suscepit. Inde movens in Hetruriam, quatuor fere mensibus colluctatus est cum Pontificiis, qui aditum ad Romanam Urbem præcludere illi frustra conabantur. Re intellecta Pontifex Avenione constitutus iterum diris eum devovit, quas nihil attendens Imperator sequenti anno, Christi 1328. Mense Januario Romæ coronam Imperii suscepit, & (quod præprimis dolendum) legitimo Pontifici Joanni XXII. opposuit Petrum Corvaram ex ordine Minorum sacerdotem, dictum Nicolaum V. qui mox spurios quosdam Cardinales creavit, misere interim laborante Germania, cum legitimus Hierarcha omnes, qui Ludovico obsequerentur, è fidelium Albo expunxisset, eaque de causa multi mutatis animis à Ludovico descivissent.

Ludovicus ab Antipapa coronatur.

In eo rerum suarum articulo constitutus Imperator cum facile intelligeret, ad sopienda domestica pericula opus esse, ut ex Italia in Bojariam una cum suis reverteretur, itineri sese accinxit. Verum cum post splendidos ingentesque sumptus in militari ærario pene nihil superesset, adeo, ut, Arembeckio teste, etiam quosdam è Proceribus suis debuerit Romanis dare obsides, difficillimum sane erat Roma retrahere pedem: maxime cum etiam Itali quidam, ac præsertim Mediolanenses interim ab ejus fide defecissent. Actum profecto de Ludovico

Redit in Bojariam.

erat,

erat, nisi cælum succurrisset. Unde Ludovicus Imperator ad preces conversus opem à Superis postulavit, quam etiam impetravit, & quidem, ut post Ettalenses membranas etiam laudatus Arembeckius aliique tradunt, sequentem in modum.

Cœlo propitio. Forte Ludovicus solus in quodam Divæ Virginis sacello morabatur, curasque suas Deo ferventius commendabat: cum ecce conspicatur Virum, Divi Benedicti cucullo indutum, qui eum blande allocutus spopondit consilium, quo finem curis imponere Imperator posset, dummodo monitis morem gerere sponderet. Id cum facile adpromisisset Ludovicus, subjunxit Monachus: Habes, inquit, Imperator, in Bojaria tua locum, quem Ampferang dicunt. Ibi Deiparæ virginis honoribus Monasterium construes. Cum vero reponeret Ludovicus, locum illum sibi penitus esse incognitum: subdidit Monachus, locum illum ei exhibitum iri, cum primum Bojariæ finibus immineret. ad hæc Imperator plenus solatio quidquid postulabat Monachus, libentissime condixit. Tum Monachus venustissimam candidissimamque Divæ Virginis lapideam effigiem e suo cucullo protraxit, ac Ludovico tradidit, monens, ut Deiparam vocaret condendi Monasterii *Fundatricem.* Demum addidit, venturum esse ad Imperatorem è Principibus Italiæ aliquem, qui certo pacto ei numeraturus esset pecunias, quotquot ad iter haberet necessarias. & cum hoc dicto disparuit Monachus, quem sive Angelum, sive ipsum Sanctum Benedictum fuisse haud immerito nonnulli autumant.

Et consilium suggerente Monacho.

Et curas eximente.

Quæ eum in modum promissa fuerant Ludovico, cælum implevit. Venit enim ad Ludovicum Imperatorem non nemo, qui pro sua, terumque suarum libertate plus obtulit, quam Imperator petiit. Nomen & conditionem viri hactenus nondum deprehendimus, sed Beatissimæ Virginis Matris statuam prodigiis in hanc diem clarissimam manibus tenemus. Ludovicus quoque salvus rediit in Bojariam, ad cujus ingressum locus *Ampferang* à Venatore Henrico Vendio fuit illi proditus: statimque Ludovicus indicata ab eodem Venatore vestigia secutus, saltum exscindi jussit, & sequenti anno, Christi 1330. die 28. Aprilis primum pro amplo ædificio lapidem jecit: ubi deinceps Monasterium Ettalense sub Institutionibus Divi Benedicti in hanc usque diem exactissimæ religionis ac doctrinæ laude longe celebratissimum consurrexit, uti oculis conspicimus. Placet ea super re ex opere Viri clariss. P. Ludovici Babenstuber Ettalensis excerpere versus sequentes:

Fundatrix Ettal.

Milleno trecenteno cum ter quoque anno
En per Ludovicum summæ pietatis amicum
Semper & Augustum, Divino munere jussum
Ettal fundatur, primalis petra locatur,
Virginis atque piæ struitur sub honore Mariæ,
Festo Vitalis cœpit fundatio talis.

Hæc ex monumentis Ettalensibus à V. C. Patre Ludovico, supra laudato decerpta oportebat Frisingensi Historiæ inserere: quibus etiam Vitus Arembeckius olim Sacellanus Frisingensis Episcopi subscripsit.

Interim cum Ludovicus in Italia moratetur, legitimus Episcopus noster tandem etiam Frisingam venit, & Anno 1329. assentientibus Majoris Ecclesiæ Canonicis Parochialem tunc Ecclesiam in Tall-Kirchen (supra Monachium) Collegiatæ S. Joannis Ecclesiæ contulit, aliaque bona adjecit. Ex quo obiter intelligimus, eo tempore Cathedralis Ecclesiæ Canonicos cum eodem Episcopo suo in gratiam rediisse.

N. 258.

Inter cætera, quæ Ludovici ex Italia reditum in Bojariam maturarunt, etiam erat Mors Friderici Austrii, Regni consortis, à cujus hæredibus novæ turbæ timeri poterant. Obiit Fridericus Anno 1330. die 13. Januarii in arce Guttensteinia, Princeps omnium ore pennisque laudatissimus, qui in excitato à se Maurbacensi Mo-

Mors Friderici Austrii.

Monasterio condi voluit. Priusquam ad Superos transiret, Regiam suam pietatem quam plurimis Cathedralibus, aliisque Ecclesiis testatam fecit. Id discimus ex numeroso Catalogo, quem Leopoldus Brennerus Prior Maurbacensis apud cl. P. Hier. Pezium exhibet, ubi legimus, Fridericum etiam huic Cathedrali Frisingensi Ecclesiæ assignasse *Sexaginta Marcas argenti.* Subjungit Brennerus, superesse Maurbaci Apochas 59. Ecclesiarum, quibus demonstretur, pecunias à Friderico designatas, fuisse iis redditas. Cæterùm addit, in iis omnibus schedis Fridericum appellari Romanorum Regem semper Augustum. Sane non vanam fuisse suspicionem de imminentibus novis ex Austria rixis, brevi eventus probavit: quamquam ex paulo post fuêre sopitæ. Illud quoque ad eum annum memoratu dignum occurrit, quod supra dictus Pontifex spurius Nicolaus legitimo Pontifici sese Avenione submiserit, & dignitatem imaginariam detestatus sit. Tom. II. col. 348. 349. 350.

In Monasterio Weihenstephanensi anno 1331. Conrado IV. Abbati, gente Austriaco, ex eligentium suffragiis die 4. Mensis Decembris successit Marquardus, qui electionis confirmationem ac benedictionem à Conrado Episcopo Mense Januario Constantiæ accepit, & intra octiduum reversus est ad Monasterium, in cujus possessionem à Domino de Nannhoven fuit immissus, veluti manu coæva ad eum annum annotatum conspicimus: dum interim etiam luculenter convincimur, Conradum Episcopum habenas Ecclesiæ Frisingensis temporis successu moderandas suscepisse. Quod ipsum luculentum fit ex literis Ludovici Imperatoris, quibus fundationem Monasterii Firstenfeldensis eodem anno confirmavit, ubi inter testes primum locum obtinet Conradus Episcopus noster, uti apud Hundium videri potest. Marquardus Abbas in Weihenstephan. Metrop. Tom. II. pag. 330.

Ludovicus Imperator prædicto anno missis Legatis concordiam cum Pontifice supplex quæsiit, & anno sequenti, Christi 1332. inter alios Principes intercessorem habuit etiam Bohemiæ Regem: at fructu nullo secuto, uti Scriptores consensu testantur, Gallorum Rege semper discordiarum fomenta ministrante. Interim Ludovicus in absolutam Monasterii Ettalensis fabricam viginti duos Monachos & inter hos sedecim Presbyteros introduxit, quos ex diversis Monasteriis accitos fuisse dubium esse non potest. Abbatem fuisse Professione Reichenbacensem constat. His adjunxit Imperator Equites torquatos tredecim, quibus omnibus amplissimas possessiones ac prærogativas adjecit, quæ tamen tractu temporis magnam partem decessere Monasterio, ut adeo Equites laudati denique è loco migrare fuerint compulsi: qualia fata vix ipsi Religiosi incolæ vitare potuerunt. Cæterum ferunt aliqui, Ludovicum, quod iras Pontificis placare non posset, Anno 1333. literas ad Imperii Proceres dedisse, & rogasse, ut Imperium in alium transferrent: quod ipsum tamen cognati rivalis præcipiti ambitione postea præpeditum fuit. Certe Scriptores Boici tum novi tum veteres in extollenda Ludovici modestia toti sunt, ut plane dolendum sit, ejus vitam non in æquiora virtuti tempora incidisse. Tametsi enim nemo neget, Ludovicum semel iterumque in Pontificiam Sedem graviter deliquisse, negari tamen à nemine potest, eundem resipuisse, veniam ferventissime postulasse, quam etiam Pontifices absque dubio dudum indulsissent, si extra Galliam vera libertate gavisi fuissent. Sed de his Lector alios Scriptores consulet. Ludovici preces non audiuntur à Pontifice. Benedictini in novum Monasterium Ettal. immigrant. Modestia Ludovici Imp.

Conradus Episcopus noster eo anno Mense Aprili prædia quædam in superiori Wels comparavit: Mense vero Octobri suorum per Austriam dominiorum confirmationem impetravit, ac alia plura laude digna præstitit. Proximo anno prædium *Feistritz* prope Welz à quibusdam Nobilibus Judenburgiis coëmit. Episcopus semper sedulus œconomus. N. 259.

Eodem anno, Christi 1334. Joannes XXII. nonagenario major inter mortales esse desiit. Post eum Mense Decembri Ecclesiæ præesse jussus est Jacobus Fornerius Cisterciensis ordinis, Abbas Fontis frigidi, dictus Benedictus XII. al. XI. die 8. Januarii anni sequentis Pontificiis Infulis redimitus. Sperabatur sub eo Pontifice eodem adhuc anno Ludovici cum Sede Pontificia lites tandem sopitas iri. N. 260. N. 261. Benedictus PP. XII.

Prohibetur favere Ludovico.

Verum, uti alias semper, ita etiam tum obstitit Gallicana potentia. Raynaldus causam in ipsum Ludovicum transfert, quod is à proposita jam cessione Imperii resiluerit: bene tamen addit, impedimentum etiam ab ejus hostibus fuisse injectum. Ita duris semper fatis Ludovicus exagitabatur.

Rixæ cum Bohemo.

Is anno Christi 1336. etiam Bohemiæ Regis Joannis iras in se concitavit. Discesserat nuper è vivis Henricus Carinthiæ Dux, & Comes Tyrolis. Cæsar post ejus mortem Carinthiam non filio Joannis, qui Margaritam, à diducto ore Maultaschiam dictam, sed Austriæ Ducibus in fidem contulit, eo quod Joannes Rex cum Pontifice de se exauthorando consilia contulisset. Inde mox ad arma conclamatum est; & Bohemo quidem etiam Henricus inferioris Bojariæ Dux copias suas junxerat.

Bojariæ inferioris calamitas.

Ludovicus eo facto gravissime offensus movit in inferiorem Bojariam, eamque provinciam fœde devastavit. Sensit eam calamitatem etiam Frisinga, nemo tamen magis quam Weihenstephanenses ascetæ; quippe quorum Monasterium militari licentia non solum direptum ac spoliatum, verum vix non solo æquatum fuit, adeo ut Abbati ac Religiosis Viris Mense Septembri nihil fere superfuerit præter flebile emigrationis beneficium, etiam vicinis prædiis in ruinam tractis, uti tum domesticæ, tum Frisingenses membranæ testantur. Cæterum iræ illæ brevi deserbuere: nam eodem adhuc mense pax inter Imperatorem & Bohemum coaluit, tristibus tamen belli vestigiis quaqua versum relictis.

Adelz.

Sequenti anno alia tempestas Judæis incubuit, qui cum Dekendorffii è Sacratissima Eucharistiæ bostia subulis aliisque mucronibus nil moti prodigio sanguinem elicuissent, à civibus justo furore protriti fuere, bonis eorum omnibus direptis. Et factum Bojariæ Dux merito probavit. De his Adelzreiterus plura.

Inter has turbas Conradus Episcopus noster terris lubens valedixisse alicubi dicitur Ulmerfeldæ die 5. Martii hujus anni 1337. at certum est, eum ad minus provixisse usque ad mensem Junium, quo sequentes literas ab Austriæ Ducibus accepit:

Mercatus pro singulis Septimanis conceditur Ulmerfeldæ Oppido.

Wir Albrecht und Ott von Gots Gnaden Hörtzogen ze Oesterreich, ze Steyr und ze Kernden, Herren ze Chrain, auf der Marich und ze Portenaw, Grafen ze Habspurch, ze Chiburch, und Lantgrafen ze Elsazzen, verieben, und tun chunt offenlich mit disem Brief, daz wir durch des Erwirdigen Bischof Chunrats von Freysingen unsers Lieben Vreunts, und durch seines Gotshauses willen ze Freysing, und durch die getrewen dienst, die er uns und sein Gotshous getan habent, und noch alle tag tunt, und auch durch die lieb und vreüntschaft und trewe, die wir zu ihm, und zu seinem vorgenanten Gotshous haben, geben, und erlaubet haben für uns und für unser nachchomen Im, und seinem Gotshous ewichlich einen Marcht ze haben ze Vdmerveld, und der alle wochen an dem vreytag da sein sol mit aller wandlung und suchung als auf andern Merchten, und haben den da bestet mit unsern willen, und mit unsrer gunst, und haben auch denselben Marchte alle die Recht geben, die ander Merchte habent in unserm Land ze Oesterreich. Vnd des zu vrchund geben wir disen brief versigelten mit unsern Insigeln. Der ist geben ze Wienn an vreytag vor Sand Peter und Sand Pauls tag, nach Christes gepurd dreuzehenhundert iar, darnach in dem syben und dreitzgistem iar.

Annus mortis Conradi Episcopi.

Ex his literis, ut jam supra monuimus, apparet inter cætera, obitum Conradi Episcopi male reponi ad mensem Martium anni 1337. quod amplius confirmatur ex eo, quod constet, Landishuti Parochialem D. Jodoci Ecclesiam Conrado nostro anno 1338. consentiente, fuisse erectam. Item ex Instrumento Alberti Ducis, Styris certa jura confirmantis, quod nuperrime in lucem produxit vir

In addit. col. 127.

clar. P. Antonius Steyerer S. J. *in Commentariis pro Historia Alberti II. Ducis Austriæ.* ubi inter testes amplissimos ad annum 1339. adducitur Conradus Episcopus Frisingensis. Imo eum adhuc forte superfuisse anno Christi 1340. suspicari possumus ex Instrumento alio Victoriensi* Carinthiæ Monasterio Ordinis Cisterciensis concesso, quod in Parte hujus operis II. referimus. Insuper Celsissimus & Reveren-

* Victering. N. 262.

rendissimus Princeps noster Joannes Franciscus literis edoctus est, in Tabulario Collegiatæ Ecclesiæ S. Verenæ V. & M. in oppido Zurzacensi ad Rhenum sito annotatum legi, anno Christi 1340. Conradum de Chlingenberg Frisingensem Antistitem centum libras donariorum Constantiensis Monetæ eidem Ecclesiæ legasse. Itaque usque ad evidentiam confutatus manet eorum error, qui mortem Conradi jam ad annum 1337. reposuerunt: in quem errorem etiam nos alicubi inducti sumus. *Chron. Germanicè script.*

Locum sepulchri sibi Conradus elegit in inclyto Austriæ Monasterio Campi-Liliorum, * Cistercienfis itidem ordinis, ubi etiam tumulatus jacet, cautissimus, ut fieri pro temporum acerbitate potuit, Ecclesiæ suæ Oeconomus, tametsi majori regiminis sui spatio vivere quodammodo in exilio debuerit. Is, ut tum Frisingæ tum alibi anniversaria sui memoria fieret, pie ac religiose providit. Itaque morte ipsius ad annum 1340. dilata, patebit Lectori, eam incidisse in tempus, quo Ecclesiæ Romanæ præsidebat Benedictus XII. imperante Ludovico Bavaro: Archiepiscoparum Salisburgensem gubernante Henrico, Paraviensem Episcoparum Alberto, Ratisbonensem Nicolao, Brixinensem Matthæo Cozmanno. ** Lilienfeld. Tumulus.*

Hæc in compendium contraximus, ut de anno obitus Conradi IV. Episcopi certiora ob oculos poneremus. Interim triennio illo, de quo hactenus egimus, quidam Germaniæ Episcopi missa Legatione ac literis Pontificem Ludovico Imperatori conciliare studebant. Et pronus erat ad pacem Pontificis animus. Verum Rege Galliæ rursus se opponente nihil actum est. Unde deinceps Ludovicus eo ferventius exarsit, & ipsi etiam Imperii Septemviri acres ad Pontificem literas miserunt, conquesti, Imperatores deligere non ad Pontificem, sed ad ipsos pertinere. Verum his nihil motus, sed forte potius irritatus Pontifex novum anathematis fulmen in Ludovicum detorsit. Defendunt Ludovici causam Germaniæ Scriptores, ast à Raynaldo graviter vapulant. Memorat inter alios Mezgerus noster, eo tempore locustarum agmina ingentem agris vastitatem per Bojariam intulisse, unde pestilentia in homines grassata fuerit. *Episcopi frustra pro Ludovico supplices.*

Ludovicus Imperator anno 1340. teste Arembeckio fundavit Parthenonem Ordinis S. Dominici in Pettendorff, inter ostia Regeni & Nabi fluminum: Chorumque loci sacris ritibus Episcopus Polanensis, Proëpiscopus Frisingensis, initiavit. Constat vero, Parthenonem illum lapsu temporum & occasione hæresum tandem in jus Imperialis Monasterii Cæsareensis migrasse. *Nova fundatio Ludovici*

Sub hujus Conradi regimine Decanarui Cathedralis Ecclesiæ insigne prædium in Garrenzhausen donatum fuit. N. 263.

CAPUT II.

Joannes, eo nomine secundus, Episcopus Frisingensis XXXIV.

§. Unicus.

Compendium rerum sub hoc Episcopo gestarum.

Prosapia Joannis incerta.

CONrado IV. Episcopo Frisingensi fatis perfuncto Benedictus XII. Pont. Max. eidem Ecclesiæ præfecit Joannem, quorumdam opinione nobilem Westphalum de Westerhold; aliorum vero judicio ex nobilissima Oetingana familia procreatum. Medicum Romanum noster Bucelinus vocat: alii addunt, eum etiam Astrologiæ fuisse peritissimum. Præerat is antehac Verdensi Ecclesiæ in Saxonia inferiori, è qua Sede translatus est ad Frisingensem, quam tamen totius Episcopatus sui tempore nunquam vidit, sed semper in Avenionensi aula Pontifici adhæsit.

Quisnam post Conradum fuerit electus Frisingæ?

Legimus alicubi, post Conradi obitum à Cathedrali Collegio Frisingensi electum fuisse Leutoldum Comitem de Schaumburch & Julbach, antehac Præpositum majoris Ecclesiæ. Verum huic opinioni adversatur Codex quidam Attilensis Monasterii, in quo inter cætera agitur de Xenodochio Wasserburgi anno 1341. recens erecto, ubi literæ confirmationis ita incipiunt: *Ludovicus Dei gratia Electus, Liutboldus Præpositus, Otto Decanus & Capitulum Ecclesiæ Frisingensis &c.* Quæ si vera sunt, nemo non videt, Leutoldum anno 1341. nondum potuisse sibi *Electi* titulum usurpare, sed Ludovicum de Chamstein, de quo jam in superioribus mentionem fecimus, eo anno *Electi* titulo usum fuisse, quod mox infra clarius demonstrabimus.

Maultaschiæ astutia.

Joannes Henricus, Caroli Bohemiæ Regis frater, Margaritham Maultaschiam, Tyrolis Dominam, sibi anno Christi 1329. non attentis Canonum Decretis sanguinisque nexu desponsaverat. Illa cum nullam ex eo sobolem suscepisset (quod veneficio nonnulli tribuebant) Joannem fastidire cœpit primum: post etiam repudiare cogitavit. Prætexebatur impotentia Joannis, ex qua nulla proles exspectari posset. Maultaschia, ut tanto securius à Joanne divelleretur, sensa animi sui exposuit Ludovico Imperatori, & Ludovicum ejus filium, Brandenburgensem Electorem sibi in sponsum expetiit. Imperator spe ductus, amplissimum Comitatum Tyrolensem, dudum à Bavaria avulsum, recuperandi, suasit filio, ut Maultaschiam eligeret, & oblatam amplissimam dotem neutiquam respueret. Ille totis equidem viribus Patri se opposuisse dicitur: verum victas demum manus dedit. Itaque Joanne Henrico Marito è provincia Athesina ope nobilium Athesinorum ejecto, Februario mense, anno 1342. itur ad nuptias celebrandas, feruntque in Comitatu Imperatoris fuisse electum Frisingensem Episcopum, qui cum aliis Episcopis præcedentes Maultaschiæ nuptias nunquam validas fuisse pronunciaturus erat. Subdit vero anonymus Leobiensis, Episcopum illum (quem

Ehrenspiegl *ad hunc annum.* *Apud P. Hier. Pez. T. I. col.* 960.

intru-

intrusum appellat) cum ad clivum quemdam (montem Jovis seu *Jausen* dictum) ex Sonipede descendere conaretur, lapsu præcipiti humi allisum, animam exhalasse. Electum illum Frisingensem Cuspinianus vocat Leutoldum, suaque illa opinione pluresScriptores in errorem traxit. Id ad oculum demonstrat lapis sepulchralis Ludovici Chamsteinii, qui ante Leutoldum electus fuerat. Sic enim habet. *M CCC XLII. VI. Idus Febr. h. e. in die S. Pauli Episcopi* (Virodunensis) *Dominus Ludovicus de Chamstein, electus Episcopus, Frisingensis Canonicus, Jurium Doctor.* Non ergo Leutoldus, sed Ludovicus Mense Februario ejus anni obiit, postquam ad nuptias Maultaschiæ properavit. Verum nolumus immorari controversiæ. Ludovico deinceps Leutoldus votis eligentium equidem subrogatus, verum à Pontifice iterum admissus non est, Joanne legitimo Episcopo adhuc in vivis, & aula Pontificia superstite. De Leutoldo agitur in Instrumento, quod in Parte II. producimus. N. 264.

Cæterum Nuptiæ illæ, Meraniæ celebratæ, nullum Bojariæ fructum attulere. Tametsi enim Maultaschia posthac ex novo Conjuge susceperit filium Mainhardum, eo tamen seu defuncto, seu, ut alii volunt, lethali poculo sublato, Mater Comitatum Tyrolensem non Bojariæ sed Austriæ Ducibus adjecit, ut suo loco iterum dicemus. Interim Imperator, qui eas nuptias conciliaverat, Pontificis in se iras mire exacuit. Joannes Henricus, à Maultaschia ceu impotens ac frigidus abjectus, ex alia posthac uxore fœcunditatem suam reddidit manifestam. Tyrolis accedit Austriacis.

Inter hæc anno Christi 1341. Chorum Eremitarum Ordinis S. Augustini Monachii Augustinus Proëpiscopus Frisingensis, consecravit. Anno Christi sequenti Benedictus Pontifex duros labores letho finiit. Post quem Divi Petri solium conscendit Clemens VI. ex Monacho Benedictino Abbas primum Fiscanensis, ex Abbate Arelatensis; deinceps Senonensis Archiepiscopus, ac SS. Nerei & Achillei Cardinalis, Philosophus & Theologus præstantissimus, tandem Summus Pontifex Avenione renunciatus. Salisburgi anno 1343. Henricus Archiepiscopus vitam posuit, & Sedem Ortolpho Weisseneckio Styro reliquit. Annis subsequentibus, cum Ludovicus Imp. frustra novi Pontificis gratiam prensaret, & novis itentidem fulminibus feriretur, tandem Electores perurgente Pontifice anno 1346. Francofurti alium sibi Imperatorem elegere, Carolum scilicet eo nomine quartum, Joannis Bohemiæ Regis filium. Ludovicus Imperator post biennium è venatione reversus, apoplexia correptus ex equo cecidit: nec multo post pœnitenti animo mortuus quietum Carolo Imperium reliquit. Lego in quodam Codice, manu coæva anno 1347. scripto, hæc verba: *Ludwicus Imperator toxicatus à Ducissa Austriæ obiit feria quinta, 5. Idus Octobris.* Verum ea relatio ab Austriacis gravibus sane argumentis confutatur. Vicissitudines variæ. Carolus IV. Imperator.

Mirari hic subit, cur Scriptor quidam recens afferat, implacabili Ludovici Bavari Imperatoris in Dominicanos odio florentissima Cœnobiorum Dominicanorum Ordinis, quæ in ejusdem Ludovici ditione posita erant, ruinam esse passa, & Dominicanos è tota Bavaria esse expulsos, qui nec extincto schismate, nec nostris etiam temporibus fuerint postliminio restituti. Mirari, inquam, subit, hæc ita Lectoribus suggeri, cum tamen longe aliter res se habeat. Habuere PP. Dominicani in Bavarica Ludovici ditione unicum duntaxat Monasterium, nempe Landishutanum: & illud in hanc usque horam Patres illi quiete & majori numero possident, longe, quam antehac splendidius, uti oculis cernimus. Monialium quoque Dominicanarum Parthenon Altenhochenaugiensis etiamnum superest, & egregie floret. Itaque graviter hallucinatus est Scriptor ille, monstravitque, Gallos quosdam etiamnum hodie inanes causas quærere irascendi Ludovico dudum mortuo. Longissime alia de Patribus Dominicanis Landishutanis Boicæ Gentis Annalium Scriptores apud Adelzreitterum suggerunt, quos Lector consulere poterit. Certe in Ecclesia Patrum Prædicatorum Landishutana literis aureis cordi Ludovicus Bavarus PP. Dominicanos non ejecit ex Bavaria. P. 2. L. 3. n. 47. & 48.

 incisa

incisa legimus hæc verba: *Ludovico IV. Imperatori Augusto, Maximiliano S. R. J. Septemviro, Bavariæ Ducibus, Patronis, Promotoribus, Instauratoribus perpetuis, æternis, æternam memoriam Landisbutanus S. Dominici Conventus libens merito vovet, consecrat &c.*

Restauratio Ecclesiæ S. Benedicti Frisingæ. In Divi Benedicti Ecclesia, Cathedrali Frisingensi contigua, cernimus sepulchralem lapidem, cui hæc insculpta legimus: *Otto à Maxlrein Decanus, hujus Ecclesiæ fundator & restaurator obiit* 3. *Martii, anno* 1347. Weihenstephanenses ad annum sequentem hæc adnotarunt: *Anno Domini M CCC XLVIII. in die Conversionis S. Pauli Apostoli sole lucescente & claro existente usque post pulsum Vesperarum, statim die facto nubilo est factus terræ motus tantus, qui à Passione Christi nunquam auditus vel visus est, aut fuit. Vidimus domos altas & muratas pariter & Ecclesias se fortissime moventes, & ultra propter motum sonum maximum facientes: ligna sylvestria & stantia in terra se invicem concutientia, fluxus rectos aquarum errantes, & extra littora sua propter motum terræ exeuntes, & aquas limpidissimas vidimus turbidas, & homines hac hora quasi amentes, capita dolentes, euntes in via errantes, stantes stare non valentes. Audivimus insuper ob motum talem campanulas in Ecclesiis dependentes se pulsantia.* Hæc ibi. Adelzreitterus rem fusius prosequitur: cui utique manus illa coæva Weihenstephanensis egregie patrocinatur. Eum terræ motum secuta est lues orbi exitialis, quæ infinitam propemodum stragem mortalibus etiam in Bojaria nostra inflixit: ut late recenset mox laudatus Scriptor, ad quem Lectorem iterum remittimus.

Terræ motus horribilis.

Pestilentia.

Rivales Imperii. Interim Caroli Electi Imperatoris initia turbis maximis involvebantur, cum contra illum primo Fridericus Thuringus, ac postea Guntherus Comes Schwarzenburgius eligeretur in Imperatorem. Utrumque denique auro numerato superavit, non armis. Bojaria utraque nuper conjuncta anno 1349. iterum inter Ludovici defuncti Imperatoris filios fuit divisa.

Mors Joannis Episcopi. Idem annus fuit ultimus Joanni Episcopo nostro. Mensis ac dies obitus à Frisingensibus nullibi videtur proditus, uti nec sepulturæ locus. Pœnituisse Joannem, morti propinquum, quod Frisingam nunquam venerit, Freibergerus memorat. Verum consideranti, quibus Interdictorum, turbarum & exitiorum malis Germania toto illo tempore, quo Episcopus dicebatur forte verius, quam reipsa se exhibuerat, fuerit obnoxia, facile innotescet, Joannem non doluisse, quod Frisingam non venerit, sed quod venire non potuerit.

Ex hactenus dictis constat, Joannis Episcopi nostri mortem incidisse in illud tempus, quo Clemens VI. Ecclesiam, ut quidem per Gallos poterat; Carolus IV. ut turbæ permittebant, Imperium, moderabantur. Ortolphus supra laudatus Salisburgensi, Fridericus eo nomine primus Ratisbonensi, Godefridus Pataviensi, Matthæus Brixinensi Ecclesiæ præsidebant.

CAPUT

CAPUT III.

Albertus II. Episcopus Frisingensis XXXV.

§. I.

Genus, honores, Institutio Alberti, cum conspectu illius temporis.

ALbertus Comes de Hohenberg & Haigerloh Brisgojus, cujus Amita Rudolpho Habspurgico postea Imperatori nupserat, fuisse dicitur primum Argentinensis & Constantiensis Ecclesiarum Canonicus: quo posteriori loco per discordiam fuerit electus in Episcopum: male tamen succedentibus rebus suis secesserit in Aulam Imperatoris primum: postea Avenionem in Aulam Pontificis, à quo deinceps ad Episcopatum Herbipolensem promotus fuerit. De illo sequentia habet Trithemius noster, Herbipolensium rerum peritissimus, quippe ubi ad S. Jacobum Abbatis munus gessit. Hic ad annum Christi M CCC XLV. sic scribit. „ Eodem igitur anno post mortem Ottonis Episcopi tertia die mensis „ Septembris Canonici majoris Ecclesiæ Wirzburgensis convenientes in unum pro „ novi electione Pontificis Albertum ex Comitibus de Hohenloe majoris Ecclesiæ „ Præpositum, ac Friderici Bambergensis Episcopi Germanum, Virum prudentissi- „ mum unanimi consensu in suum Pontificem elegerunt. Qui auctoritate mox „ confirmatus Archiepiscopali omnes Ecclesiæ munitiones, simul & Ducatum „ Francorum in suam ditionem accepit, cui & cives Herbipolenses, & cæteri „ omnes fidelitatem, ut moris est, jurarunt. Contra hunc Albertum legitime „ & canonice electum Clemens Papa Sextus in Avenione residens, alteri cuidam „ Alberto ex Comitibus de Hohenberg Alsatiæ, Canonico Ecclesiæ Constantiensis „ Doctori Decretorum, Rufsmum nuncupato, de Pontificatu Ecclesiæ memora- „ tæ Wirzburgensis male informatus providit: cujus facti illum postea pœnituit, „ sicut rei probavit eventus, dum emendavit errorem. Veniens itaque Herbi- „ polim Albertus de Hohenberg in Episcopum Peapolitanum * per Papam, sicut „ dictum est, provisus & ordinatus, canonice institutum alterum cedere compu- „ lit Albertum: & in ejus locum succedens Pontificatum gessit in Ecclesia Herbi- „ polensi annis ferme quatuor: quibus evolutis ad Frisingensem in Bavaria Episco- „ patum translatus est, Romani jussu Pontificis, & prior electus de Hohenloe Albertus ejusdem Papæ mandato suæ Ecclesiæ restitutus. „

Natales Alberti.

Chronic. Hirsaug.

Albertus prius Episcopus Herbipolensis: postea Frisingensis.

* Germanice Würzburg.

Id ipsum repetit Trithemius ad annum Christi M CCC XLIX. ubi hæc tradit. „ Pontificatu Frisingensis Ecclesiæ in Bavaria per mortem ultimi Præsulis „ vacante, Clemens Papa VI. Albertum de Hochberg, quem ante quadriennium „ contra Albertum de Hohenloe canonice tunc electum Wirzburgensi destinaverat Episcopum, cognita veritate negotii ad Frisingensem Ecclesiam transtulit: & „ ipsum Albertum de Hohenloe ad suam Ecclesiam revocatum in Antistitem confirmavit. Pœnituit eum namque erroris, propter Canonicam Fratrum electio- „ nem, quæ in personam ipsius Alberti satis idonei & utilis Viri præcesserat. „

Hæc

Hæc Trithemius. Cui Tegernseensis antiquus Codex consonat. Institutionem Alberti nostri factam esse die 7. Octobris anno 1349. nonnulli tradunt. Consecrationem ad petitionem Alberti, Austriæ Ducis, quem in Helvetiam secutus erat, accepit anno 1350. in Monasterio Campi Regii prope Brugas à tribus Episcopis suffraganeis, quorum prior erat Ordinis Minorum, duo reliqui Prædicatorum, veluti Felix Faber in Historia Suevica commemorat.

Consecratio Alberti.

Reductio anni Jubilæi.

Constituerat Clemens Pontifex, ut, cum ob humanæ vitæ brevitatem rari centesimum annum remissionis, ut vocant, attingerent, non solum centesimus, ut hactenus, sed etiam quinquagesimus deinceps esset *jubilæus*. Itaque anno Christi 1350. illucescente thesaurum Ecclesiæ fidelibus aperuit, & Romam petentibus (rametsi ipse abesset) consuetas noxarum remissiones plena manu dispensavit. Episcopus noster eo anno cum Ducibus Bojariæ ad decennium fœdus pepigit, & ab iis confirmationem libertatis à Parente suo Ludovico Imperatore anno 1322. Clero concessæ obtinuit. cui etiam anno sequenti, Christi 1351. Albertus Austriæ Dux immunitatem à vectigalibus more majorum suorum stabilivit.

N. 265.

Bellum infertur Helvetis.

Eodem anno eidem Alberto Duci Austriæ Ludovicus Bavaro-Brandeburgicus aliique Principes & nominatim Herbipolensis, Bambergensis, Curiensis, Basileensis, ac Albertus noster Frisingensis Episcopi arma sociarunt adversus Tigurinos; contra quos tamen parum gloriose certatum est. Nec majorem gloriam sequenti anno nostri, inter quos rursus Episcopus noster numerabatur, reportarunt. Subsequenti anno, Christi 1352. Clemens VI. Papa finem vivendi fecit. Successorem habuit popularem suum Innocentium VI. Gallum Lemovicensem. Episcopus noster eo anno annuente Collegio Cathedrali Parochialem Ecclesiam Crantspergensem Collegiatæ Illmonasteriensi: uti etiam anno 1354. Collegiatæ Ecclesiæ in Schlietsee Parochiam Pangensem univit, ita tamen, ut in hac posteriori Ecclesia pro se anniversarium officium perpetuis temporibus persolveretur. Eodem anno Episcopus noster iterum Castra Alberti Ducis secutus Tigurinæ obsidioni interfuit. Anno 1355. Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis in monte Parochiam Eschebacensem annexuit. Alberto vero Duci Austriæ Dominium Triperg jure hæreditario ad se devolutum, 20500. florenorum pretio Episcopus noster vendidit. quo ipso anno Crafto Macarensis Episcopus, &, ut videtur, Frisingensis Proëpiscopus novum sacellum, Primariæ Ecclesiæ Rotensi adjunctum jubente Alberto Episcopo dedicavit. Undenstorffio monemur, eodem anno è vivis excessisse Conradum, eo nomine II. loci Præpositum, qui Ludovico Imperatori ab intimis consiliis fuerit. Carolus Imperator eo anno Mediolani ferream: ac postea Romæ Imperialem coronam suscepit à Cardinalibus, quibus Pontifex absens negotium commiserat.

N. 266.

N. 267. 268. 269.

Parochia Minsingensis accedit Monasterio Beurbergensi titulo oneroso.

Ad eosdem annos pertinet memorabilis permutatio, quæ inter Albertum Episcopum, & Conradum Sachs Præpositum Beurbergensem consentiente utroque Collegio accidit. totum tractatum sequentes literæ exhibent, quas damus, prout in Apographo nobiscum fuere communicatæ.

Nos Albertus Dei gratia Episcopus Frisingensis omnibus præsentium inspectoribus subscriptorum notitiam cum salute. Cum nobis & Ecclesia nostra Frisingensi jus Patronatus seu jus præsentandi & investiendi in Ecclesia parochiali in Minsingen nostræ diœcesis pertinuerit pleno jure, ac honorabili in Christo Conrado Præposito, totique Capitulo Monasterii in Beurberg Ordinis S. Augustini Regularium Canonicorum nostræ diœceseos jus proprietatis in triginta octo mansibus, seu prædiis infra limites parochialis Ecclesiæ in Freüen prope Nazentum in Dominio seu districtu Marchiæ Schlavicæ Aquilegiensis diœceseos situatis competierit etiam pleno jure: & nobis alternatim propter utilitatem & commodum dictarum nostrarum Ecclesiarum certius utrarumque placuit ad invicem permutare. Quapropter dilectis in Christo Fratribus Erhardo Decano, totoque Capitulo Ecclesiæ nostræ Frisingensis in Capitulo suo ad campanæ sonitum, prout est moris, convocatis, & ibidem expressa voluntatis consensum ad hoc præstantibus, ac etiam suppli-

suppliciter flagitantibus idipsum, prædictam Ecclesiam parochialem in Minsingen nostræ diœceseos cum omnibus juribus & pertinentiis suis, quæsitis & inquirendis, & subnotatis oneribus, qua hactenus nostram collationem dignoscitur respexisse, prædictis Conrado Præposito, totique Capitulo prædicti Monasterii in Beurberg, eorumque successoribus ad communem mensam & ad usus suos tenendam perpetuo, ac etiam possidendam permutationis causa tradimus, annectimus, incorporamus, unimus & donamus cum omnibus juribus suis corporalibus & incorporalibus, spiritualibus & temporalibus præsentium per tenorem, Rectoris seu Plebani, qui nunc est, ad dies suos per omnia salvo jure. Volumus tamen, quod Vicarius perpetuus ex Canonicis Regularibus præfati Monasterii in Beurberg eligatur, & in eadem Ecclesia parochiali post veri pastoris obitum aut spontaneam cessionem nobis vel successoribus nostris ad instituendum seu committendum sibi curam animarum per Præpositum, qui pro tempore fuerit, præsentetur, qui etiam capax sit, & sufficiens regere tantam plebem, cui etiam ad sustentationem tantum de rebus Christianis parochiæ relinquatur, quod ad hospitalitatem sufficiat, & jura Episcopalia sustinendo, quæ nobis & nostris successoribus in præfata plebe, in visitationibus, procurationibus & cathedratico integra reservamus. Ut autem nostra permutationis & incorporationis hujusmodi perenne sit testimonium, & præsens permutatio & incorporatio inconcusse permaneant cunctis temporibus, atque rata, præsentes literas nostro & nostri Capituli Frisingensis Sigillis jussimus roborari.

Et nos Erhardus Decanus, totumque Capitulum Ecclesiæ Frisingensis profitemur ex certa scientia, & spontanea voluntate, præmissis omnibus consensisse, & nostrum Sigillum ad hujus evidentiam appendisse. Acta sunt hæc & data Anno Domini M CCC LV. 4. Idus mensis Decembris Indict. Octava.

Hanc Permutationem Pileus Cardinalis S. Praxedis deinceps authoritate Apostolica confirmavit. Vitus vero Adamus Episcopus deinceps anno 1649. primarias commutationis literas fide publica transumpsit.

§. II.

Reliqua Alberti Episcopi Acta una cum gestis publicis.

EX Italia redux Imperator Carolus IV. convocatis Imperii Proceribus famosissimam Bullam, quam ab adjuncto sigillo aureo *Auream* dicimus, edidit, in qua de Regibus Germanorum imposterum eligendis potissimum tractatur. Id mense Januario anni 1356. contigit. Alium celeberrimum Principum Conventum versus finem ejusdem anni Metis coëgit, in quo rursus multa insignia Decreta prodiere. Episcopus noster eo anno inclyto Monasterio Campi Principum Parochiam Gilchingensem jure perpetuo possidendam tradidit, ea tamen lege adjecta, ut Ascetæ quotannis Divi Corbiniani Festum peculiari celebritate venerarentur, & Episcopos, Canonicosque Frisingenses omnium bonorum suorum operum redderent participes. Collegio S. Andreæ Parochialem Hachingensem Ecclesiam Episcopus noster annexuit, datis sequentibus literis.

Duo Conventus Principum Imperii.

Bulla Aurea.

*Albertus Dei gracia Episcopus Ecclesie Frisingensis. Universis presencium inspectoribus, ad certitudinem presencium & memoriam futurorum salutem in omnium Salvatore. Congrua nos oportet consideracione prospicere, ne pro divino congregatos cultu cujuscunque necessitatis occasio aut defides faciat, aut robur, quod absit, * conversaciones infringat, ad quam nos excitat solicitudo pastoralis officii. Levavimus itaque juxta Prophetam in circuitu oculos nostros, & vidimus, ac videntibus dereximus*

Parochialis Ecclesia Hachingensis datur Collegio S. Andreæ.

* Conversationis.

aciem mentis nostre ad Collegiatam Ecclesiam Sancti Andree Civitatis nostre Frisinge, jurisdictioni nostre & pleno jure subjectam, in qua quidem Ecclesia altissimi providente gracia sedula devocione divina prestantur obsequia, nocturnis horis pariter & diurnis, ac Missarum celebrantur officia, tam pro mortuis quam pro vivis, & ne propter defectum aliquem cogantur desistere, dignum fore duximus pro remedio anime nostre, & pro divini cultus augmento diligenti deliberacione prehabita ac sollempni cum dilectis nobis in Christo fratribus Johanne Preposito, Erbardo Decano totoque Capitulo Ecclesie nostre prefate, adhibitis sollempnitatibus, que in talibus requiruntur, tam de consuetudine, quam de jure, parochialem Ecclesiam in Ha(e)chingen nostre dyocesis, cujus institutio seu provisio nobis pertinet pleno jure, cum omnibus juribus, decimis & pertinenciis suis sepe fato Capitulo Ecclesie Sancti Andree de unanimi consilio Capituli Ecclesie nostre donamus, incorporamus, annectimus ad ipsorum mensam presentibus & unimus, dantes eidem Capitulo Ecclesie Sancti Andree & ipsorum Successoribus liberam & plenam potestatem faciendi, disponendi de proventibus parrochialibus ejusdem Ecclesie Ha(e)chingen, quidquid suis viderint usibus expedire, salvis omnibus juribus Rectoris ejusdem Ecclesie nunc existentis, qui vite sue tempore, cui nullum propter premissa, nec eciam jurisdictioni nostre volumus prejudicium generari. Volumus eciam, cum dicta Ecclesia Ha(e)ching vacaverit, ipso Rectore cedente sive decedente, quod tunc per Capitulum Ecclesie prelibate Sancti Andree, nobis & Successoribus nostris persona ydonea pro perpetuo Vicario presentetur, & quod eidem de redditibus & proventibus dicte Ecclesie in Ha(e)chingen sufficiens prebenda deputetur & assignetur, de qua possit congrue sustentari, jura papalia, Archiepiscopalia, Episcopalia, Archidyaconalia & alia quecunque persolvere juxta morem. Volumus eciam annuentibus nobis - - Preposito - - Decano totoque Capitulo Ecclesie predicte Sancti Andree, pro se, & suis Successoribus & statuimus cunctis futuris temporibus inviolabiliter observandum, ut sibi de tritico, quod Sabbatinum dicitur, annis singulis provideant, de proventibus Ecclesie Ha(e)chingen sepe dicte, pariter ut in ipsa Ecclesia Collegiata Sancti Andree dies anniversarius obitus nostri cum septimo & tricesimo ejusdem, cum memoria omnium Episcoporum predecessorum nostrorum felicis recordationis annis singulis cum vigiliis & officio defunctorum, pulsatis campanis, sparsis sepetibus, accensis luminaribus devocius peragantur, & presentibus eisdem officiis in anniversario una libra denariorum, in septimo una libra denariorum, & in tricesimo similiter una libra denariorum usualis monete pro consolacione seu oblagio de proventibus dicte Ecclesie Ha(e)chingen annualiter ministrentur, alioquin dignitates ac personatus in ipsa Ecclesia habentes ex nunc prout ex tunc, à divinis & ingressu Ecclesie suspendimus in his scriptis, quam suspensionis penam, quod absit, si sustinuerint, ad octo dies, & negligencia, ut predicitur, non studuerint reformare, Ecclesiam ipsam Sancti Andree ex nunc prout ex tunc Ecclesiastico subicimus Interdicto, tamdiu, donec predicta reformare curaverint, & ab Episcopo Frisingensi absolucionis beneficium meruerint obtinere. Ut autem nostre largicionis & incorporacionis hujusmodi perhenne sit testimonium, presentes litteras nostri & Capituli Frisingensis Sigillorum munimine jussimus roborari, & nos Johannes Prepositus, Erbardus Decanus totumque Capitulum Ecclesie Frisingensis profitemur ex certa sciencia & voluntate spontanea premissis omnibus consensisse, & nostrum Sigillum ad hujus evidenciam appendisse. Acta sunt hec Frisinge Anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, in die beati Nycolai Pontificis & Confessoris.

Gratiam quandam ab Episcopo nostro Civibus Monacensibus in favorem
N. 270. restaurandæ S. Petri Ecclesiæ factam alibi exhibemus.

n. 5. Ad annum Christi 1357. Raynaldus plura commemorat de Paulo Frisingensi, olim Gurcensi Episcopo tunc Apostolicæ Sedis per Salisburgensem diœcesin Internuncio. Sed revera fallitur Raynaldus, cum ex Instrumentis certissimis constet, Albertum Episcopum usque ad annum Christi 1359. provixisse, & tunc primum Paulo Sedem reliquisse, ut mox videbimus.

Interim

Interim mense Januario anni supradicti Albertus Episcopus noster Canonicis Isanensibus immunitates à suis Prædecessoribus concessas confirmavit: Mense postea sequenti ratas habuit Ardacensium Canonicorum Institutiones. Mense Julio moratus est in Carniolia, ubi Lacopoli molendinum cum aliis juribus comparavit. deinceps Viennam se contulit, ubi ab Alberto Duce antiquorum jurium in Austria venandi confirmationem obtinuit. Albertus Dux sequenti anno, Christi 1358. Julio mense Viennæ inter mortales esse desiit, & Ducatum filio suo Rudolpho reliquit. Albertus Episcopus Isanensibus Canonicis assentiente Cathedrali Collegio eo anno Parochialem Ecclesiam Walperskirchensem univit: quam donationem annis sequentibus Sedes Pontificia probavit. Hæc Frisingæ annotata fuere. Instrumenta tamen nobis non venere ad manus.

Hund. Metrop. T. 2. pag. 443. Ducll. Miscell. T. I. p. 127. 128.

Ultimo vitæ suæ anno, Christi 1359. Episcopus noster à prædicto Austriæ Duce Rudolpho privilegiorum confirmationem, & Holnburgensi pago prærogativam oppidi cum jure hebdomatim instituendi mercatum impetravit. N. 271. Reliquit statuam S. Alexandri PP. auro gemmisque egregie exornatam. Post novem tandem regiminis cum summa laude gesti annos è vita decessit in Constantiensi Episcopatu civitate Stainensi die 25. Mensis Aprilis, tumulatus in Rotenburgensi Civitate majoribus suis subjecta, & quidem in Collegiata S. Mauritii Ecclesia, quam ipse una cum parente suo condiderat, fundaveratque. Quo tempore Innocentius VI. in solio Petri: in throno vero Caroli Magni Carolus IV. sedit. Ortolphus Weisseneckius Salisburgensi, Fridericus I. ex Burggraviis Norimbergensibus Ratisbonensi, Godefridus Weisseneckius Pataviensi, Lambertus à Buren, antehac Monasterii Gengenbacensis Ordinis Benedictini Abbas, Brixinensi Ecclesiæ præsederunt. Canonicorum Frisingensium nomina in Magno Traditionum Libro ad illud tempus annotantur sequentia: *D. Joannes de Chamerberg Præpositus. D. Wernherus Decanus, dictus Herinch. D. Udalricus de Massenhausen Scholasticus. D. Chunradus dictus Schauch Jurisperitus. Item Ulricus de Curia. item D. Jacobus de Nannhoven Præpositus in Schliers. item Syfridus de Frawnberg. Præpositus in Mospurg. Joannes de Massenhausen Præpositus Inchingensis. item D. Erhardus Præpositus in Isen.* Bojarla superior eo tempore habebat Duces Ludovicos duos & Othonem: inferior Stephanum Albertum & Wilhelmum, qui omnes cum Summo Pontifice nondum in gratiam redierant. Canonici Frisingenses dicti Paulini eo anno ad anniversarium perpetuum pro Jacobo de Nanhoven, Majoris Ecclesiæ Canonico peragendum, datis literis sese obstrinxerunt: quas alibi recensebimus. N. 272.

Mors & tumulus Alberti Episcopi.

CAPUT IV.

Paulus XXXVI. Episcopus Frisingensis.

§. I.

Primordia Regiminis Pauli Episcopi.

Paulus Harrachius ex Episcopo Gurcensi Frisingensis.

PAulum video genti Harrachiæ à quibusdam adscribi, nobili tunc, nunc vero illustrissimæ. Eum fuisse primum Cancellarium Ducum Austriæ, literis de 1710. die 23. Aprilis edoctus est Celsissimus Princeps & Episcopus noster Joannes Franciscus: ubi addebatur, eum è Gurcensi ad Brixinensem Sedem fuisse translatum. Verum hoc posterius adversatur tum Brixinensium Episcoporum Catalogis, tum Frisingensibus fastis, qui eum Gurco non Brixinam, sed Frisingam jussu Summi Pontificis migrasse contendunt, imo demonstrant: quibus etiam Raynaldus adstipulatur. Gurcensem Episcopatum adeptus fuisse dicitur anno Christi 1340. Frisingensem vero 1359. Hunc posteriorem adiit eodem anno die 2. Julii. Viennam postea abiisse Paulum Episcopum nostrum, edocemur literis ibidem ab Austriæ Duce Rudolpho concessis Friderico Kreusbachio, quibus supremus per Austriam rei venatoriæ Magister creabatur, ea dignitate etiam ad posteros suos transitura. Nam inter testes ejus gratiæ Kreusbachio attributæ post Ortolfum Salisburgensem Archiepiscopum primo loco recensetur Paulus Frisingensis Episcopus. qua de re videri potest cl. Vir P. Steyerer S. J. Idem Episcopus noster eodem anno Mense Decembri scribitur inter testes confirmationis privilegiorum Civibus Pontis Leytæ * olim liberaliter indultorum.

In addit. ad Comment. Albert. II. col. 275.

** Brukh an der Leyta. Idem. l. c.*

Bojariæ conciliatio cum Pontifice.

Diximus Bojariæ Duces eo tempore nondum fuisse conciliatos Pontifici: quibus cum etiamnum adhærerent Frisingenses Canonici, eorum electio non attendebatur: imo universa Bojaria adhuc Interdicto Ecclesiastico erat obnoxia. Rebus tamen Bojariæ nutu ejusdem Pontificis brevi aliam faciem induxere Paulus Episcopus noster, & Petrus Divi Lamberti in Styria Abbas ordinis nostri, à Sede Apostolica in eundem finem Delegati.

Ludovicus Brandenburgicus, quem Seniorem vocant, Superioris Bojariæ Dux, non solum communibus censuris erat involutus, verum etiam ob invalidum cum Maultaschia initum conjugium Sedi Apostolicæ invisus. Austriæ tamen Ducis opera effectum est, ut Bojariæ Duces è potestate Pontificis pendere se velle profiterentur. Id ubi Pontifici nunciatum est, Paulo Episcopo nostro, & Petro supra laudato Abbati Mense Septembri in mandatis dedit, ut Duces à censuris, universam vero provinciam ab Interdicto liberarent: Ludovici conjugium primo equidem nullum declararent, at mox interposita relaxatione Pontificia, Ludovicum & Margaritam Maultaschiam addita benedictione Ecclesiastica conjungerent. Itaque Episcopus una cum Abbate Monachium se contulit, in Æde Divæ Virginis sacris solenni ritu operatus est, à pœnis Ecclesiasticis universos liberos pronunciavit, & Matrimonium Ludovici præter Decreta Canonum initum denunciavit primo irritum: pronunciata vero Pontificia relaxatione legitimos

N. 273. 274.

timos imposterum Conjnges declaravit. Ita Bojaria universa cum summo gentis jubilo sacris fuit restituta. Rogabatur Episcopus noster, ut eadem Pontificia potestate Lndovico Imperatori, duodecim abhinc annis defuncto, eandem absolutionis gratiam impertiret. Negavit vero Paulus, eam potestatem sibi à Pontifice fuisse commissam. Imo ejus jussu exhumandum erat Ludovici cadaver, nisi Ducum satellitio id fuisset impeditum. De his videri potest Hainricus Rebdorffius. *Apud Freher. T. I. p. 33. edit. Struv.*
Raynaldus Ludovici Ducis literas ex antographo descripsit, in quibus ille primo loco confirmat ea, quæ per suos Oratores Pontifici promiserat. Postea veniam petit, quod parentem suum unquam appellarit Imperatorem, eique adhæserit. Item quod Tridentum occuparit. Profitetur etiam, se, quæ Ecclesiis abstulerat, restiturum. Fatetur insuper, se Margaritam duxisse Canonibus repugnantibus: Censuris Ecclesiasticis se involvisse. Negat, Pontificem posse exautorari ab Imperatore: Schisma ejurat: ad eluenda crimina patrata paratum se offert: paritnrm se Pontifici promittit: mulctæ nomine centum eqnites suo sumptu contra hostes Ecclesiæ submissurum condicit. Hæc fere Raynaldus in literarum margine. *Ad ann. 1359. n. 7. & 9. 10.* Ubi observabit Lector, quam male scribant, qui contendunt, Matrimonium Lndoviei cum Maultaschia, & sententiam Pseudo-episcopi Frisingensis, de quo supra, fuisse à Pontifice comprobatam. Idem Innocentius Papa eodem anno Germaniæ Archiepiscopos Coloniensem, Moguntinum, Bremensem, Salisburgensem ac Trevirensem gravissimis literis excitavit, ut in Clericos, qui vestinm luxu superbirent, hastiludia inirent, vectigalia Ecclesiastica in profanos sumptus effunderent, vel in cœno impndicitiæ jacerent, per censuras Ecelesiasticas animadverterent, ut mox laudatus Raynaldus late demonstrat.

Carolus Imperator sequenti anno, Christi 1360. Episcopo nostro, singularibus laudibus decorato, panchartam, nempe generalem omnium antiqnorum jurium confirmationem Brunæ in Moravia concessit. *N. 275.* Idem Episcopus noster mense Julio inter testes adhibitus est, cum Rudolphus Austriæ Dux Maurbacensibus Carthusianis privilegia sua confirmaret. Anno vero sequenti die 7. Aprilis Cæsar innovavit Episcopo nostro Privilegia olim ab Ottone III. Imperatore anno Christi D CCCC XCVI. Goteschalco Episcopo concessa, quæ in *Tom. I. pag.* 192. retulimus, voluitque Carolus IV. Imp. ut privilegia illa etiam per non usum maneant illæsa. *N. 276. Confirmatio Privilegiorum Eccles. Fris.* Eadem etiam die insuper rata habuit alia jura, olim anno Christi MXXVIII. à Conrado II. Imperatore Egilberto Episcopo collata. De quibus eodem *Tom. I. pag.* 223. egimns. Simili etiam modo stabilivit gratias quondam Ottoni II. Episcopo Frisingensi anno Christi M CLXXXIX. à Friderico Ænobarbo impertitas, quas eodem *Tom. I. pag.* 379. recitavimus. *N. 277.* Omnia hæc gesta fuere Norimbergæ, quo tempore ibidem Imperatori Carolo natus est filius Weneeslaus die 11. Aprilis levantibus illum tribus Archiepiscopis & octo Episcopis è Sacro fonte, quem vero parvulus, malo omine, lotio suo inquinavit. *Nascitur Wenceslaus futurus Imp.* De illo suis locis plura in consequentibus. Substitisse Episcopum nostrum Norimbergæ saltem usque ad diem 7. Maji, facile intelligimus, cum ea die inter alios Imperii Proceres confirmationi privilegiorum Monasterii Alpirspacensis in Wirtembergia siti, subscripserit, velnt ex *Suevia Sacra*, D. Petri, Can. Reg. discimus.

Mense Octobri illius anni Lndovicus Brandenburgicus mundo valedixit, toxico, ut quidam volunt, à Conjuge Margarita Maultaschia interfectus. *Pag. 58.* Filium, ut jamjam diximus, reliquit Mainhardum, de cujus itidem infelici ac simili exitu mox plura dicemus.

Eodem mense Octobri Episcopus noster Civibus Frisingensibus privilegia quædam absque consensu Cathedralis Collegii ab Antecessoribus qnibusdam collata ad tempus revocavit & sustulit: ac paulo post assentientibus Canonicis suis Henrico Part Civi Monacensi proventus telonei Monacensis pignori dedit; ast brevi temporis intervallo eosdem liberavit. *N. 278.*

Proximo anno, Christi 1362. Episcopum nostrum invenimus Viennæ in Austria, ubi inter plures Episcopos, aliosque illustrissimos viros secundo loco testis erat gratiæ à Rudolpho Duce Monasterio S. Hippolyti factæ, qua loci Canonicos à vectigalibus perpetuo immunes pronunciavit.

Duell T. I. pag. 414. Lis super tutela Mainhardi. *Arenbeckius mihi col. 352.* Inter Bojariæ Duces lis erat, ad quem Mainhardi, residui ex Ludovico Brandenburgico Nepotis tutela pertineret? Is demum potissimum Monachii fuit educatus. Verum tandem elapsus, ad matrem Maultaschiam se contulit: ubi vitam licentiosam duxit, etiam in matrem gravia dicteria jactitans, & hinc ab eadem tandem lethali poculo ad plures missus. Tumulum in inclyto Monasterio Stambsensi invenit.

Innocentio VI. succedit Urbanus V. N. 279. Mense Septembri Innocentius VI. è vita decessit. Vota, Cardinalium ei Wilhelmum Grimardum, in D. Benedicti Cœnobijs primum ad D. Germanum, inde vero ad D. Victorem in Gallia Abbatem, nondum Cardinalem subrogarunt dictum Urbanum V. Wernerus de Finsing eodem anno ad lumen coram ara majore B. V. in Ecclesia Cathedrali alendum certos proventus assignavit.

Tyrolis accedit Austriacis. Maultaschia anno sequenti 1363. Austriæ Duces omissis Boicis, Comitatus Tyrolensis hæredes scripsit: unde deinceps multa Austrios inter & Bojos diffidia nata sunt, ad quæ restinguenda plurium Episcoporum operam adhibuit Urbanus Pontifex. Paulum Episcopum nostrum iterum eo anno Viennæ commorantem deprehendimus, ubi à Rudolpho Duce numeratus est inter testes fundationis anniversariæ memoriæ pro Austriæ Ducibus in primaria D. Stephani Basilica ibidem institutæ. P. Steyerer col. 377.

Idem anno 1365. inter testes Instrumenti super erectione Universitatis Viennensis reperitur. Ipso anno obiisse Rudolphum Austriæ Ducem, acerrimum Cleri insectatorem, docet Chronicon Salisburgense apud P. Hier. Pezium, adeo, ut ejusdem Autor in fine subjungat illud. Tom. I. col. 417.

Sacras olim ædes pietas construxit avorum,
Quas nunc hæredes devastant more Luporum.

Nos, quid alibi forte Rudolphus peccaverit, non discutimus. Eum tamen Frisingensi Ecclesiæ gravia damna intulisse, quæ vero ab ejus fratre Alberto post ejus mortem Mense Octobri utcunque resarta fuerint, docemur ex Instrumento, quod sic habet.

Wir Albrecht. von Gots Gnaden. Hertzog ze Osterr. ze Steyr. ze Kernden, und ze Krain, Graf ze Tyrol. Bekennen und tun ebund offenlich mit disem Brief umb die ansprach und vordrung, die der Erwirdig Herre unser lieber freunt. Herr Paul Byschof ze Freising von sein selbs und des itzgenanten seins Gotzhauses wegen gehebt hat zu uns, und unserm lieben pruder Hertzog Leupolten umb solich invaell, schaden, und angriffe, die bieuor unser lieber Pruder seliger gedechtnusse Hertzog Rudolff von Osterr. dem Got genade, getan hat, bey seinem lebenden zeiten dem egenanten Gotzhause und demselben Byschof von Freising an irn Vesten, Stetten, Merkhten, Dörffern, Leüten, Gütern, und Gerichten, die darzu gehorent, und an allen andern sachen, wie sich die vergangen haben untz auf disen heutigen tag, darumb sich auch derselb unser pruder selig Hertzog Rudolff an seinen lesten zeiten ze Maylan erchant hat, und geschaffi, dass wir denselben Byschof und sein Gotzhaus des gnedichlich ergentzen, und si unchlaghafft machen sullen, das wir für uns, den egenanten unsern pruder Hertzog Leupolten, und unser paider erben nach ainhellen rate unsers gemainen rates mit dem vorgenanten Byschof Pauln an sein und seines egenanten Gotzhauses stat also yberain chomen sein, das er aus unserm gesworenem Rate nemen solte sechs Erber Herren, welche Im aller pest darzu gevielen, für die er alle die egenante sein und seines Gotzhauses notdürft, und gepresten tragen solte, und was si alle gemainlich oder der merer tail under in nach seiner fürlegung, und unser widerred zwischen uns erchanten und sprächen nach dem Rechten oder der Minne, des solt uns paiden tailen wol genügen, und solten auch

auch das also ietweder fest stet haben, und volfüren gentzlich ane alles gener, als wir das einander verhaissen häben mit unsern trewen. Nu hat derselb unser lieber freunt Byschof Paul in dem namen, als dauor darzu genomen und genennet den Edeln unsern lieben Obaim Graf Ulreichen von Schownberg, unsern lieben getrewen Eberharten von Walsse von Lintz Hauptman ob der Ens, Leutolden von Stadekk LantMarschalch in Osterr. Rudolf Otten von Lichtenstain Obristen Chamerer in Steyr, Albern von Puchhaim Obristen Drugsetzen in Osterr. und Fridreichen von Stubenberg Obristen Schenchen in Steyr, die alle unsers geswornen Rates sint. Die haben uns paidenthalb wissentlich chuntlich verhort, und habent nach unser payder fürlegung und widerrede, und nach gelegenhait der sache mit guter vorbetrachtung und zeitigen Rate zwischen uns in dem namen als dauor erkhant und gesprochen, des ouch uns paidenthalb wol benüget in aller der masse, als hienach geschriben stet. Des ersten, das wir und der vorgenant unser pruder Hertzog Leupolt dem egenanten Byschof Pauln, und seinem Gotzhause ze Freising losen, wider antwurten, und in ir gewalt lediklich bringen sullen unverzogenlich ir Purg und Stat Waidhofen, ir Vest Randekk, und ir Vest und Markt ze Udmarveld mit leüten, gerichten, gütern, allen nutzen, freyhaiten und rechten, wirden und ehren, die von alter darzu gehorent, umb alles viill geltes, als der vorgenant unser pruder selig Hertzog Rudolf die hievor versetzet hat Otten von Zelking, Jansen dem Kneusser, und Kristan dem Czintzendorffer nach sag der satzbriefe, die si darüber von dem selben unserm pruder seligen habent ane alles gever. Swas auch silbergeschirres, und hausrates, gewandes und ander dinge funden wart auf der vest ze Chunratshaim, das der Erber Ritter Hanik, des vorgenanten Byschof Pauls vetter mit ainer gewissen geantwurt hat dem egenanten Kneusser, das sol derselb Jans der Kneusser dem vorgenanten Bischof Pauln und seinem Gotzhause alles gentzlich widerkheren an alles gever. Si habent auch gesprochen umb alle die hantvesten und briefe Register, Urbarpuch, und Rodal puch, der heiligen Schrift und ander Chunste in latein oder in teutsch geschriben, si sein geistlich oder weltlich, die in dem vorgenanten vesten funden wurden, und in des obgenanten unsers pruder seligen, oder dhainer der seinen gewalt chomen sint, die den egenanten Bischof, oder sein Gotzhaus angehorent, das man Im die alle wider geantwurten sol, wa und in wes gewalt man die finden und ankhomen mag, an alles gever. Weren aber derselben hantvesten und briefe dhaine in des egenanten unsers pruders seligen, oder der seinen gewalt zeschnitten, oder in ander weg vertan, und verloren, die sullen wir Im und seinem Gotzhause erneuen unverzogenlich in aller der masse, als er uns mit erbern leüten, oder mit seines Gotzhauses alten Registern geweisen mag, das die selben verlornen briefe, die von unsern vordern dar chomen sint, gestanden sein, und darüber sullen wir Im und seinem Gotzhause ainen gemainen bestet brief geben, damite wir In gunstlichlich bestetten alle Ir herscheffte und vesten, leüt, gericht, und güter, freyhait, Recht, und alle gute gewonhait, mit allen iren wirden und eren, die si von alter in allen unsern Landen gehebt habent, ane alles gever. Swas auch der vorgenant unser pruder selig Hertzog Rudolf dem vorgenanten Bischof Pauln und sein Gotzhaus verrer den beschaidenlich und gewonlich sei hinder uns gezogen und verpunden hat, derselben püntnusse sullen wir In und sein Gotzhaus ledig lassen gentzlich. Und sullen Im ouch widergeben, swas wir solicher ungewonlicher puntbriefe von Im haben, und wurden darnach derselben Briefe dhaine mer hinder uns funden, die sullen alle tod sein, und fürbasser chain chraft mer haben, also das ouch er für sich, und sein nachchomen sich verpinde mit iren herscheften, vesten, und Steten, die si in unsern Landen habent, zebeleiben hilflich und getrewlich bey uns und unsern Landen ze schirm und dienste, in ainer solchen puntnusse weisse, die nach alten gewonhaiten beschaiden und erber sey, ane alles gever. Und swas Leben sich der vorgenant unser pruder selig Hertzog Rudolf underwunden, und iemanne gelihen hat, die das Gotzhaus ze Freising angehorent, die sullen alle gar und gentzlich hinwider chomen an denselben Bischof und dasselbe Gotzhaus ze Freising, als da pilleich und reht ist ane alles geuer. Darnach uns die geltschulde, die auf den vorgenanten unsern lieben freunt Bischof Pauln

Pauln von Freiſing von des Gotzhaus wegen ze Gurk gevallen iſt bintz den Juden nach ſag des Spruchsbriefes, den der vorgenant unſer pruder ſelig° Hertzog Rudolf mit ſeinem und des Legaten Inſigel verſigelt, nu ze leſt darüber gegeben hat, da die Summ dem egenanten ze Freiſing ze gelten pringet zwelef tauſent vierhundert und ain und funfzig guldein rechtes erchens und hauptgutes, habent die vorgenante ſpruchleute ainhellig-lich erchant und geſprochen, das der egenant Biſchof Paul desſelben gutes ſelber abrichten und gelten ſul Chatſchen dem Juden von Cili dreütauſent fünf hundert guldein rechtes erchen und houptgutes. Und was auf dieſelben vierdhalb tauſent guldein von angenge herdan untz auf diſen heütigen tag ſchadens und geſuches gegangen iſt, das haben wir hintz demſelben Juden über uns genomen, und den egenanten Biſchof, und ſein Gotshauſe davon geledigt gar und gentzlich. Swas aber der übrigen gült iſt gegen Muſchen dem Juden weilant Iſſerleins Eninchl von Marichpurch mit allem erchen und houptgute, und allen dem geſuch und ſchaden, ſo zu dem ſelben Juden untz auf diſen heutigen tag dhains wegs darauf gelauffen iſt, davon ſullen wir, und der vorgenant unſer lieber pruder Hertzog Leupolt den obgenanten Biſchof Paulen, und ſein Gotzhaus ze Freiſing gar und genzlich nemen, ane allen irn ſchaden ungeverlich; was ouch darüber der ſelb Biſchof Paul fürbaſſer gelten ſol Afrechen dem Juden von Frieſach, darumb wellen wir Im denſelben Juden helffen pitten vleiſi und ernſtlich, das er Im umb das erchen und houptgut beſchaiden tag geb, und es zu etlichen iarziln von Im nem, und das er im ouch an dem geſuch und ſchaden, ſo darauf gelouffen iſt, beſchaidenlich mit var, und gütlich tu, durich unſeren willen. Dagegen und ouch gegen allen diſen vorgeſchriben ſtukhen, die fur denſelben Biſchof Paul ze loſen und ze gelten auf uns gevallen ſint, hat er für ſich und ſein nachchomen an ſeiner und des egenanten ſeines Gotzhaus ſtatt uns, den vorgenanten unſern prudern Hertzog Leupolten, und unſer Erben ledig und los geſprochen und gelaſſen gar und gentzlich aller der nutze, der er von des vorgenanten unſers prudern ſeligen Hertzog Rudolf wegen, auf den vorgenanten und andern ſeinen gütern in unſern Landen entwert und ausgelegen iſt, und alles des ſchadens, ſo er in dhainen weg davon empfangen hat, untz auf diſen heutigen tag ane alles gever, wan in für ſich und ſein nachchomen des egenanten ſpruches wol genüget, und ouch bechennet, das wir In und ſein Gotzhaus damitte gnedigclich ergetzen, und In gütlich daran geſchehe. Darüber ſullen ouch der obgenant Biſchof Paul oder ſein nachchomen ſelber ane unſern ſchaden loſen, wenn ſi wellent ir veſten und herſchaft ze Lok von unſern getreüen Graf Ulreichen von Cili und Graf Hermann ſeinen pruder, oder irn Erbn umb ſechs tauſent guldein, darumb In der egenant unſer pruder ſelig Hertzog Rudolf dieſelben Herſchafte und veſten vormals verſatzt hat. Wenn auch der vorgenant Biſchof Paul, oder dhainer ſein nachchomen Biſchof ze Freiſing das Purgſtall ze Chunratshaim wider pauen wellent, des ſullen wir, der egenant unſer pruder, oder unſer Erben In wol gunnen, und ſullen niht geſtatten, das ſi der unſern ieman daran irre, ane alles gever. Und wan diſer vorgeſchribner ſpruch mit unſerm wiſſen, und gütlichen willen alſo geſchehen iſt, darumb haben wür für uns, den egenanten unſern prudern Hertzog Leupolten und für unſer paider Erben verhaiſſen wiſſentlich mit unſern treuen, und verhaiſſen auch mit diſem brief ſtet ze haben, und ze volfüren gar und gentzlich alles das vorgeſchriben ſtet, ane alles gever. Und darüber ze urchund geben wir diſen brief verſigelten mit unſerm anhangunten Inſigel. Geben ze Wienn an Sand Symons und Sand Judas tag der heiligen zwelfpoten, nach Chriſtes gepurd drewzehen hundert iar, darnach in dem fünf und ſechzigiſten iar.

Interhæc Paulus Epiſcopus noſter eodem anno die 27. Menſis Aprilis cooperantibus ſibi Abbatibus Tegernſeenſi, Benedictoburano, Eberſpergenſi, atque
N. 280. Weihenſtephanenſi rurſus Eccleſiam S. Petri Monachii ritu feſtiviſſimo conſecravit, uti intelligimus ex literis, quas in Parte hujus operis Inſtrumentaria repræſentamus.

§. II.

§. II.

Reliqua Acta Pauli Episcopi, ubi de dedicatione Basilicæ Ettalensis.

ANno Christi 1366. Daniæ Rex Austriacos, Bojosque Duces conciliavit. Multo ære Bojis Ducibus stetit discordia illa; hinc etiam à colonis Frisingensibus, adversantibus licet majorum suorum promissionibus, tributa extorserant. Conquerenti vero Episcopo nostro sequenti anno ipsa Dominica Pentecostes die sequentes literas consignarunt.

Boji colonos Frisingenses cogunt tributa pendere.

Wir Stephan der Elter, wir Stephan, Fridr. und Johans gebrüder von Gottes genaden pfallentzgrafen bey Rein, und Herzogen in Bayren, Grafen zu Tyrol, bechennen offenleichen mit dem brief umb die stewer und vodrung, di wir bewr zu iar von unserer grozzen notdurft wegen genomen haben von unsers lieben Herren Paulsen Byschof zu Freysingen armen läuten in unsern landen zu obern und zu nidern Bayren, gehaizzen wir dem obgenanten Herren Paulsen und allen seinen nachchomen Byschofen zu Freysing für uns, unser Erben und nachchomen bey unsern genaden, und - - hen, daz wir von des obgenanten Bistums armen läwten in unsern landen zu Obern und zu nidern Bayren dhain soleich stewer noch vodrung nicht mer nemen sullen noch wellen in dhain weis. Und dez ze urchund gebn wir Im obgenante Herzog Stephan der Elter, Hertzog Stephan und Hertzog Fridr. gebrüder den brief mit unsern anhangenden Insigeln versigelten. Darunder wir uns Hertzog Johans mit unsern trewen verbinden alles daz stät zu habn, daz oben geschriben stet, wan wir zu den zeiten aygens Insigels nihten heten. Geben zu München an dem Heiligen Pfingstag Anno Domini M CCC LX. septimo.

Sed meliora promittunt.

Advertet ex his literis attentus Lector, quod Bojariæ Duces eo adhuc anno sese scripserint Comites Tyrolis: adeoque ei titulo atque prætensis juribus neutiquam renunciasse.

Eodem anno Urbanus Pontifex summo exultantis Italiæ, imo Ecclesiæ universæ bono relicta ad tempus Gallia Romam invisit, rebus per Pontificum absentiam collapsis consulturus. Ubique in itinere cum summa lætitia exceptus Romæ obvios sibi Quirites habuit, offerentes Urbis claves, ceu certum debitæ Romano Pontifici subjectionis testimonium. Vidit paulo post Roma tria suprema orbis capita, nempe, præter Pontificem, Carolum IV. Occidentis & Joannem Palæologum Orientis Imperatores: quo tempore Græci iterum se Ecclesiæ Romanæ junxerunt, ejusque dogmata professi sunt. Arduo huic negotio multa alia laudabilissime partim præmisit, partim subjunxit Pontifex: cui Carolus omnia Ecclesiæ jura confirmavit. Tandem Pontifex rebus ex animi sententia constitutis in Galliam regredi constituit: cui tamen Diva Brigitta reditum dissuasit, asserens, non diu superviсturum Pontificem, si Avenionem rediret. Et vaticinio respondit eventus. Nam Avenione tertio postea mense scilicet die 19. Decembris anno 1370. mitram & vitam posuit. Post eum in Sacra Hierarchia die penultima ejusdem mensis Decembris successit Petrus Rogerius è Belfortiorum sanguine ortus dictus Gregorius XI.

Pontifex ad Urbem redit.

Summorum Principum Conventus Romæ.


Urbani V. PP. Successor Gregorius XI.

Ad eundem annum 1370. Vir clariss. P. Ludovicus Babenstuber refert festivissimam Dedicationem splendidissimæ atque celeberrimæ Ettalensis Basilicæ à Paulo Episcopo nostro peractam. Damus verba landati scriptoris. „ Sacram, inquit, operosamque cæremoniam Paulus Episcopus Frisingensis anno 1370. tert. „ Non. Maji, in qua Diœcesi situm est Cœnobium, peregit. Comministrarunt Eberhardus „

Dedicatio Basilicæ Ettalensis.

minus Wilhelmus Frawenberger Præpositus in Ardaker omnes expensas solvit. In secundo M. S. Codice sic legitur: *Item Reverendus Dominus Paulus Episcopus Frisingensis est sepultus ante pulpitum sub lapide.* In tertio vero hæc habentur: *Die 23. Julii obiit Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus Paulus Episcopus Frisingensis, requiescens in Choro sub marmore ad ingressum chori.* Advertit vero vir ille clarissimus, nihil diversitatis contineri in tribus illis assertionibus, cum *Lectorium* idem sit ac *pulpitum*; & marmor utique sit lapis: pulpitum autem & marmor hodieque cernantur ad ingressum chori. Cæterum advertit idem religiosissimus Asceta, primum Codicem, supra allegatum, fuisse exaratum manu Sæculi XIV. Secundum, manu Sæculi XV. Tertium vero manu quidem Sæculi XVII. circa illius initium: addit tamen, Codicem illum, qui mortuorum nomina publice in Capitulari loco legi solita exhibet, fuisse exscriptum ex alio antiquiori pro commodiori legentium usu: forte etiam, ut aliorum quoque subsecutis temporibus mortuorum, aut moriturorum nomina inseri possent: id quod etiam in Monasteriis nostri ordinis fieri consuevit, quando Necrologia vetera plurium nomina non amplius capiunt. Denique monet idem solertissimus Vir, donaria, à Paulo Episcopo Gemnicensi Ecclesiæ facta, jam non amplius extare. quod mirum non est; Sacrificantium enim vestes usu deteruntur: & calices antiqui sæpissime in formam meliorem & commodiorem Aurifabrorum opera transmutantur. Hæc fere ex literis P. Leopoldi Wydeman. Illud in Chronicis domesticis posteritati transscriptum est, quod Episcopus erga Cives Frisingenses benignum se exhibuerit, iisque Privilegia quædam rursus indulserit. Præfuit optimus Præsul annis 18. diebus 21. mortuus, cum Gregorius XI. Avenione, ut diximus, Romam migravit. In Salisburgensi Sede superfixit Pilgrinus de Puecheim: in Ratisbonensi Conradus de Haimberg: in Pataviensi Albertus de Winkl. Albertus ab Enna Brixinensis Episcopus eodem anno exspiravit. Fasti Firstenfeldenses tradunt, eo tempore Canonicos quosdam Frisingenses, qui deliquerant, ad Monasterium illud inclytum fuisse missos, ut mentem ad meliora reducerent. Quidnam peccaverint, nobis non constat. Gregorius XI. anno regiminis sui septimo, nempe 1377. Beurbergensi Monasterio omnia bona ac jura sub consueta formula confirmavit.

Sane primordia Xenodochii Frisingensis Paulo Episcopo esse in acceptis ferenda, ex actis Leopoldi successoris perspicimus.



CAPUT

CAPUT V.

Leopoldus XXXVII. Episcopus Frisingensis.

§. Unicus.

Triennium Leopoldi.

HUnc Episcopum quidam deducunt ex familia Sturmbergiorum, sive Styriæ sive Carinthiæ Nobilium. Num antehac fuerit Canonicus hujus Ecclesiæ nemo prodit. Incertum insuper manet, num à Sacro Canonicorum Collegio fuerit sive electus, sive accersitus, vel à Pontifice huic Cathedræ impositus? Initia Leopoldi Ep. Nonnemo in magno Traditionum Libro hæc notavit: *In ejus* (Leopoldi) *provisione oriebatur Zisma in Curia Romana in electione Summorum Pontificum.* Ex quo *provisionis* vocabulo vix non proniores reddimur, eum à Pontifice fuisse nominatum Episcopum. Deinde ex iis verbis colligitur, promotionem Leopoldi contigisse anno Christi 1378. quo Cardinales Romæ existentes mortuo Gregorio XI. Novum Schisma in Ecclesia. elegerunt Urbanum VI. Neapolitanum, Episcopum quondam Barensem: contra quem cæteri Cardinales, qui Avenione remanserant, Robertum Gebennensem Cardinalem Papam dixerunt, & Clementem VII. nuncuparunt. Urbanum tota Italia ac Germania cum vicinis regnis agnoverunt legitimum Pontificem: Clementem vero Galli ceu Idolum adorarunt. Hinc rursus schisma fuit enatum, quod annis triginta duraturum erat. His malis eo anno accessit mors Caroli IV. Imperatoris, &, quod adhuc dolendum magis, væcordia Wenceslai successoris. Wenceslai Regis Rom. inertia. In cumulum malorum venêre discordiæ inter Imperii Principes & Civitates. Otiante enim Wenceslao invalidiores patebant potentiorum injuriis: ex quo infinita propemodum jurgia in Imperio exarsere. Civitates more Helvetorum paulatim ad libertatem aspirabant; inde Principum contemptus; postea vindictæ, exactiones, rapinæ, incendia ac depopulationes, quas diffuse post alios Adelzreitterus describit. Inter fœderatos Principes Leopoldum Episcopum non reperio, quem sequenti anno Christi 1379. mense Julio Viennæ bona quædam prope Ulmerfeldam comparasse certum est. N. 285. Quod postea Frisingam venerit, ex eo constat, quod illo adhuc anno Mense Septembri antiqua Frisingensium jura ac privilegia confirmarit literis sequentis tenoris.

Wir Lewpold von Gotes genaden Byschof ze Frysing veriechen offenbar mit dem brief für uns und unsre nachchomen, und tun chunt allen, di in ansehent, oder hörent lesen, das wir unsern liebn getrewn Purgern ze Frysing von der lieb, di wir zu unserr Stat haben, di genad tun, und getan haben, daz wir in vesten und bestetten mit dem brief alle di recht, si sein geschribn, oder nicht geschribn, si habens mit dem rechten oder mit gewonhait von alter her auf dise zeit bracht, ez sey in iren buechern oder in iren briefen, oder mit gedachtnuzz herchomen bey unsern Vorvätern, das dhain unser pfleger, noch richter, noch dhain unser, noch unser nachomen Amptman, wie er genant sey, si darinne beehrench mit dhainen sachen, oder übervaren sull oder müg. Leopold. Ep. civibus Frif. confirmat sua Privilegia.

 Wir

Wir wellen auch, daz unſer Richter, der iſt oder wört zu Fryſing bey uns oder unſern nachomen ſich lazz genügen der wandel und pütz, die von alter berchomen ſind nach genadn, und nach rat des merentails nuſer purger der geſwärn. Wir wellen auch, daz alle di sätz, di unſer geſwärn Burger geſetzent, oder geſetzt werden iärlichen zu den dreyn elichen taidung, daz di unſer, und unſerr nachome Richter, Prukzolner, und der Marttzolner Stat haben, und mit nichte überuaren in dhainen ſachen. Wellen wir und gepieten auch, daz ernſtleichen und veſtieleichen, daz fürbaz dhainerlay aygen, wie daz genant iſt, niht verchaufft, noch verſchafft ſol werden, ez ſol in vnſerr, und in der herſchaft, und in unſerr purger voderung beleibn mit Stewer, und mit wachten, und mit aller mainung. Darzu mainen wir auch, und wellen daz ernſtleichen, und veſtichleichen, ſwer herein in unſer Stat varen wil, und hauslichen darinne ſetzen wil, daz derſelb, wie der genant iſt, alles daz leyden und tragen ſol, mit ſtewrn, mit wachtn, und auch in aller voderung, und mit leyden ſeyn gein der Herſchaft und gein der Stat, alz ander unſer purger. Doch behaltn wir an dem brief, an der genad, di wir unſern purgern tan haben, uns und unſern nachomen, und unſern Gotzhaus alle die recht, di wir haben ſullen, daz in daz alſo ſtät, nnd unzebrochen beleib von vns und von unſern nachomen. Geben wir in den brief ze ainem urchunt mit unſerm anhangenden Inſigl verſigelt. Der Brief iſt gebn nach Chriſtes gepurd drewzehen hundert iar und darnach in dem newn und ſibentzigiſten iar des nächſten Mäntags nach unſer Frawen tag, alz ſi geborn ward.

Menſe Septembri Epiſcopus noſter duodecim Patribus Eremitis Ord. S. Auguſtini facultatem conceſſit Verbum Dei in hac Urbe ac Diœceſi prædicandi, confeſſionesque excipiendi. Id conſtat ex literis ſubjunctis.

Leopoldus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Friſingenſis Eccleſiæ Epiſcopus, univerſis, ad quos præſentes pervenerint, ſalutem in Filio Virginis glorioſæ. Nos habentes ad cunctos viros ſacræ Religioni deditos ſinceræ devotionis affectum, ad eos tamen præcipue, qui in doctrina ſana & divini verbi pabulo chriſtianam plebem reficiunt, monitisque ſalutaribus in ſacramento Pœnitentiæ idonei ſunt eundem populum dirigere ad æterna. hac conſideratione commoti, Religioſos viros Fratres Priores Provinciales & locales, aliosque Fratres Ordinis Fratrum Heremitarum Sancti Auguſtini, qui per ſuum Priorem Generalem, aut per Capitula Provincialia dicti Ordinis examinati, approbati, & admiſſi fuerint, ad proponendum verbum Dei, & ad Confeſſiones audiendas, de quorum numero duodecim libenti devotione acceptamus, & pro noſtris civitate ac Diœceſi grates habemus, ut & nos ipſorum laborum ac bonorum operum ſimus participes, & eo plenior cura gregi nobis ſubiecto, impendatur, quo plures Operarii in agro Dominico conſtituti. Quapropter cunctis Eccleſiarum Rectoribus ac eorum vices gerentibus, & aliis univerſis per noſtras Civitatem & Diœceſin conſtitutis ſerioſe mandamus per obedientiam ſalutarem, ut præfatos Fratres, eum in Eccleſiis veſtris verbum Dei proponere voluerint, & ſuper hoc vos fraterne requiſierint, benigne admittatis, atque tractetis, nec eos alias vel in Confeſſionibus audiendis impediatis, ſeu eis impedimenta vel gravamina quomodolibet inferatis contra ſtatutum Sedis Apoſtolicæ, quod ſuper Cathe-

Clementin. 2. de Sepulturis. dram, *incipit in Clementinis contentum. In cujus rei teſtimonium evidens Sigillum noſtrum præſentibus eſt affixum. Datum in Friſinga Anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo nono viceſima die Menſis Septembris.*

Ubi monemus Lectorem, hanc facultatem jam alias à prædeceſſoribus Epiſcopis Patribus illis conceſſam, etiam à ſucceſſoribus fuiſſe ſtabilitam. Et hinc fortaſſis evenit, ut in hodierna usque tempora quotannis menſe Januario poſt Octavam Epiphaniæ unus ex Patribus illis duabus continuis diebus Dominicis in hac Cathedrali Eccleſia pro concione dicat.

Germani agnoſcunt legitimum Pontificem. Interim ignaviſſimus Imperator Wenceslaus, cum plurimorum malorum per ſuam negligentiam cauſa eſſet, id unum bene geſſit, quod ſolenniſſimis Comitiis indictis Aquisgrani Urbanum VI. una cum Principibus probaverit; Clementem vero Antipapam, quantumcunque à Galliæ Rege commendatum atque adora-

adoratum rejecerit. Id Bucellinus noster ad annum Christi 1380. refert: alii ad annum præcedentem. Rursus alii Conventum illum Francofurtum transferunt. Trithemius ea de re in suo Chronico nihil tradit: quod miramur.

Weihenstephanii mortuis intra breve temporis spatium tribus Abbatibus nemo Ascetarum supererat, qui gerendis gubernaculis Monasterii par esset. Hinc motus fuit Stephanus Dux, ut loci administrationem committeret Præposito Neocellensium: qui etiam rem adeo strenue gessit, ut tandem post triennium ipso agente in Abbatem è gremio electus fuerit Leonardus, virtutis ac sanguinis nobilitate conspicuus, quem posteri ob facta præclara alterum Fundatorem dixere.

Præpositus Neocellensis per triennium administrat Monasterium Weihenstephan. *Chronic. Weihensteph.*

Anno Christi 1380. Episcopus noster Xenodochio Frisingensi initium dedit, expeditis eum in finem literis, lectu sane dignis.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Leupoldus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Frisingensis universis, ad quos presentes pervenerint, ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii, cui voluntate Divina, licet immeriti, presidemus, debitum nos inducit ac movet, ut cordiali sollicitudine ea promovere curemus, per que regnum acquiri potest eternum. Sacre namque Scripture ostendunt testimonia, quod sit sancta & salubris elemosinarum largitio, quodque sit meritorium opera misericordie facere, ac eis intendere. Sanctus namque Augustinus in uno loco omeliarum suarum sic dicit: quamvis in extremo judicio districtus Judex & justus facta justorum & omnia mala iniquorum taceat, tamen solum laudat elemosinarum fecunditatem justorum, eis tunc dicens: Venite benedicti Patris mei percipite Regnum Dei, quia esurivi & dedistis mihi comedere &c. ac dampnat sua terribili sententia ariditatem elemosinarum, sic dicens reprobis: Ite maledicti in ignem eternum &c. quia esurivi, & non dedistis mihi manducare &c. scriptum est, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem &c. Ea propter cordi nobis est, ut eos, qui faciunt & procurant elemosinas & pauperum egenorumque necessitatibus providere conantur, benigno favore prosequamur, & ipsorum voluntatem votivo promoveamus affectu, ut meriti eorum pariter & premii participium capiamus. Sanè quia à fide dignis & honestis personis fuimus plene informati, quod ex carentia Hospitalis seu unius communis domus in civitate nostra Frisingensi hucusque tales & tante in personis pauperum, infirmorum & egenorum frequenter contingebant calamitates, que piis mentibus non solum dure & miserabiles, sed etiam videri poterant inhumane. Nam inter cetera plerique hujusmodi homines frigore extincti reperiebantur mortui in plateis, humano subsidio tempore mortis, etiam post officium sepulture carentes. Nam & infirmi in loco publico seu aperto & despectabili, in quo fures & latrones ultimo deputati supplicio tenentur captivi, in fimo & vilibus lectis lamentando & omni consolatione humana destituti, die ac nocte jacebant. Verum quia nunc ex bonis discreti viri bone memorie Magistri Conradi Geuman olim Canonici, nec non Scolastici dicte nostre Frisingensis Ecclesie juxta ipsius ultime voluntatis testamentum à suis Commissariis seu testamentariis sue hujusmodi ultime voluntatis de consensu bone memorie Reverendi Patris Domini Pauli Episcopi Frisingensis nostri Antecessoris, nec non de beneplacito & favore Capituli nostri Ecclesie Frisingensis predicte fundata & erecta est de novo una domus satis sufficiens ad colligendas & retinendas tales miseras personas, que communi nomine nunc appellatur Hospitale Sancti Spiritus. Quod quidem etiam Hospitale in primo nostri adventu Frisinge vidimus, & respeximus animo diligenti; deinde vero Commissarii seu Testamentarii antedicti una cum Consiliariis Civitatis nostre prefate nobis instanter & humiliter supplicantes, quatenus hujusmodi novam plantationem sic erectam ratificare, approbare & roborare auctoritate nostra dignaremur, nec non, & cum nostro Capitulo predicto curaremus providere, ordinare & statuere modos & vias, quibus in posterum perpetuum dictum hospitale cum suis miseris, & egenis, ac bonis, rite ac debite valeat regi, gubernari & existere. Nos igitur ejus contemplatione, qui misericordibus misericordiam pollicetur, viscera misericordie gerentes super calamitatibus & miseriis prenotatis, opus tam laudabile & salubre benigno prosequentes favo-re,

re, prehabito diligenti tractatu cum dilectis in Xro Nicolao Preposito, Eglolffo Decano nostroque toto Capitulo prefato, de illorum consilio, beneplacito & consensu devota & populi civitatis nostre antescripte instantia accedente, auctoritate ordinaria approbamus, ratificamus, confirmamus & robur habere volumus perpetue firmitatis. Porro ut gubernatio, regimen, amministratio & status dicti Hospitalis in temporibus solicidius rite congrue peragantur, ordinamus, diffinimus & tenore presentium constituimus, quod Decanus & Capitulum Ecclesie nostre predicte in futurum ad eorum conscientiam in hoc eos onerantes unum Canonicum de Capitulo eorum, & duos cives de consilio civitatis nostre prefate, providos & boni testimonii viros ad gubernandum & regendum dictum Hospitale instituant & deputent, eosque, cum opus fuerit, mutent, removeant, & destituant, alios ydoneos modo predicto subrogando eisdem. Et hii, qui per Decanum & Capitulum Ecclesie nostre antedicte sic instituti vel subrogati fuerint, jurent Decano Ecclesie nostre predicte, qui pro tempore fuerit in presentia ipsius Capituli prefati corporaliter & expresse, bona & jura Hospitalis utiliter & fideliter gerere, proventus, obventiones & redditus ejus in quibuscunque rebus forma & specie existant in usum & utilitatem personarum miserabilium, & non in usus alios dispensent, & de bonis hujusmodi Inventarium faciant, & annis singulis in die Dominico, quo Septuagesima decantatur, dicto Decano, presentibus duobus aliis Canonicis Capitularibus Capituli sepe dicte, nec non tribus aliis Consiliariis Civitatis nostre predicte administrationis sue reddant debitam rationem. Totque personas pauperes & miserabiles in ipso Hospitali tenere & colligere teneantur, quot ex proventibus, obventionibus & bonis ipsius poterunt sustentari. Volumus etiam & ordinamus, ut nec predictus Canonicus, nec isti cives de consilio, cum sic fuerint instituti vel subrogati & deputati absque rationabili causa hujusmodi onus assumendi de Dei intuitu ac respectu eterni premii non recusant. Si vero hoc temere recusaverint, & assumere hujusmodi gubernationem & regimen restiterint, volumus & concedimus Decano nostro sepe dicto, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, jurisdictionem & potestatem nostram plenam, ut eos auctoritate & vice nostra per censuram Ecclesiasticam ad hoc compellat. Ordinamus & volumus, ut predicti instituti vel subrogati procurent & solliciti sint unum fidelem & legalem hominem ponendi & locandi ad ipsum Hospitale, qui illis infirmis personis & aliis presit & eos respiciat tamquam Magister Hospitalis & circa mensam, lectosque, nec non erga alias eorum necessitates sollicite curam geret. Item ordinamus statuendo, quod infirmi & pauperes, & hii, qui cum eis cottidie vivunt, dormiunt, & in dicto Hospitali habitant, & ejus pane vivunt, sint quoad jura parochialia percipienda & reddenda sub obedientia & subjectione Plebani Ecclesie Frisingensis predicte, qui nunc est, vel pro tempore fuerit. Porro dictum Hospitale cum suis personis miserabilibus & bona eorum singula, mobilia & immobilia, in quacunque forma & specie existant, vel qualicunque nuncupentur vocabulo tam presentia, quam futura sub nostram & successorum nostrorum protectionem presentis subscripti privilegii suscipimus. Ita quod dictum Hospitale cum personis miserabilibus & bonis ejus presentibus & futuris, nisi, que prius Steuram cum nostra Civitate Frisingensi solvendam fuerant obligata, que sic perpetuo volumus remanere, ab omnibus talliis, angariis, collectis, pedagiis & exactionibus quibuscumque vel quocumque nomine talia vocari possent, que à nobis & subditis nostris ac Successoribus nostris fiant vel fieri possent, eximimus & libera esse volumus, non obstantibus quibuscumque literis, privilegiis, & aliis concessionibus qualibuscumque nostris vel Predecessorum nostrorum in contrarium prius datis, vel in futurum faciendis, que per presentes omnimode revocamus. Volumus insuper & ordinamus, ut dictum Hospitale in suis miseris personis ac bonis gaudeat & fruatur omni Ecclesiastica libertate & emmunitate. Considerantes etiam, cum dictum Hospitale ad presens propria careat Capella, idcirco concedimus & indulgemus auctoritate ordinaria, ut in Infirmaria coram infirmis & paraliticis ibidem degentibus aliquando possit in viatico, seu altari mobili absque tamen prejudicio Plebani Ecclesie parochialis Missa celebrari. Insuper etiam omnibus vere penitentibus & confessis, qui ex devotione dictos infirmos ratione consolationis visitant, vel qui de bonis à Deo sibi colla-

tis

tis ad constructionem sepedicti Hospitalis, & sustentationem pauperum in illo recumbentium subsidium prestiterint, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Sancte Marie Virginis gloriose, Sanctorum Confessorum Corbiniani & Lamperti patronorum nostrorum, nec non Sancte Marthe Virginis & Hospite Xri confisi suffragiis, quadraginta dies criminalium & totidem venialium de injunctis sibi penitentiis misericorditer in Domino relaxamus, eosque secundum quantitatem subsidii prestiti & consolationis ac devotionis affectum omnium bonorum, que in universis Ecclesiis nobis subjectis Divina concessit fieri gratia, participes facimus & consortes. Prohibentes sub Excommunicationis pena, ut nullus ipsum Hospitale ac ejus personas miseras, & bona offendere, perturbare, invadere & gravare per se vel per subpositas personas temere presumant & intendant. Siquis vero suadente dyabolo, cujus invidia mors intravit in orbem terrarum, premissa, vel aliquid eorundem perturbare, offendere, vel violare presumpserit, nisi se correxerit & emendam fecerit, cum eo sit maledictio Dathan & Abyron, quos terra vivos absorpsit, & vermis ejus non moriatur, ignisque eum cruciens nullatenus extingbetur. Cunctis autem eidem loco cum miseris personis ejus jura servantibus, facientibus & promoventibus, sit Pax Domini nostri Jhesu Christi, & hic fructum bone actionis percipiant, & in judicio extremo apud districtum judicem premia eterni lucis consequi mereantur. Et nos Leupoldus Dei gratia Episcopus Frisingensis ad perhennem memoriam & evidentem roboris firmitatem ordinatam dispensationem, sive statutorum & omnium premissorum presentes conscribi fecimus, sigilloque nostro & Capituli nostri legittime roborari. Acta & data sunt hec anno Domini Millesimo CCC LXXX^mo XXIIII. die Mensis Aprilis. Nos vero Nicolaus Prepositus, Eglolffus Decanus & Capitulum Ecclesie Frisingensis sepedicti in evidentiam premissorum Sigillum nostrum, quo ad tractatus & negotia majora utimur, presentibus duximus appendendum. Et nichilominus nos Prepositus . . Decanus totumque Capitulum Ecclesie Frisingensis considerantes, quod bonum & pium est bone rei dare consultum & favorem & consensum prebere, cum ex eo eterne retributionis premium expectetur & presentis vite diuturnitas cum salute obtineatur. Idcirco recognoscimus & tenore presentium publice profitemur, quod premissis omnibus & singulis consensimus & presentibus consentimus, ipsaque collaudamus, ratificamus & approbamus, volentes omnia & singula supradicta perpetuo inviolabiliter perdurare & valere, sicut de jure melius valere poterunt, & in solida subsistere firmitate Datum & Actum Frisinge Anno, Mense, die, quibus supra.

Antiquum Chronicon Salisburgense, hactenus sæpius à nobis laudatum, habet, anno Christi 1380. Pilgrinum Archiepiscopum convocatis Episcopis sibi subjectis Synodum celebrasse, cui etiam Episcopus noster Leopoldus interfuisse dicitur. Dubitare non possumus, actum ibi inter alia fuisse de Schismate declinando, & Clemente septimo rejiciendo. Ad eum annum reponunt Scriptores inventionem pulveris nitrati, & Scloporum ignivomorum, seu tormentorum bellicorum, quæ hodieque evertendis munitionibus opportuna experimur. Auctor, chymiæ beneficio, fuit Bertholdus Schwarz ex ordine Minorum, Friburgo Germaniæ urbe oriundus. Res in bonos usus primum adinventa hodie hominum & orbis lues merito à nonnemine appellatur. His Venetos primum usos in bello contra Genuenses dicunt. De his Hofmannus in Lexico videri potest. **Synodus Salisburg.**

Sequenti anno Leopoldus Episcopus à Leopoldo Austriæ Duce obtinuit subjunctas literas, quas dignas duximus, quæ hic insererentur.

Wir Leupolt von Gotz gnaden Hertzog ze Oesterreich, ze Steyr, ze Kernden und ze Krain, Graf ze Tyrol, Marggraf ze Terneys &c. tun kunt, als der Erwirdig unser lieber Freund und Ratgeb her Leupolt Bischof ze Freysingen von alter recht hat, sein Wein, die Im ze Gries und anderswa von zebenden und von zinsen iericlich gevallent, zollfrey autzefüren gen Payrn auf saumern yber den Jaufen, oder anderswa hin, hat er uns geweist, datz er yzund solch furat mit den saumern nicht gehaben mag, dauon haben wir Ihm erlaubt, und gegunt, daz er die vorgenanten sein wein mag auf wegen **Privilegium, concernens immunitatem à teloneo per Tyrolin.**

gen durch die Vinster-Münnss ausgefüren mit solcher frewung, als er die auf den rossen tet, untz an unser widerruffen. Davon empfelhen wir unsern getreuen, lieben dem Hauptman und andern Ambtluten an der Etsch und wellen ernstlich, daz si In daran niht irren, noch bindern in dhainen weg. Mit urkund ditz Briefs. Gebn ze Terneys an dem heiligen Auffarttag, nach Kristsgeburd dreuzehen hundert iar, darnach in dem ainem und achtzigisten iar.

Ex hoc Instrumento Lector intelliget, Leopoldum Episcopum nostrum etiam consiliis Ducis Austriæ fuisse adhibitum: item eo tempore viam per alpes, dictas *Jausen*, eousque tritam, fuisse redditam inutilem, ita ut Episcopus noster præter morem vina sua Athesina per longa viarum spatia advehere debuerit, nempe per

*Vintschgau vallem venustam, * & postea per angustias, dictas hodieque Finsterminz, inde per vallem Oeni superiorem, donec ad viam ordinariam & Oenum navigabilem perveniretur. Via hodierna, qua Bulsanum venitur, & quæ ab inventore dicitur Kuntheriana, nondum erat per excelsas rupes perrupta, ut vel ex hoc solo Instrumento demonstratur. Cæterum idem Antistes noster eodem anno Ga-

N. 286. brieli Ridler ac duobus illius filiis teloneum pontis Monacensis ad dies vitæ more antecessorum suorum locavit. Fundationem vero ab Henrico Wengler cive

N. 287. Monacensi in Ecclesia S. Petri ibidem factam Ordinaria authoritate comprobavit.

Mense Augusto Episcopus noster erat Lacopoli, ubi eum mors opperiebatur. Hanc in amne subiit, fallente vestigio in eum ex ponte lapideo delapsus die 5. ejusdem Mensis: Præsul cæteroquin omni laude, & vita prolixiori dignus. Multa adversa & iniquas vexationes in ea temporum varietate eum pertulisse, & nihilominus Ecclesiæ suæ Calicem pretiosum, & libros psallentibus commodos, magno, pro illius ævi æstimatione, ære comparatos obtulisse domestica monumenta tradunt. Castrum Inching ab Antecessore suo Paulo oppignoratum redemit. Plura suis commoda animo præparantem, mors intercepit. Tumulo illatus in Urbe sua Lacopolitana in Ecclesia Monialium D. Claræ, ubi lapis sepulchri hæc verba exhibet:

Epifcopus perit in amne. Ejus laudes. Tumulus.

Venerabilis in Christo Dominus Leopoldus Antistes Frisingensis hic requiescit anno Domini M CCC LXXXI.

Quo scilicet tempore Imperium regebat, aut potius negligebat Wenceslaus: Ecclesia ex mox memorato Schismate fluctuabat. Conradus IV. Ratisbonensis Episcopus ipso anno mundo valedixit, & successorem Theodoricum Baronem Abenspergensem habuit. Fridericus juxta Bucellinum nostrum tum in Curiensium, tum in Brixinensium Episcoporum Catalogo dictus de *Nenzingen* Brixinæ sacrum lituum cum laude tenuit, Patavii vero Joannes ex Baronibus de Scherffenberg, qui, ut Hundius scribit, „ Viennensis Gymnasii privilegia & dignitates „ una cum Pelegrino Salisburgensi Archipræsule, confirmavit: qua una re „ immortalitatem nominis, & laudem nullo ævo abolendam sibi „ comparavit. Hæc laudatus Hundius. De Pilgrino Salisburgensi Archi-Episcopo mox supra egimus.

CAPUT

CAPUT VI.

Bertholdus XXXVIII. Frisingensium Episcopus.

§. I.

Acta Bertholdi Episcopi ab Anno 1381. usque 1393.

Bertholdus ex nobili familia de Wahingen, origine Sueva, natus est in Austria, tam præstantis ingenii juvenis, ut teste Gualterio Belga, primus Viennensis Scholæ Magister fuerit renunciatus. Ea laude aditum sibi ad dignitates facile patefecit, factus primo Austriacorum Ducum Cancellarius, ad D. Stephanum Præpositus, ac demum Frisingensis Episcopus. In sæpe laudato Magno Traditionum Libro legimus, eum die 20. Septembris anno 1381. fuisse electum. Nescio tamen, an non potius fides habenda sit Salisburgensi Chronico, quod eum à Sede Pontificia promotum pronunciat: qua nempe via plures Antecessores & Successores Episcopi Frisingensem Sedem adierunt. Ferunt, illum, cum adhuc Cancellarii munere fungeretur, à civibus quibusdam Viennensibus injuriam aliquam passum fuisse: quod auctoribus male postea cesserit. Bertoldum enim factum Episcopum, cum Viennam rediisset, facinus fuisse tam severe ultum, ut quatuor illorum comprehendi, & in foro quodam publico * capite plecti jusserit. Verum id nobis credibile non videtur. Si qui cives in Bertholdum peccarunt, & culpam morte luerunt, non à Bertholdo Episcopo condemnatos existimamus (id enim Clericorum legibus adversari palam est) sed ab Austriæ Ducibus, quorum erat injuriam Cancellario suo illatam, ceu sibi inflictam reputare, & sontes punire. Cæterum Bertoldus anno 1382. Vienna Buduissam, * Bohemiæ Urbem, digressus, ibi à Wenceslao legitimam Institutionem, seu, ut vocant, Investituram, Mense Septembri suscepit. Instrumentum sic habet:

Bertholdi prosapia. *In Chronic. Chronic.* Studia. Dignitates. *Apud P. Hier. Pez.* Supplicium quorumdam Civium Viennensium. * *Auf dem Schweinmarkht.* * *Budweis.*

Wenceslaus Dei gracia Romanorum Rex semper Augustus & Boemie Rex Notum facimus tenore presencium universis. Divine retribucionis meritum nobis infallibiliter provenire credimus, dum Ecclesias & Ecclesiasticas personas prosequimur graciose. Sane constitutus in nostre Majestatis presencia venerabilis Bertoldus electus & confirmatus Ecclesie Frisingensis Episcopus nobis humiliter supplicavit, quatenus ipsum de suis Regaliis sive temporalibus tamquam Principem nostrum & Sacri Romani Imperii investire graciosius dignaremur. Nos igitur considerantes immote fidelitatis constantiam, quam semper ad Romanum Imperium velud ad Dominum suum naturalem habuisse noscuntur Frisingenses Episcopi, nec non prefati Bertoldi electi & confirmati grata obsequia, quibus nobis & Sacro Imperio complacere poterit fideliter & utiliter in futurum, recepto prius ab eo debite fidelitatis & obediencie juramento, animo sibi deliberato, non per errorem aut improvide, sed sano Principum, Comitum, Baronum & Procerum, nostri & Sacri Imperii accedente consilio, Ipsum de omnibus suis Regaliis sive temporalibus, Castris, municionibus, opidis, villis, juribus, jurisdictionibus, emunitatibus, nec non univer-

ſis & ſingulis, de quibus per nos ut Romanorum Regem debet inveſtiri, inveſtiendum duximus, & eadem ſibi concedendo inveſtimus, & concedimus auctoritate Regia Romana, & ex certa noſtra ſciencia per preſentes, decernentes, quod premiſſa tenere & poſſidere debeat, quemadmodum ſui Predeceſſores canonice promoti olim Friſingenſes Epiſcopi & Eccleſia Friſingenſis eadem rite & racionabiliter hactenus tenuiſſe noſcuntur, ſeu quomodolibet poſſediſſe, preſencium ſub Romane noſtre Regie Majeſtatis Sigillo, teſtimonio litterarum, Datum in Budweis Anno Domini Milleſimo trecenteſimo Octuageſimo ſecundo, Indictione quinta, Nonas Septembris, Regnorum noſtrorum Boemie anno viceſimo, Roman. vero ſeptimo.

Ad reloẽm Dñi Mãgri Cur.
Conradus Epus Lubicen.

R. Jacobus de Cremſir.

Schiſma Bertholdsgadienſe. *Chronic. Saliſb.*

Bertholdsgadienſes Canonici eo anno contra Præpoſitum ſuum legitime electum & inſtitutum, ſcilicet Ulricum Walpp, Virum magnæ probitatis, elegerant Sighardum Waller, Ulrico in cuſtodiam compacto. Neque imptobavit Bertoldsgadenſium propoſitum Salisburgenſis Archiepiſcopus, ſed fidelem eorum adjutorem junctis armis ſe exhibuit, etiam Auſtriacis auxiliis Sighardum propugnantibus. Ea fata ſua Ulricus clam Friderico Bojariæ Duci nunciavit, & ejus protectionem ſupplex efflagitavit. Fridericus Viri innocentis iniquam ſortem miſeratus cum tentatis viis, modisque variis nihil apud Canonicos pro ejus reſtitutione efficeret, tandem cum exercitu Alpes perrupit, & ingentia damna ditioni intulit, Præpoſito cum Canonicis ac Colonis in fugam dilapſis. Lis tamen eo adhuc anno à Bertholdo Epiſcopo noſtro (cujus arbitrio partes deciſionem ſubjecerant) ita fuit compoſita, nt neque Ulricus, neque Sighardus deinceps præeſſet, ſed uterque Præpoſituram Conrado Torer * nobili Bavaro Canonico Salisburgenſi relinqueret. Ita pax inter diſſidentes reſtituta fuit.

Sopitur à noſtro Epiſcopo. *Hund. in Metrop. T. II. p. 153.*
* *à Thor.*

Incendium Salisburgi. *Chronic. Saliſb. Apud P. H. Pez. N. 288.*

Proximo anno, Chriſti 1383. Salisburgi Baſilica S. Ruperti cum aliis adjacentibus ædificiis, & ea Urbis parte, quæ *Ghay* ſolet appellari, incendio conflagravit. Neque altera Civitatis pars, quæ trans pontem Salſæ impoſitum ſita eſt, omnis ruinæ expers fuit. Nam uno poſt dictum incendium Menſe etiam ibi pleraque ædificia in triſtes cineres ſubſederunt. Hæc coæva manu ſcriptor ſynchronus literis commendavit. Epiſcopus noſter eo anno erga Monaſterium Auſtriæ Seitten-

Scittenstettense quamdam obligationem contraxit. Decano vero Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis in Monte Frisingensi ejusque Successoribus Parochialem Ecclesiam in Pemering, Burgktainensis ditionis, pro commodiori sustentatione adjecit: qua etiamnum gaudent posteri. N. 289.

Impius Wenceslaus eo anno Joannem Nepomucenum, majoris Ecclesiæ Pragæ Canonicum, uxoris suæ Eleemosynarium atque conscientiæ arbitrum, quod sibi conjugis peccata nollet propalare, post diuturnos carceris squallores, è ponte Pragensi in Moldavam fluvium præcipitari jussit, supra cujus funus postea nocturno tempore copiosa lumina visa fuere. Illatus deinceps fuit in primariam illam S. Viti Ecclesiam, ubi hucusque multis prodigiis à Deo illustratur, & non in Bohemia tantum, verum etiam late per Orbem summam venerationem habet.

Ex Mausolæo S. Emmetammi ad annum proximum constant sequentia. Theodorico Barone Abenspergio præmatura morte è vivis sublato facile præviderat Joannes Stephani junioris Ingolstadiensis filius, hujus Cathedralis Ecclesiæ Præpositus, Ratisbonenses Canonicos in deligendo successore moras tracturos. Quare nemine id suspicante mox egit apud Pontificem Urbanum VI. ut mitra Ratisbonensis sibi imponeretur. Accesserant etiam preces agnatorum Principum. Et valuere vota apud Pontificem, qui statim Joannem Ratisbonensi Ecclesiæ præfecit. Et licet interim Ratisbonenses Canonici elegissent Paulum Decretorum Doctorem Collegam suum, is tamen cedere Joanni, Collegio maxime invito, debuit. Joannes deinceps longe plura fastidia Ratisbonensibus 25. annorum decursu excitavit, magno sane argumento, promotionem illius superis non adeo fuisse probatam. hæc loco citato. Urbanus interim Pontifex à Schismaticis bello petitus à Præsulibus Germaniæ aliisque subsidia conquisivit. Eum à Germanis non fuisse destitutum mox videbimus.

Cap. 48. Joannes Dux fit Episcopus Ratisbonensis.

Laudem immortalem eo anno promeritus est Bertholdus Episcopus noster, dum ad novam Universitatem Viennensem duos præstantissimos Theologiæ Professores Parisiis accersivit. Verba antiqui Codicis, quem cl. P. Hieron. Pezius edidit, sunt sequentia: *Des Jar ward Universitas ze Wienn &c. Principales fuerunt Magister Heinricus de Hassia, Magister Heinricus de Oyta Doctores S. Theologiæ eximii, qui propter cisma Papatus recesserunt à Parisiis & fuerunt vocati ad Wiennam per suasionem & consilium Domini Bercbtoldi Frisingensis Episcopi, Cancellarii & supremi Consiliarii Domini Ducis Alberti, &c.* hæc ibi. Ex domesticis scriptis constat, ex munificentia Bertholdi Episcopi stipendia Professorum Viennensium fuisse reddita pinguiora.

Bertholdi merita de Universitate Vienn. reportata. *T. I. col. 1161.*

Gabriel Ridler Civis Monacensis eodem anno ab Episcopo nostro ad uxoris ac filiæ suæ dies certos reditus, Monachii pendi solitos conduxit, literasque, quas precarias dicimus, eidem Episcopo dedit. Eodem fere tempore Episcopus noster in Oppidis suis Mittenwaldensi atque Partenkirchensi, utpote locis mercaturæ perquam opportunis, circa merces tum advehendas, tum deponendas & evehendas salutares leges tulit, & materiam multis litibus subtraxit. N. 290.

Qui etiam bene meretur de Commitatu Werdenfels.

Urbanus Papa anno sequenti Christi 1385. Germanorum fidelitatem remuneraturus, Coloniensem, Moguntinum & Trevirensem Archiepiscopos, Arnoldum Leodiensem, ac Wenceslaum Vratislaviensem Episcopos, ac Petrum de Rosenberg Presbyterum dignitate Cardinalitia exornare cupiebat. Verum hi omnes collatis inter se consiliis, eum honorem non admisere, ne Carolum Galliæ Regem, Urbano infestum, irritarent, ejusque arma in Germaniam prolicerent. Sua nihilominus laus stetit magnis viris, qui maluerunt dignitate carere, quam patriam periculo exponere. Episcopus noster eo tempore feuda tum nobilia tum pecuniaria, quæ eousque Fridericus de Grahen à Flachenecketiis obtinuerat, dato pretio comparavit. N. 291.

Raynald. Quidam Præsules Germaniæ Cardinalitiam dignitatem non admittunt.

fis & singulis, de quibus per nos ut Romanorum Regem debet investiri, investiendum duximus, & eadem sibi concedendo investimus, & concedimus auctoritate Regia Romana, & ex certa nostra sciencia per presentes, decernentes, quod premissa tenere & possidere debeat, quemadmodum sui Predecessores canonice promoti olim Frisingenses Episcopi & Ecclesia Frisingensis eadem rite & racionabiliter hactenus tenuisse noscuntur, seu quomodolibet possedisse, presencium sub Romane nostre Regie Majestatis Sigillo, testimonio litterarum, Datum in Budweis Anno Domini Millesimo trecentesimo Octuagesimo secundo, Indictione quinta, Nonas Septembris, Regnorum nostrorum Boemie anno vicesimo, Roman. vero septimo.

Ad relac̄em Dn̄i Mag̃ri Cur.
Conradus Ep̄us Lubicen̄.

R. Jacobus de Cremsir.

Schisma Bertholdsgadiense. *Chronic. Salisb.* Bertholdsgadienses Canonici eo anno contra Præpositum suum legitime electum & institutum, scilicet Ulricum Walpp, Virum magnæ probitatis, elegerant Sighardum Waller, Ulrico in custodiam compacto. Neque improbavit Bertoldsgadensium propositum Salisburgensis Archiepiscopus, sed fidelem eorum adjutorem junctis armis se exhibuit, etiam Austriacis auxiliis Sighardum propugnantibus. Ea fata sua Ulricus clam Friderico Bojariæ Duci nunciavit, & ejus protectionem supplex efflagitavit. Fridericus Viri innocentis iniquam sortem miseratus cum tentatis viis, modisque variis nihil apud Canonicos pro ejus restitutione efficeret, tandem cum exercitu Alpes perrupit, & ingentia damna ditioni intulit, Præposito cum Canonicis ac Colonis in fugam dilapsis. Lis tamen eo adhuc anno à Bertholdo Episcopo nostro (cujus arbitrio partes decisionem subjecerant) ita fuit composita, ut neque Ulricus, neque Sighardus deinceps præesset, sed uterque Præposituram Conrado Torer * nobili Bavaro Canonico Salisburgensi relinqueret. Ita pax inter diffidentes restituta fuit.

Sopitur à nostro Episcopo. *Hund. in Metrop. T. II. p. 153.* * *à Thor.*

Incendium Salisburgi. *Chronic. Salisb.* *Apud P. H. Pez.* N. 288. Proximo anno, Christi 1383. Salisburgi Basilica S. Rupetti cum aliis adjacentibus ædificiis, & ea Urbis parte, quæ *Ghay* solet appellari, incendio conflagravit. Neque altera Civitatis pars, quæ trans pontem Salsæ impositum sita est, omnis ruinæ expers fuit. Nam uno post dictum incendium Mense etiam ibi pleraque ædificia in tristes cineres subsederunt. Hæc coæva manu scriptor synchronus literis commendavit. Episcopus noster eo anno erga Monasterium Austriæ Seitten-

Seittenstettensi quamdam obligationem contraxit. Decano vero Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis in Monte Frisingensi ejusque Successoribus Parochialem Ecclesiam in Pemering, Burgkrainensis ditionis, pro commodiori sustentatione adjecit: qua etiamnum gaudent posteri. N. 289.

Impius Wenceslaus eo anno Joannem Nepomucenum, majoris Ecclesiæ Pragæ Canonicum, uxoris suæ Eleemosynarium atque conscientiæ arbitrum, quod sibi conjugis peccata nollet propalare, post diuturnos carceris squallores, è ponte Pragensi in Moldavam fluvium præcipitari jussit, supra cujus funus postea nocturno tempore copiosa lumina visa fuere. Illatus deinceps fuit in primariam illam S. Viti Ecclesiam, ubi hucusque multis prodigiis à Deo illustratur, & non in Bohemia tantum, verum etiam late per Orbem summam venerationem habet.

Ex Mansolæo S. Emmerammi ad annum proximum constant sequentia. Theodorico Barone Abenspergio præmatura morte è vivis sublato facile prævideral Joannes Stephani junioris Ingolstadiensis filius, hujus Cathedralis Ecclesiæ Præpositus, Ratisbonenses Canonicos in deligendo successore moras tracturos. Quare nemine id suspicante mox egit apud Pontificem Urbanum VI. ut mitra Ratisbonensis sibi imponeretur. Accesserant etiam preces agnatorum Principum. Et valuere vota apud Pontificem, qui statim Joannem Ratisbonensi Ecclesiæ præfecit. Et licet interim Ratisbonenses Canonici elegissent Paulum Decretorum Doctorem Collegam suum, is tamen cedere Joanni, Collegio maxime invito, debuit. Joannes deinceps longe plura fastidia Ratisbonensibus 25. annorum decursu excitavit, magno sane argumento, promotionem illius superis non adeo fuisse probatam. hæc loco citato. Urbanus interim Pontifex à Schismaticis bello petitus à Præsulibus Germaniæ aliisque subsidia conquisivit. Eum à Germanis non fuisse destitutum mox videbimus. *Cap. 48.* Joannes Dux fit Episcopus Ratisbonensis.

Laudem immortalem eo anno prometitus est Bertholdus Episcopus noster, dum ad novam Universitatem Viennensem duos præstantissimos Theologiæ Professores Parisiis accersivit. Verba antiqui Codicis, quem cl. P. Hieron. Pezius edidit, sunt sequentia: *Des Jar ward Universitas ze Wienn &c. Principales fuerunt Magister Heinricus de Hassia, Magister Heinricus de Oyta Doctores S. Theologiæ eximii, qui propter cisma Papatus recesserunt à Parisiis & fuerunt vocati ad Wiennam per suasionem & consilium Domini Berchtolds Frisingensis Episcopi, Cancellarii & supremi Consiliarii Domini Ducis Alberti, &c.* hæc ibi. Ex domesticis scriptis constat, ex munificentia Bertholdi Episcopi stipendia Professorum Viennensium fuisse reddita pinguiora. Bertholdi merita de Universitate Vienn. reportata. *T. I. col. 1161.*

Gabriel Ridler Civis Monacensis eodem anno ab Episcopo nostro ad uxoris ac filiæ suæ dies certos reditus, Monachii pendi solitos conduxit, literasque, quas precarias dicimus, eidem Episcopo dedit. Eodem fere tempore Episcopus noster in Oppidis suis Mittenwaldensi atque Partenkirchensi, utpote locis mercaturæ perquam opportunis, circa merces tum advehendas, tum deponendas & evehendas salutares leges tulit, & materiam multis litibus subtraxit. N. 290. Qui etiam bene meretur de Comitatu Werdenfels.

Urbanus Papa anno sequenti Christi 1385. Germanorum fidelitatem remuneraturus, Coloniensem, Moguntinum & Trevirensem Archiepiscopos, Arnoldum Leodiensem, ac Wenceslaum Vratislaviensem Episcopos, ac Petrum de Rosenberg Presbyterum dignitate Cardinalitia exornare cupiebat. Verum hi omnes collatis inter se consiliis, cum honorem non admisere, ne Carolum Galliæ Regem, Urbano infestum, irritarent, ejusque arma in Germaniam prolicerent. Sua nihilominus laus stetit magnis viris, qui maluerunt dignitate carere, quam patriam periculo exponere. Episcopus noster eo tempore feuda tum nobilia tum pecuniaria, quæ eousque Fridericus de Grahen à Flacheneckeriis obtinuerat, dato pretio comparavit. *Raynald.* Quidam Præsules Germaniæ Cardinalitiam dignitatem non admittunt. N. 291.

Novа Synodus Salisb. Secutum est anno proximo (1386.) Concilium Salisburgense in causa disciplinæ Ecclesiasticæ, cui interfuere Pilgrinus Archiepiscopus, Episcopi Joannes Gurcensis, Fridericus Chiemensis, & Joannes Seccoviensis cum Procuratoribus cæterorum Episcoporum Bavaricæ Provinciæ, nec non Abbatibus, Præpositis, Decanis aliisque Viris Ecclesiasticis. Acta Concilii refert post alios Harduinus ad annum prædictum, ad quem Lectorem remittimus. *T. 7. Concil. col. 1899.*

Constitutio de Vigilia Nativit. B. M. V. Frisingæ die 16. Nov. ejusdem anni facta est sequens constitutio, quam ex Codice Eberspergensi depromimus.

De Vigilia Nativitatis Virginis benedictæ.

Ad Laudem & gloriam Summi Parentis æterni Dei statuimus, atque tenore presencium auctoritate Apostolica ordinamus ultra vigiliam Assumptionis gloriose semper Virginis Mariæ hactenus institutam, Nativitatis ipsius Mariæ deinceps habere vigiliam cum debita jejunii observancia a Christi fidelibus perpetuis futuris temporibus devocione, qua congruit, venerare. Quare mandamus omnibus & singulis Ecclesiarum Parochialium Plebanis, seu Vice-plebanis in virtute sanctæ obedientia, & sub Excommunicationis pœna, quatenus intiment & prædicent suis plebesanis, ut, sicut Nativitas beati Johannis Baptistæ Domini Præcursoris cum jejunii debiti observancia, ita etiam B. V. Nativitas cum simili observacione jejunii à cunctis Christi fidelibus devocius veneretur. Dat. Freysing. die 16. Mensis Novembris Anno Domini M CCC LXXXVI. Sane cur ea lex in desuetudinem venerit, ignorare nos fatemur.

Gab. Bucelinus in annal. German. Clades Austriacorum. Prope Sempacum Argoviæ oppidum eo anno accidit clades Austriacorum gravissima, dum à contempto sed efferato hoste Dux ipse Leopoldus una cum ingenti nobilium numero profligatus est. Ita magnis passibus ad libertatem contenderunt Helveti, Urbibus, arcibus, oppidis vicinis in potestatem & fœdus attractis. Inter occisos video numerari Rudolphum de Wähing, quem Bertholdo nostro sanguine conjunctum fuisse, non est, cur dubitemus. Ipse Episcopus eo quidem tempore nullis, ut opinamur tricis sese implicuit, sed rem domesticam egregie curavit, atque anno 1387. decimas ad Castrum Randeckense (quas Fridericus de Wallsee eousque fide clientelari possederat) redemit. N. 292.

Episcopus satisfacit Papæ. Seqnenti anno Apostolicæ Cameræ numeravit pecunias, quas jam ante aliquod tempus solvere debuerat. Facta solutione apocham accepit, atque à censuris, quas ob moram forte incurrerat, Perusii absolutus fuit. Apocha sic habet:

Marinus miseratione Divina Sancte Marie nove Diaconus Cardinalis Domini Pape Camerarius universis & singulis presentes literas inspecturis salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus per presentes, quod Reverendus in Xro Pater Dominus Bertoldus Dei gratia Episcopus Frisingensis pro parte partis sui communis servitii, in quo Camere Apostolice sub certis penis & sententiis ratione dicte sue Ecclesie extitit efficaciter obligatus, centum & quinquaginta florenos auri de Camera nobis non facta divisione de minutis servitiis per manus Veri & Johannis de Medicis die dat. presentium solvi fecit realiter cum effectu. De quibus sic nobis datis ac solutis dictum reverendum Patrem Dominum Bertoldum Episcopum ejusque heredes, & successores, & dictam suam Ecclesiam tenore presentium quitamus, absolvimus, & etiam liberamus, ipsumque ab Excommunicationis sententia, quam incurrit propter moram solutionis communis & quatuor minutorum servitiorum non facte in termino constituto, & à reatu perjurii & aliis penis & sententiis tenore presentium absolvimus & reddimus absolutum, secum super irregularitate, si quam propterea incurrit, se Divinis officiis immiscendo, non tamen in contemptum clavium, misericorditer dispensantes. In quorum testimonium presen-

sentes litteras fieri, & Sigilli nostri Camerariatus officii jussimus appensione muniri. Dat. Perusii sub anno Domini Millesimo, trecentesimo, octuagesimo octavo, Indictione undecima, die prima Mensis Junii, Pontificatus Sanctissimi in Xro Patris & Domini nostri, Domini Urbani Divina providentia Pape Sexti anno undecimo.

In celeberrimo Monte Andecensi eo anno latentes ex multo tempore sacratissimæ Reliquiæ singulari Dei beneficio fuere detectæ. Sacer ille thesaurus in variis libellis & foliis patentibus descriptus habetur. Posteriori anno 1389. Urbanus VI. vitam ac diadema posuit, cujus mors paucis lacrymas expressit. Post eum Pontificatus onus subivit Petrus Thomacellus, Neapolitanus, juvenis equidem, quippe qui annum ætatis tricesimum non excesserat, sed teste Ægidio Cardinale Viterbiensi, *in ætatis flore tanta sapientia, virtute ac moderatione praditus, ut homines eum non ut hominem suspexerint, sed ut Numinis effugiem prædicarint, coluerint, admirati sint.* Hic Pontifex dictus Bonifacius IX. juxta aliquos scriptores primus fuit, qui rebus Romæ pacatis fructus primi anni de collatis in Ecclesia dignitatibus sibi à recens promotis dari præcepit, ut Turcis ac Tartaris, aliisque Christianæ Reipublicæ hostibus occurrere posset. Verum iis Scriptoribus Raynaldus sese opponit. Galli interim Clementi, Idolo suo, adhærebant, quos tamen cælum varie castigavit.

Urbano succedit Bonifacius IX.

Apud P. Greg. Kolb in Ser. Rom. Pontif.

Bertoldus Episcopus noster anno Christi 1390. Mense Aprili inclyto Monasterio Schyrensi secundam, aut si ex alibi dictis scribere non immerito licet, quasi primam Ascetarum illorum sedem, à Cœnobio illo avulsam, rursus annexuit, Parochiam videlicet Ellbach cum filiali Ecclesia Au. Vicissim Abbas & Collegium ejus Monasterii cessit Episcopo Parochiam aliam, nempe Ehingensem Augustanæ Diœcesis, & districtus Landspergensis. Jubebatur vero Abbas alere 4. Religosos, qui singulis Dominicis ac festivis diebus Horas Canonicas publice dicerent, & sacris solenniter operarentur. Literas ejus rei testes, cum prolixiores sint in Parte II. damus. Tractatum illum Bonifacius IX. postea autoritate Pontificia probavit. De his diffusius agit Conradus Schyrensis in Chronico Monasterii sui. Episcopus noster eo anno jus thelonei ad pontem Isaræ Frisingensem, quod eousque erat Nicolai Klingen Civis Monacensis, suæ Ecclesiæ Mense Junio recuperavit. Raynaldus tradit, Bonifacium Papam eo anno monuisse Stephanum Bojariæ Ducem, ut ad tollendum Ecclesiæ Schisma curas suas converteret. Berchtoldus Episcopus noster eo anno pro Collegiata D. Andreæ Ecclesia sequentes literas dedit.

Commutatio Parochiarum inter Abbatem Schyrensem & Episcopum nostrum.

N. 293.

pag. 193. & 199.

N. 294.

num. 5.

Nos Berchtoldus Dei gracia Episcopus Frisingensis notum facimus universis presentibus & futuris, quod super dissensionibus & discordiis exortis & habitis inter devotos nobis sincere dilectos Franciscum de Preisingen Scolasticum Ecclesie nostre Frisingensis ex una, & Prepositum Decanum totumque Capitulum Ecclesie Sancti Andree in Monte Frisingensi parte ex altera, ex eo & pro eo, quod idem Scolasticus jurisdictionem & potestatem conabatur habere super Rectorem Scolarium & Scolares Sancti Andree predicte, cujus occasione fuerunt à partibus hinc inde convicia, injurie & excessus facti tam reales, quam verbales, propter quod una pars ab altera sibi peciit emendam fieri condignam, & de cetero à talibus impeticionibus & molestiis abstinere. Nos recepta à partibus predictis potestate arbitraria de consilio venerabilium nobis in Christo dilectorum Eglolffi Decani & aliorum Canonicorum Ecclesie nostre predicte tunc presencium taliter pronunciavimus, ordinavimus & arbitrati fuimus, & presencium per tenorem pronunciamus, ordinamus, & arbitramur. Primo, quod partes prefate fraterna caritate & mutua dilectione se invicem fovere debeant, & quiescere inter eos fomentum cujuslibet rancoris & invidie racione preteritorum quomodolibet in eorum animis generatum, quodque paria convicia, excessus vel injurie, quo ad emendam sint eciam inter eos mutua conpensacione sublata. Verum super jurisdictione & potestate Scolastici predicti sic providimus & providemus inposterum observandum, quod idem Franciscus Scolasticus Ecclesie nostre Frisingensis predicte nullam jurisdictionem vel potestatem habeat, vel habere debeat in Rectorem puerorum & Scolares Ecclesie Sancti Andree prenotote,

notote, sed quod ipsi ponantur & regantur quoad actus Scolasticos per Prepositum, Decanum, & Capitulum Ecclesie Sancti Andree prelibate. Insuper ordinamus, quod quilibet Scolaris libere possit frequentare scolas Ecclesie nostre majoris, vel Ecclesie Sancti Andree, & illas, quas intravit, dimittere, & alias intrare, prout magis sibi vel parentibus suis videbitur expedire absque contradictione vel impedimento cujuscunque. Hoc autem omnino prohibemus Rectoribus Scolarum Ecclesiarum nostrarum Cathedralis & Sancti Andree prenominatarum, ne unus in fraudem vel prejudicium alterius scole, promissionibus vel inductionibus aliis per se vel per alium sibi scolares alliciat, vel acquirat, sed illum libere quilibet recipiat, quem propria voluntas sua vel parentum suorum ad eum attrahit vel inducit, qui secus vero fecerit, indignacionem & condignas penas nostras, tociens quociens super hoc convictus fuerit, se noverit graviter incursurum. Volumus autem, quod si quovis modo, colore vel ingenio, Scolis nostre Ecclesie majoris in Scolaribus detraheretur, ita quod divinus cultus per hoc diminueretur, seu chorus dicte Ecclesie nostre non esset sufficienter, & decenter Scolarium ornatus presencia, quod tunc nos vel Vicarius noster in Spiritualibus vice nostra, totumque Capitulum Ecclesie nostre sepe dicte simul cum Scolastico prenominato de Ecclesia Sancti Andree, si respective Scolaribus superhabundaret, tot Scolares recipere, & illos ad Ecclesiam nostram compellere possimus, prout status & necessitas ipsius exigerit & videbitur expedire. Postremo addicimus, quod si futuris temporibus privilegia, littere vel instrumenta seu alia legittima documenta invenirentur, de jurisdictione & potestate Scolastici predicti majori vel minori in Rectorem puerorum, & Scolares Ecclesie Sancti Andree predicte, talibus privilegiis litteris, instrumentis seu documentis nolumus per hanc nostram ordinacionem in aliquo derogare. Volumus tamen, quod si racione hujusmodi privilegiorum, litterarum, seu instrumentorum, vel alia quavis de causa lis inter partes prenominatas inposterum oriretur, quod tunc qualibet pars contra aliam jus suum prosequatur juridice absque violencia coram nobis vel nostro Vicario, vel aliis à nobis ad hoc deputatis. In cujus rei testimonium presentes litteras nostri fecimus Sigilli munimine roborari. Datum Frisinge in castro nostro feria quinta ante Dominicam, qua in Ecclesia Dei cantatur, Quasimodogeniti. Anno Domini Millesimo trecentesimo Nonagesimo.

Eodem anno Episcopus noster Ecclesiam Parochialem Ismaninganam Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis annexuit, ut ex literis subjunctis patet.

Berchtoldus Dei & Apostolica Sedis gratia Episcopus Frisingensis universis & singulis prasentes litteras inspecturis Salutem & sinceram in Domino charitatem. Sperantes ut condigna actione tum debitum nostri officii in subditorum nostrorum commoditatibus prospiciendis salubriter impendimus, cum bene meriti benigna remuneratione honorantur, & eorum necessitatibus provida deliberatione pie subvenitur. Considerantes itaque devotiones pariter & labores, quibus honorabiles nobis in Christo dilecti Rudolphus Prapositus, Joannes Decanus, ac generaliter Canonici singulares Capella nostra Ecclesia, videlicet S. Johannis Frising. divino obsequio, nedum in nostra Capella pradicta, sed & in Ecclesia nostra Frising. sedulo mancipati noctes ducunt insomnes, ut Deo omnipotenti, nobis & Ecclesia nostra pradicta debita & continua prastent obsequia; atque pensantes, quod fructus & redditus prabendarum suarum sunt adeo tenues & exiles, quod eis pro hujusmodi meritis & laboribus suis minime correspondent, quod nec statum condecentem tenere possunt. Ideo instantissimis eorum precibus favorabiliter inclinati, de consensu, voluntate & beneplacito venerabilium in Christo Jacobi Prapositi, Eglolfi Decani, totiusque Capituli Ecclesia nostra Frising. antedicta, Praposito, Decano & Capitulo Ecclesia S. Johannis supradicta Parochialem Ecclesiam in Ismaringen nostra Diœcesis ad nostram collationem pertinentem cum omnibus suis juribus & pertinentiis universis auctoritate ordinaria donamus, incorporamus, annectimus & unimus communibus eorum usibus applicandam. Ita videlicet, ut cedente vel decedente Nicolao ad prasens Rectore pranominata Ecclesia in Ismaringen Prapositus, Decanus, & Capitulum supradicta Ecclesia S. Johannis de pranotata Ecclesia in Ismaringen cum omnibus suis juribus & pertinentiis universis se intromittere possunt, earumque possessionem corporalem & realem propria

propria auctoritate absque alio mandato vel licentia nostra vel Successorum nostrorum apprehendere possunt & intrare, ac fructus in suos usus communes æqualiter convertere, & distribuere juxta consuetudinem & modum inter eos hactenus observatum; tali modo tamen & forma, quod perpetuus Vicarius per eos communiter & capitulariter in prædicta Ecclesia semper ordinetur, & ponatur per nos & nostros Successores canonice instituendus & confirmandus, cui de fructibus ipsius Ecclesiæ etiam per eos communiter canonica portio deputetur, unde Apostolica, Legatorum seu Delegatorum Sedis Apostolicæ, & Episcopalia jura possit persolvere, hospitalitatem procurare, atque alia incumbentia onera congrue supportare; qui etiam Presbyter talis esse debet, qui ipsi Ecclesiæ & populo eidem subjecto in officiis divinis, & Sacramentis Ecclesiasticis juxta consuetudinem dictæ Ecclesiæ praeesse sciat, possit & valeat, & residentiam continuam & personalem faciat in eadem; proviso etiam, quod idem Presbyter una die binam celebrationem minime faciat, præterquam in casibus à jure permissis. In quorum omnium & singulorum testimonium præsentes nostras litteras sub nostro ac Capituli nostri Sigillis appendentes dedimus communitas. Datum Frisingæ die tertia decima Mensis Aprilis. Anno Domini Millesimo trecentesimo Nonagesimo.

Pragæ anno 1391. aliquot millia perfidorum Hebræorum fuere trucidata. Wenceslaus Imperator omnes eorum debitores liberos pronunciavit. Quo tempore Episcopus noster vineam Aigelspergensem coëmit: nec multo post anno 1392. aliqua prædia dominio Ulmerfeldensi adjecit. N. 295.

Bojariam eo tempore Joannes, Stephanus, & Fridericus obtinebant indivisam. Adhibito vero 24. Nobilium virorum consilio Joanni Monachium, Stephano Ingolstadium, Friderico Bojaria inferior cessit. Inter Joannem tamen & Fridericum brevi convenit, ut deficiente alterutrius stirpe masculina, altera succederet. Fridericus statim sequenti anno è vivis ereptus est non sine suspicione veneni Pragæ sibi propinati. Filium reliquit Henricum impuberem, tutelæ patruorum commissum. *Adelz.*

Bohemi crudelibus Imperatoris facinoribus tandem victi anno 1393. die 7. Maij eum Pragæ in carcerem compegerunt, & quindecim septimanis tenuere captivum. Supplicabat vero postea Wenceslaus proceribus, ut venia sibi daretur in vicino fluvio Muldava sordes abstergendi. Id ei etiam concessum est, at non sine custodibus. Horum tamen elusis conatibus lembum nactus ope ancillæ balneariæ elapsus est. At non idcirco sapere didicit, sed potius deinceps sævitiem auxit. *Ebrnspiegl.* Wenceslaus compingitur in carcerem. Elabitur.

Ægrius eodem anno ignes evasit Carolus Galliarum Rex. Cum enim personatus incederet, & speciem Leonis stuparum & picis beneficio præ se ferret, scintilla è face prosiliente larva flammam concepit, è quo periculo ipse quidem tandem fuit morti ægre subtractus; cæteri vero, qui eandem cum ipso fabulam luserant, similibus flammis correpti misere perierunt, atque stoliditatis suæ pœnas dederunt. *ibid.* Periculum Regis Galliæ.

Bertholdo Antistiti nostro eo anno Joannes, Moraviæ Ducis filius, Patriarcha Aquilejensis ordine LXXVII. facultatem concessit, ut novum Sacellum Lacopoli erectum, uti etiam templum Monialium S. Claræ sacris ritibus initiare, ipsisque Monialibus consuetam benedictionem impertiri posset. Bertholdus Episcopus dedicat Ecclesiam Monialium in Lack.

§. II.

Periculum Urbis Frisingensis, & continuatio Actorum Bertholdi Episcopi usque ad annum Christi 1403.

QUæ annis 1394. & 1395. evenere in Bojaria, aliter extranei, aliter Frisingenses fasti recensent. Dabimus utramque relationem, præmissis iis, quæ narrationi claritatem aliquam affundere possint.

Monachium eo tempore ut jamjam supra retulimus, obtinebat Joannes, Ingolstadium Stephanus, Henrici ex defuncto fratre Friderico Nepotis, inferioris Bojariæ hæredis, tutores. Hi, tametsi privatas inter se simultates alerent, tamen Mense Februario Landishuti convenere, quo Status inferioris Bojariæ convocavere, pupillo Henrico fidem ex more juraturos. Illud negotium facile confectum est. Interim odiis mutuis semper magis, magisque exardescentibus, singuli potentiam suam fœderibus firmare conabantur. Joannes in fœdus traxit Austriacos, & Galeacium Mediolanensem Vice-Comitem. Stephanus gallica affinitate nitebatur. Hic, cum intellexisset, Bertholdum Episcopum nostrum Austriacos Joanni junxisse, vindictæ cupidus, cum Weinmanno Frisingensi Prætore clam egit, ut sibi hanc Urbem in pervigilio Nativitatis Dominicæ proderet. Tam secreta tamen non erant ea consilia, ut Bertholdus non haberet causas impendentem sibi tempestatem timendi. Itaque mox Joannem convenit, & periculum sibi suæque Civitati imminens exposuit. Joannes audito Stephani Fratris proposito statim præsidiarios Frisingæ imposuit, injurias & pericula inde propulsaturos, Weinmannum interim carceri mancipavit. Id cum Stephano relatum esset, quasi injuria lacessitus Neostadium Joannis oppidum invasit ac diripuit, & civium aliquos etiam trucidari jussit. Vicissim Joannes Aicham, ad Stephani ditionem pertinens oppidum aggressus, cum semel iterumque rejectus esset, exustis vicinis molendinis Fridbergam arma convertit, qua brevi potitus, amplam militibus potestatem dedit per vicos suburbanos prædam agendi. Frisinga eum in modum sua Securitate gaudebat. Hæc Scriptores extranei. Frisingenses vero Codices paulo aliter habent, & rem hunc in modum exponunt.

DiffidiaDucum Bavariæ. *Frisinga periclitatur.* *& præsidio munitur.*

Episcopus noster Bertholdus cum Alberto ac Wilhelmo Austriæ: & Joanne ejusque filio Ernesto Bojariæ Ducibus decennalem adversus Stephanum Ducem Ingolstadiensem defensionis societatem pepigerat: cui postea etiam cives Monacenses accesserunt, & datis literis Episcopo spoponderunt, se, si qua molestia à Stephani armis Frisingensi urbi aut ditioni timenda esset, eam vi propulsuros. Id latere non potuit Stephanum ejusque filium Ludovicum: qui Ludovicus idcirco constituit noctu rem agere, & in pervigilio Nativitatis Domini, cum cives rei divinæ interfuturi essent, urbem invadere, diripere, expilare. Eum in finem jamjam expugnaverat Stephanum Weinmayrium, urbis Frisingensis Prætorem, ejusque famulum, qui nocte intempesta aliquas urbis portas stata hora se aperturos condixerant. Verum id consilium Numen dissipavit. Cum enim Ludovicus Stephani filius cum armata validaque manu nocte Frisingam properaret, accidit, ut inter tenebras à via deflecteret. Præcipui etiam quatuor militum Præfecti metum conceperant, eo quod hastas suas fulgore insolito micare cernerent, aut certe suspicarentur. Ita tota nox inter errores & timores transacta est, & sole denique oborto apparuit, exercitum magnum equidem iter confecisse, interim tamen non pro-

N.296. 297. *Narratio Frisingensium monumentorum.*

progressum, sed Ingolstadium versus regressum esse. Intellexit ex his Ludovicus, curæ fuisse superis, ne nox sacratissima rapinis ac direptionibus temeraretur. Porro cum errorem suum facile agnovisset, eumque publica confessione eluere cuperet, voto inprimis sese adstrinxit, de Frisingensi urbe ac ditione nunquam deinceps infestanda. Insuper argenteam statuam, quæ ejus personam æquabat, & repræsentabat, Deiparæ ac D. Corbiniano Frisingam dono misit: quam posterorum simplicitas elapsis 55. annis in D. Sigismundi statuam convertit. Prætor Urbis hujus postea in foro publico capite plexus, ejusque famulus in quatuor partes dissectus est. Hæc fasti Frisingenses. Quæ an & quo pacto cum relatione superiori componi possint, Lectoris arbitrio decidendum committimus. In Eberspergensis cujusdam Codicis opusculo, cujus autor se circa finem Ulricum Fueterer nominat, legimus, lites illas inter Bojariæ Duces usque ad Festum Purificationis B. V. anni subsequentis fuisse protractas.

Cæterum Wenceslaus Imperator interim anno 1394. paria ac superiori, fata expertus est, prout ejus merita exegerant. Cum enim in subditos sævire assiduo pergeret, in prædio quodam, prope quod venationem instituerat, mensæ accumbens à proceribus captus, ac rursus Pragæ in variis carceribus conclusus est, in quibus integrum & amplius mensem exegit. Posteà operâ Sigismundi Hungariæ Regis in Alberti Austriæ Ducis potestatem venit, qui eum rursus in arctam custodiam Viennam tam accurato silentio transtulit, ut nemo sciret, ubi locorum Wenceslaus degeret? Elabendi tamen viam illi aperuit piscator quidam suburbanus, qui pietate ductus captivis sæpius pisciculos dono attulerat. Ea occasione Wenceslao homo innotuit, cui etiam cognita ejus indole tandem manifestavit, esse se Bohemum nobilem, nonnisi agente invidia turri inclusum. Quod si piscator viam ostenderet, qua se è carcere proripere posset, paratum se esse tantum beneficium ingenti gratitudine compensare. Id cum piscator fieri posse propter excubias negaret, monuit eum Wenceslaus, ut funem bombycinum compararet, eumque sibi in carcerem sub vestibus asportaret. Paruit piscator & funem attulit. Tum Imperator hominem hortatus est, ut lembum pararet, & nocte intempesta, qua se è turri demissurus esset, eum præstolaretur, atque trans Danubium veheret. Cum res ad vota successisset, monuit ulterius piscatorem Imperator, ut se sub fimeto quodam occultaret, ne subsecuturis quaquaversum lictoribus, atque militibus innotesceret. Paruit rursus vir bonus & nocte insecuta Imperatori panem & aquam obtulit. Tum uterque versus Bohemiam fugam convertit, & die D. Martino sacra in castrum Wischeradense venit. Illic postea literas dolo instructissimas ad Senatores Pragenses Wenceslaus dedit, eosque Wischeradam accersivit. Illi cum morem gererent, & ad Imperatorem venirent, capite quantocyus minuti sunt. Liberatorem vero suum Wenceslaus inter nobiles numeravit, & opibus auxit, etiam Uxore & liberis ejus Vienna in Bohemiam accitis, & eadem munificentia cumulatis. Interim tamen sapere nondum didicit monstrum hominis, sed in suos magis indies sævire non cessavit.

Wenceslaus Imp. iterum capitur.

Iterum elabitur.

Iterum sævit.

Clemens Pseudo-Pontifex eo anno mense Septembri in Gallia extinctus est, substituto postea novo idolo Petro de Luna, qui Benedicti XIII. nomen assumpsit. Bertholdus Episcopus eodem anno Henrico Pienzenauer Abbati Benedictoburano ejusque Conventui jus Patronatus Ecclesiæ Kümbsdorffensis concessit: & in vicem jus Patronatus Ecclesiæ Wilensis prope Monasterium Schlechdorffense cum pluribus prædiis recepit. De ea tamen permutatione plenius non agimus, quia non multo post iterum sublata fuit. Proximo anno, Christi 1396. idem Episcopus ab Austriæ Ducibus impetravit facultatem Enzerstorffense oppidum muro cingendi, ac deinceps illud muro prætalto clausit. In eo hodieque insignia Episcopi nostri visuntur. Huic gratiæ aliam præmisit Wilhelmus Austriæ Dux, dum etiam Bertholdo potestatem judiciariam Guttenwerdæ, Marchiæ oppido, eidem stabilem esse voluit.

Pseudo-Pontifices.

N. 298.

N. 299.

N.300.301. Permutatio Parochiarum, inter Episcopum nostrum, & Monasterium Schytense facta (de qua supra) hoc anno authoritate Apostolica fuit roborata.

Novus Archiepiscopus Salisburgensis. Salisburgum hoc anno amisit Pilgrinum Archiepiscopum suum, & ejus loco Gregorium Schenck de Osterwiz Carinthum accepit. Sigismundus Hungariæ Rex eo tempore ingentem à Turcis cladem passus est: altero vero anno Bajazethes, tumidus Turcarum Imperator, à Tamerlane Tartarorum Imperatore, ex pastore nato, victus, captus, & caveæ inclusus est. Scio eam victoriam à nonnullis ad alium annum differri.

Vicissitudines in Bojaria. N. 302.303. N. 304. Pace inter Bojos Principes, ut supra diximus, demum constituta, Joannes Monacensis anno 1397. rebus caducis valedixit: post cujus exitum Ordines in verba filiorum Ernesti & Wilhelmi jurarunt, dum interim Ludovicus, dictus barbatus, nova discordiarum semina jecit. Wilhelmus Austriæ Dux Bertholdo Episcopo nostro, & Cancellario suo potestatem judiciariam Lacopoli egregio diplomate feria III. Penteceostes Viennæ firmavit, ejusque merita egregie deprædicavit. Monacense RR. PP. Augustinianorum Monasterium generalibus illius Ordinis Comitiis ibi eo anno institutis egregium splendorem accepit. Frisingæ anno insequenti convenere Ernestus atque Wilhelmus Bojariæ Duces, & opera arbitrorum pacta pacifica sanxerunt, ast non diu duratura: ut fuse Adelzreitterus perhibet. Interim Bertholdus Episcopus noster etiam à Stephano & Ludovico Ducibus Ingolstadiensibus literas ac promissionem futuræ securitatis accepit. Imperii Principes plerique anno Christi 1399. in exautorationem turpissimi ac crudelissimi Imperatoris Wenceslai conjurarunt, & anno proximo scilicet 1400. (qui jubilæus erat) hortatu Pontificis eum penitus abrogarunt, ac Rupertum Palatinum Regem dixerunt, solis Norimbergensibus in fide Wenceslai persistentibus. Ridiculum postea illud accidit. Norimbergenses tandem edocti, quam arduum esset Ruperto recens electo Imperatori, totque aliis Principibus sese opponere, rogarunt Wenceslaum, ut bona ejus venia Ruperto & tempori se accomodare possent, oblatis gratitudinis loco viginti aureorum millibus. Wenceslaus ad hæc facile consensit, sed loco dictæ numerosissimæ pecuniæ nil, nisi aliquot plaustra vini Bacharacensis sibi transmitti petiit. Alii unicum vini plaustrum ab eo petitum fuisse asserunt.

Abjicitur Wenceslaus: eligitur Rupertus Imp. *Bucel. in annal. Germ.* *Mausol.*

Bertholdus Episcopus noster eo tempore D. Eberhardo de Knöringen Decretorum Licentiato, Augustanæ, Frisingensis, & Aichstadianæ Ecclesiarum Cathedralium Canonico, qui ei à Secretis fuerat, amplissimam facultatem dedit, castrum Gudaga, in territorio Trevisino situm, de quo alias sæpius egimus, cum omnibus juribus ad illud pertinentibus quovis modo recuperandum, & prout ipsi visum esset, sive detentoribus, sive aliis locandum. Sane quid effecerit Knöringius, nobis non constat. Diploma Viennæ datum extat in Codice, cujus titulus: *Liber Prædialis fol.* 159. *b.* Præsentes erant nobiles Rudolfus de Walsee Magister Curiæ Wilhelmi Ducis Austriæ, Martinus Valbacher Magister Cameræ & Pernhardus de Hawenstein Notarius ejusdem Ducis. Aliud mentione dignum in iis litteris non occurrit. Rupertus anno sequenti die 6. Januarii coronam Regiam suscepit. In Bojaria nostra eo anno rursus Duces nostri ingentibus discordiis fuere collisi, etiam Monacensibus civibus in tricas attractis. Verum de iis diffusius agere, cum instituti nostri non sit, Lectorem ad Boiearum rerum Scriptores remittimus. Fasti Fratrum Minorum S. Francisci habent, anno supra dicto, Christi 1401. Monachii fuisse generalia totius Ordinis Comitia celebrata, in quibus P. Antonius à Pyreto in ministrum Generalem electus fuerit.

Festum Translationis S. Benedicti. Reordabitur eruditus Lector, nos, tum in Parte Historica, tum Instrumentaria Primi Tomi demonstrasse, Festum Translationis S. Benedicti antiquis temporibus tum Frisingæ, tum alibi celebrari consuevisse. Id amplius nunc demonstramus ex Bulla Bonifacii IX. PP. data Romæ apud S. Petrum Kal. Maji, Ponti-

tificatus anno XII. nempe 1401. quam plena manu in Parte altera ex autographo, in Archivo Benedictoburano asservato exprimimus. N.305.

Rupertus electus Romanorum Imperator eodem anno Ratisbonæ condignis honoribus susceptus, deinceps anno 1402. in Italiam movit Imperii coronam à Pontifice suscepturus. Ei vero se opposuit Galeacius Mediolanensis, & iter Romanum præpedivit, cum ipsius Regni Italici diadema sibi exoptaret, quod tamen fato præcoci præreptus assecutus nunquam fuit.

§. III.

Acta Reliqua usque ad Mortem Bertholdi.

RUperti in Germaniam reversi opera novos tumultus Monacenses ac Boicos fuisse anno 1403. sopitos quidam produnt: alii conciliationem Urbis cum Ducibus Friderico Burggravio Norimbergensi adscribunt; quæ ipsa tamen non habent, si Norimbergensis totum jussu Imperatoris executus esse dici queat. Pax illa decem Senatoribus Monacensibus capita demessuit. Pacificationis literas Frisingæ fuisse exaratas, Adelzreitterus prodit; unde intelligimus, eo anno Bojariæ Duces novum Conventum Frisingæ celebrasse. Pax inter Bojos.

Salisburgi die 10. Maji ejusdem anni Gregorius Schenkhius Archiepiscopus obierat. Bertholdus Episcopus tanti habitus est Bonifacio Pontifici, ut eum Salisburgensem Archiepiscopum diceret, maxime quia id etiam Austriæ Duces exoptaverant. Verum obstitit Metropolitanum Collegium, quod electionis libertatem sibi ereptam videret. Itaque Canonicorum votis Eberhardus de Neuhausen ex urna prodiit. Litem inter rivales Bonifacii mors diremit. Successor enim illius Innocentius VII. Sulmonensis Italus Eberhardum Electum anno 1404. Pallio decoravit. Legimus, Bertholdum nostrum non idcirco statim deseruisse causam suam, sed ea occasione ingentem pecuniarum summam expendisse, atque Welsium superius, & Inchingam 14000. aureis Hungaricis oppignorasse. Fatendum tamen est, magnam æris illius partem etiam in usus Frisingenses, atque castrorum munitiones fuisse adhibitam. Nihilominus non desunt literæ anno sequenti 1405. Lacopoli scriptæ, in quibus Bertholdus noster *Archi-Episcopus Salisburgensis*, & Administrator Frisingensis appellatur. Favor Pontificis erga Episcopum nostrum. Frustaneus. Bonifacio IX. succedit Innocentius VII. Duo Frisingensia dominia oppignorantur. N.306.

Eo tempore multi prædones Hungarici Austriæ fines infestabant, viisque obstructis ingentia commeantibus damna inferebant. Wilhelmus itaque Dux, Austriæ tutorio nomine gubernator, latronum illorum permotus audacia ferro in eos animadvertendum censuit. Igitur missi aliquot militum manipuli multos è grassatoribus illis trucidarunt, sexaginta vero illorum Viennam captivos duxerunt, quorum aliqui in furcam fuere acti, alii lytro vitam redimere coacti sunt. Id indigne tulit Sigismundus Hungariæ Rex, injuriam interpretatus, quod se inscio Austriaci in fines Regni sui irrupissent, & subditos suos ad supplicium traxissent. Iram Regis Aulici acuebant. At Wilhelmus Dux ea de re factus certior, ne autor belli esse videretur, Legatos ad Regem Budam misit Georgium Pataviensem, & Bertholdum nostrum Frisingensem Episcopos; Præpositum item Viennensem, cum Udalrico & Remberto de Walsee, expositiuros Regi, quid Wilhelmum adegerit, ut insolentiam latronum compesceret. Admissis auditisque utcunque Legatis cum Sigismundus factum vix non plus æquo exaggeraret, Rembertus de Wallsee in hæc verba prorupit. Existimandum, inquit, non est, Sere- *Ebrnspiegl. Ebendorff. Apud P. H. Pezium T.2. col. 827.* Austriam prædando Hungari lacessunt. Bellum inter Hungaros & Austrios præcavetur.

 nissi-

nissime Rex, quod Princeps noster ac Dominus nos metu aliquo perculsus huc miserit, ut pacem flagitemus. Potius missi sumus, ut innocentium pericula prævertamus, ac Te moneamus, Ducem nostrum persequendo impios & utriusque partis provinciis noxios nebulones nulla pacis fœdera rupisse. Quod si vero, uti fere apparet, Majestas vestra factum Ducis in alium sensum torquere, bellique consilia amplecti velit, monere ausim Majestatem tuam, Ducem nostrum inermem non esse, & multos fideles subditos numerare. Et quidem ego ipse (addebat Rembertus) paratus sum mille armatos meis sumptibus per unius anni spatium ad Ducis obsequia alere. Neque dubium mihi est, quin præsentes isti mei Legationis socii, ceu me validiores, tantundem, imo amplius sint præstaturi. De iis, qui ingenti numero domi remanserunt, nihil hic dixerim. Hæc fere Rembertus.

Perculit Regem ac Regios ea oratio. Et qui prius belli auctores Regi esse studebant, nunc mitiora suadebant. Itaque Legati cum honore dimissi sunt, belique ignis extinctus prius quam accensus est. Ebendorfferus ad idem fere tempus scribit, Episcopum nostrum cum nobilibus quibusdam fuisse missum in Siciliam, ut Regiam filiam Joannam Wilhelmo in sponsam expeteret, quam etiam impetraverit, & magno apparatu Viennam deduxerit. Verum hanc Legationem censemus potius ad annum Christi 1403. esse retrahendam, cum Wilhelmus, qui anno Christi 1406. è vivis excessit, annis tribus cum Joanna vixisse dicatur.

Apud. P. H. Pez. T. 2. col. 825.

In eundem annum incidit celebris fundatio Dominorum de Fraunberg, qua inclyto Monasterio Weihenstephanensi pratum quoddam contulerunt, ex cujus proventibus lumen perpetuum ad tumulum majorum suorum aleretur. Præterea constitutum fuit, ut singulis quatuor anni temporibus defunctis Fraunbergiis Weihenstephanenses solenni ritu bene precarentur. Literas ejus fundationis in Parte altera exhibemus.

Fundatio Fraunbergiorum.

N. 307.

Gabriel Ridler civis Monacensis eodem anno ab Episcopo nostro impetravit, ut etiam duobus filiis suis Telonei Monacensis proventus, cum aliis consuetis reditibus annuis ad vitæ dies locaret.

N. 308.

VVilhelmo Austrio anno Christi 1406. defuncto superstites Duces provincias suas inter se diviserunt. Et Alberto quidem Austria cessit: Leopoldo Suevia, Alsatia & Helvetiæ pars: Ernesto Styria, Carinthia, Carniola, ac Friderico Tyrolis obvenit. Cum hi tres posteriores fratres de prædicti Alberti Agnati sui nondum ex ephebis egressi tutela contenderent: Austriæ Proceres Leopoldum delegerunt, & liti finem imposuerunt. Bojariæ Duces Ernestus, VVilhelmus & Henricus eodem anno huic castro Frisingensi absente Episcopo nostro imposuere præsidiarios milites, facta tamen sponsione, id non fieri dolo, & castrum ipsum nemini traditum iri citra consensum eorum, quorum interesset. Suspicantur nonnulli, id factum esse, ne Ludovicus Ingolstadiensis castrum occuparet, & Monacensibus atque Landishutano Ducibus incommoda afferre posset. Innocentius VII. eo anno diem suum obiit. Eo rebus mortalibus erepto quatuordecim Cardinales locum electioni novi Pontificis destinatum ingressi præstito juramento in articulos sequentes consensere. Primo, ut quisquis illorum cæterorum suffragiis Pontifex renunciaretur, is ad schisma demum abolendum Pontificiam dignitatem abdicare paratus esset, dummodo etiam Petrus de Luna similem conditionem admitteret. Secundo ut nonnisi sublato schismate quispiam in numerum Cardinalium cooptaretur. His juramento & chirographo singulorum firmatis Angelus Corarius Venetus Cardinalis, SS. Theologiæ Magister eligentium votis Pontifex est salutatus, qui Gregorii XII. nomine insigniri voluit, promissisque stetit, dum Petrum de Luna ad cessionem juris sui tum per literas, tum per Legatos invitavit, atque exemplum suum, licet frustra, obtulit.

Partitio Provinciarum inter Austriacos.

Castro Frisingensi imponitur præsidium.

Acta Aulæ Romanæ.

Innocentio, sufficitur Gregorius XII.

Ad

Ad annum Christi 1407. pleríque Austriæ Scriptores sequentia referunt. Socolius, * gente Moravus, sexta feria post Pentecostem aliqua nebulonum Societate contracta tum per æquaductus, tum per scalas applicatas, oppidum Laa, in limitibus Austriæ versus Moraviam situm, clam & noctu occupaverat. Ejus rei rumor brevi percrebuit, & in Socolii societatem multos è Bohemia, Moravia & Austria pellexit, homines deperditæ famæ, latrones, proscriptos, & ut semel dicam, patibularios, qui mœnibus oppidi freti infestis excursionibus ingentia damna igne ferroque accolis intulerunt, & prædas innumeras egerunt. Contra eam hominum nefandorum insolentiam conflatus est justus exercitus, & Leopoldus Dux ipse cum Bertholdo nostro Frisingensi Episcopo in aciem prodiit. Exspectatæ fuerant aliquanto tempore etiam ex Styria suppetiæ: dum denique (quod indecorum & Duce indignum videretur adversus latrunculos pugnam inire) militum præfectura, seu potius rei gerendæ cura Bertholdo Episcopo commendata est, Leopoldo Viennam reverso. Bertholdus itaque castra movit, & oppidum prædictum die Dominica D. Laurentii festum præcedente obsidione cinxit, atque sequenti fortiter aggressus est. Erat inter militum præfectos vir fortissimus Weickhardus de Pollheimb, qui ad aliquam Urbis portam hostes terga vertere coëgit nonnisi unico famulo stipatus. Poterat porta illa jam aperta occupari civitas, si ii, qui alibi insultum fecerant, Pollheimbio opem inclamanti venissent suppetias. Id dum negligitur, Pollheimbius telis, lapidibusque obrutus cedere cogitur, eoque pacto actum est nihil, sed Episcopus cum exercitu tertia post Festum assumptæ in cælum Virginis die obsidionem solvit, & exercitum retraxit, pessime deinceps à conglomeratis illis latronibus habitum. Ex Laa oppido posthac non discessere nebulones, donec Socolio triginta * florenorum millia numerata fuerint.

Apud P. Hier. Pez.

* vulgò *der Schekbel.*

Austria rurfus ab aliis prædonibus invaditur.

Quibus repellendis objicitur Bertholdus Episc.

Ast infeliciter.

* *alii* quinquaginta.

Eodem anno Ernestus Dux (de quo supra) Viennam venit. Causa adventus erat, quod Austriæ Proceres metum concepissent, ne Leopoldus obtentu tutelæ pupilli Alberti provinciam in suam potestatem ac proprietatem converteret. Leopoldus itaque fratri Ernesto, omnibusque, qui ejus factioni adhærebant, bellum illaturus, Neostadium secessit, copias contracturus. Bertholdus quoque Episcopus, Leopoldo conjunctissimus, Enzerstorffium contendit, & equites ac nobiles in fide Leopoldi confirmavit. Hi deinceps tantis iris in Abbatum & Procerum Ernesto addictorum colonos sævierunt, ut nihil deterius Austria unquam experta fuerit. Hyems dirissima insecuta tandem belligerantes domum retraxit, litibus vero finem non imposuit. Hæc ferme Ebendorfferus scripsit, qui totius catastrophes spectator fuit. Alii tradunt, eodem adhuc anno Claustro-Neoburgi Status Provinciæ convenisse, ubi causa Leopoldi equidem prævaluerit, paxque conclusa fuerit, at minime duratura. Nam sequenti statim anno, Christi 1408. rixæ asperrimæ recruduerunt, adeo, ut, licet authore potissimum Bertholdo sæpius de turbis sedandis tractatum fuerit, nihil tamen efficeretur, donec tandem Georgius Episcopus Tridentinus, ex illustri familia de Liechtenstain natus, malo remedium invenit, & pacem per arbitros quinque, quorum supremus erat Sigismundus Hungariæ Rex, restituit. Scriptæ in rem fuere tabulæ; sed quibus Bertholdus Episcopus & Viennam & Cancellarii officium relinquere jubebatur, quippe qui Leopoldo author fuisse dicebatur, ut tanta severitate causam suam propugnaret.

Novæ Austriacorum curæ.

Et rixæ.

Sedantur.

Sine gloria Bertholdi nostri.

Longe mitius de Bertholdo eodem adhuc anno senserunt Bojariæ Duces; quippe quem una cum Friderico Burggravio Norimbergensi constituerunt arbitrum residuarum litium suarum, quas illi etiam feliciter sopierunt. Literas arbitrii & concordiæ fuisse conscriptas Frisingæ feria secunda post Festum Inventionis Sanctæ Crucis, Adelzreitterus memorat.

Qui alibi felicius inclaruit.

Cæte-

N.309. Cæterum eodem anno Bertholdus Epiſcopus noſter à Leopoldo Duce facultatem obtinuit Caſtri Holenburgenſis ædificium abſolvendi. Litem quoque, quæ de Caſtro Haberberg à multo tempore vertebatur, feliciter evicit. Aliam inſuper controverſiam, quæ inter Garmicenſes & Partenkirchenſes ſuper paſcuis alpeſtribus & vectura mercium agitabatur, inſigni dexteritate compoſuit.

Magnorum Principum funera. N. 310. Uti & Epiſcopi noſtri. Succeſſores. Annus Chriſti 1410. plura illuſtria funera vidit. Deceſſit enim menſe Majo Alexander V. Papa, qui Donationes Collegiatæ Eccleſiæ S. Joannis hactenus factas comprobavit: & Rex Romanorum Rupertus. Solimannus quoque Turcarum Imperator à ſuis interemptus periit. Tandem etiam Epiſcopus noſter eodem anno vivendi finem fecit. Alexandro ſuffectus eſt Balthaſar Coſſa Neapolitanus, dictus Joannes XXIII. Rupertus Regum mitiſſimus nactus eſt Succeſſorem Sigismundum Hungarorum ac Bohemorum Regem fortiſſimum: de cujus rebus geſtis plura deinceps. Dies emortualis Epiſcopi noſtri erat ſeptimus menſis Septembris, quem obiit Clauſtro-Neoburgi in Auſtria, ubi etiam ſepultus jacet in tumulo elevato. Lapis ſepulchralis 4. pedibus ſupra pavimentum editus exhibet figuram ipſius Epiſcopi, veſtibus Pontificiis indutam cum hac inſcriptione: *Anno Domini M CCCC decimo, ſeptima die Menſis Septembris obiit Reverendus in X*° *Pr Dns Berchtoldus Epus Friſingen.* Ad partem pedis dexteri cernitur æthiops Friſingenſis: Siniſtri vero gentilitia inſignia. Prope Berchtoldum ſepultus jacet frater ejus Reinhardus de Wahing, jam antehac anno 1394. ei tumulo illatus. Locus illorum ſepulchrorum, hodie Sacellum Friſingenſe appellatur. Fuit Berchtoldus inſignis Eccleſiæ ſuæ œconomus, dum tot caſtra & urbes adverſus prædones ſui temporis munivit, refecit, muris ac foſſis cinxit, Canonicorum proventus auxit, caſulam pro more ejus ætatis pretioſiſſimam Cathedrali Eccleſiæ donavit, anniverſariamque ſui memoriam fundavit. Author etiam fuit, ut in anniverſario Sacratiſſimi Corporis Chriſti Feſto Euchariſtia per Urbem circumferretur, certa præſentibus Canonicis Capellaniſque penſione aſſignata. Oblaturus etiam erat Eccleſiæ ſuæ mitram, quam pretio ingenti fabrefieri juſſerat. Verum cum morte eſſet præventus, ejus Conſangninei illam Mellicenſi Monaſterio 4200. aureis Hungaricis vendidere. Extat etiamnum VVahingiorum Apocha, quam ex Auſtria

Tumulus.

& Laudes Bertholdi.

N. 311. illuſtrata, quæ cl. V. P. Philiberti Huebet Mellicenſis opus eſt, in Parte II. reponimus.

Quinam eo tempore Eccleſiæ & Imperio præfuerint, ſupra retulimus. Salisburgi Eberhardus de Neuhauſen: Brixinæ Fridericus de Neuzing, Patavii Georgius de Hohenloe & Ratisbonæ Albertus de Stauffſedere Pontifices.

Extat in Friſingenſibus ſcriniis relatio quædam, in qua aſſeritur, Bertholdi Epiſcopi animam primum anno Chriſti 1689. die 28. Auguſti è flammis piacularibus fuiſſe liberatam: cujus rei veſtigia aliqua viri inſignes oculis conſpexere.

N.312. In ſecunda hujus operis parte recenſemus gratiam aliquam à Stephano Comite Palatino ac Bavariæ Duce Collegio S. Andreæ circa hoc tempus factam.

CAPUT

CAPUT VII.

Conradus V. tricesimus nonus
Episcopus Frisingensis.

§. Unicus.

Compendium totius Regiminis.

Bertholdo Episcopo viam universæ carnis ingresso Canonici Frisingensis Ecclesiæ elapsis viginti tribus diebus in sedem Episcopalem è suo Collegio evehere conabantur Dominum Degenhardum de Weichs, Canonicum, Scholasticum ac Præpositum Mosburgensem, quem nonnulli etiam Cathedralis Augustanæ Ecclesiæ Canonicum atque Præpositum fuisse scribunt. Sane qua de causa hujus viri electio à Sede Pontificia comprobata non fuerit, nobis incompertum est. Joannes Pontifex anno insequente, 1411. die 23. Martii Frisingensibus præfecit Conradum, non ex Trautmanstorffia, ut quidam suspicabantur, sed ex gente Hebenstreithiana, ut literis Gurcensibus edocemur, oriundum, quos ipsos natales etiam Historia Salisburgensis eidem assignat. Erat is antehac Gurcensis Episcopus, ordine vicesimus sextus, cui Ecclesiæ aliquot annis præfuerat. Translatus est ad Frisingensem Ecclesiam non anno 1406. ut Gurcenses memorant: eo enim anno Prædecessor illius Bertholdus è vivis neutiquam excesserat, ut supra vidimus, sed primùm 1411. uti literæ ex Archivo Romano excerptæ rectè monent, quæ sic habent: *Anno 1411. die Lunæ, 23. mensis Martii D. N. absolvit Dominum Conradum Dei gratia Episcopum Gurcensem à vinculo, quo dicta Ecclesia tenebatur, ipsumque transtulit ad Ecclesiam Frisingensem &c.* Porro Degenhardus Pontificiæ Sedi morem gessit, contentusque fuit ea annua pensione, quæ granarii præfecto numerari eo tempore solebat. Alibi legimus, totum Frisingense granarium eidem fuisse attributum, ex cujus proventibus Degenhardus Episcopo Conrado numerosam pecuniam annuatim solvere debuerit. Ast non diu tenuit Conradi regimen, imo is nunqnam Frisingam venit, sed post sui institutionem Lacopoli consedit. Missi ad eum fuerant duo Frisingenses cives, qui oblato 500. florenorum Rheinensium ære collatitio juramentum fidelitatis ei præstarent. Verum ille laudata Frisingensium fide, pecuniam civibus restituit, eosque benigne dimisit. At ecce! nondum Viri illi Lacopoli discesserant, cum Conradus à Cubiculariis suis, qui penes eum ingentem, quinquies mille aureorum summam latere noverant, noctu in lectulo suo confossus est. Truculentissimi nebulones, ut facinoris crudelissimi suspicionem à se dimoverent, cultrum cruore tinctum manibus ejus inseruerunt, & sole oborto populo persuaserant, Episcopum ipsum cruentas sibi manus intulisse. Credidit plebs: at latrones pecuniis ablatis è conspectu sese proripuerunt. Cadaver Episcopi, qui seipsum interfecisse credebatur, non in loco sacro, sed in horto, qui Castro vicinus est, tumulo fuit conditum. Verum elapsis 18. fere annis Romæ nunciatum est, latrones illos in alma Urbe confessos esse, se mortem intulisse Episcopo, eumque non sua, sed ipsorum manu per-

Electio Degenhardi Weichsii non admittitur. *Hierarch. August. Hund.*

Conradus instituitur.

pag. 124.

Fuit antea Episcopus Gurcensis.

Degenhardus cedit Conrado.

Conradus erga Frisingenses benignus.

Obtruncatur à suis Cubiculariis.

Sero innotescit ejus innocentia.

periisse. Monitus ea super re Nicodemus Episcopus, qui post Hermannum ei successerat, facinus horrendum propalavit, ossa Conradi è tumulo profano levavit, & cum pompa funebri in parochiali Ecclesia condidit, in cujus choro visitur ejus lapis sepulchralis, cui insculptus est lituus Episcopalis cum mitra superius: inferius vero Frisingensi æthiope apposito. Literæ lapidi incisæ sic habent: *Hic jacet Dominus Conradus Epus Frisign. per Dnum Nicodemum Successore suum H: sepultus anno Christi CCCCXXX.* Ubi advertet Lector, omissum fuisse numerum Majorem M. seu millesimum. Verum ea ætate in his saltem partibus non erat infrequens, millenarium numerum non exprimere. Scimus, alibi legi, Conradum fuisse primum anno 1433. in Ecclesia sepultum; verum nos lapidi credimus, qui majori utique attentione sculptus esse censendus est, quam librarius adhibuerit. Internectio Conradi reponi solet ad annum Christi 1412. dies non exprimitur; ut adeo Episcopus ille non integro biennio, imo fortè nec integro anno præfuisse dicendus sit. quo tempore Anselmus de Neningen Canonicus Frisingensis Sedem Episcopalem Augustanam conscendit, uti in Hierarchia Augustana admodum R. P. Corbiniani Khamm perhibetur.

Conditur meliori tumulo.

Part. I. pag. 596.

CAPUT VIII.

Hermannus XL. Episcopus Frisingensis.

§. I.

Genus, & Promotio Hermanni; ubi de Concilio Constantiensi.

Cilia Urbs est Marchiæ Venedorum * ad Savi fluvii ripam perquàm antiqua, quippe in qua plures veterum Romanorum Inscriptiones hodieque reperiuntur. Ad Sæculi XVti initium ei dominabatur Hermannus Comes, Pater Barbaræ, quæ Sigismundo Imperatori nupta est; item Annæ, quæ Jagellonem Poloniæ Regem habuit maritum. Et quidem duæ hæ proles legitimo thoro natæ sunt, nempe ex Hermanno Comite & Anna Casimiri III. Poloniæ Regis filia. Tertiam prolem, & quidem masculam Hermannus ex pellice suscepit, atque à suo nomine Hermannum dixit. Juvenis hic laborabat hernia, neque ætatem habebat ex Canonum Decretis suscipiendo Episcopatui parem. Nihilominus Romæ hæc fuere annotata. *Anno MCDXII. die Martis VII. Calend. August. dispensatum est in ætate &c. cum Hermanno filio Comitis Ciliæ. Eadem die provisum est Ecclesiæ Frisingensi per mortem de persona dicti Hermanni.* Credibile est, Pontificem motum fuisse ad promovendum hunc Hermannum authoritate Regum supra dictorum, quibus is utcunque propinquus erat. Forrassis etiam accessere ingenii, ac Doctrinæ merita, quæ Joannes Pontifex respicere potuit. Certe aliquid simile etiam Martinus V. in eo suspexit, ut suo loco dicemus. Cur huic promotioni Frisingenses Canonici durante schismate se non opposuerint, suspicamur, id in Cæsaris gratiam esse factum.

* *Wendische Markh.*

Hermanni cunabula.

Promotio.

Geor-

Georgius Fraunberger Haagæ Bojarum Dominus eo anno ipsis Calendis Octobris recens construendo Ramsaviensi Monasterio manus adjecit, primumque lapidem locavit. Biennii spatio absolutam fabricam RR. Patribus Ord. Eremitarum S. Augustini perpetuo habitandam concessit, & prædiis quibusdam dotavit. Fundationis litteras in Parte altera recitamus. Eam fundationem comprobavit Albertus à Stauff Ratisbonensis Episcopus, eo quod eo tempore collatio Parochialis Ecclesiæ in Kirchdorf (in cujus districtu Monasterium fuerat ædificatum) adhuc ad ipsum pertineret. Diximus vero, collationem, seu jus Patronatus Parochialis Ecclesiæ in Kirchdorff ad Episcopum Ratisbonensem eo tempore pertinuisse, non vero Jurisdictionem Episcopalem. Hæc enim absque dubio erat Episcopi Frisingensis, veluti discimus ex Matricula Parochialium Ecclesiarum hujus Frisingensis Diœcesis, anno Christi 1315. conscripta, ubi sic legimus. *Chirchdorf, solvit XVIII. libras Ratisbonenses. habet XIIII. filias, Moringen, Freimaringen, Atenpat, Oderndorf, Winden, Perg, Reinsau, Lengenmos, Ried, Stroraut, Limberch, Hobaus, cum sepultura. Capellam Hohenburch, & Capellam in Castro Hag. Episcopus Ratisbonensis confert.* Et sane Parochia illa Kirchdorfensis hodieque non alium Ordinarium, nisi Frisingensem recognoscit. Id, quod ad dissolvenda quædam dubia, è quibusdam Instrumentis oborta, hic Lectorem monendum esse existimavimus.

Initia Monast. in Ramsau.

N. 313.

Tres eo tempore de Cathedra Petri contendebant, Joannes XXIII. electus anno MCDX. Bononiæ: Gregorius XII. nuper à Pisanis Patribus rejectus, & Benedictus XIII. seu Petrus de Luna, Avenione creatus Pseudo-Pontifex. Ex his Petri causa erat manifeste mala: reliquorum duorum vero videbatur aliquanto esse melior. Sed utcunque demum se res habuerit, schisma gravissimum tandem tollendum erat ex Ecclesia: Idque Sigismundi Imperatoris planè admirabili, & inaudita industria feliciter confectum est.

Ecclesia triceps.

Existimabat Sigismundus, cum Joanne potissimum agendum esse, ut Concilium convocaretur. Hunc igitur monuit, rogavit, contestatus est per districtum Dei judicium, ut locum, & tempus Concilii Generalis sine dilatione statueret, & eo pacto naufraganti Ecclesiæ tandem succurreret. Victus itaque nimia Cæsaris importunitate Joannes duos ad eum Cardinales misit cum plena, atque irrevocabili potestate Cæsari data nominandi locum, & determinandi tempus Concilii celebrandi, addita solenni contestatione, se rata, & grata habiturum omnia, quæ Imperator cum duobus illis Cardinalibus pro Concilio indicendò, convocando, & celebrando conclusurus esset. Habita itaque inter Imperatorem, & Cardinales deliberatione electa est Constantia Suevlæ Civitas, & annus proxime futurus. Id ubi intellexit Pontifex, dici vix potest, quantum doluerit. Maluisset enim, ut aliqua Italiæ potius, quam Germaniæ Civitas pro Concilii celebratione eligeretur; sic enim rebus suis securius prospectum iri prævideret. Verum quod semel placuerat, displicere amplius non poterat. Itaque nolens consensit: & sic Pontificia & Cæsarea authoritate Concilium per orbem Christianum in locum ac tempus memoratum indictum fuit, etiam Gregorio, ac Benedicto illuc invitatis.

Tritbem. in Annal. Hirsaug.

Curæ Sigismundi Imp. pro Ecclesia.

Initium Concilii Constantiensis.

Anno igitur Christi MCDXIV. ingens sacrorum, ac profanorum Principum, & Prælatorum numerus Constantiam properavit. Inter hos etiam numeratur Udalricus Hochenkircher Ettalensium Abbas, qui postquam annis XXX. Monasterio Wessofontano præfuit, eo anno petentibus Bojariæ Ducibus ad mitram Ettalensem translatus fuerat, ut ex Fastis Wessofontanis moniti fuimus. Mense Octobri ejus anni etiam ipse Joannes XXIII. Bononia Constantiam versùs movit. Refert Trithemius, Pontificem illum, scelerum suorum probe conscium, cum in monte Comitatus Tyrolensis *Arlerberg* dicto, ob glaciei lubricitatem currus ejus esset subversus, accurrentibus famulis, & interrogantibus, an ex casu nihil mali pertulisset? respondisse: *hic jaceo in nomine diaboli. Quare Bononiæ non mansi?* Erectus postea

Id. ut supra.

Iter Joann. XXIII. ad Concilium.

postea suorum manibus, & in montis cacumen, unde Constantia Urbs jam videri poterat, delatus ingemuit, suisque dixit: *sic vulpes capiuntur.* satis luculenter demonstrando, quanta eum subiisset poenitudo, quod Concilium indixerit. Subinde in viciniam Urbis die XXVII. veniens, in Creuzlingano Canonicorum Regularium Monasterio pernoctavit: sequenti vero die, SS. Apostolis Simoni, & Judæ sacra, ritu, qui Christi Vicarium decebat, susceptus, & in Cathedralem Ecclesiam deductus est, ubi præmissa Oratione populo solennem Benedictionem impertivit, ac postea in Episcopali Palatio diversorium accepit. Multa deinceps in deliberationem fuere tracta, quæ ad Concilium celebrandum præmittenda videbantur. Verum communi Patrum, maximo numero congregatorum, sententia nihil decernendum videbatur, donec Sigismundus Imperator adveniret. Hic ubi adesse Joannem Pontificem intellexit, non diu abfuit, sed nuntios ad Joannem misit, qui adventum suum nuntiarent, & simul rogarent, ut ipsa Dominicæ Nativitatis nocte adventum suum præstolaretur. Venit postea eadem nocte Imperator, armisque in suo hospitio exutus, vestes cultiores sumpsit, statimque in Episcopali Palatio Pontificem salutavit, & cum eo ad dictam Cathedralem Ecclesiam se contulit. Ibi Joannes ornamentis Pontificiis media nocte indutus ad sacris ritu solenni operandum processit: Cæsar vero Diaconi habitu indutus, Coronam Regiam capite, manu vero gladium gestans, tempore competenti Evangelium legit: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis.*

Imperator comparet Constantiæ.

Sane quænam cogitationes pronuntiatis illis à Cæsare Evangelii verbis in audientium animos ascenderint, Lector prudens judicabit. Rem serio agi nemo non intellexit. In tot Cardinalium, Prælatorum, atque Principum numero etiam comparuisse Hermannum Episcopum nostrum, tametsi ætate minor esset, certum est. Suspicamur, eum ab Affine Cæsare illuc fuisse ductum, ut suffragia Patrum augeret ad Ecclesiæ utilitatem.

Deinceps ipsis Calendis Januarii anni MCDXV. Concilio datum est serium initium. Quinta ejus mensis die adfuere Cardinales aliqui, quos Gregorius XII. creaverat. Inter hos eminuit Joannes Archiepiscopus Ragusinus, ceu Gregorii Legatus à latere, qui Ejus nomine Concilium ratum haberet. His adjunctus est Carolus Malatesta, vir magni nominis, quem ipse Gregorius constituit Procuratorem suum ad abdicandum suo nomine Pontificatum, dummodo etiam reliqui duo Pseudo-Pontifices idipsum præstare parati essent. Petrus de Luna, seu Benedictus XIII. tametsi ejus causa longe deterior esset, quam Joannis, ac maxime Gregorii, nec ipse tamen comparuit, neque suo nomine quemquam misit, sed in sua perversa obstinacia perstitit.

Legatio Gregorii XII.

Die ejusdem Mensis septima Joannes Papa Episcopo nostro sequentes notatu dignas litteras misit.

*Joannes Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ea quæ pro Divini cultus augmento, & præsertim pro personis Ecclesiasticis in Ecclesiis Cathedralibus Domino famulantibus provide facta sunt, ut illibata persistant, libenter, cum à nobis petitur, Apostolica Confirmationis suffragio communimus. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Hermanni Electi, & Capituli Frisingensis continebat, quod dudum bonæ memoriæ Conradus Episcopus Frisingensis volens majori Ecclesiæ Frisingensi inter alias Ecclesias Civitatis & Diœcesis Frisingensis specialis honoris prærogativa providere, ipsamque inter alias Ecclesias extollere, auctoritate ordinaria statuit & ordinavit, quod ex tunc in antea, quotiescunque aliquam ex S. Andreæ Frisingen. Sancti Johannis Montis Frisingen. Sancti Viti extra muros Frisingen. Sancti Castoli in Mospurg, Sancti Zenonis in Isen, Sancti Sixti in Sliers, Sancti Petri Montis Madran, Sanctæ Margaretæ Ardacen. & Sanctorum Primi & Feliciani in Werdea, & Sancti Candidi Inticen. Ecclesiarum Præpositura, quarum singulæ dignitates principales in singulis eisdem Ecclesiis existunt, & quarum cuilibet cura imminet animarum, nec non in Kungsdorff, in Waydenhoven, ac in Welz & in Gries * parochialibus Ecclesiis, Frisingensis, Pataviensis,*

Præpositura nonnisi Canonicis Eccl. Cath. concedendæ.

* Prope Bulsanum.

ensis, Salzeburgensis, Brixinensis & Tridentin. Diœcesium, quarum omnium omnimoda dispositio ad Episcopum Frisingensem pro tempore existentem pertinere dinoscitur, vacare contingeret, alicui nisi Canonico dictæ majoris Ecclesiæ præbendato, assignari debere, quodque præfata ordinatio à tempore editionis hujusmodi inconcusse fuerat observata, licet nonnulli prætextu quarumdam literarum Apostolicarum eandem ordinationem interrumpere præsumpserint, & etiam præsumant in Electi, Majoris Ecclesiæ & Capituli prædictorum præjudicium atque damnum. Quare pro parte dictorum Electi & Capituli fuit nobis humiliter supplicatum, ut pro subsistentia firmiori eorundem statuti & ordinationis, & ne quæque etiam parva conditionis & aliæ persona contra ea leviter venire præsumant, eisdem statuto & ordinationi robur Apostolicæ Confirmationis adjicere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati præfata statutum & ordinationem, & omnia inde secuta, rata habentes & grata, ea auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem constitutionibus Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ratihabitionis, confirmationis, communicionis, & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Constantiæ VII. Januar. Pontificatus nostri anno quinto.

*)
*}
*)

A. de Reate

extra
R^ta gratis

Jo. Ilsung. ¹¹]

Ex his litteris conspicuum est, magnam eousque apud Constantienses fuisse Joannis authoritatem. Verum ea duratura non erat. Cum enim Imperator, & Concilii Patres diligentissime collaborarent, ut schisma abominabile tolleretur ex Ecclesia, tandem prima die mensis Martii suasione Sigismundi Imperatoris, & Patrum Joannes conceptis, & in chartam redactis verbis, etiam jurejurando firmatis spopondit, se Pontificatu cessurum. Joannes XXIII. abdicat Pontificatum.

Proxima itaque post Dominicam Palmarum die universi Patres convenere in Cathedrali Ecclesia, in cujus choro loco superiori conspiciebantur tres sedes eminentiores, & comptius ornatæ, in quarum una Joannes Papa, in altera Carolus Malatesta Gregorii Procurator sedebat; tertia pro Benedicto parata vacabat. In eo Conventu communia vota eo spectabant, ut Ecclesia, & præsens Concilium haberet Caput unum, quod Concilio præsideret. Cæterum cum inter se ea de re conferrent Patres, patuit, Joannem Pontificem esse hominem criminibus obsitum. hinc male sibi conscius Joannes è civitate clam auffugit ope Friderici Austriæ Ducis, quem idcirco Sigismundus omnibus bonis ac dignitatibus privavit, & proscripsit. Quare ut Fridericus sibi consuleret, Imperatorem accessit, veniam petiit, quam etiam obtinuit, postquam Joannem, jam usque in Burgundiam dilapsum, Constantiam reduxit. Qui statim in nostro Divitis Angiæ Cœnobio, quod vicinæ insulæ lacus Acroniani insidet, custodiæ mancipatus est: dum interim in scelera illius facta est inquisitio, quibus diligentissime examinatis, at- Ejus pravi mores: & fuga. Reducitur Constantiam.

 que

que detectis à Papatu, quem jamjam prius ipse abjecerat, depositus & ad carcerem damnatus est.

Is cum sententia Concilii ei per Notarios esset suggesta, in hæc verba prorupisse fertur. *Juste hæc patior, qui nomine solo Pontifex, moribus fui semper iniquus.* Ludovicus Comes Palatinus volentibus Patribus eum deinceps in arctam custodiam suscepit. Interim Gregorii Procurator nomine sui Pontificis Papatum sponte, voluntarie, ac libere deposuit, non sine summo gaudio Patrum, qui eapropter eum non solum Cardinalitia dignitate, sed etiam perpetua Legatione Agri Piceni remunerandum censuerunt.

Gregorius XII. cedit Pontificatu.

Supererat, ut etiam Petrus de Luna, seu Benedictus XIII. imaginariæ dignitati renuntiaret, cui Hispaniæ, Aragoniæ, Galliæ, & Angliæ Reges adhærebant. Id ut obtineret Sigismundus Imperator, zelo vere admirando sociatis sibi quibusdam Concilii Oratoribus ingens iter aggressus Reges illos omnes adiit, tanta dicendi vi usus, ut omnes in vota sua felicissime pertraxerit: Omnes enim Petrum illico abjurarunt, litterasque Imperatori consignarunt Concilio exhibendas. Rediit ex laborioso itinere Sigismundus anno Christi MCDXVII. & Concilii Patres gaudio inenarrabili replevit. actum deinde fuit etiam de Petro abrogando, cujus crimina interim magis, ac magis Concilio innotuerunt. Facta itaque diligentissima discussione cum nemo non agnosceret, eum esse vere schismaticum, ritu solenni ceu hæreticus anathemate percussus, condemnatus, & omnium Nationum, quarum Legati præsentes erant, ore abjectus est, publica ejus rei denuntiatione secuta.

Benedictus Pseudo-Pontifex. Mirabilis Zelus Imperatoris.

Benedictus Pseudo-Pont. abjicitur.

Deinceps à Cardinalibus præsentibus in Pontificem electus est Otto de Columna Romanus, Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum, qui, quod ejus Electio in Divi Martini festo accidisset, Martinus V. dictus est. Ita demum Ecclesiæ iterum legitimum Caput post tanti temporis schisma recepit.

Eligitur Martinus V.

In eo Concilio novus Pontifex immunitati Ecclesiasticæ consulturus gravissimum ex Patrum Sanctionibus desumptum decretum edidit, cujus verba initialia sunt: *Martinus Episcopus servus servorum Dei Abbati Monasterii Scotorum in Wienna Pataviensis Diœcesis, & Augustensis, ac Salzeburgensis Ecclesiarum Decanis salutem, & Apostolicam Benedictionem. &c.*

Ex hoc decreto nos nonnisi ea, quæ Frisingensem Ecclesiam concernunt, delibamus. Sic igitur habet Pontifex:

Consulit immunitati Cleri Frisingensis.

Cum autem, sicut lamentabili querela Venerabilis Fratris nostri N. Episcopi Frisingensis, & dilectorum filiorum N. Præpositi, N. Decani, & Capituli Ecclesiæ Frisingensis, ac Cleri, & Ecclesiarum, ac Ecclesiasticarum Personarum Civitatis, & Diœcesis Frisingensis nuper accepimus, nonnulli Principes, Duces, Comites, Barones, & aliæ seculares Potestates earundem Constitutionum, & Sanctionum Canonicarum, & Legalium forsan ignari, & contra ipsas ab Episcopo, Præposito, Decano, Capitulo, Clero, & Personis, ac Ecclesiis, & Ecclesiasticis Personis prædictis forsan tallias, & gabellas, ac alias exactiones illicitas hactenus extorserunt, & adhuc extorquere nituntur, ac etiam bona Episcopi, Præpositi, Decani, Capituli, Cleri, Ecclesiarum, & Personarum prædictarum invaserint, arrestaverint, occupaverint, nec non occupare, invadere, arrestare, detinere, & eisdem suis usibus applicare similiter de facto præsumerent, in animarum suarum periculum, nec non Episcopi, Præpositi, Decani, Capituli, Cleri, Personarum, & Ecclesiarum prædictarum non modicum præjudicium, atque damnum. Nos in præmissis Episcopo, Præposito, Decano, Capitulo, Clero, Personis, & Ecclesiis prædictis opportune providere volentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, per alium, seu alios Episcopo, Præposito &c. contra quoscunque transgressores, & violatores Constitutionum earundem, cujuscunque status, dignitatis, & excellentiæ fuerint, efficacis defensionis auxilio assistentes, non permittatis eos contra canonicas, & legales Constitutiones, & Sanctiones hujusmodi indebite molestari: nec non easdem Constitutiones, ubi, & quando expedire videri-

deritis, solenniter publicantes faciatis transgressores, & violatores hujusmodi, si, & prout justum fuerit, ac ubi & quotiens expedierit, tamdiu excommunicatos, aut anathemisatos publicè nuntiari, donec ab earundem talliarum, collectarum, impositionum, & quarumlibet extorsionum, nec non bonorum Episcopi, Præpositi, Decani, Capituli, Cleri, Personarum, & Ecclesiarum invasione, arrestatione, occupatione, detentione, & applicatione omnino desistant, nec non etiam efficaciter restituant eisdem Episcopo, Præposito &c. prædictis, occasione præmissorum per eos læsis, seu gravatis tallias, gabellas, & exactiones ipsas, ac etiam bona Episcopi, Præpositi &c. arrestata, occupata, detenta, & applicata ipsis, aut quæ per se, vel alios illo prætextu quomodolibet receperint, imo verius temere, & illicite usurparint, à se libere, & omnino relaxent, ac in manibus vestris juraverint, quod de cætero talia non committant, & ea committentibus non præstent auxilium, consilium, vel favorem, contradictores per censuram Ecclesiasticam, & alia juris opportuna remedia compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis &c. &c. *Datum Constantiæ* 10. *Calend. Januarii. Pontificatus nostri anno primo.*

Hæc novus Pontifex Martinus V. in favorem Frisingensis potissimum Ecclesiæ atque Diœcesis: Ex quibus prudens Lector facile intelliget, qualis fuerit eo tempore in Bojaria rerum status. Cæterum qui prolixum illud Decretum voluerit totum legere, illud apud Goldastum *Tom.* 2. *pag.* 104. poterit reperire.

Concilio finis demum est impositus anno Christi 1418. postquam Sessione XXXIX. pro evitandis futuris Schismatibus constitutum fuit, ut à fine ejus Concilii quinto anno: post illud septimo, & deinceps decimo quovis anno Generalia Concilia celebrarentur. Hæc paucis exponere placuit, ut Lectori ex more nostro publicum Ecclesiæ per id temporis statum ob oculos poneremus. Cætera Acta Concilii recensere non est instituti nostri.

Id unum hic adhuc monemus, doctrinam de fallibilitate Summi Pontificis, quam Gallici quidam Doctores ex Sessione IV. Concilii Constantiensis eruere conantur, fortassis hactenus à nemine nervosius fuisse expugnatam, quam nuper à Reverendissimo Domino Matthæo Petitdidier Abbate S. Petri Senonensis Ord. nostri. Unde libellus illius, Gallicè primum conscriptus jussu moderni Summi Pontificis Benedicti XIII. in linguam etiam Italicam fuit translatus. Eum denique superiori anno R. P. Gallus Cartier latinitate donavit, & typis Augustanis commisit.

Dum hæc aguntur Constantiæ, Frisingæ Gerlochus de Waldeck Canonicus, & Custos Frisingensis Ecclesiæ anno 1415. nobile prædium ad custodiam ejusdem Ecclesiæ donavit. Weichenstephanii defuncto Abbati Leonardo Viro magni nominis, Fridericus loci Prior successit anno Christi 1416. cui eodem adhuc anno agentibus mulieribus quibusdam veneficis, dum balneo utebatur, haustus medicatus fuit propinatus, unde deinceps lepram Abbas contraxit, & tandem animam emisit. Una Sagarum comprehensa viva sub patibulo tumulum accepit. Cathedrale Collegium Frisingense eo anno Contado Rottensi Abbati è granario, quod Frisingenses Canonici Geltingæ in Præfectura Schwabensi pro condendis ibidem Decimis possidet, certum annuum pensum Advocatiæ titulo annuit. N. 314. Acta Frising. varia. N. 315.

Episcopus noster Hermannus, ut primos, quos vocant, fructus Pontifici persolvere posset, à Domino suo Parente Hermanno, decem florenorum aureorum millia mutua accepit, & ei Lacopolim in pignus assignavit. N. 316.

Inter Bojariæ Duces eo tempore nova semper ac nova jurgia exarsere. Bohemia quoque furore Hussitarum miserrime fuit exagitata. Wenceslaus vero quondam Imperator inertissimam animam efflavit. Martinus Papa singulari gratia eo tempore Collegium S. Andreæ beavit, quam alibi exhibemus. N. 317.

§. II.

§. II.

Reliqua ejus temporis, & Hermanni Episcopi Acta.

Synodus Provincialis Salisb.

PAtribus è Concilio Constantiensi feliciter terminato digressis curæ fuit, Eberhardo Salisburgensi Archiepiscopo, ut, cum demum post tantas Ecclesiæ perturbationes *dies sanctificationis* illuxisset, qua Romana, & Universalis Ecclesia unico, & indubitato Pastore gubernaretur, sicque eæ, quæ occasione Schismatis intercurrerant, deformitates compesci possent, Synodum Provincialem indiceret. Convenere itaque Salisburgi Albertus Ratisbonensis, Hermannus noster Frisingensis, Englmanus Chiemensis, Ulricus Seccoviensis, Wolfhardus Lavantinus Episcopi, & absentium Præsulum Pataviensis, Brixinensis, & Gurcensis Procuratores una cum Abbatibus, ac Præpositis, aliisque viris Ecclesiasticis primoribus totius Provinciæ.

Totius illius Concilii intentio eo spectabat, ut Prædecessorum Archi-Episcoporum Friderici, Conradi, & Pilgrini saluberrima statuta in Provincialibus Synodis concepta in memoriam revocarentur, atque in usum redigerentur. Itaque conditi fuere XXXIV. Articuli, qui deinceps in tota Provincia Fidelibus deberent publicari, atque inculcari. Et horum quidem Articulorum plerique à Canonum Decretis generalibus nihil differebant: aliqui tamen singulariter eam ætatem spectabant, qua Wicleffistæ doctrinæ suæ virus passim spargebant, & mulieres vestimentis valde indecentibus utebantur. His itaque malis congrua remedia fuere opposita. Judæi, qui eo tempore in ea Provincia reperiebantur, sub gravibus mulctis jussi sunt non alio, quam cornuto pileo uti, ut ea ratione à Christi Fidelibus discernerentur, & unicuique constaret, se cum nebulone negotium habere. Quo anno celebratum fuerit hoc Concilium, Scriptores non conveniunt, neque in actis notatum vidimus. Adelzreiterus tamen Synodum illam ad annum 1418. absolute, ac bene reponit, ut mox videbimus. Dikerus scribit, Episcopos supra laudatos anno 1419. annuente Sigismundo Imperatore fœdus pepigisse adversus eos laicos, qui libertati, ac immunitati Ecclesiarum insultarent, & eo quidem pacto, ut ejusmodi invasores, nisi moniti resipiscerent, & parti læsæ satisfacerent, non solum Censuris Ecclesiasticis castigarentur, verum etiam, si opus esset, junctis armis coërcerentur. Extant fœderis initi litteræ sequentis tenoris:

Fœdus Episcoporum pro immunitate Ecclesiastica.

Nos Eberhardus Dei gratia Archiepiscopus Salisburgensis, S. Sedis Apostolicæ Legatus. Nos ejusdem gratia Hermanus Frisingensis, Albertus Ratisbonensis, Georgius Passaviensis, Bertholdus Brixinensis, Ernestus Gurcensis, Engelmanus Chiemensis, Ulricus Seccoviensis, & Wolffgangus Lavantinus Episcopi, Provinciæ Salisburgensis Suffraganei, hisce patentibus attestamur pro nobis & successoribus nostris. Postquam pro bono publico prætactæ Provinciæ ad recuperandam immunitatem Ecclesiasticam, & bonum Regimen Concilium Provinciale octava post Festum S. Martini die in Urbe Salisburgensi per Nos Archiepiscopum Eberhardum convocatum, & rite celebratum fuit, ubi inter cætera ad dictum Concilium diversi defectus, gravamina & importunitates delata fuerant, quæ nobis, nostris Prælatis, & Clero à quibusdam Sæcularibus Principibus, Dominis & Equitibus, Vasallis, eorumque Officialibus & subditis in dicta Provincia commorantibus contra Pontificia & Cæsarea jura, Clerique immunitatem attentantur. Quapropter etiam Nos, & illud Concilium, Serenissimum Principem nostrum, clementissi-*

* *Leg.* Wolfhardus.

tissimum Dominum, Dominum Sigismundum Romanorum Regem pro assistentia contra dicta gravamina humiliter invocavimus, & cum Nos ipse noster Clementissimus Dominus Romanorum Rex suis Regiis literis desuper assecuraverit, quod Nos matura deliberatione & Capitulorum nostrorum consilio confœderaverimus, nosque etiam vigore præsentium confœderamus sequenti modo, & promittimus etiam hoc fœdus servare, nobisque invicem succurrere sub fide Principali fideliter & eandide. Primo itaque, si aliquis ex sæcularibus cujuscunque status & conditionis contra unum, aut plures nostrum, vel Prælatos, Clerique immunitatem inique egerit, tunc gravatus, vel gravati secundum jura, aut statuta hujus Provinciæ contra talem interdictis & excommunicatione procedat, vel procedant, donec resipuerit, & parti gravatæ satisfecerit; & si ejusmodi sæcularis persona reniteretur, nec satisfacere vellet, & sic in sua temeritate permaneret, post sex septimanas incepti processus Nos invicem invocabimus nostri, nostrorum Prælatorum & Cleri causa pro assistentia contra talem sæcularem personam, & qui ita inter Nos invocatus fuerit, is sine mora processum & excommunicationem patentibus literis in sua Diœcesi contra talem sæcularem publicare teneatur, juxta tenorem processus fideliter & candide continuando usque ad reorum resipiscentiam. Si autem, quod Deus avertat, tales personæ in contumacia perseverarent, & gladium Spiritualem censurarum spernerent, deberetque invocari gladius temporalis, præsertim nostri prænominati Clementissimi Domini Romanorum Regis, id fieri debeat nostrum omnium aut potiorum è nobis consensu & consilio: ita tamen, ut Nos, & nostrum quilibet, qui ita invocatus fuerit, ut præmittitur, assistentiam, consilium aut consensum sine mora impertiri teneamur & teneatur, præclusa omni omnino tergiversatione. In quorum omnium fidem & perpetuam rerum scriptarum memoriam hasce litteras fieri, & nostris, ac nostrorum Capitulorum dependentibus Sigillis roborari curavimus. Datum post Nativitatem Christi Anno 1419. *Dominica immediate ante Festum S. Antonii.*

Has literas vulgari idiomate fuisse conscriptas omnino nobis persuasum habemus. Certè in Frisingensibus chartariis reperiuntur exaratæ sermone Germanico. Verum quia exemplar nobis exhibitum ob plures lacunas ex literis detritis ac fugientibus ortas legi totum non poterat, opus erat instrumentum illud aliunde, & quidem ex Salisburgensi Historia excerpere. *pag. 101.*

Cæterum ex his sancti fœderis inter Episcopos initi litteris discent Collectores Conciliorum, Synodum Salisburgensem eodem adhuc anno, quo Constantiense terminatum fuerat, nempe 1418. medio fere Mense Novembri fuisse institutam: & Mense Januario annis sequentis (1419.) hanc piam societatem adversus violatores Ecclesiasticæ Immunitatis coaluisse. Item plures Episcopos huic Tractatui, quam dicto Concilio Salisburgensi fuisse præsentes.

Media illa tempestate Degenhardus de Weichs hujus Cathedralis Ecclesiæ Canonicus & Summus Scholasticus Sacellum Sanctorum Michaelis & Castuli, à Conrado Grunarzhovio cæptum, suis sumptibus perfecit, dotavit, & Sacerdotem proprium eidem assignavit. Literas fundationis alibi proferimus. N. 318.

Post Festum Pentecostes Hermannus Episcopus noster variis postulationibus duorum fratrum, Nicolai, & Rudolphi Schiltsazen, uti etiam Oswaldi Oettlinger, Mense Julio satisfecit. Mense Septembri prohibitum fuit Sacerdotibus omnibus hujus Diœcesis, ne uno die pluries sacrificarent. *Hæc ex notatis Celsissimi.*

Mineras ferri Oberhamerspacenses in Comitatu Werdenfeldensi eodem anno Episcopus noster sub certis conditionibus elocavit. De his Mineris deinceps non occurret multa mentio, utique, quod fuerint sumptibus impares.

Mox laudatus Dominus Joannes Grünwalder anno sequenti Præposituram Intiecensem consecutus est, ut ex litteris subjunctis apparet. Grünwalderus fit Præpositus Inticensis.

Perchtoldus Dei gratia Episcopus Brixinensis venerabili ac egregio Decretorum Doctori Joanni Grunbalder Canonico Frisingensi salutem in Domino sempiternam. Vacante nuper Præpositura Ecclesiæ collegiatæ Inticensis nostræ diœcesis per obitum Joannis Ebron ultimi dictæ Ecclesiæ Præpositi, cujus collatio, provisio & institutio ad nos pertinere

dinoscitur, Reverendus in Christo Pater, ac dominus dominus Hermannus eadem gratia Episcopus Frisingensis, ad quem, prout asseruit, ejusdem Præpositure præsentatio pertinere dicitur, nobis per litteras suas patentes te duxit præsentandum ad eandem, rogans attente, quatenus te suarum precum intuitu ad ipsam Præposituram auctoritate nostra ordinaria instituere dignaremur. Nos igitur hujusmodi precibus favorabiliter inclinati ac attendentes maximè scientiæ & peritiæ tuæ eminentiam, præfatam præposituram, sic ut præmittitur, vacantem tibi cum suis juribus & pertinentiis universis dicta auctoritate nostra &c. conferimus prout contulimus, investientes te &c. præsentialiter de eisdem &c. actum in oppido nostro Matray 19. Mart. anno 1420. indictione XIII.

Wiclefistæ vincunt Cæsareanos. Cæterum hoc anno Sigismundus Imperator ingentem exercitum contra Bohemos hæreticos in aciem eduxit; Verum nonnisi grandem stragem retulit, & Wicleffistarum antesignano Joanni Zisca coronam Regni relinquere coactus est. Hermannus Episcopus noster eo anno lumen perpetuum ad sepulchrum S. Corbi-
N. 319. niani in Crypta Cathedralis Ecclesiæ ordinavit. Bertolinus Aublinger Insignis Collegiatæ Ecclesiæ ad S. Andream Canonicus eodem anno sedilia Chori ejusdem Ecclesiæ, etiamnum exstantia, construi fecit cum sequentibus Inscriptionibus, ad latus Evangelii. *In choro sicut Asellus in foro. Est locus hic horum, qui cantant, & non aliorum. Hos Christe famulos hic psallentes conserva tuos.* Ad latus Epistolæ: *Anno Domini MCDXX. Dominus Bertolinus Aublinger Canonicus hujus Ecclesiæ peregit has Sedes in honorem S. Andreæ Apostoli.*

Inter Bojariæ Duces anno sequenti 1421. rursus grandes turbæ fuere exortæ, ac demum post sparsa mutuo incendia, ac rapinas Ludovicus Ingolstadiensis prælio est superatus. Eodem anno opera Remberti de Wallsee, & Caspari Schlikii Elisabetha Sigismundi Regis filia unica Alberto Austrio fuit desponsata, Hungaria, atque Bohemia in dotem pinguissimam adjecta. Episcopus noster Castrum Burckrain Georgio Frauenbergio oppignoratum, 550. Hungaricis florenis rede-
N. 320. mit. Cathedrale Collegium eo tempore ad Gerhohum de Waldek litteras dedit, quas in Parte secunda recitamus.

Translatio Hermanni Episcopi. Idem Episcopus noster, qui toto novennalis Regiminis sui tempore huic Ecclesiæ cum insigni laude præfuit, eodem anno die 29. Martii authoritate Pontificia ab eadem Sede Frisingensi ad Tridentinam fuit translatus, qui nihilominus in catalogo Tridentinorum Episcoporum non invenitur, haud dubie, quia
Mors ejusdem. morte ex infelici herniæ sectione in patria sua die 13. Septembris præventus, Tridentum nunquam adiit. Obiit itaque sub Pontificatu Martini V. Pontificis, Sigismundo Imperii habenas moderante: præsidentibus Salisburgi Eberhardo III. Brixinæ Bertholdo, Patavii Georgio, Ratisbonæ Alberto, & mox Joanne II. de Streitberg, antehac summo Custode, ac Vicario Generali.

Ex Chartario Ecclesiæ Divi Petri Monachii edocemur, sub Hermanno Episcopo floruisse Fratrem Albertum Ordinis Minorum Episcopum Salonensem, & ProEpiscopum Frisingensem, qui anno 1416. aras Divorum Joannis Baptistæ, & Catharinæ Virginis ac Martyris in prædicta Basilica consecravit.

CAPUT

CAPUT IX.

Nicodemus, XLI. Episcopus Frisingensis.

§. Unicus.

Primordia Nicodemi.

EAdem die, qua Martinus V. Hermannum ad Tridentinam Cathedram transtulit, etiam huic Sedi, in Curia, ut vocamus, vacanti, præfecit Nicodemum ex Illustri Prosapia della Scala, quæ antehac Veronæ, ac Vicentiæ fuerat Domina. Sic enim habetur in Archivo Romano: *anno MCDXXI. die Veneris 4. Calend. April. translatus est Hermannus Episcopus Frisingensis ad Ecclesiam Tridentinam vacantem per mortem &c.* Nicodemus instituitur à Pontifice.

Eadem die provisum est Ecclesia Frisingensi vacanti, ut supra, de Persona Nicodemi de la Scala. Equidem Canonici hujus Cathedralis Ecclesiæ suffragia sua contulere in Joannem Grienwalder, Joannis Bojariæ Ducis filium, ut vocant, naturalem, Decretorum Doctorem, Collegam suum, Vicarium Hermanni Episcopi Generalem, ac Iuticensem Præpositum jam supra laudatum. Verum Electio fuit irrita, cum beneficia in Curia vacantia ab ipsis Pontificibus soleant dispensari. Suspicati fuere nonnulli, Joannem ob juvenilem ætatem fuisse à Pontifice repulsum. Verum cum Joannes jam ad tanta officia promotus fuerit, imo etiam in Constantiensi Concilio hæreticis egregie se opposuisse alicubi dicatur, certe ætas nullum ei obicem posuit. Electio Frisingensium Canonicorum irrita.

Ad Nicodemum Episcopum nuper à Sede Apostolica institutum venêre sequentes litteræ.

Venerabili in Christo Patri Dei Gratia Episcopo Frisingensi, & ejus Vicario in Spiritualibus Jordanus miseratione Divina Episcopus Albanensis salutem & sinceram in Domino caritatem. Ex parte fratris Geori Sebinger Accoliti Novitii Monasterii Sancti Quirini in Tegernsee Ordinis Sancti Benedicti vestre diocesis nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum eo super macula, quam habet in oculo suo sinistro, quam non sui culpa, sed casualiter, dum scolasticis disciplinis in refectorio dicti Monasterii insisteret, & cum aliis Novitiis solatiando sederet, unus ex dictis Novitiis oculum cum cultello modicum tetigit & percussit, unde ex post dicta macula in ipso oculo est exorta, quod macula ipsa non obstante ad omnes sacros ordines valeat promoveri, & in ipsis etiam ministrare, Sedes Apostolica dispensare misericorditer dignaretur. Nos igitur auctoritate Domini Pape, cujus primarie curam gerimus, circumspectioni vestre committimus, quatenus inspecta macula ipsa diligenter, si tanta non est, quod in celebratione divinorum prestet impedimentum, nec ex deformitate ipsius possit scandalum generari, cum eo super premissis petitis, prout secundum Deum anime sue saluti videritis expedire misericorditer dispensetis, si aliud canonicum non obsistat. Dat. Rome apud Sanctam Mariam VI. Non. Julii Pontif. Domini Martini PP. V. anno quinto. Commissio data Vicario Gen. Frisingens.

Hæc è Codice Tegernſeenſi exſcripſimus, ubi in fine hæc ſubjunguntur: *Diſpenſatum eſt cum Georio per Joannem Vicarium Eccleſie Friſingenſis, ut in for. &c.*

Nicodemus ſtatim altero promotionis ſuæ anno etiam ab Imperatore inſtitutionem legitimam petiit, atque exigentibus præcipuis meritis ſuis facile impetravit, velut litteræ ſubſequentes docent.

Nicodemus etiam ab Imp. legitime inſtituitur.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungarie, Boemie, Dalmacie, Croacie &c. Rex. Notum facimus tenore preſentium univerſis. Etſi Regalis dignitatis clemencia univerſorum fidelium, quos Imperii Sacri latitudo complectitur, felicibus profectibus gratis commodis & ſperatis augmentis favorabiliter dignatur intendere, ad illorum tamen profectus & commoda diligentiori ſtudio clementius inclinari conſuevit, quorum fides, vota, merita, promptéque devotionis integritas continuatis ſtudiis ceteros antecedunt. Sanè accedens ad noſtre preſentiam Majeſtatis venerabilis Nicodemus Epiſcopus Friſingenſis, Princeps noſter devotus dilectus, nobis humiliter ſupplicavit, quatenus ſibi omnia ſua & Eccleſie Friſingenſis Regalia ſive feuda conferre, ipſumque de eisdem inveſtire gratioſius dignaremur. Nos itaque, qui quorumlibet juſte petentium vota complectimur gratioſe, preſertim cum juſtè petentibus non ſit denegandus aſſenſus, ſibi animo deliberato, ſanoque Principum, Baronum, Nobilium ac Procerum noſtrorum accedente conſilio, de certa noſtra ſcientia, auctoritateque Romana Regia, receptoque ab eodem fidelitatis, ſubjectionis & obedientie juramento debito & conſueto, Regalia, nec non temporalia, ſive feudum dicte ſue Friſingenſis Eccleſie, que ſingulare quoddam & inſigne membrum Romani exiſtit Imperii, cum univerſis & ſingulis ſuis attinentiis, ac mero & mixto Imperio, ac eciam exercitio juriſdictionis temporalis, nec non univerſis ſuis juribus, honoribus, conſuetudinibus, obſervantiis & pertinentiis, ſicut eadem bone memorie ſui Predeceſſores Epiſcopi Friſingenſes hactenus poſſiderunt, contulimus & conferimus, ac ipſum de eisdem inveſtivimus, & tenore preſentium inveſtimus. Mandantes univerſis & ſingulis Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Vaſallis, Officialibus, ceteriſque terrarum, civitatum & locorum predicti Epiſcopatus & Eccleſie Friſingenſis ſubditis, noſtris & Imperii Sacri fidelibus dilectis, quatenus eidem Nicodemo Epiſcopo Friſingenſi tamquam vero, ordinario & legittimo ſuo Domino in omnibus & ſingulis, tam in judicibus, quam in aliis exercitium juriſdictionis temporalis concernentibus, reverenter, firmiter & debite parere & obedire debeant ac intendere, difficultate & impedimento quibuslibet procul motis, ſupplentes omnem defectum, ſiquis ex defectu verborum, ſententiarum obſcuritate, & ſolempnitatis obmiſſe compertus fuerit quomodolibet in premiſſis de plenitudine Romane Regie poteſtatis, preſentium ſub noſtre Majeſtatis Sigillo teſtimonio literarum. Dat. Nuremberge, anno Domini Milleſimo, quadringenteſimo vigeſimo ſecundo, die XXVI. Menſis Auguſti, Regnorum noſtrorum Anno Hungarie &c. trigeſimo ſexto, Romanorum duodecimo, & Boemie tercio.

Per D. B. Epm̄ Pal. Cancell.
Franciſcus Pptus Strigonienſis.

Rᵹ Henricus ſix.

Eodem

Eodem anno Mense Septembri Sigismundus Imperator rursus graviſſimè diſſidentes Bojariæ Duces Ratisbonam evocavit, cauſam belli reddituros. Eos ubi audiit, inducias illis ad quadriennium imperavit. Cæterum idem Rex hortatu Pontificis eodem anno contra Bohemos rursus infelicem pugnam pugnavit. Sunt, qui ſcribant, id accidiſſe maleficiis Joannis Ziſcæ, qui ad maleficam quandam, velut ad Pandoram recurrerit, unde noſtri miro metu conſternati, & ad pugnandum facti ſint inhabiles. Nicodemus Epiſcopus noſter circa illud tempus opera Henrici Ducis Landishutani poſſeſſionem Epiſcopatus adivit, quo ipſo tempore Degenhardus Weichſer Canonicus & ſummus Scholaſticus Friſingenſis Decimas quasdam in Tuching Cuſtodiæ Eccleſiæ Majoris aſſignavit. N. 321.

Cæſareani rursus cum Bohemis confligunt infeliciter.

Joannem Grünwalderum à Canonicis Friſingenſibus, ut ſupra diximus, electum gubernationem Epiſcopatus affectaſſe, tametſi Nicodemus Pontificis, atque Imperatoris favoribus niteretur, ex ſequenti facti ſpecie intelligimus.

Grünwalderus gerit ſe pro Epiſcopo.

Hermannus Epiſcopus magna auri ſummâ mutuo acceptâ Joanni Adelzhauſero Caſtrum, ac Dominium Werdenfeldenſe in pignus dederat, quo tamdiu gaudere poſſet, donec ei pecunia fuiſſet plene reſtituta. Adelzhauſerus Hermanno Epiſcopo defuncto, Joanni Electo idem ſpopondit, quod Hermanno condixerat, nempe redditurum ſe Caſtrum cum Dominio, quamprimum pecunia ſibi reſtitueretur: Interea tamen proventus Werdenfeldenſes in Bojariæ Duces Joannes tranſtulit, à quibus ſequentes litteras accepit:

& talis habetur à quibusdam Ducibus Bav.

Wir Ernſt und Wilhalm von Gotes genaden pfaltzgrauen bey Rhein und Hertzogen in Bayrn &c. Bekennen offenlich mit dem Brieff für uns und all unſer Erben umb das geslos und die Herrſchafft Wernfels, die wir von Hainreichen Adeltzhauſer zu unſern handen, und in unſer gewalt pracht haben. Nu iſt uns wiſſenlich, das der obgenant Adelzhauſer dem Erwirdigen herren Johannſen dem Poſtulaten zu Freyſing unſerm lieben brueder vormals ehe, und wir es von ihm pracht haben, mit ſeinen treuen an aides ſtatt gelobt und verſprochen hat mit dem obgenanten geslosſ und herrſchafft zwarten, als ſeinem rechten herren, und niemand anders zu aller ſeiner notburfft mit offnung, loſung und allen andern ſachen. Nu haben wür unſerm lieben brueder dem Poſtulaten die lieb, und freuntſchafft gethan, und darumb, das er der wirdigen ſtüfft, und unſer lieben Frauen nit entfrombt wirdt, gelobt und verſprochen, und verſprechen auch in krafft diſes brieffs, das das geſchloſs und herrſchaft Wernfels mit aller ſeiner zuegehorung nu fürbas des obgenanten unſers lieben bruedern offens haus ſein ſoll zu aller ſeiner notburfft, und das mit pflegern, und ambtläuten nach ſeinem rath beſezen, und ihm auch loſung damit ſtatt zethun, wen er das an uns oder unſer Erben begert umb ſoleich Summ geldts, als wir von dem Adeltzhauſer darauf haben nach ausweiſung der brieff, die Biſchoff Herman sälig, und er darumb aneinander geben haben, und wen er uns die Summ geldts, darumb Wernfels dem Adeltzhauſer geſtanden iſt, bezalt und ausgericht hat, ſo ſullen wir ihm das geslosſ und die benant Herrſchaft mit aller zugehörung an all widerred, eintrag und verziechen einantwurten, und zu ſeinen handen ybergeben. Wir ſullen und wellen auch die benanten Veſt und Herrſchaft Wernfels, läut und güetter halten und bleiben laſſen bey allen ihren alten rechten, ehren, gewonhaiten, und freyhaiten, und ihn dawider kain neüung machen, noch ſy dauon dringen, auch kain Steür von ihn nemmen in kainen weg angeuär. Wär auch daſs unſer obgenanter brueder der Poſtulat von toudes wegen abgieng, da Gott nob lang vor ſey, ſo ſullen und wellen wir dem Capitel zu Freyſing mit der Herrſchafft Wernfels alles des ſchuldig, pflichtig und gebunden ſein in aller form und maſs, als wir uns gen unſerm obgenanten brueder oben in dem brieff verſchriben haben. Des zu Urkundt geben wür ihm den brieff verſigelt mit unſern anhangenden Inſigeln. Das iſt geſchechen, do man zalt von Chriſti geburd Vierzehen hundert iahr, und darnach in dem drey und zwaintzigiſten iahr an ſand Philippen und Jacobn der heiligen zwelfpotn Abend.

Ex his litteris manifestum est, a prædictis Bojariæ Ducibus, uti ab Adelzhausero Nicodemum eo tempore nondum fuisse agnitum Episcopum, quippequi super restitutione Castri, ac Dominii sæpe dicti non cum Nicodemo, sed cum Joanne tractarunt. Certum itaque est, Frisingam eo tempore Schismate quodam fuisse vexatam. Porro cur Duces illi Joannem appellaverint *postulatum*, non tam facile assequimur.

Non item ab Archi-Episcopo Salisb. Eberhardus Salisburgensis Archi-Episcopus sequenti annoGrinwalderum neutiquam Episcopum, sive electum, sive postulatum, sed tantum Canonicum, & Vicarium Ecclesiæ Frisingensis appellavit, ut patet ex litteris sequentibus, à Viro Clarissimo D. Philippo Saller Canonico Regulari Pollingano, SS. Theol. Doctore nobiscum communicatis, quas vel ideo hisce inserendas censuimus, quia conspectui ejus temporis per Provinciam Salisburgensem multam lucem afferunt. Ex sic habent.

Eberhardus Dei gratia Sancte Salzburgensis Ecclesie Archi-Episcopus Apostolice Sedis Legatus Venerabili nobis in Christo dilecto Johanni Grünwalder Canonico Frisingensi, Decretorum Doctori Vicario in Spiritnalibus Ecclesie ejusdem salutem in Domino. Litteras Sanctiss. in Christo Patris & Domini nostri D. Martini diversa providentia Pape V. bulla plumbea cum cordula canapis bullatas recepimus, per omnia in hec verba. Martinus Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Eberhardo Archiepiscopo Salzburgensi, salutem & apostolicam benedictionem. Romani Pontificis providentia circumspecta circa salutem animarum Christi fidelium omnium salubriter procurandam paterna sollicitudine libenter intendit, & ut Prelati ac persone ecclesiastice absque periculo animarum suarum diligentius divinis intendant, nonnunquam adhibet cum ab eo petitur, pastoralis diligentie sue curas. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod nonnulli Apostolice sedis legati de latere ad Provinciam tuam Salisburgens. dudum missi, nec non aliqui predecessores tui Archiepiscopi Salisburgens. qui pro tempore fuerunt, aliqua statuta penalia in Provincialibus Synodis in dicta Provincia per ipsos celebratis fecerunt, prout & quemadmodum tu similia in synodis per te celebratis edidisti, propter quorum non observationem plerique tam ecclesiastice quam seculares persone excommunicationis, suspensionis & interdicti ac privationis beneficiorum, que tempore transgressionis eorundem statutorum dicte ecclesiastice persone obtinebant, & nunc detinent, & inhabilitationis ad illa sententias aliasque diversas penas juxta formam dictorum statutorum ipso facto incurrerunt, & cottidie illaqueantur eisdem irregularitatem & infamia maculam penis & sententiis hujusmodi sic ligati divina celebrando officia seu alias immiscendo se illis contrahendo, fructus nihilominus percipiendo ex beneficiis hujusmodi, licet de facto in animarum suarum periculum & scandalum plurimorum. Cum autem sicut petitio eadem subjungebat, tu qui desideras saluti animarum subditorum tuorum providere, contra easdem personas ad executionem sententiarum & penarum earundem propter tyrannidem aliquorum Principum & laicorum, qui ipsas personas predictas penis & sententiis ligatas fovent, minime seu commode procedere non possis, pro parte tua Nobis humiliter fuit supplicatum, ut ad consulendum animarum saluti, & obviandum periculis & scandalis hujusmodi tibi super his de oportuno remedio providere paterna diligentia dignaremur. Nos itaque qui cunctorum Christi fidelum salutem & pacem infensis desideriis affectamus, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue de consensu dilectorum filiorum Capituli ecclesie tue Salzburgensis ac consilio duorum in jure canonico Doctorum, quos ad hoc elegeris, ponderatis tamen & consideratis qualitatibus & conditionibus temporum, dicta Statuta in parte vel in toto, prout tibi & ipsis capitulo expedire videbitur, tollendi vel eis addendi seu subtrahendi & moderandi, nec non easdem personas à sententiis, censuris & penis, quas ratione transgressionis dictorum statutorum, ut perfertur, quomodolibet incurrerunt, si hoc humiliter petierint, per te vel per alium auctoritate nostra absolvendi hac vice duntaxat in forma Ecclesie consueta injunctis eis pro modo culpe penitentia salutari & aliis, que de jure fuerint injungenda, ac penas & censuras predictas relaxandi omnemque inhabilitatis & infamie maculam

culam sive notam per eos premissorum occasione forsitan contractam penitus abolendi, & super irregularitate, quam permissorum occasione celebrando divina vel immiscendo se illis non tamen in contemptum clavium, contraxerunt, quodque in susceptis ordinibus, eis tamen prius ad tempus, de quo tibi videbitur, à suorum ordinum executione suspensis, ministrare, & ad superiores ordines promoveri, libere & licite possint, eadem auctoritate dispensandi, & eisdem personis ecclesiasticis dicta beneficia, quibus, ut perfectis, propter transgressionem hujusmodi statutorum privati existunt, etiam per te vel alium conferendi; eosque ad præmissa & quæcunque alia impofterum canonice obtinenda habilitandi, tenore præsentium plenam & liberam concedimus facultatem. Volumus autem, quod personæ ecclesiasticæ, quibus vigore presentium huiusmodi eorum beneficia de novo contuleris, & provideris de eisdem super fructibus ex eisdem medio tempore male perceptis, quo illo de facto, ut præmittitur, detinebatur, cum dilectis filiis collectore fructuum reddituum & proventuum apostolice camere debitorum, per nos seu de mandato nostro seu subcollectorem per eundem collectorem in illis partibus deputato concordare & componere teneantur, alioquin per te illis de talibus beneficiis, ad que se inhabiles reddiderunt, faciendo collationes & provisiones viribus non subsistant, nulliusque sint roboris vel momenti. Non obstantibus apostolicis & predictis provincialibus constitutionibus nec non Statutis ac consuetudinibus Ecclesiarum, in quibus dicta beneficia forsan fuerunt juramento, confirmationis apostolica vel quacunque alia firmitate roboratis, caterisque contrariis quibuscunque. Datum Rome apud S. Mariam maiorem 5. Kal. Nov. Pontificatus nostri anno 6.

Nos itaque acceptis litteris huiusmodi, & considerantes, quod in Diœcesi Frisingensi plures sint Prelati, presbyteri & clerici, qui penas statutorum predictorum incurrerunt, volentesque animarum suarum saluti & indempnitati providere & salubriter consulere, nec non de Te specialem in Domino in his confidentiam habentes Tibi cum eisdem Prelatis, presbyteris & clericis diœcesis prefate super transgressione predictorum statutorum dispensandi, & eos ac quemlibet eorum à sententiis & penis, quas propterea incurrerunt, si hoc humiliter petierint, absolvendi, habilitandi & eis de beneficiis, quibus forsan occasione præmissorum privati sunt, providendi, & alia iuxta vim & formam litterarum prædictarum faciendi & exereendi tenore presentium committimus plenarie vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas, proviso, quod si aliquem propter transgressionem huiusmodi pecuniaria pena forsan te punire contingat, quod medietas custodi Ecclesie nostre Salisburgensi per te assignetur, & alia medietas in utilitatem fabrice Ecclesie Frisingensis per te convertatur, super quo tuam conscientiam oneramus. Datum Salzburge Mensis Martii die 12. Anno Domini 1424.

Hæc Grünwaldero Archiepiscopus: cujus, uti etiam Nicodemi Episcopi jussa executurus Joannes noster, abjecto Episcopi titulo ad universum Clerum Frisingensem sequentes literas exaravit, in quibus etiam Laicorum quorumdam facta iniqua merito castigantur. Tenor literarum est, qui sequitur.

Johannes Grünwalder Decretorum Doctor Canonicus Ecclesie Frisingens. ac Reverendi in Christo Patris & Domini D. Nicodemi prædicte Ecclesie Episcopi Vicarius in spiritualibus generalis. Universis & singulis Abbatibus, Prepositis, Gardianis, Decanis, Prioribus, Subprioribus, Plebanis, Vice-plebanis, Capellanis, Altaristis ac presbyteris quibuscunque per civitatem & Diœcesin ubilibet constitutis salutem & fraternam in Domino charitatem. Presentibus vobis intimamus, & ad cujuslibet vestrum notitiam deducimus, quod Dominus noster Episcopus præfatus alias sui ante recessum seriosius & districtius nobis precepit & mandavit processum contra omnes & singulos clericos sue diœcesis, cujuscunque status aut conditionis existant, transgressores statutorum provincialium & synodalium, signanter de concubinatu & de negligentia informationum in confessionibus & sermonibus subditorum secundum informationes sanctorum Patrum, nec non compulsionem ad reformationem monasteriorum nondum reformatorum. Volentes autem, quantum in nobis est, & parere mandatis Domini nostri, & nihilominus sine scan-

scandalo & strepitu consulere singulis vobis & subditis vestris, communicavimus consilium Reverendissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Eberhardi sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ Archiepiscopi metropolitani nostri, authoris videlicet statutorum, qui paterne circa prædicta statuta nobis omnibus providens à Sanctissimo Domino nostro Domino Martino Papa moderno gratiam absolvendi & dispensandi cum transgressoribus dictorum statutorum obtinuit & impetravit: quam gratiam nobis communicans dictus Dominus noster Metropolitanus auctoritatem absolvendi & dispensandi gratiose substituit & delegavit, quemadmodum in ejusdem litteris cum latore præsentium vobis directis plenius videbitis, quas tamen illæsas restitui volumus. Mandamus igitur juxta officii debitum præmissorumque intuitu omnibus vobis & cuilibet vestrum in virtute sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis pena, quatenus vos & quilibet vestrum omnem clerum subjectum requirat & ammoneat, quem nos & similiter quemlibet vestrum tenore præsentium requirimus & monemus, quod quicunque penam alicujus statutorum provincialium vel synodalium, præsertim de concubinatu aut negligencia prædictorum aut aliorum, signanter ad singula monasteria & decanatus per Dominum Hermannum fel. record. Episcopum Frisingensem sub Sigillo suo directam inciderit quomodolibet in toto vel in parte, reformationemque culpabiliter obmiserit, aut impedverit, ut infra quindenam à requisitione, quem terminum uno pro tribus & peremptoriis edictis assignamus, compareant, recepturi dispensationem & absolutionem, ceteraque facturi nobis commissa & indulta, ut hoc sacro jejunii tempore salutifere & magis fructifere valeant & valeatis in saeris & sacramentalibus vobis & subditis vestris præesse, pro vivorum quoque & mortuorum salute, juxta debitum vestri officii, efficaciusque intercedere. Certificantes quemlibet vestrum & similiter subditorum vestrorum, quod si quis culpabilis idipsum distulerit, posterius tempore suo contra eundem & omnem talem, tanquam contra sufficienter ammonitum & requisitum procedemus juxta mandatum Domini nostri, ad executionem penarum & alias, prout & quemadmodum culpa qualitas, negligentia informationis in sermonibus & confessionibus requirunt non tardabimus. Praterea quia heu etiam apud magnos charitas verisimiliter ex negligentia informationum in sermonibus & confessionibus adeo incepit frigescere cottidiana experientia docente, quod non verentur privilegia Ecclesiarum bonorum earundem ac totius cleri ab omnipotente Deo, sanctissimis Patribus Apostolicis, divisque Imperatoribus divinitus provisa & donata infringere multipliciter & violare damnabiliter, ea faciendo tributaria contra Genes. 47. & Esdram 7. Judicum quoque super & de ipsis usurpare, cum tamen revera secundum ea jura divina & humana cum omnibus suis pertinentiis solum sint de foro Ecclesiæ, ab omnique foro forensi exempta. Quare auctoritate supradicti Domini nostri volumus & in virtute sanctæ obedientiæ districte mandamus omnibus Predicatoribus & confessoribus, quatenus in vestris sermonibus & confessionibus singulis, & præsertim, ubi verisimiliter ad tales contingere potestis, informetis & prædicetis de veritate eorundem privilegiorum Ecclesiarum, rerum earundem ac personarum à Deo, sanctis patribus apostolicis, ac divis Imperatoribus emanatis cum fulminatione & decreto magnarum & multiplicium penarum. De festo quoque sancti Marci, quod hoc anno incidit in feriam 3. Pasca volumus, quilibet vestrum in Ecclesia sua hoc anno se conformet breviario sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ, cum in nostro Breviario de hoc non caveatur. tenorem autem ejusdem in parva cedula una cum summa ex omnibus ductis propter magis simplices extracta dirigimus & avisationem intronisationemque penitentium publice tempore consueto apud nos Frisinge fiendam plebisanis vestris intimare volumus & precipimus. de executione vero præsentium stabimus latoris nuntii nostri jurati fide harum testimonio litterarum Sigillo vicariatus tergotenus appresso sigillatarum. Datum Frisinge die 26. Mensis Martii anno Domini 1424.

Hæc omnia ad normam Canonum scripta fuisse, prudens Lector intelliget. Dolendum sane est, reperiri hodieque aliquos, maxime laicos, qui vix non isto cum heterodoxis fœdere dictos Canones ultra Garamantas, & Indos proscribi cuperent.

perent. De his accipimus dictum illud Spiritus Sancti: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.*

Ad eundem annum in Codice Prædiorum sequentia legimus annotata: *Anno* 1424. 11. *Octobris in Civitate Salzburgensi per Reverendissimum ejusdem Civitatis Dominum Archi-Episcopum, in quem ex parte R. P. Nicodemi Episcopi Frisingensis ex una: & ex parte Capituli Frisingensis, & eorum adhærentium ex altera compromissum fuerat, constitit pax promulgata, & confirmata.*

Unde intelligimus, eo demum anno lites ex Electione Joannis obortas finem invenisse. Legimus alibi, Joannem annua ducentorum florenorum pensione, item proventibus Officii Vicarii Generalis, nec non iis, quæ *Cathedratici* nomine persolvi solent, deinceps contentum vixisse, dum sors melior arrideret.

Cæterum eodem anno obiit Joannes Zisca hæreticorum Bohemiæ Dux nequissimus. Cum cujus morte Sæculum Frisingense septimum libenter claudimus.



HISTORIÆ FRISINGENSIS

SÆCULUM OCTAVUM,

Ab anno Chriſti MCDXXIV.
usque ad annum MDXXIV.

Sive

LIBER OCTAVUS

De Epiſcopis Friſingenſibus.

CAPUT PRIMUM.

Proſecutio Actorum Nicodemi, Epiſcopi XLI.

§. I.

Nicodemi Vigilantia pro Epiſcopatu.



Nicodemus quietam tandem Epiſcopatus poſſeſſionem adeptus totus in eo fuit, ut jura Eccleſiæ ſuæ ſarta tecta ſervaret. Cumprimis cordi illi fuit, ut ea, quæ olim anno 1158. & 1180. ratione pontis Veringenſis, nec non Officinæ Monetariæ Fridericus Ahenobarbus conſtituerat, nova Cæſarea Confirmatione roborarentur. Cæſareas illas litteras Tomo Hiſtoriæ noſtræ primo Parte I. ſuis locis expreſſimus.

pag. 337. & 365.

Annuit Epiſcopi votis Sigismundus Imperator, eique ſequentes litteras fuit elargitus:

Confirmatio duorum privilegiorum.

Sigismundus Dei Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Notum facimus tenore præſentium univerſis. Ad hoc ſummi diſpenſatione Principalis Monarchiæ obtinuimus dignitatem: ad hoc Romanæ Regiæ Celſitudinis ſuſcepimus Diadema, ut, ſi ad alia extrinſeca debita ſollicitudo

nos

nos provocet, ad ea tamen præsertim, quæ statum felicem, ac incrementum jurium, gratiarum, & libertatum, Ecclesiarum, ipsarumque Ministrorum respiciunt, tantò intendimus uberius, quantò nostrum præ cæteris mundi Principibus solium magnificentiùs erexit Cœlestis Providentia Creatoris. Sane quia per Venerabilem Nicodemum Episcopum Frisingensem Principem devotum, nostrum Dilectum exstitit nobis precum instantia supplicatum, quatinus sibi, & Ecclesiæ suæ duo Privilegia dictæ Ecclesiæ suæ per Serenissimum Principem Fridericum Romanorum Regem prædecessorem nostrum Charissimum super quibusdam vadis in Veringa, & Munchen gratiosè concessa, approbare, ratificare, innovare, confirmare gratiosius dignaremur, quorum quidem Privilegiorum tenor, tenor primi Privilegii sequitur in hæc verba: In nomine &c. hic recitatur Privilegium de anno Christi 1180.

Tenor vero secundi Privilegii sequitur, & est talis: *In nomine* &c. Hic Imperator adducit alias ejusdem Friderici litteras anno 1158. exaratas: ac postca subdit.

Nos igitur, qui nostrorum vota fidelium libenter amplectimur, considerantes petitionem dicti Episcopi Frisingensis rationabilem, & condignam: attentis nihilominus Prædecessorum suorum, atque suis obsequiis nobis hactenus impensis, & in antea ferventius impendendis, animo deliberato, sanoque fidelium nostrorum accedente consilio, & de certa nostra scientia prædicta Privilegia, & omnia in eis contenta, in omnibus suis articulis, clausulis, sententiis, punctis, & expressionibus, prout superius de verbo ad verbum exprezantur, approbavimus, innovavimus, ratificavimus, & confirmavimus, approbamus, innovamus, ratificamus, & tenore præsentium authoritate Romana Regia gratiosius confirmamus, decernentes, & omnia & singula perpetue inviolabilis obtinere roboris firmitatem, præsentium sub nostri Majestatis Sigilli appensione testimonio litterarum. Datum Viennæ vecesima prima die Mensis Januarii, anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo quinto, Regnorum nostrorum Hungariæ &c. tricesimo octavo, Romanorum quinto decimo, & Bohemiæ quinto annis. Ad mandatum Domini Regis D. Joanne E. Zagabrien Canc. referente, Franciscus Præpositus Strigonien.

(L.S.) *R. Henricus Fye*

Sabbatho Sancto terris valedixit Degenhardus de Weichs Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, quem olim in Episcopum electum fuisse ad annum MCDX. annotavimus. Id nobis monstrat lapis ejus sepulchralis, cujus est hæc inscriptio. *Anno Domini MCDXXV. in Vigilia Paschæ obiit Dominus Degenhardus de Weichs Canonicus Frising. & Præpositus Mosburg. quondam electus Episcopus Frising.*

Eodem fere tempore interventu Henrici Bojariæ Ducis compositi inter se fuere Nicodemus Episcopus noster, & D. Georgius de Frannberg super iis expensis, quas idem D. Georgius ad reparandum Castrum in Burgrain adhibuerat. Composito ea accidit Landishuti. Pax inter Episc. & Fraunbergium.

Mense Augusto Episcopus noster Castrum, ac Dominium Werdenfeldense, quod pro 3000. florenis Hungaricis oppignoratum ab Hermanno antecessore fuerat, numeratis Ernesto, ac Wilhelmo Ducibus. 2500. ejusmodi florenis reluit: quingentos florenos reliquos Duces Episcopo condonarunt. Similiter superiori anno idem Episcopus noster 2000. aureis persolutis etiam Castra Klingenfels, & Preifeck Ecclesiæ suæ recuperavit, uti alicubi annotatum vidimus. Eodem anno Nicodemus Episcopus Monasterio Beyhartingano Parochiam Schenau ob gravia, quæ perpessum fuerat, damna, contulit; quam donationem post biennium Martinus N. 322. Werdenfels redimitur. N. 323. N. 324. Parochia Schönau conceditur Monast. Beyhart.

N. 325. tinus Papa ratam habuit, & Joannem Tuelbeck Præpoſitum S. Viti exſecutorem donationis atque confirmationis conſtituit.

Mauſoleum pag. mihi 259.

Proximo anno 1426. Dominus Joannes Notthafft Joanni Duci Palatino ædem ſuam, Ratisbonæ verſus Monaſterium D. Emmerammi ſitam, vendidit: quam inſecuto poſtea ſæculo Abbas ejusdem Monaſterii à Domo Palatina coemit, ac tandem anno Chriſti 1654. Cœnobii ſupra dicti Præſul Epiſcopatui Friſingenſi rurſus accepto pretio tradidit.

Perfidia Archiepiſcopi Pragenſis.

P. Gabr. Bucel. in annal. Germ.

Noſtri iterum cedunt Bohemis.

Mors Archiep. Salisb.

Novus eligitur.

Archi-Epiſcopus Pragenſis eo tempore turpiſſimo facinore ad Huſſitas defecerat, hinc à Martino Pontifice diris devotus eſt. Scripſit eapropter Pontifex tum multis aliis per Germaniam Epiſcopis, tum etiam noſtro, ut eam excommunicationis ſententiam publice denuntiarent, omnemque operam adhiberent, ut Bohemia in priſtinum ſtatum, & Religionem reſtitueretur. Verum Bohemi victoriis inſolentes arma ſua extra Regni ſui fines in Sileſiam protulere. Et licet anno inſequenti, Chriſti 1427. Imperii Electores ingentem Exercitum, qui evertendæ univerſæ Bohemiæ par exiſtimari poterat, adverſus Sectarios illos collegerint, tamen ad primum hoſtis occurrentis nuntium rurſum exercitus noſter propudioſam fugam iniit, caſtris opulentiſſimis hoſti relictis. Cæterum eo anno Salisburgi fatis conceſſit Eberhardus Archi-Epiſcopus, cum quo olim Bertholdus Epiſcopus noſter contentionem habuit. Electores Salisburgenſes Eidem ſurrogarunt cognominem Eberhardum: ſed è ſanguine Starenbergio progenitum. Legimus, Nicodemum Epiſcopum noſtrum eo anno Collegio Illmonaſterienſi Parochiales Eccleſias in Haunſtetten, & Hezenhauſen univiſſe.

Joannes Grunwalder Epiſcopi Nicodemi Vicarius Generalis circa illud tempus Monaſteria noſtri, ac Divi Auguſtini Ordinis per hanc Diœceſin reformavit.

P. Bern. Pezius Anecdot. T. 3. part. 3.

Ex Faſtis Tegernſeenſibus ſub Hildebrando Abbate ad illud tempus ſequentia excerpere licebit, quæ manu fere coæva fuere conſcripta, & noſtra ætate typis publicis commiſſa. Ibi hæc legimus.

Reformatio Monaſterii Tegernſeenſis.

„ Cum Divina Clementia hunc locum in ſpiritualibus, & temporalibus deſolatum miſerationis intuitu inviſeret, atque malis plurimis, quibus in utroque ſtatu involutus erat, finem imponere decreviſſet (nam tanta tunc erat vitæ Regularis deſtitutio, ut pæne nihil, niſi habitus ſolius modica apparentia remanſiſſet. nam etiam Monachos ſe fratres vocari indigne ferebant) ſuſcitavit Dominus ſpiritum Illuſtris Principis Domini Wilhelmi Ducis Bavariæ, qui viſa Regulari Obſervantia per Patres ſacri ſpecus (Sublacenſis) authoritate ſacri Concilii Conſtantienſis in Ducatu Auſtriæ introducta, dirigente eum poſt Deum in cunctis Venerabili in Chriſto Patre Domino Joanne, dicto Grünwalder tunc Eccleſiæ Friſingenſis in Spiritualibus Vicario, poſt ibidem Epiſcopo, authoritate Apoſtolica, videlicet Domini Martini Papæ V. & Ordinaria Domini Nicodemi Epiſcopi locum hunc anno Domini Milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſexto, cum Religioſis Viris Ordinis noſtri, videlicet Petro de Roſenhaimb Monacho Mellicenſi, & Joanne de Oxenhauſen poſtea Abbate Scotorum Viennæ, & Joanne Decano, poſtea Præpoſito in Undenſtorff, nec non aliis honorabilibus viris coaſſumptis perſonaliter viſitavit, & præfato Domino Hildebrando Abbatiam reſignante elegit de eorundem Viſitatorum conſilio per viam Compromiſſi Venerabilem in Chriſto Patrem, & Dominum Dominum Caſpar, cognomine dictum Ayndorffer, inter Sacerdotes hujus Congregationis tunc noviſſimum, & Juniorem, ætatis annorum circiter viginti quatuor. Qui auxiliante ſibi Deo locum ipſum, ut hodie cernitur, nedum in Obſervantia Regulari, ſed & in temporalium ſtatu adeo ſublimavit, ut poſt primam Monaſterii ſpoliationem per impium Arnoldum Schyrenſem Comitem, & Noricorum Ducem factam, Monaſterium ipſum in rebus, & perſonis nunquam adeo profecerit, ut Fundator ſecundus Monaſterii digne nominetur. De qua Monaſterii viſitatione, & Re-

„forma-

formatione sunt versus isti per P. Petrum de Rosenhaimb sacri specus primo, & „ post Mellicii Cœnobii Monachum conscripti, videlicet: „

Transactis mille vigenis, sex simul annis
Et quadringentis Authore Deo Venerandus
Grünwalder Doctor Frisingensis Vice Præsul
Eximius Dominus Fultus virtute superna
Res nova! Cœnobium præsens hoc visitat, atque
Normam vivendi cum Collegis sibi junctis
Sanxit servandam Monachis, vitamque reformat.
Ergo Dei monitu frater mala facta priora
Exclusis vitiis tu corrige lege professa.

Hæc ille.

Igitur Reverendus Pater, & Dominus Caspar administrationis, & Curæ „ Pastoralis onere in se suscepto considerans juxta Regulæ Sancti Patris nostri Be- „ nedicti Sanctionem, animarum salutem caducis, & transitoriis semper fore præfe- „ rendam, institutioni Vitæ Regularis à Patribus sibi traditæ fideliter intendebat, „ subditos sibi non verbis tantum, sed etiam exemplis salutaribus antecedebat, „ & quantum cura domestica, quæ in annos plures ei fuit onerosa, permisit, fre- „ quenter Orationi, Lectioni sacræ, & Fratrum Disciplinæ intendebat: Summaque „ cura ei fuit in augmento gregis sibi commissi, ne observantia Regularis per „ eum cœpta ob personarum penuriam aliquando lapsum pateretur. Ubi non par- „ vam annis pluribus difficultatem expertus ob renitentiam fratrum quorundam, „ qui minus discrete de carnis suæ, & parentelæ nobilitate gloriantes, præter no- „ biliter, secundum sæculum scilicet natos, juxta usum, imo verius abusum an- „ tiquum neminem admittendum judicabant. Quos cum pater prudens ad ma- „ jora vitanda molestare formidaret, plurimum sapienter dissimulabat. Siquidem „ ipsi sæculares Nobilistæ, qui antea studebant pueros suos huic loco offerre, spe „ sua in Vita Regulari jam noviter assumpta se frandari videntes, ad offerendum „ filios suos tardiores reddebantur. „ Hæc ex dictis Fastis Tegernseensibus fideliter extraximus, ubi paulo post subjungitur, eo tempore primum ex non Nobilibus susceptum fuisse Virum illum celeberrimum, Magistrum Joannem Köckium de Giengen, sacræ Paginæ, & Artium Professorem: Cujus fama permoti plures sanctæ Religionis zelo provocati ad conversionem venerint, ita, ut infra paucos annos fratrum Cœtus numerum quadragenarium, imo & quinquagenarium adæquarit.

Laus Gregorii novi Abbatis.

Joannes Keckius Tegernseensis.

Porro Vitam Joannis Köckii Viri celeberrimi in Parte altera exhibemus: de quo suis locis redibit amplior mentio. N. 326.

Cæterum Idem Joannes Grünwalder cum supra laudatis Joanne Decano Undenstorffensi, ac Petro Mellicensi etiam Beyrbergæ visitationem instituit.

Lustrantur alia Monasteria.

Scribit Raynaldus, anno Christi 1428. n. 5. in Conventu Principum Francofurtensi arma rursus in Hussitas fuisse decreta. Addit Trithemius, Sigismundum Imperatorem propter continua in Bohemos bella pecuniis, ut prætendebat, exhaustum à Martino Papa V. litteris impetrasse consensum, ut, sicut à civibus, & colonis Regni Germaniæ, ita etiam ab universo Clero undequaque per eandem Germaniam subsidia conquirere posset. Fuisse postea collectam ingentem auri, argentique copiam, cujus tamen aut nihil, aut parum contra Schismaticos fuerit expensum. Cæterum subjungit, æstatem illius anni fuisse perquam nimbosam, aquarum inundationes fuisse frequentes, ut adeo mortalibus ingentia enata sint incommoda, ac fames, rerumque caritas, ac denique pestis per universum pæne Germaniæ Regnum horribilis secuta sit.

Annal. Hirs.

In Tegernseensi Tabulario reperiuntur quædam Instrumenta tum Originaria, tum apographa, ex quibus constat, Nicodemum Episcopum nostrum eodem anno Christi 1428. à Casparo Tegernseensi Abbate petiisse medietatem proventuum unius anni: Casparum vero postulationi neutiquam consensisse, sed publice ad Eberhardum, eo nomine quartum Archi-Episcopum Salisburgensem provocasse. Obiit vero statim sequenti anno Christi 1429. Eberhardus, eidemque Joannes ex Nobili familia de Reichersperg suffectus est, qui ad Episcopum nostrum dedit litteras sequentis tenoris.

Episcopus grandem Summam exigit ab Abb. Tegerns.

Joannes Dei gratia Archi-Episcopus Salisburgensis. Venerabilis in Christo frater amice charissime. Unser Lieber in Gott &c. der Abbt ze Tegernsee hat vns vürbracht, wie Ihr ain foderung umb halbe nutze seiner Abbtey zu ihm zehaben, vnnd ihm darum zebekümeren mainet, vnd er aber Eu darin rechtlich nichts schuldig seye &c. Auf das begebren wür, und bitten auch Eure freundtschafft in sonderem fleis, ob Ihr von Eurer, und Eures Gottshaus rechten wegen, so Ihr dan darein vülleicht habt, oder zehaben vermainet, den benanten von Tegernsee der obgemeldten forderung nicht vertragen wollet, noch müget, das Ir dem dasselb vor unser, oder anderen endten, da sich den das gebürdt zethain, gen denselbn von Tegernsee durch recht fürbringet, und suchet. Daran erweiset ihr uns gutte geuallnusse. Dat. Salzburge ipsa die Luca Evangelista, anno 1430.

Existimamus, Casparum Abbatem deinceps sive ab Archi-Episcopo, sive ab ipso Episcopo fuisse ab ea gravissima exactione absolutum, cum in monumentis Tegernseensibus ad illos annos nihil memorari videamus de gravi aliquo detrimento rebus Monasterii illato, bene vero, quod Abbas Nobilium exactionibus fortiter sese opposuerit. Placuit hic acta Tegernseensia illius triennii in compendium redigere, ne frequentiori ejusdem rei commemoratione Lectori molesti simus.

Ad idem interim tempus videntur referendæ esse Litteræ à Joanne Grünwaldero, & Petro Mellicensi Monacho ad Casparum Abbatem Tegernseensem multorum dicteriis impetitum datæ.

Venerabilis in Christo Pater & Domine post humilem recommendationem supplicamus vobis in Domino, quatenus sollicitam curam geratis de Monasterio vobis commisso, ut regularis observantia de die in diem erescat in silentio, jejuniis Regularibus, obedientia, in divino officio devote persolvendo, & quod excessus fratrum non transeant impuniti, cum distinctione tamen, & quod fratribus sit competenter provisum. Vos quoque frequenter in Conventu & Choro sitis, & per omnia vos exhibeatis aput omnes tamquam Religiosum & Spiritualem Patrem Monasterii, in quo nobis valde magnum solatium præstabitis, & Deo ac vobis honorem; nam emuli nostrarum ordinationum ubique nos observant, si quo modo nos possent sugillare facto vel verbo, aut nostras ordinationes & labores sinistre interpretari. Non sitis faciles ad exeundum de Monasterio, & eum multa & pomposa comitiva, quia notamini in hoc facto. Omnes emuli, sciatis, sicut & nos ita & vos observant, & locuntur apud principes talia, etiam aliquando ea, que non sunt, tamquam ea, que sunt. Studete omnino vos gerere gravem, quia juventus vestra despicitur in Abbate, si gravitas morum hanc non solidat; & nos quidem multa bona de vobis predicamus; Expedit igitur, ut opera vestra & habitudo Regiminis vestri nos non confundant. Confortamini ergo & nolite metuere, & facite bene in omnibus vos Sancte Regule conformando. Dat. Frising. in vigilia Lucie.

Johannes Grw(e)nbalder Decretorum Doctor &c. & Petrus Monachus Mellicens.

hec sup. *Domino Caspari Abbati Monasterii Tegernsee &c.*

Nico-

Nicodemus Episcopus noster eo tempore controversias, inter Rectores duarum Parochialium Ecclesiarum Monaeensium exortas, composuir, & normam deinceps servandam præscripsit. Subjungimus Nieodemi literas.

Episcopus conciliat duos Parochos Monacenses.

*Wür Nicodem von Gottes gnaden Bischoue ze Freysingen. Bekhenn. Als zwischen den Ersammen unsern andechtigen getbreuen lieben Johansen dem Grienwalder unsern Vicarien, lehrer geistlicher Rechten, Dechant zu Sanct Peter ze München, auf ainem, und maister Leonhardten Pfarrer zu vnser Frauen daselbs auf dem andern thaillen, von derselben baider vnnser Pfarrkhirchen Rechten wegen, ain zwiträcht und misshellung erhebt hete, und fir vnns von baiden Parteyen ins Recht khammen, der sy aber zu baider seitten, bey unns und den Ersamen, Wolgelehrten vnnsern besundern lieben Wilhelmen Schilwaz vnserm Thuembrobst zu Freysing, Johansen Thulbekh Brobst zu sant Veit daselbs, Johanss khautsch verweser des Bistumbs zu Augspurg, und Johansen Resch Official daselbs beliben sindt vnd vnns darhin ganzen vnd vollen gewalt gegeben habent, darumb auszesprechen, vnd ain ordnung auf ain Ewigkhait zemachen. Also nach gueter bedechtnus vnd vorbetrachtung sprechen vnd orden wür von Erst, das ain yeglicher Pfarrer yez vnd hinfir ewigkhlich zu vnnser Frauen ze München, ainem yekhlichen dechant zu sant Peter daselbs, ehre, gehorsamb, und vnderthenigkhait erzaigen soll, ze khirchen vnd ze strass, als seinem dechant vnd obristen. Item mit der verkhindung der heyligen zeit, der feyrtäg vnd vasitäg darin zweifel were darumb, soll der Pfarrer von vnser Frauen des dechants rath haben, als ander Pfarrer vnd briester in derselben dechantey vnd dem auch darinn nachuolgen. Item von des geleits wegen sollen Sy zu baider seiden in ihrn Pfarrkhirchen zu den friemessen an lassen heben mit dem Ersten geleits, wen man zu der fruemess, zu dem Goller * gewandelt hat, sonder auch zue den fruemessen, in baiden Pfarrkhirchen, sollen sy zu baider seyten lassen zusammen leitten, wen man die spitalmess gewandelt hat, vnd die baid obgeschriben zeit soll ihr khainer firkhommen mit seinem geleit, Item von der Procession an Gotsleichnam tag, orden vnd machen wür auch in der mass, das der Pfarrer von vnser Frauen in dem konfftigen iahre an Gottsleichnamtag khommen soll aus seiner khirchen mit Gottsleichnamb vnd andern heyltung, ehrung, zier, mit seiner briesterschaffi, vnd seinem Pfarrvolkh gen soll zu sant Peter lobleich, ehrbarleich, zierleich, in ainer procession mit gesang alsdan darzu gebürt, vnd da dan soll derselb Pfarrer Sacrament steen lassen, vnd soll dem dechant von Sant Peter nachgen, in ainer procession mit dem andern heyltung vnz widerumb in die khirchen gen Sant Peter, da dan der Pfarrer von vnser Frauen, das Sacrament, das ihm in sein khirchen zugehihrt, widerumb nemben, und haimbgen soll mit seiner procession, desgleichen des andern iahrs soll der dechant von Sant Peter, mit dem Sacrament und seiner Procession zu vnser Frauen Pfarrkhirchen gehen, und daselbs lass auch steben sein Sacrament, das er dahin bracht, und tragen hat, vnd dem Pfarrer von vnser Frauen auch nachvolgen vntz auf das endt der procession, vnd als widerumb zu der procession das dan yez oben geschriben ist, das sollen sy jehrlich hinfir ewigkhlich ainer dem andern thuen. Item es soll auch der Pfarrer der in der procession Gottsleichnamb trägt, das erst Euangelium lessen, der ander Pfarrer soll die ander drey Euangelien bestellen ze lesen, welcher thaill aber solchen vnnsern spruch vnd ordnung hinfir ewigkhleich nit hielt, vnd darwider redt vnd käme, der ist vnsern nachkhomen in vnser khamer verfallen hundert Pfundt Müncher pfening, an alle gnadt, mit vrkhundt des brieffs. Geben ze Freysing an Suntag nach sant Martins tag, nach Christi geburth vierzehen hundert iahr, und darnach in dem acht vnd zwainzigisten Jahre, &c.*

* est cognomen fundatoris illius Missæ.

Hæc, quæ modo recitavimus, accipiet Lector magna ex parte pro eo tempore, quo Ecclesia B. M. V. Monachii nondum erar Collegiara. Successu enim temporis, postquam illue translatæ fuere duo Canonicorum antiquissima Collegia, Illmonasteriense scilicet atque Schliersense, majori deinceps dignitate Basilica illa fulgere cœpit.

§. II.

§. II.

Res tum Frisingenses, tum Extraneæ usque ad annum 1434.

IN primo Traditionum Frisingensium Libro, quem Cozrohus noster Sæculi Christi undecimo posteritati reliquit, recentiori longe manu, & quidem, ut satis apertum esse videtur, Caspari Menndorffer, Custodis Ecclesiæ Frisingensis anno 1429. conscripta visuntur nomina Canonicorum hujus Cathedralis Ecclesiæ. Sic enim legimus in eo Codice.

Caspar Menndorffer Custos Ecclesiæ Frisingensis, tempore Nicodemi Episcopi anno Christi MCCCCXXIX. regnante Imperatore Sigismundo.

Hy fuerunt tunc temporis Canonici.

Nicolaus Gumperger Præpositus.
Heinricus Judman Decanus.
Heinricus Fleckl Scholasticus Doctor, Præpositus S. Andreæ.
Joannes Preysinger, Veteris Oetingæ.
Heinricus de Schmichen, Baccalaureus Theologiæ, Præpositus Werdensis.
Caspar Menndorffer, Custos, Plebanus in Weltz.
Caspar Seyblstorffer Præpositus Mospurgensis.
Joann Türndt Doctor, Præpositus Schlierseensis.
Joann Grunwalder Doctor, Præpositus Inticensis.
Wilhelm Græwler, Plebanus in Puchpach.
Joann Tagersbaimer Licentiatus, Plebanus in Kingstorff.
Fridericus Stawtbaimer, Plebanus in Haimburg.
Wigesl. Rorbeck, Præpositus S. Joannis Frisingæ.
Martinus Wainsland, Plebanus in Waidhoven.
Nicolaus Slegl.
Tiebold Aichperger Plebanus in Ried.
Lienhard Friesinger.
Joannes Tulpöck, Licentiatus Præpositus S. Viti Frisingæ.
Dietricus Menndorffer.
Henricus Barüther, Plebanus in Hallis, Licentiatus.
Petrus de Hallis, Doctor:
Judocus Licentiatus, Plebanus in Mülldorff.
Nidhardus Doctor.
Joann Rötl Doctor, Præpositus Soliensis.
Degenhardus Salchinger, Plebanus in Naburg.
Conradus Smaz.
Vivianz Fraunberg.
Ulricus Arefinger Madron.
Vitus de Preysing.
Jorg Eglinger.

Hæc ibi.

Obser-

Observabit ex his eruditus Lector, Scholastici munus Frisingæ eo anno gessisse Dominum Henricum Fleckl Canonicum. Id enim palam testatur recitatus hactenus Canonicorum Catalogus.

Successio 2. Scholasticorum Frisingæ.

Constat vero ex quodam ejusdem anni Instrumento, idem Officium gessisse Dominum Joannem Rötl Canonicum, qui illud Domino Joanni Tuelböck Vicaria potestate administrandum concessit. Rotelii litteras in parte altera exhibemus. Porro Rotelio Henricum fuisse subrogatum, ex subsequentibus discemus. N. 327.

Eodem anno Petrus de Luna, seu Benedictus XIII. Pseudo-Pontifex in Hispaniis vivendi finem fecit. Is etsi à Martino Papa tum per Legatos, tum litteras frequenter ad resipiscendum fuerit invitatus, annis tamen continuis triginta pertinax fuit.

Cum mortem sibi denique imminere cerneret, duos, quos penes se habebat, Pseudo-Cardinales hortatus est, ut sibi vitâ functo successorem substituerent: quod illi etiam præstiterunt, & Ægidium Barcinonensem Canonicum delegerunt, dictum Clementem VIII. quem tamen ex Hispanis pauci adorarunt. Quare umbratilis Pontifex rebus suis magis consulturus, Martino Papæ sese subdidit, & inanes fasces ultro abjecit, Baleari Episcopatu postea illi collato. Id ubi intellexere memorati Pseudo-Cardinales, etiam ipsi falsæ Dignitatis insignia posuerunt.

Obitus Benedicti XIII. Pseudo-Pont.

Vicarius noster Generalis Joannes Grünwalder eo anno Privilegia, à Ducibus Bojariæ Clero recens concessa fide publica transumpsit. Prolixas litteras in Partem II. rejicere visum est. N. 328.

Molitores Pogenhusianus, & quatuor Veringenses super pilis aquarum ad concordiam fuere redacti, causam Pogenhusiani tuente Abbatissa Angerensi, Veringensium verò Nicodemo Episcopo.

Cadaver Episcopi Conradi V. in profanum olim tumulum illatum, intellecta ejus innocentia anno Christi. 1430. fuisse inde levatum, & in Ecclesiam Lacopolitanam à Nicodemo non sine solenni pompa funebri translatum, lapis sepulchralis docet, ut alibi diximus. Ita tandem suus honor Episcopo illi, à perversis famulis interfecto, constitit.

Conradi V. Episc. sepultura dignior.

Bohemi eo anno, referente Bucelino nostro cum octoginta millium militum exercitu Saxoniam invaserant: Contra quos equidem missis à Principibus suppetiis Marchio Misnensis centum quinquaginta millium militum exercitum eduxerat: Verum ubi ad conferendam pugnam deveniendum erat, etiam ipse cum universis suis copiis adeo exhorruit, ut cum hoste congredi minime auderet. Ita Bohemi per Germaniæ provincias liberrimè, & impunè grassati sunt. Secutum est proximo anno Christi 1431. ad initium Martii adhuc tristius, ac grandius malum ex morte Pontificis Martini V., qui, ut rebus Germaniæ consuleret, paulo ante indixerat Concilium Basileæ celebrandum. Martini locum suffragiis Cardinalium obtinuit Gabriel Condulmerius Venetus juxta Starovolscium ex Cœlestinorum: juxta alios è Canonicorum Regularium Ordine assumptus, Presbyter Cardinalis Tituli S. Clementis, dictus Eugenius IV. Qui cum ex causis gravibus Concilium jamjam congregatum, revocandum censeret, multi vero, eo etiam invito, Constantiensis Concilii, & Martini V. Decreto (vigore cujus eo anno rursus Ecclesiæ Antistites, cæterique Prælati, atque Doctores Conventum in Germania agere jubebantur) inhærendum esse judicarent, atque sessiones continuarent, rursus gravissimum Schisma in Ecclesia Dei exortum est, ut per decursum videbimus.

Bohemi rursus nostros in fugam conjiciunt.

Mors Martini V.

Electio Eugenii IV.

Frisingæ eo tempore quæstio agitabatur, cujusnam esset, Canonicorum excessus, si qui evenirent, punire, num scilicet id ad Episcopum, an ad ipsum Collegium pertineret? Cum aliquamdiu certatum esset, placuit utrique Parti causæ decisionem Archi-Episcopo Salisburgensi committere. Is die 27. Aprilis anni 1431. pronunciavit, excessuum graviorum emendationem pertinere ad Episco.

Archiepiscopus Salisburg. decidit quæstionem Frisingensem.

ſcopum, leviorum vero ad Collegium. Faſti Fürſtenfeldenſes habent, graviora Canonicorum delicta aliquando in eo Monaſterio fuiſſe emendata, uti jam alibi monuimus.

Concilium Baſileenſe. Baſileenſi Concilio datum fuerat initium die 23. Julii. Illuc è Bojaria Epiſcopi noſtri nomine miſſus venit Joannes Grünwalder Generalis Vicarius ſæpe laudatus. Bojariæ Dux miſit Joannem Kökkium itidem ſupra laudatum Tegernſeenſem Monachum, quorum uterque ſingulari inter Patres laude deinceps inclaruit. Comparuit etiam ibidem Eberhardus eo nomine ſecundus Weichenſtephanenſium Abbas, primus ex eo Monaſterio, qui Mitram cum ſolenni Benedictione accepit; qua etiam Baſileæ uſus eſt, cum ſæpius ſacris ſolenniter operari juſſus eſſet, ut ex loci Chronico diſcimus.

Auſtriæ Dux Albertus Nicodemum Epiſcopum noſtrum Baſileam miſit, partes ſuas ibi vicaria poteſtate acturum.

Sigismundus Rex, qui, quod Italicum iter meditaretur, Concilio in præſens adeſſe non poterat, vices ſuas Guilielmo Bavaro, laudatiſſimo Duci commiſerat,
N. 329. eo anno Epiſcopo noſtro poteſtatem judiciariam in Cives ac Colonos Lacopolitani, Lengenfeldenſis, & aliorum in Carniolia Dominiorum Friſingenſium inſigni Diplomate confirmavit.

Electio Decani ad S. Andream ſpectat ad Collegium. Huc revocandam eſſe exiſtimamus Bullam Eugenii IV. Papæ, conceſſam inſigni Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Friſingæ, qua docetur, vacante Decani Officio jus eligendi Decanum ad ejusdem Eccleſiæ Canonicos ſpectare. Bullam illam ad annum 1430. Hundius reponit. Verùm ſive Hundius, ſive Librarius ſpalmatis convincitur, cùm eo anno Eugenius nondum Pontifex fuerit, ſed anno primum 1431. Pontificatum adierit die 3. Martii Menſis, ut manifeſtum eſt. Et quia in Bulla eadem notatur annus primus Eugenii, dies quintus Idus (nempe undecimus) Martii, vix non convincimur, eam Bullam paucis ab Electione diebus emanaſſe. Bullæ copiam in Parte altera damus.
N. 330.

Friſingæ eodem anno 1432. pro Venatoribus, & rei venatoriæ Præfectis ſalutares leges fuere conditæ, ut in Codice, quem vocant *Statutorum*, legimus.
N. 331. Alias leges pro Cuſtodiæ proventibus Nicodemus præſcripſit, quas in Parte altera recitamus. Id actum eſt Friſingæ Sabbatho poſt Pentecoſten.

Epiſcopus cum quibusdam Canonicis venit Baſileam. Deinceps Epiſcopus noſter Baſileam ſe contulit, Concilio ibidem nomine Alberti Ducis Auſtriæ, ut diximus, interfuturus. Comparuere ibidem etiam cæteri, quos paulo ante commemoravimus: quibus etiam è Collegio Cathedrali acceſſere Domini Joannes Türndt Decretorum Doctor, & Henricus Fleckl Præpoſitus S. Andreæ, ac Majoris Eccleſiæ Scholaſticus. Et quoniam ob frequentem Epiſcoporum Friſingenſium è ſua Sede abſentiam tractu temporis complures inter ipſum Epiſcopum, & Cathedrale Collegium difficultates obortæ fuerant, placuit adhibitis arbitris, viris præſtantibus, ibidem, nempe Baſileæ, lites dirimere. Rem totam Lector intelliget ex Inſtrumento, quod mox ſubjungimus.

Lites Friſingenſes tolluntur. *In nomine Domini Amen. Per hoc præſens publicum Inſtrumentum cunctis pateat evidenter, quod coram Reverendo in Chriſto Patre & Domino D. Nicodemo Epiſcopo Eccleſiæ Friſingenſis & venerabili viro, Domino Johanne Türndl Decretorum Doctore, ejusque Eccleſiæ Canonico in mei Notarii publici teſtiumque infraſcriptorum præſentia perſonaliter conſtitutus Reverendus Pater Dominus Heinricus Flekl Præpoſitus S. Andreæ nec non Canonicus & Scholaſticus majoris Friſingenſis Eccleſiarum quandam papyri cedulam tenoris infraſcripti, quam in ſuis tunc tenebat manibus, ibidem in medium exhibuit & produxit, quam quidem cedulam prius coram eis perlectam, ut aſſerebant, præfatus D. Epiſcopus & Johannes Türndl Canonicus juxta & ſecundum ipſius formam, continentiam, & tenorem expreſſe acceptarunt, approbarunt, & emolegarunt, & quilibet eorum ſic acceptavit, approbavit, & emolegavit, nec non ſe velle rata grata & firma habere omnia & ſingula in eadem cedula contenta. Tenor vero cedulæ, de quo ſupra ſit mentio ſequitur, & eſt talis. In nomine Domini Amen. Nos Johannes*

nes Abbas Scotorum in Wyenna Ord. S. Benedicti Pataviensis Diœcesis, Nicolaus Decanus Brixinensis, Otto de Lapide Canonicus Spirensis, Decretorum Doctores & Petrus Fride Canonicus & officialis Curiæ Pataviensis tenore præsentium notum facimus universis, quod cum inter Reverendum in Christo Patrem & D.D. Nicodemum Episcopum Frisingensem, ac venerabiles viros Dominos Nicolaum Præpositum, Heinricum Decanum, totumque Capitulum Ecclesiæ Frisingensis quædam sit exorta differentia de & super rebus & articulis infra scriptis, ipsi inter se matura deliberatione præhabita sponte & libere pacis, concordiæ, & amabilis compositionis modum eligentes, & in eundem sponte consentientes, ita quod partes ipsæ decreverunt in quatuor venerabiles consentire viros, qui auditis partibus hujusmodi concordiam inter easdem tractarent; & prælibatus Reverendus Pater Dominus Episcopus pro parte sua ad hoc deputavit & elegit nos scilicet Johannem Abbatem Scotorum in Wyenna & Petrum Fride, similiter & egregius Doctor Magister Johannes Türnde Canonicus dictæ Ecclesiæ Frisingensis ac Procurator & Procuratoris nomine eorumdem Dominorum Præpositi, Decani & Capituli, de cujus procurationis mandato tunc in medium exhibito & producto legitime constabat & constat documentis, pro se & parte sua elegit nos Ottonem de Lapide Canonicum Spirensem & Nicolaum Decanum Brixinensem Decretorum Doctores. Tandem vero nos quatuor supradicti inter nos mutuo multa colloquia & tractatus multos & diversos habentes partibus ipsis ad plenum primitus auditis in domo habitationis ipsius Reverendi in Christo Patris & D. D. Nicodemi Episcopi Frisingensis in Basilea ad infrascriptas sententias & concordias de ambarum partium consensu & expressa voluntate convenimus, & in hunc modum concordavimus. Videlicet imprimis quia præfati Domini de Capitulo petiverunt ab eodem Domino Episcopo, ut apud eos reponeret quascunque litteras præfectarum & Castellanorum, quas ipse Episcopus in sua potestate habuit, & habet, ac habiturus est, custodiendas per ipsum Capitulum, in usum tamen & voluntatem ipsius Episcopi, ac pro utilitate ipsius Ecclesiæ &c. super quo articulo ita concordavimus & ordinavimus: videlicet, quod Capitulum potestatem habeat eligendi duos Canonicos de Capitulo, qui litteras hujusmodi tam præsentes, quam futuras, quæ concernunt Castra ejusdem Ecclesiæ in Bavaria duntaxat sita sub fideli custodia conservent ad utilitatem & usum dicti Domini Episcopi Frisingensis, quoties voluerit, & ipsa res postulaverit, eidem assignandas, super quibus eidem Domino Episcopo juramentum præstabunt, & litteras oportune sibi tradent, ita tamen, quod ipsi Custodes eisdem Dominis de Capitulo per juramentum, quod similiter præstabunt, eisdem promittant, quod cedente vel decedente vel alias consentiente litteras præfatas ipso Domino Episcopo prædictis Dominis de Capitulo, vel capitulariter congregatis assignare teneantur, & interim Domino Episcopo viventi præfati Domini de Capitulo debent habere copias earumdem litterarum etiam, si maluerint, ipsarum authentica transsumpta, & si aliqua erunt emendanda per ipsum Episcopum emendentur. Si vero illi duo Depositarii prædictarum litterarum aut alter eorum recederet ad longinquas partes, aut cederet vel decederet, ex tunc modo præmisso Capitulum poterit alium, seu alios loco ejusdem seu eorumdem subrogare sub modo & juramento præmissis. Item litteras super Castro Ottenburg per eundem Dominum Episcopum procurentur haberi, & deponantur ut supra. Item sicut conquesti sunt Domini de Capitulo prædicti, se non fuisse nec esse defensos aut protectos ab incursibus aliquorum, & præsertim in Frisinga à Castellanis ibidem &c. petentes, quod Castellani se ad hujusmodi defensionem obligarent. Super quo concordavimus & determinavimus & conclusimus, quod prælibatus Episcopus ad hujusmodi defensionem teneatur, ita videlicet, quod Dominus Episcopus tempore institutionis Castellani unius vel plurium Frisingæ personaliter extiterit, præsente ejusdem Ecclesiæ Capitulo, eo vero absente Castellano instituendo vel instituto viva voce seu suis litteris mandet & committat, quod Capitulum prædictum & singulares Canonicos & personas Ecclesiæ suæ prædictæ ab injuriis & violentiis maxime sæcularium personarum tueatur & defendat, & ad hoc omni diligentia sibi possibili conetur sine dolo & fraude, quod tunc flatim ibidem Capitaneus, si præsens est, aut in absentia quamprimum Frisingam pervenerit, se facturum dicat de Ca-

 pitulo

Ducis Bavariæ Comitis Palatini Rheni & Comitis Mortaviæ, qui licet frequentibus humilibus ac devotis requisitionibus imploratus & privilegiorum, libertatum plurium Imperialium progenitorum ac prædecessorum suorum monitus nullatenus deflectitur; sed nos nostrosque subditos ac Ecclesiarum nostrarum villas possessiones & prædia in Dominio suo contaminando omnino depopulans exactionat, affligit, & perturbat per venatores & aucupes suos, prout hac longe fecit, & nunc de die in diem gravius & gravius exactionare & gravare nititur, exasperatus adeo, ut in omnimodam ruinam & depopulationem eorundem prædiorum repulsi simus. nec obstant sententiæ & processus justitiales contra Dominationem suam lata, & supplicationes, nec non vota per ipsum præstita non curat, ita quod nunc eidem redditus eorundem prædiorum & Monasteriorum nostrorum penitus sint deserti per hujusmodi inconsuetas intolerabiles exactiones, quæ apud nos humanitus inaudita sunt, quod & nobis & Monasteriis nostris cedit in lamentabilem miseriam & devastationem. Propterea Patres & Domini Reverendissimi vestras celeberrimas Dignitates devotissime imploramus cum humillima mentis affectione ut talia gravamina & incommoda injustissima & intolerabilia & desolationes Monasteriorum nostrorum ac subditorum nobis patientibus misericorditer compatiendo velitis pro tramite justitiæ vestræ succurrere, nosque deonerare, prout de vestris præclaris ac Deo devotis Dominationibus confidimus. & sic facientes nos ad vehementiores devotiones stimulabitis Deo nostro ad laudem & gloriam nominis sui sancti, qui personas vestras feliciter dirigere, & confortare dignetur, ut devote optamus ad almæ matris Ecclesiæ sponsæ suæ illibatæ, ac fidei orthodoxæ uberrimum incrementum. Domino Protectori gratiosissimo Domino nostro similem fecimus fieri relationem per procuratores nostros in Concilio ibidem commorantes, quibus fidem credulam super iis dicendis nostrorum nomine adhibebitis. Scriptum in diæcesi Frisingensi, 21. Mensis Februarii, anno 1433.

Responsum Concilii subnectimus.

Responsio Basileensium.

Sacrosancta generalis Synodus Basiliensis in Spiritu Sancto legitime congregata Universalem Ecclesiam repræsentans Venerabilibus Archiepiscopo Salisburgensi, Ratisponensi & Eystetensi Episcopis salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Ad compescendos conatus nepharios perversorum, qui personas & loca Ecclesiastica super bonis & juribus suis offendere ac multiplicibus perturbare molestiis non verentur, tanto magis per nos decet oportuno remedio providere, quanto peramplius turbationes hujusmodi & molestie in divine majestatis offensam nec non Ecclesiastice libertatis redundare dispendium dinoscuntur. Dudum siquidem, cum in diversis mundi partibus consules civitatum & rectores nec non alii qui potestatem habere videbantur tot onera frequenter imponerent Ecclesiis, ut deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videretur, quam sub Pharaone fuisset, qui legis divine noticiam non habebat, quique omnibus aliis servituti subactis, sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministravit. In Concilio Lateranensi Ecclesie immunitati providendo sub anathematis districtione prohibitum extitit, ne consules, rectores, aut alii predicti Ecclesias & viros Ecclesiasticos talliis, seu collectis aut exactionibus aliis aggravare presumerent, transgressores & fautores eorum precipiendo anathematis sententie subjacere, donec satisfactionem impenderent competentem. Et eciam deinde in generali Concilio editum fuerit. quod si Epi forte simul cum clericis, etiamsi tantam necessitatem vel utilitatem inspicerent, ut absque ulla coactione ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi Laicorum non suppeterent facultates, subsidia per Ecclesias Laicis ducerent concedenda minime super hoc consulto Romano Pontifice, concessiones & sentencie, que à talibus vel de ipsorum mandato forent promulgate, essent irrite & inanes nullo unquam tempore valiture. Ac eciam in ipso generali Concilio Decretum extitit, illum qui infra tempus sui regiminis propter fractionem constitucionum vel sanctionum hujusmodi sustineret anathema, tanquam post illud non esset ad satisfactionis debitum compellendus, nec non ipsius successorem, qui non satisfaceret infra mensem, maneret Ecclesiastica censura conclusum donec satisfaceret competenter, cum succederet in onere, qui substitueretur in honore. Postmodum vero felicis recordationis Honorius Papa III. Romanus Pontifex attente considerans,

derans, quod quondam Fridericus secundus olim Romanus Imp. tunc sub obediencia & devocione Sancte Romane Ecclesie persistens ad laudem ejusdem Ecclesie, & sacri decus Romani Imperii cupiens ut expurgatis quorundam erroribus & iniquis statutis penitus destitutis de cetero Ecclesie & Ecclesiastice persone plena vigerent quiete & secura libertate gauderent, ac pie & juste attendens, quod quorundam perversorum iniquitas adeo habundaverat, ut non dubitarent contra Ecclesiasticam disciplinam & sacros Canones statuta sua confringere adversus Ecclesiasticas personas & Ecclesiasticam libertatem edictali lege hujusmodi statuta iniqua irritaverat, & preceperat irrita nunciari, & omnia statuta & consuetudines que civitates & loca, potestates vel consules, aut queeunque alie persone contra libertatem Ecclesie vel personas Ecclesiasticas aut bona hujusmodi edere aut servare temptarent contra Canonicas vel Imperiales sanctiones, de ipsorum capitularibus infra duos menses post ipsius legis publicacionem penitus aboleri facerent, & si de cetero talia attemptarent, illa ipso jure decrevit esse nulla & eos sua jurisdictione privatos nec non locum, ubi talia deinceps presumpta fuissent, Banno mille marcharum auri fisco imperiali preceperat subjacere: Potestates vero, Consules Statutarii & scriptores statutorum predictorum nec non consiliarii locorum ipsorum, qui secundum statuta & consuetudines memorata judicarent, ex tunc essent ipso jure infames, quorum sententias & actus legitimos statuerat aliqualiter non tenere. Quodque si per annum prefatarum constitucionum inventi forent contemptores, bona eorum per totum Imperium mandavit impune ab omnibus occupari, salvis nihilominus aliis penis contra tales in eisdem generalibus Conciliis promulgatis. Et insuper voluit idem tunc Imperator, quod nulla communitas vel persona publica seu privata collectas seu exactiones, angarias vel perangarias Ecclesiis vel aliis piis locis aut Ecclesiasticis personis hujusmodi imponere seu invadere Ecclesiastica bona presumerent: quodsi secus faceret, & requisita ab Ecclesia vel Imperio hujusmodi emendare contemneret, tripliciter refunderet, & nihilominus Banno Imperiali subjaceret, quod sine satisfactione debita nullatenus remitteretur. Statuit insuper quod quecunque communitas vel persona per annum in excommunicatione propter libertatem Ecclesie violatam persisteret, ipso jure similiter dicto Banno Imp. subjaceret, à quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab Ecclesia beneficio absolucionis obtento. Et insuper ordinaverat, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali questione vel civili ad judicium seculare trahere presumeret contra easdem canonicas sanctiones & constitutiones Imperiales: quodsi secus faceret, actor à suo jure caderet & judicatum non teneret, & judex foret ex tunc judicandi potestate privatus. Quodque judices temporales, qui clericis & personis Ecclesiasticis justiciam denegare presumerent tercio requisiti suam jurisdictionem amitterent. Constitutionem ipsam de consilio eciam fratrum suorum S. R. E. Cardinalium qui tunc erant, auctoritate Apostolica approbans & confirmans ipsam mandavit inviolabiliter observari, nec non statutarios & scriptores ac violatores predictos excommunicatos eadem auctoritate nunciari. Et deinde ad audienciam dive memorie Karoli quarti etiam Romanorum Imperatoris semper augusti deducto, quod nonnulle seculares persone in potestatibus & officiis publicis constitute, videlicet Duces, Marchiones, Comites, Barones, Milites, & alii Domini temporales, nec non consules civitatum oppidorum villarum & locorum Rectores in diversis provinciis ejusdem Imperii Dei timore postposito statuta singularia & iniquas ordinaciones motu proprio & de facto contra ipsas Ecclesiasticas personas & Ecclesiarum libertates & eorum privilegia condiderant, illisque de facto & publice utebantur contra Canonicas & legitimas sanctiones, utpote quod nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferrentur, & ne clerici in sacris ordinibus constituti ad agendum & testificandum in civilibus, & maxime in piis causis aliquatenus admitterentur, quodque excommunicati laici & publice denunciati in civili foro minime repellerentur. Et insuper predicti domini temporales consules & rectores per secularem potestatem res & bona clericorum occuparent arrestarent & oblationes Christi fidelium minuerent atque restringerent exactiones & tallias indebitas de bonis & redditibus Ecclesiarum exigerent & extorquerent, possessiones Ecclesiarum & personarum earundem devastarent incendiis & rapinis, contractus inter Clericos & laicos factos legitime ad

libros

pitulo modo & forma præmissis. Item littera concessa vel emanata super Castro Wernfels reducantur, & reduci procurentur per Dominum Episcopum in formam communem, justam & consuetam, & quæ aliter ultra hanc formam emanaverunt, omnino cassentur, & pro cassis habeantur, & taliter eis reductis deponantur, ut in articulo primo. Item cum Dominus Episcopus commendaverit Castrum Eiching & cætera bona Ecclesiæ etiam nobilibus, videlicet Abaimer, Haushaimer &c. ad vitam seu ad aliud tempus, licet hoc asserat se fecisse ad utilitatem Ecclesiæ, quia tamen hoc fecerit sine consensu Capituli, ordinavimus, quod Capitulum illa tollerare debet pro hac vice, ita tamen, quod ipse Dominus Episcopus, prout promisit, deinceps sine licentia Capituli similia non attentet. Item quod littera Præfectorum Castrorum Ecclesiæ in Austria, Styria & Carniola deponantur in Austria, videlicet apud Abbatem Scotorum Monasteris & Conventum ejusdem Wiennæ, qui promittant similiter ambabus partibus de custodiendo dictas litteras juxta modum prædictum. Item si Dominus Episcopus aliquas litteras concessisset tangentes libertatem aut privilegia suæ Ecclesiæ debet infra hinc & Festum Purificationis B. V. Mariæ proxime venturum procurare, quod præfatum Capitulum habeat copias earum, quibus habitis, si quæ tunc in illis exorbitantia seu Ecclesiæ præjudicabilia reperiantur, reparare debebit, pro quo diligentiam sibi possibilem adhibere debebit pro reparatione seu reformatione eorumdem. Item quantum ad reprimendum aquæ fluxum in Frisinga, quod dixerunt Domini de Capitulo ad communem usum pertinere, & de jure & consuetudine Dominum Episcopum teneri ad solvendum tertiam partem, licet Dominus Episcopus contrarium dicat, se videlicet ad hoc non teneri; volentes igitur super hoc partes ad concordiam pervenire, elegerunt quatuor arbitros seu arbitratores, quibus dederunt specialiter & expressam potestatem, ut se super præmissis tam quoad oculum, quam alias per testium receptionem & examinationem summarie informarent, & quicquid, auditis tamen partibus sufficienter, per nos vel majorem partem diffinitum fuerit & declaratum, partes ipsæ ratum & gratum habebunt, & nullo unquam tempore contraveniatur, & hoc sub pœna per eosdem arbitros infligenda. Et pro parte Domini Episcopi electi fuerunt Magister Leonhardus Plebanus Ecclesiæ B. V. Mariæ in Monaco, Johannes Chefringer Canonicus Ecclesiæ S. Andreæ Frisingæ. pro parte vero Dominorum de Capitulo Erhardus Ottenhofer Plebanus in Neuching & Plebanus in Arding Frisingensis diœcesis, ita tamen si præfati quatuor aut eorum major pars simul concordare non possent, quod tunc Dominus Præpositus in Understorff sit superarbiter, qui negotium secundum modum & formam supradictos decidat infra festum Nativitatis Domini, si commode poterit, alioquin habeant potestatem prorogandi terminum, quamdiu sibi videbitur expedire. Item quod Dominus Episcopus XX. libras denariorum, quas singulis annis Capitulo solvere tenetur in Hollenburg, easdem de cætero absque contradictione persolvet juxta tenorem & continentiam litteræ obligationis desuper confectæ. Super quibus omnibus & singulis supradicti Reverendus Pater & D. Nicodemus Episcopus & Johannes Türnde Canonicus petierunt sibi per me Notarium publicum infrascriptum unum vel plura, publicum vel publica fieri instrumenta. Acta fuerunt hæc Basileæ Sacrosancto generali Concilio pro tunc ibidem celebrato in domo habitationis supra nominati Episcopi Frisingensis anno Domini M CCCC XXXII. Indict. X. ipsa die SS. Cosmæ & Damiani, quæ fuit 27. mensis Septembris hora vesperarum vel quasi, Pontificatus Sanctissimi in Xsto Patris & Domini nostri Domini Eugenii divina providentia Papæ IV. anno secundo, præsentibus ibidem venerabilibus viris Magistro Thoma de Haslpach Sacra Theologiæ Professore Ecclesiæ S. Stephani Wiennæ Canonico, Wolfgango Payr in Ziterstorff, & Johanne Strenperger in Paden parochialium Ecclesiarum Rectoribus presbyteris Pataviensis diœcesis testibus circa præmissa rogatis. Et ego Conradus Haber Clericus Eystettensis diœcesis publicus auctoritate Imperiali Notarius. Quia supradicta cedula, &c. &c.

Rebus cum in modum compositis Cathedrale Collegium Frisingense duos è suo gremio elegit ad custodiam Documentorum Frisingensium, qui litteris sequentibus fidem suam Episcopo condixêre.

Wir

Wir Niclas Tumb-Probst und Johannes Tumberr ze Freysing als Wir von den Ersamen unsern lieben Korbrueder, Hans Techant und dem Capitl daselbstze Freysing sein erbelt, vordern alle die pflegbrieff der geschlosser in Bayrn gelegen die zu dem Gotshaus ze Freysingen gehörent, nnd die nns der Hochwürdig first unser gnädiger her, her Nicodem Bischof ze Freysingen in antworten und in unser gewaltsame legen sol zebalten nach ausweisung ains instrument und ausspruchs, der zwischen dem obgenanten unserm herren von Freysingen und dem Capitl darumb geschehen ist, das wir denselben unserm gnedigen herren von Freysingen mit unseren trewen an aides stat gelobt und versprochen haben, geloben auch nnd versprechen wissentlich in krafft dis Brieffs, das wir die vorgemelten pflegbrieff der geschlosser in Bayrn gegenwärtig nnd künftig die von des egenant unsers herren von Freysingen wegen als zu uns gelegt werden, in guter getreyer hut haben wellen dem egenant unserm herren von Freysingen zu nutz und frummen, und im die herfir zegeben, als oft er will und im des not beschäht, dieweil er im leben ist, und niemant anders on sein sunders geschäft wissen und willen, doch also, wenn er dieselben brief genuzt hab, das er die oder ander neybrief, die er vielleicht von neyen dingen von den pflogern der obgenenten geschlosser genommen biet, uns dann wider antwurten und in unser gewaltsam geb zu behalten nngeuer. Wer aber das unser ainer nicht anhaim mocht gesein von notdurft wegen, da mag dann seinen schlüssel ainem anderen Capitl herrn beuelchen, damit das nnser obgenanter herr von Freysingen in chain weis an seinen briefen gehindert werd. Wir haben auch den vorgenanten Capitl bey unsern trenen an aydes stat gelobt, wen der obgenant unser herr von Freysingen mit dem tot abgeht, da Gott lang vor sey, oder sust das bistumb aufgeb, oder wan er das sust mit uns schief und seinen willen darzu gab, das wir dan demselben Capitl die egenant pflegbrief schuldig sein yberzegeben, und in dann ybergeben und antwurten wollen, wenn si die in Capitlsweis an uns eruordernt auch ongeuar, als das alles in dem egenanten Instrument nnd ausspruch aigentlichen begriffen ist, und des zu vrkunt &c. — De custodia Instrumentorum Frisingensium.

Hæc tum inter Frisingenses fuere peracta feliciter.

Anno insecuto salutis 1433. Sigismundus Rex superatis Venetorum, ac Florentinorum insidiis ultima die Mensis Maji, in quam Festum Pentecostes inciderat, Romæ ab Eugenio Papa Imperator salutatus, & ritu solenni coronatus est, postquam consuetam fidelitatem, atque protectionem Ecclesiæ juramento publico adpromiserat. Institit magna sollicitudine Imperator, ut Eugenius Concilium Basileense pro communi Ecclesiæ bono, & turbis Bohemiæ sedandis continuari permitteret; quod equidem annuit Pontifex, verum metu potius adactus, quam sponte sua ductus. Imperator deinceps ex Italia sensim digressus, Mense Octobri Basileam venit: ubi Patres de abrogando Eugenio tractabant, quippe quem jam tertiùm ad Concilium frustra sive invitaverant, sive advocaverant. Restitit vero hæc molientibus toto conatu Imperator, quippe qui novas in Ecclesia discordias metuebat, asserens, & litteris etiam demonstrans, Eugenium & Concilium approbare, & ad illud venire paratum esse. Verum eventus aliud docuit. Inter cæteros, qui Basileæ convenerant, etiam erat Joannes eo nomine secundus Archi-Episcopus Salisburgensis, qui communibus de abrogando Eugenio votis consenserat. Id expertus Eugenius plura concessit aliis, quæ Salisburgensis Ecclesiæ authoritatem diminuere poterant. Verum temporis successu facta reconciliatione remedium iis malis allatum est, ut Dükerus scribit. Interim nemo non intellexit, Eugenium à Concilio Basileensi plurimum abhorrere, & novas in Ecclesia turbas imminere. — Coronatur Sigismundus Imp. *Raynaldus n. 14.* — Venit Basileam. — Eugenius abhorret à Concilio.

Bojariæ Præsules eo anno ad Concilium Basileense dederunt litteras, querelis contra Ludovicum, dictum Barbatum, refertissimas, hoc tenore. — Querelæ Bojorum.

Reverendissimi in Christo Patres ac Domini Præstantissimi.

Quamvis dolenter querulosa mente concutimur ex parte illustrissimi Principatus Domus Bavariæ tamen urgente necessitate compellimur Dominationibus vestris tanquam superioribus nostris conqueri de impietate Illustris Principis ac Domini Domini Ludbici

Ducis Bavariæ Comitis Palatini Rheni & Comitis Mortaviæ, qui licet frequentibus humilibus ac devotis requisitionibus imploratus & privilegiorum, libertatum plurium Imperialium progeniterum ac prædecessorum suorum monitus nullatenus deflectitur; sed nos nostrosque subditos ac Ecclesiarum nostrarum villas possessiones & prædia in Dominio suo centaminando omnino depopulans exactionat, affligit, & perturbat per venatores & aucupes suos, prout hæc longe fecit, & nunc de die in diem gravius & gravius exactionare & gravare nititur, exasperatus adeo, ut in omnimodam ruinam & depopulationem eorundem prædiorum repulsi simus. nec obstant sententiæ & processus justitiales contra Dominationem suam latæ, & supplicationes, nec non vota per ipsum præstita non curat, ita quod nunc eidem redditus eorundem prædiorum & Monasteriorum nostrorum penitus sint deserti per hujusmodi inconsuetas intolerabiles exactiones, quæ apud nos humanitus inaudita sunt, quod & nobis & Monasteriis nostris cedit in lamentabilem miseriam & devastationem. Propterea Patres & Domini Reverendissimi vestras celeberrimas Dignitates devotissime imploramus cum humillima mentis affectione ut talia gravamina & incommoda injustissima & intolerabilia & desolationes Monasteriorum nostrorum ac subditorum nobis patientibus misericorditer compatiendo velitis pro tramite justitiæ vestræ succurrere, nosque deonerare, prout de vestris præclaris ac Deo devotis Dominationibus confidimus. & sic facientes nos ad vehementiores devotiones stimulabitis Deo nostro ad laudem & gloriam nominis sui sancti, qui personas vestras feliciter dirigere, & confortare dignetur, ut devote optamus ad alma matris Ecclesiæ sponsæ suæ illibata, ac fidei orthodoxæ uberrimum incrementum. Domino Protectori gratiosissimo Domino nostro similem fecimus fieri relationem per procuratores nostros in Concilio ibidem commorantes, quibus fidem credulam super iis dicendis nostrorum nomine adhibebitis. Scriptum in diœcesi Frisingensi, 21. Mensis Februarii, anno 1433.

Responsum Concilii subnectimus.

Responsio Basileensium. *Sacrosancta generalis Synodus Basiliensis in Spiritu Sancto legitime congregata Universalem Ecclesiam repræsentans Venerabilibus Archiepiscopo Salisburgensi, Ratisponensi & Eystetensi Episcopis salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Ad compescendos conatus nepharios perversorum, qui personas & loca Ecclesiastica super bonis & juribus suis offendere ac multiplicibus perturbare molestiis non verentur, tanto magis per nos decet oportuno remedio providere, quanto peramplius turbationes hujusmodi & molestie in divine majestatis offensam nec non Ecclesiastice libertatis redundare dispendium dinoscuntur. Dudum siquidem, cum in diversis mundi partibus consules civitatum & rectores nec non alii qui potestatem habere videbantur tot onera frequenter imponerent Ecclesiis, ut deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videretur, quam sub Pharaone fuisset, qui legis divine noticiam non habebat, quique omnibus aliis servituti subactis, sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministravit. In Concilio Lateranensi Ecclesie immunitati providendo sub anathematis districtione prohibitum extitit, ne consules, rectores, aut alii predicti Ecclesias & viros Ecclesiasticos talliis, seu collectis aut exactionibus aliis aggravare presumerent, transgressores & fautores eorum precipiendo anathematis sententie subjacere, donec satisfactionem impenderent competentem. Et eciam deinde in generali Concilio editum fuerit. quodsi Epi forte simul cum clericis, etiamsi tantam necessitatem vel utilitatem inspicerent, ut absque ulla coactione ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi Laicorum non suppeterent facultates, subsidia per Ecclesias Laicis ducerent concedenda minime super hoc consulto Romano Pontifice, concessiones & sentencie, que à talibus vel de ipsorum mandate forent promulgate, essent irrite & inanes nullo unquam tempore valiture. Ac eciam in ipso generali Concilio Decretum extitit, illum qui infra tempus sui regiminis propter fractionem constitucionum vel sanctionum hujusmodi sustineret anathema, tanquam post illud non esset ad satisfactionis debitum compellendus, nec non ipsius successorem, qui non satisfaceret infra mensem, maneret Ecclesiastica censura conclusum donec satisfaceret competenter, cum succederet in onere, qui substituetur in honore. Postmodum vero felicis recordationis Honorius Papa III. Romanus Pontifex attente considerans,*

derans, quod quondam Fridericus secundus olim Romanus Imp. tunc sub obediencia & devocione Sancte Romane Ecclesie persistens ad laudem ejusdem Ecclesie, & sacri decus Romani Imperii cupiens ut expurgatis quorundam erroribus & iniquis statutis penitus destitutis de cetero Ecclesie & Ecclesiastice persone plena vigerent quiete & secura libertate gauderent, ac pie & juste attendens, quod quorundam perversorum iniquitas adeo habundaverat, ut non dubitarent contra Ecclesiasticam disciplinam & sacros Canones statuta sua confringere adversus Ecclesiasticas personas & Ecclesiasticam libertatem edictali lege hujusmodi statuta iniqua irritaverat, & preceperat irrita nunciari, & omnia statuta & consuetudines que civitates & loca, potestates vel consules, aut quecunque alie persone contra libertatem Ecclesie vel personas Ecclesiasticas aut bona hujusmodi edere aut servare temptarent contra Canonicas vel Imperiales sanctiones, de ipsorum capitularibus infra duos menses post ipsius legis publicacionem penitus aboleri facerent, & si de cetero talia attemptarent, illa ipso jure decrevit esse nulla & eos sua jurisdictione privatos nec non locum, ubi talia deinceps presumpta fuissent, Banno mille marcharum auri fisco imperiali preceperat subjacere: Potestates vero, Consules Statutarii & scriptores statutorum predictorum nec non consiliarii locorum ipsorum, qui secundum statuta & consuetudines memorata judicarent, ex tunc essent ipso jure infames, quorum sententias & actus legitimos statuerat aliqualiter non tenere. Quodque si per annum prefatarum constitucionum inventi forent contemptores, bona eorum per totum Imperium mandavit impune ab omnibus occupari, salvis nihilominus aliis penis contra tales in eisdem generalibus Conciliis promulgatis. Et insuper voluit idem tunc Imperator, quod nulla communitas vel persona publica seu privata collectas seu exactiones, angarias vel perangarias Ecclesiis vel aliis piis locis aut Ecclesiasticis personis hujusmodi imponere seu invadere Ecclesiastica bona presumerent: quodsi secus faceret, & requisita ab Ecclesia vel Imperio hujusmodi emendare contemneret, tripliciter refunderet, & nihilominus Banno Imperiali subjaceret, quod sine satisfactione debita nullatenus remitteretur. Statuit insuper quod quecunque communitas vel persona per annum in excommunicatione propter libertatem Ecclesie violatam persisteret, ipso jure similiter dicto Banno Imp. subjaceret, à quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab Ecclesia beneficio absolucionis obtento. Et insuper ordinaverat, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali questione vel civili ad judicium seculare trahere presumeret contra easdem canonicas sanctiones & constitutiones Imperiales: quodsi secus faceret, actor à suo jure caderet & judicatum non teneret, & judex foret ex tunc judicandi potestate privatus. Quodque judices temporales, qui clericis & personis Ecclesiasticis justiciam denegare presumerent tercio requisiti suam jurisdictionem amitterent. Constitutionem ipsam de consilio eciam fratrum suorum S. R. E. Cardinalium qui tunc erant, auctoritate Apostolica approbans & confirmans ipsam mandavit inviolabiliter observari, nec non statutarios & scriptores ac violatores predictos excommunicatos eadem auctoritate nunciari. Et deinde ad audienciam dive memorie Karoli quarti etiam Romanorum Imperatoris semper augusti deducto, quod nonnulle seculares persone in potestatibus & officiis publicis constitute, videlicet Duces, Marchiones, Comites, Barones, Milites, & alii Domini temporales, nec non consules civitatum oppidorum villarum & locorum Rectores in diversis provinciis ejusdem Imperii Dei timore postposito statuta singularia & iniquas ordinaciones motu proprio & de facto contra ipsas Ecclesiasticas personas & Ecclesiarum libertates & eorum privilegia condiderant, illisque de facto & publice utebantur contra Canonicas & legitimas sanctiones, utpote quod nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferrentur, & ne clerici in sacris ordinibus constituti ad agendum & testificandum in civilibus, & maxime in piis causis aliquatenus admitterentur, quodque excommunicati laici & publice denunciati in civili foro minime repellerentur. Et insuper predicti domini temporales consules & rectores per secularem potestatem res & bona clericorum occuparent arrestarent & oblationes Christi fidelium minuerent atque restringerent exactiones & tallias indebitas de bonis & redditibus Ecclesiarum exigerent & extorquerent, possessiones Ecclesiarum & personarum earundem devastarent incendiis & rapinis, contractus inter Clericos & laicos factos legitime ad

libros

libros civitatum, villarum & locorum predictorum inscribere & sigillare recusarent, donataque & legata ad fabricas & Ecclesiarum structuras contra prelatorum voluntatem & aliorum quorum intererat, temere usurpare presumerent, ac in fraudem & odium clericorum de bonis eciam & rebus eorundem clericorum, que non causa negociacionum sed pro eorum propriis usibus per eorum terras ducebant seu duci faciebant theolonium exigere & recipere non verebantur, & confugientes ad Ecclesias & eorum cimiteria deinde extrahere contra canonicas & Imperiales sanctiones hujusmodi presumpserant & presumebant. Idem Karolus Imp. tanquam Christianissimus princeps volens in premissis providere de remedio salutari eciam de quorundam Ducum principum Comitum Baronum militum fidelium que aliorum sacri Imperii sepedicti consilio Auctoritate Imperiali quecunque statuta ac consuetudines predicta tanquam per Canonicas & civiles sanctiones expresse reprobata cassavit, irritavit & annullavit, ac cassa irrita nullius esse voluit roboris vel momenti, precipiens sub Imperialis Bannipena universis & singulis principibus & dominis temporalibus, consulibus potestatibus, & aliis in officiis publicis in eodem Imperio constitutis, quatinus ex tunc ipsorum statuta & ordinaciones sunt in prejudicium Ecclesiastice libertatis edita fuerant, omnino revocarent & de luce tollerent; quodque secundum ea non judicarent amplius nec sentencias dictarent aut de eisdem in judicio vel extra judicium quomodolibet pro se & contra eandem Ecclesiasticam libertatem potirentur. Pronunciavit insuper & eadem decrevit auctoritate, quod quicunque laicus cujuscunque status aut condicionis existeret ausu sacrilego & proprie temeritatis audacia sacerdotem vel clericum secularem vel religiosum diffidaret, proscriberet, captivaret, spoliaret, occideret, mutilaret aut in carcere detineret vel hujusmodi maleficia perpetrantes scienter receptaret vel eis favorem prestaret, preter penas à sacris Canonibus & legalibus sanctionibus in tales inflictas eo ipso redderetur infamis & omni honore privatus, nec ad placita vel consilia nobilium admitteretur quovis modo. Hortans insuper in Domino & requirens Ecclesiasticos prelatos in illis partibus in quibus committerentur talia constitutos, ut legem Imperialem hujusmodi per eorum Ecclesias & Synodos publicarent, ne transgressores hujusmodi per simulatam ignorantiam suam valerent in hac parte maliciam excusare, prout in constitucionibus & sanctionibus Conciliorum & Honorii predictorum ac Imperialibus prefatis plenius continetur. Cum autem, sicut lamentabili querela venerabilis Episcopi Frisingensis ac dilectorum Ecclesie filiorum Prepositorum, Decanorum & capitulorum majoris, & Sanctorum Andree & Viti Ecclesiarum ac totius Cleri civitatis & diocesis Frisingensis etiam quarumcunque personarum Ecclesiasticarum civitatis & diœcesis predictarum nuper accepimus, quomodo nonnulli principes, duces, Barones, comites, Milites, Nobiles & alii seculares & potestates earundem constitutionum & sanctionum Canonicarum & legalium forsan ignari contra ipsas ab Episcopo Frisingensi ac prepositis, decanis, canonicis & capitulis majoris, Sanctorum Andree & Viti Ecclesiarum totoque clero & quibuscunque personis Ecclesiasticis civitatis & diœcesis predictarum communiter vel divisim forsan tallias & gabellas ac alias exactiones illicitas hactenus extorserint, & adhuc extorquere nituntur, ac eciam bona Episcopi, prepositorum, decanorum canonicorum & capitulorum Ecclesiarum tociusque cleri & quarumcunque personarum Ecclesiasticarum civitatis & diœcesis predictarum communiter vel divisim invaserint, arrestaverint, occupaverint, detinuerint, & suis usibus applicaverint, nec non occupare, invadere, arrestare, detinere, ac eisdem suis usibus applicare similiter de facto presumant in animarum suarum periculum nec non dictorum Episcopi, prepositorum, decanorum, Canonicorum & capitulorum Ecclesiarum tociusque Cleri, & quarumcunque personarum Ecclesiasticarum civitatis & diœcesis predictarum hujusmodi non modicum prejudicium atque damnum. Nos in premissis Episcopo, prepositis, decanis, Canonicis & capitulis Ecclesiarum totique Clero etiam quibuscunque personis Ecclesiasticis antedictis civitatis & diœcesis predictarum de oportuno remedio providere volentes discretioni vestre tenore presencium in virtute sancte obediencie precipiendo mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alios seu alium dictis Episcopo, prepositis, Decanis, Canonicis & capitulis Ecclesiarum totique clero

& quibuscunque personis Ecclesiasticis civitatis & diœcesis predictarum contra quoscunque transgressores & violatores constitutionum & sanctionum earundem cujuscunque status & dignitatis & excellencie fuerint efficacis defensionis auxilio assistentes non permittatis eos contra Canonicas & legales sanctiones & constitutiones hujusmodi indebite molestari. Nec non easdem constitutiones & sanctiones ubi & expedire videritis solemniter publicantes faciatis transgressores & violatores hujusmodi si & prout justum fuerit ac ubi & quociens expedierit tamdiu excommunicatos, anathematisatos publice nunciari, donec ab earumdem tallsarum, imposicionum, collectarum & quarumlibet extorsionum, nec non bonorum Episcopi, prepositorum, decanorum, Canonicorum & capitulorum Ecclesiarum tociusque cleri eciam quarumcunque personarum Ecclesiasticarum civitatis & diœcesis predictarum invasione, arrestacione, occupacione, detencione & applicacione omnino desistant, nec non eciam efficaciter restituant eisdem Episcopo, prepositis, decanis, canonicis & capitulis Ecclesiarum, totique Clero eciam quibuscunque personis Ecclesiasticis civitatis & diœcesis predictarum, occasione premissorum per eos communiter vel divisim lesis seu gravatis tallias, gabellas & exactiones ipsas ac bona antedictorum Episcopi, prepositorum, decanorum, canonicorum & capitulor. Ecclesiarum ac tocius Cleri, eciam quarumcunque personarum Ecclesiasticarum civitatis & diœcesis predictarum arrestata occupata detenta & applicata communiter vel divisim ipsis, aut que per se vel alios illo pretextu quomodolibet receperint, ymo verius temere ac illicite usurpaverint à se libere omnino relaxent, ac in manibus vestris juraverint, quod de cetero talia non committant & ea committentibus non prestent auxilium consilium vel favorem. Contradictores per censuram Ecclesiasticam & alia juris oportuna remedia compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Ceterum si forsan hujusmodi transgressorum aut violatorum vel ea fieri mandancium ipsique consenciencium, seu dancium in illis per se vel per alios directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium consilium vel favorem presencia pro monicionibus & requisicionibus per vos de ipsis fiendis tute secure vel commode haberi nequiret, Nos vobis moniciones & requisiciones hujusmodi ac citaciones quaslibet per edicta publica in locis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad noticiam dictorum citatorum & monitorum hujusmodi pervenire valeant, faciendi plenam & liberam concedimus tenore presencium facultatem, Volentes quod moniciones, requisiciones & citationes hujusmodi perinde ipsos citatos requisitos & monitos ut premittitur, artent ac si eis facte & insinuate presentialiter & personaliter extitissent. Non obstantibus pie memorie Bonifacii Pape VIII. quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem vel diœcesim eorundem nisi in certis exceptis casibus & in illis ultra unam dietam à fine sue diœceseos ad judicium evocetur, seu ne judices extra civitatem & diœcesin, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere seu aliquos ultra unam dietam à fine diœcesis eorundem trahere presumant; dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presencium non trahatur, ac de personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, quam aliis constitucionibus Apostolicis contrariis quibuscunque, aut si alicui communiter vel divisim à sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari vel extra aut ultra certa loca ad judicium evocari possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem. Datum Basilee Idib. Octobr. sub anno à Nativitate Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo tercio.

Eædem querelæ adversus Ludovicum etiam ad Cæsarem fuere delatæ. Hinc sequenti anno Christi 1434. Ludovicus ab ipso Imperatore proscriptus tandem resipiscere, & illata Ecclesiis damna resarcire coactus est.

In superioribus sub Enichone Episcopo ad annum 1284. recitavimus litteras Henrici Bojariæ Ducis, Comitis Palatini, quibus professus est, se Urbem Mosburgensem cum aliis ad eam pertinentibus beneficiario titulo ab eodem Episcopo accepisse. Litteras illas ad preces Nicodemi Episcopi nostri Sigismundus Imperator recognovit, & novo Diplomate confirmavit Ulmæ 20. Junii 1434. Quo ipso

Gratiæ Imperat. pro Episcopo nostro.

N. 332. 333. 334. ipso anno die, ac loco idem Imperator Panchartam, seu generalem omnium Privilegiorum Confirmationem Nicodemo adjecit.

N. 335. Cathedrale Collegium Frisingense eodem anno lites quasdam, quas cum Joanne Smidinger, & Wolfgango Soyer foverat, arbitrio Abbatum Tegernseensis, ac Rottensis, item Nobilium Udalrici Kamerauer, ac Petri Neuchinger feliciter terminavit.

Eodem anno Dioecesis Frisingensis petitas à Patribus Basileensibus subsidiarias pecunias fideliter persolvit. Damus apocham,

Ego Henricus Fleckel, Auditor &c. pro collecta per S. Basiliense Concilium in subsidium expensarum pro nuntiis ad diversas mundi partes destinatis imposita per nationem Germanie exigenda & recipienda deputatus Recognosco presencium tenore, me recepisse seu habuisse à Venerabili & egregio viro Domino Johanne Grüenwalder Vicario Frisingensi Nonaginta florenos Renenses eidem diœcesi Frisingensi impositos occasione subsidii supradicti. In cujus rei testimonium presentes signeto meo duxi consignandas. Datum Basilee XVIIII. Mens. Januarii. Anno Domini M CCCC XXXIIII.

§. III.

Actorum Nicodemi Continuatio, cum aliis publicis occurrentibus usque ad annum 1441.

Lites novas, inter Bojariæ Principes enatas anno Christi 1436. Patres Basileenses consopierunt. Cæterum eodem anno ultra suam sphæram progressi iidem Basileenses cæpere Pontificibus quosdam Articulos præscribere, & Sanctiones quasdam eousque editas abolere. Unde schisma jam præ foribus erat. Ferunt, quod, cum Patres illi agerent de Reformatione Cleri, eamque à Minoritis esse incipiendam dicerent, responderit Sigismundus, *imo incipienda est à Majoritis.* Quo merito significabat, Primores debere corrigere prius mores proprios, & exemplo præire, si inferiorum vitam cupiant emendare. Christus certe noluit mundum reformare absque exemplo suo, quod ipse testatus est iis verbis: *Discite à me, quia mitis, & humilis sum corde.* Et iis: *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Basileenses non sapiunt ad sobrietatem.

N. 336. Udalricus Brixinensis Episcopus ad assiduas preces D. Michaelis Pfister Decani S. Andreæ Particulas quasdam de Lipsanis Ejusdem S. Apostoli Collegiatæ illi Ecclesiæ eo anno donavit, & authenticum testimonium addidit, quod in Parte II. recitamus.

Mox laudatus Sigismundus Imperator de Ecclesia universa, ac de hac Frisingensi optime meritus anno 1437. Imperio, Regnis, totique mundo valedixit, & Statibus præclara monita: Alberto vero Austriaco Regna Hungariæ, ac Bohemiæ reliquit: cui sequenti anno, Christi 1438. Electores Imperii etiam summum, atque Cæsareum sceptrum votis unanimibus adjecerunt: Quo ipso anno Nostri Wessonfontani ad Monasterii sui Regimen ex Tegernseensi Cœnobio evocarunt Udalricum Stöckl, Nobilem de Rotach, qui deinceps cum summa laude præfuit, & disciplinam egregie restituit. Eodem tempore Frisingensis Curia duas partes Decimarum in NiderRott Monasterio Rottensi asseruit, & adjudicavit.

Moritur Sigismundus Imperator. Sufficitur Albertus Austriacus.

Joannes Grünwalder, qui tum è Concilio Basileensi aberat, à Cardinale Arelatensi sequentes literas accepit:

Spe-

Spectabilis & egregie Doctor, socie & amice noster precarissime. Salute cordiali premissa. Scripsimus sepenumero Reverentie vestre, & hec sacra Synodus injunxit, & suis literis mandavit, ut huc quantocius accederetis, Necessitatem enim scitis Ecclesie Universalis, & gravitatem rerum circa quas impresentiarum versamur. Si igitur vobis sincerus zelus est ad salutem publicam Xstiane religionis, si ad sanctam Ecclesiam Dei illa probata fervens devotio, si denique optimus & integer affectus ad consummationem felicem operum sacratissimorum, pro quibus hoc sacrum concilium dignoscitur institutum, exhibere precamur, non differatis huic sacre Sinodo presentiam vestram. Ecce enim requirit Dominus, si est qui diligat domum Jacob, & locum habitationis glorie sue. probatio autem dilectionis exhibitio est operis. Probate igitur virorum optime, probate vos diligere Rempublicam Ecclesie, dum necessitas urget adeo magna, ut similem nullus audiverit. Si enim presentiam vestram requisitus denegaveritis Ecclesie fluctuanti, quis de reatu excusare vos poterit. Instat profecto tempus, quo consummatione votiva Doctorum sanctorum operum fructum reportent fideles priorum laborum. Venite ergo venite cum exultatione, ut portetis manipulos vestros. Nostis quidem exitum acta probare, & non pugnam coronare sed finem, non omnem currentem, sed pervenientem ad terminum accipere bravium. Festinate eya carissime socie, ut & passionum & consolationum sitis particeps, nec solvatis rogamus hoc tempore instantis belli cingulum militie. Aperiremus quanta impellunt, quantaque perurgent, si singula hujusmodi Vestram caritatem latere putaremus: vos autem omnia hec occulata fide conspicitis. Negociorum vero dispositiones dominus Deghenardus Salching Canonicus Frising. harum exhibitor nobis sincere dilectus vestre circumspectioni latius dicet. Sunt etenim hic Reverendissimi Domini Ambassiatores Christianissimi regis Francie, qui & in propositione sua elegantissima professi sunt, hanc sacram Sinodum verissime representare Ecclesiam Universalem, & decreta saluberrima hic edita pro reformatione Ecclesie acceptarunt, pro nonnullis tamen honestissime supplicantes, circa quorum expeditionem Patres assiduis vigiliis se divertunt. Sunt autem illi ex dictis dominis Ambassiatoribus, qui alias hic non fuerant, huic sacro Concilio incorporati & deditissimi ad bonum commune Ecclesie universe. Alia demum annunciabit dominus Deghenardus exhibitor predictus, quem consideratione nostri habeatis quesumus singulari benevolentia commendatum. Paratus equidem sum continuo pro viribus efficere queque cognovero grata vestre amicitie quam feliciter huc dirigere & conservare dignetur in omni prosperitate & salute. Scriptum Basilee die XXV. Novembris. M CCCC XXXVIII.

Ernestus Bojariæ superioris Dux eo ipso anno Authoritate Basileensium Patrum in Monte Andecensi instituit Collegium sex Canonicorum cum Præposito, quod Episcopus Augustanus Authoritate Ordinaria confirmavit. Porro Ernestus paulo post diem suum obiit, & Albertum filium Ducatûs hæredem reliquit, uti ex Arembeckii Chronico edocemur. **Initia Collegii Andecensis.** **Concilium Basil. transfertur.**

Cum eo tempore Basileense Concilium multam in Sedis Apostolicæ præjudicium facultatem sibi arrogaret, Pontifex Eugenius illud Ferrariam: ac post Florentiam transtulit: ubi deinceps multæ saluberrimæ Constitutiones prodiere, & Unio cum Græcis restituta est.

Verum Patribus Basileensibus Eugenii legitimi Pontificis admonitiones, ac dirarum comminationes nihil morantibus, semperque in deteriora prolabentibus sequenti anno, reparatæ salutis 1439. Cardinalis Arelatensis, conventûs illius Præses, novas ad Joannem Grünwalderum, Frisingensem, literas dedit:

*Spectabilis & egregie Doctor, socie & amice noster precarissime. Salute sincera premissa. Exposuerunt huic S. Sinodo Reverendi Patres Domini Episcopi Pataviensis, Lubicensis, & Augustensis, Magnificus Baro, Dominus * Conradus de Vomsperg Camerarius S. Imperii, & ille egregius utriusque Juris Doctor Dominus Johannes de Bich ex parte Serenissimi ac Gloriosissimi Domini Regis Romanorum, nec non sex alii doctores ex*

* Forte Winsperg.

parte Dominorum Electorum S. Imperii, & quidam alii ex parte aliquorum aliorum Dominorum, Archiepiscoporum & Communitatum hujus inclite Germanie sincerissimas, ac Religiosa devotione eorundem ad prosecutionem reductionis Grecorum, & pacis Ecclesie. Venerunt quidem isti ex Nuremberga post dietam, & medium ad illa duo desideratissima prosequenda aperuerunt mutationem hujus Sacri Concilii in alium locum, instantes ut pro concilio Icumenico aliquis alius locus in Germania eligeretur. Cum autem pro eo isti plurimum instarent, & solennes Ambassiatores Christianissimi regni Francorum huc destinati, aliorumque regum & principum hic existentes oratores se illis conformarent, visum est Patribus illa duo maxima bona, reductionem scil. Grecorum & pacem Ecclesie negligi non debere. Sed neque tantorum Principum adeo instantes preces contempni posse. Quia tamen in hujusmodi mutationis medio dissolutio latere cernebatur, censuerunt Patres, prudenter incedendum. Deputavit itaque S. Sinodus nonnullos ex optimis Patribus, qui cum illis Dominis Ambassiatoribus desuper conferrent. Domini vero Ambassiatores requisiverunt eos, ut cum suorum principum mittentium Catholica mens esset, quod in rebus istis auctoritas sacrorum Generalium Conciliorum & Ecclesie Universalis, hujus quoque Sacri Concilii Basiliensis status & honor meritò conservarentur, modos aperirent Domini Deputati sacri Concilii, quibus prosecutio ipsa commode fieri posset, tanquam in rebus hujusmodi magis experti, qui circa eas jam septennio versati sunt. Conceperunt igitur dicti Domini Deputati cedulam quandam continentem modos & formas, quibus pax in Ecclesia feliciter haberi, reductioni Grecorum efficaciter intendi, & Concilium Ycumenicum salubriter posset ac commode celebrari. Domini autem Oratores eadem cedula sepius audita & intellecta, quandam aliam sacris Deputationibus per modum . . . . exhibuerunt. Unde Patres hujus S. Concilii super utraque maturis deliberationibus habitis se recollegerunt in istis firmissime solidati, ut cum articulus, de quo cum Domino Eugenio disceptatur, fidem concernat, veluti jam septem anni sunt, extitit declaratum, opus sit ut veritates Fidei per Ecclesiam declarate ab omni impugnatione serventur illese, & presertim iste tres, sacrum generale Concilium legitime congregatum Universalem Ecclesiam representans habet potestatem immediate à Christo, ita ut omnis Xsti fidelis cujuscunque dignitatis etiamsi papalis existat, illi obedire teneatur, in hiis maxime, que pertinent ad fidem, reformationem, extirpationem scismatis. &c. Secunda, quod potestas hec non est auferibilis aut mutabilis ab homine, unde Concilium generale à nemine, etiamsi Papali presulgeat dignitate sine suo consensu dissolvi aut mutari non potest. Tertia uno tempore non potest nisi unum generale esse Concilium. Cum autem adversus istas attemptatum fuerit, oportet, ut fideliter recognoscantur per expressam professionem. Preterea auctoritas predicta in hiis ut pupilla oculi conservanda est ab omni conculcatione illibata, ipsa etenim prostrata Evangelia, & Sacra Scriptura tota titubarent, que ipsius approbatione suscepta fuerunt. Periret insuper, quidquid unitatis, ordinis & decoris est in Religione Christiana, Pendent quidem omnia hec ex auctoritate predicta tanquam ex nervo totius Ecclesiastice disciplne, pro communi denique bono Ecclesie universe reformatio hic edita per observationem effectualem in hiis potissimum attenditur. cum pax vera atque perfecta in Ecclesia reflorere non possit, nisi confusione repressa, que totam ipsam decolorat, & statum ejus subvertit, dum quod suum est cuique non tribuitur dignitatis, dum per abusum intolerabiles deformitates mores Ecclesiasticorum adeò corrupti redduntur, ut gratum Deo sacrificium prestare non possint. In hiis demum servare necesse est statum & honorem hujus Sacri Concilii, quam patres manutenere juraverunt. Cum istis, optime virorum, visum est posse condescendi petitionibus prenarratis. Istorum tamen ad illa duo desideratissima tantam conspiciunt Patres esse connexionem, adeoque indissolubile fedus, ut illa sine istis haberi non valerent. Hec igitur est mens Patrum, per hec simul omnia sunt inquirenda. Fallitur equidem ac nimis periculosè fallitur, qui predicta duo sine istis haberi posse cogitat. An sine Fide pax vera erit. Nonne si non idipsum in Domino sapiamus omnes, unum esse poterimus in domo Domini. Nonne & auctoritate Conciliorum generalium & Ecclesie conculcata poterit ipsa universalis reintegrari Ecclesia, aut here-

Tres propositiones Basileensium ineptæ. Prima. Secunda.

Tertia vera, sed sensu malo laborans.

hereses confutari? Sed & nunquid confusione ac deformitatibus invalescentibus pax pulcherrima Ecclesiam perornabit, aut corruptis moribus Grecos lucri faciemus Xsto? Quis preterea non videat, quod hoc sacro Concilio succumbente in sua veritate & justitia notoria, de conciliis generalibus amodo actum foret, ita ut mortalis unus homo universalem totius Ecclesie statum evertere pro sue proprie libito voluntatis, nec modus esset providendi. Ecce igitur eximie Doctor ecce necessitatem nostri certaminis, ecce ubi immobiliter sistere compellimur. Coloribus autem variis nonnulli utuntur. Sed Patres resoluti sunt non in nube ambulare sed in aperta veritate intendere paci nichil insidiarum habiture. Docuerunt eos priora tempora, & moderna instruunt, quod periculose sub suavi pacis sono querit Ecclesiam subintrare gravissima turbatio. Pendentibus istis hic tractatibus missus est ille Episcopus Seginen. ad dictum Serenissimum Regem Romanorum contra sacrum Concilium, commissumque sibi inter cetera, ut suppe . . . . . . hujus S. Concilii particulariter privet, & suas dignitates ac beneficia aliis conferat. Inibi ex Ferraria in Florentiam mutatio facta est, & Greci ad remotiora traduntur. Conveniuntne ista tractatibus hujusmodi qui ducuntur. An ista via est qua Greci in Germaniam ad concilium Icumenicum sunt venturi? Estne tale universale Concilium stabile, an potius conventiculum, quod hinc inde distrahitur. Pensanda sunt singula hec socie cordialissime, & à vobis inclitis Dominis Germanis vel aliquando intelligenda sunt opera; non quia non intelligatis diximus, sed ut alios reddatis attentos, ne auscultent inanibus verbis quibus invidi seducere molliuntur. Indicta est apud Franchfordiam dieta, ubi de premissis tractatus haberi speratur. Si igitur vobis est ad domum Dei zelus, si ad Ecclesiam devotio, si ad bonum commune & publicam salutem Xstiane religionis quevis pietas, si quoque estis ille Dominus Vicarius Frisingensis constantissimus hujus S. Concilii zelator & defensor intrepidus, accedite quesumus illuc, nec aliqua quansacunque vos detineat occasio. Requirit certe mitis Dominus, si est qui diligit domum Jacob & locum habitationis glorie sue. Exurgite igitur exurgite miles Xsti fortissime & venite in adjutorium, opponiteque vos murum pro domo Domini. Tempus prope est, ut domino concedente conclusus fiat nostri certaminis cursus. Meminisse impresentiarum vos congruit fortissimorum illorum Machabeorum, qui tanta constantia pro mandatis Dei & legibus paternis dimicarunt. Attendite precamur, ut & Fidem Catholicam, ut Canones SS Patrum, ut Ecclesiam nostram, ut horum omnium propugnaculum auctoritatem memoratam sua imitatione viriliter defendamus. Advertite rogamus, ne distuleritis. prudentes quippe sunt filii tenebrarum, & magis quam filii lucis in generatione sua. Venite igitur illuc quantocius venite, & exhinc illuc accedite, ne deteriores convincamur in Ecclesia nostra ex qua nobis est tota salus, quam gentiles illi famosi in sua republica, pro qua tutanda durissime mortis pericula non extimescebant. Datus est huic sacro Concilio prefatus Magnificus Dominus Conradus de Vomsperger Baro generosus in protectorem ex parte Regie Majestatis, ex quo aperte colligitur catholica devotio ipsius Majestatis Regie ad hanc sacram Sinodum generalem. Excitetis igitur precamur universos fideles, ut huic sacro Concilio auxilia maxime hoc tempore favoresque impendant, & tam in dietam predictam, quam exinde ad hoc S. Concilium ipsos vobiscum adducatis in obsequium Domini nostri Jhesu Xsti Veri Ecclesie capitis & sponsi qui vestram Reverentiam feliciter dirigere & conservare dignetur cum incremento totius prosperitatis & salutis. Parati etiam continuo sumus pro viribus efficere queque cognoverimus grata esse Reverentie vestre. Scriptum Basilee die XVII. Febr. M CCCC XXXIX.

De Premissis vos cordialiter deprecor mppa. Lud. Card. Arelatt.

Hæc Grunwaldero nostro Cardinalis ille. E quibus facile conjiciet prudens Lector, quam fucatis rationibus & persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis Basileenses uti Grünwalderum, ita alios quoque viros doctos ad Schismatis continuationem pertrahere conati fuerint.

Porro iidem Patres deinceps Eugenium Papam exauthorare, & Amadeum, è Sabaudiæ Ducibus Eremicolam, in ejus locum ad Pontificatum assumere ausi sunt.

Basileenses eligunt Pseudo-Pontificem Felicem V. Scribit Raynaldus, Amadeum ipsum spiritu diabolico incitatum schismatis fuisse nequissimum Authorem. Is eum in modum electus, dici voluit Felix V., quo nomine nullum ineptius assumere potuisset, ut suo tempore ipse expertus est. Ita Ecclesia, quæ sub uno capite una esse debebat, rursus infelix dissidium passa est.

Ad Albertum Bojariæ Ducem Basileenses Patres eo tempore exararunt literas, quas subjungimus.

Sacrosancta generalis Synodus Basiliensis in Spiritu S. legitime congregata Universalem Ecclesiam repræsentans dilecto Ecclesiæ filio Nobili viro Alberto Duci Bavariæ salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Devotionem tuam publicæ saluti universalis Ecclesiæ & Justitiæ ac veritati non parum affectam esse existimantes communicavimus eidem per literas nostras, quæ pro necessitate ipsius Ecclesiæ, conservatione orthodoxæ fidei, & reformatione morum per hanc sanctam Synodum acta sunt. Ceterum intelleximus Inclite Princeps, nonnullos variis suggestionibus moliri, ut pecuniæ provenientes ex indulgentiis, auctoritate hujus sacri Concilii publicatis, quæ in tuo Dominio collectæ sunt, subtrahantur eidem Concilio, & in fabricam alicujus aut aliquarum Basilicarum seu Ecclesiarum applicentur. Parum advertentes, quantas obligationes, quantaque debita in prosecutionem unionis Græcorum, & pro salute publica totius Ecclesiæ idem concilium subiit, quod & importabilia onera pro bono communi cunctorum assiduè sustinet. Nimis autem impium esset universali Ecclesiæ matri cunctorum subripere quod suum est, atque ipsam relinquere obligatam & debitis oneratam, auferendo pecunias pertinentes eidem, & ejus creditores defraudando; pœnas quoque sacrilegii & alias admodum graves incurrunt, qui talia perpetrare audent. Velit igitur Devotio tua illorum suasiones injustas repellere, & efficaciter juvare, ut prædictæ pecuniæ huic sacro Concilio, cui debitæ sunt, efficaciter expediantur, tradanturque in manus dilecti Ecclesiæ filii Johannis Vicarii Frisingensis, aut alterius super hoc mandata nostra deferentis. Sic enim facies quod justum est, & à Domino qui diligit vias justorum, dignam accipiet retributionem devotio tua. Cui etiam præfatus Vicarius communicabit plura de hiisque pro salute universalis Ecclesiæ per hanc sanctam Synodum proximis diebus gesta sunt, ad laudem & gloriam Jhesu Christi, qui eandem devotionem tuam in cunctis feliciter dirigere & conservare dignetur. Datum Basileæ VII. Id. Augusti. Anno à Nativitate Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo nono. Apostolica sede vacante.

Hæc scripsere Basileenses Bojariæ Duci: quibus palam fecerunt, se à Pontifice legitimo omnino defecisse.

Joannes Grünwalderus piam aliquam fundationem ad aram S. Annæ in Ecclesia S. Petri Monachii factam, eo tempore ratam habuit. Literas in Partem II. differimus. N. 337.

Albertus, electus Imperator, qui eò usque neque Eugenii, neque Basileensis Conciliabuli partes admodum foverat, eo anno breve Imperium, vitamque absolvit.

Statuta Canonicorum Frisingensium. Frisingæ eo anno Canonici Cathedralis Ecclesiæ determinarunt qualitates eorum, qui in posterum in suum Collegium admitti possent. Adjectæ fuere etiam aliæ Constitutiones, quæ iisdem Canonicis dignæ fuere judicatæ. Canonicorum Cathedralium (ut vocamus) exprimuntur Nomina sequentia.

Nico-

Nicolaus de Gumpenberg Praepositus.
Henricus Smicher Decanus.
Joannes de Dagersheimb Scholasticus.
Caspar Seybelstorffer.
Joannes Grünwalder.
Wilhelmus Grewter.
Wigislaus Rorböck.
Martinus Manslander.
Theoboldus Aichberger.
Erhardus Ottenhover.
Joannes Simonis.
Udalricus Kemnater.

Porro Alberto Romanorum Rege è vivis erepto Imperii Electores statim ad sequentis anni 1440. initium conventum Francofurti instituerunt, in quo communibus suffragiis Rex, ac futurus Imperator renuntiatus est Fridericus Ernesti Ferrei, è Domo Austriaca Styriae, & Carinthiae Ducis Primogenitus filius dictus alias *Placidus*, seu *Pacificus*: qui Electorum votis nonnisi tarde, atque aegre assensum praebuit, eo quod tum ob perturbatas res Ecclesiae, tum ob Hungariae, & Bohemiae Regna, tunc Rege destituta, ingentes sibi difficultates propediem imminere cerneret. Certe licet sui Electio Eidem statim per nuntios à Conventu Francofurtensi fuerit insinuata, is tamen primum mense Aprili, die Divo Georgio sacra, eam admisit, nuntiosque gaudio plenos dimisit. Alberto Imperatori sufficitur Fridericus. Qui tarde annuit.

Frisingae ante biennium, nempe anno Christi 1438. fuisse ex Nicodemi Episcopi absentis mandato celebratam Synodum Diaecesanam, paucis, uti existimamus, hactenus innotuit. Sed rei evidentiam edocemur ex coaevo Codice Eberspergensi, cujus titulus: *Statuta Synodi Frisingensis.* Ubi nempe Decreta illa plena manu recensentur. Initium Synodi sic habet: *Ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, salutem quoque gregis Reverendo in Christo Patri & Domino, Domino Nicodemo Episcopo Frisingensi crediti nos Nicolaus de Gumpenberg Praepositus, Joannes Grünwalder Decretorum Doctor, Canonicus, ac ejusdem Reverendi Patris in Spiritualibus Vicarius Generalis Sacrae Synodi Episcopalis Frisingensis ex commissione speciali nobis per eundem desuper facta praesidentes, una cum Venerabilibus Patribus, & Dominis Abbatibus, Praepositis, Archidiaconis, Decanis, & universo Clero Diaecesis Frisingensis nobiscum in hac sacra Synodo consedentibus ad correctionem excessuum, & reformationem morum diligenti, & matura deliberatione praehabita, infra scriptas Constitutiones, & Statuta ex causis rationabilibus solenniter, ac communiter edidimus, conclusimus, & praesentibus promulgamus, sub poenis quoque in eis contentis praecipimus inviolabiliter observari, & ut infra continetur, anno bis publicari.* Synodus Frisingensis duplex.

Haec Synodi illius est Praefatio, cui postea subjunguntur Capitula XXXVIII. & in fine adjungitur: *datum, & actum Frisingae in aula Episcopali sub anno à Nativitate Domini M. quadringentesimo tricesimo octavo, Indictione prima, die vero penultima Mensis Aprilis, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Eugenii Divina Providentia Papae quarti anno octavo: In cujus robur, & testimonium praemissorum Sigillum Vicariatûs Episcopi Ecclesiae Frisingensis saepe dictis praesentibus duximus imprimendum.* Frisingenses agnoscunt Eugenium Pontificem.

(L.S.)

Haec

Hæc ibi. Quæ si conferantur cum alia Synodo Frisingensi, statim post biennium anno Christi 1440. die 2. Mensis Septembris præsente ipso Nicodemo Episcopo terminata, nonnisi XXVI. Capitulis constante, & posthac è M. S. Codice Monasterii Neocellensis prope Frisingam à Viro Doctissimo Severino Binio, & novissimè ab Harduino edita, & Corpori Conciliorum inserta: apparebit illico, Synodum Frisingensem præcedentem à posteriori fuisse in multis Articulis emendatam, castigatam, & ad puncta pauciora redactam. Agebatur in ea Synodo

Materiæ Synodi. 1. De Clericis peregrinis, & ignotis. 2. De Judiciis. 3. De Foro competenti. 4. De Vita & honestate Clericorum. 5. De Cohabitatione Clericorum, & Mulierum. 6. De Clericis non residentibus in Ecclesiis, vel Præbendis. 7. De Præbendis, & Dignitatibus. 8. De Concessionibus Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis. 9. De rebus Ecclesiæ non alienandis. 10. De Sepulturis. 11. De Decimis. 12. De Regularibus, & eorum statu. 13 De Jure Patronatus, & Advocatis Ecclesiarum. 14. De Censibus, & Exactionibus. 15. De Benedictione salis, & aspersorii diebus Dominicis. 16. De Celebratione Missarum. 17. De Baptismo. 18. De Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & aliorum Sacramentorum. 19. De Clandestina Desponsatione. 20. De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur. 21. De Judæis. 22. De Usuris, & Usurariorum pœnis, & præemptionibus. 23. De Poenis. 24. De Pœnitentiis & Remissionibus. 25. De Sententia Excommunicationis. ac tandem 26. De publicatione Statutorum, & eorum copia habenda, uti latius dabimus in Parte 2da, dum N. 338. b. N. 338. a. Actis totius Concilii hic locum non esse arbitramur. His præmittemus Orationem celebrem, quam ad eam Synodum dixit Joannes Köckkius supra laudatus S. Theologiæ, Artiumque Liberalium Magister, & Decretorum Doctor, Monachus Tegernseensis: quæ, ut apparet, ad Harduini manus non pervenit. Scimus etiam aliam egregiam Orationem in eadem Synodo fuisse habitam à Rudolpho de Haringen itidem Doctore. Verum ea ad manus nostras integra non pervenit, sed truncata duntaxat. Hinc eam omittendam censuimus.

Rudolphum illum de Haringen fuisse S. Theologiæ Professorem, Decanum Ecclesiæ Veteris Capellæ, & Friderici II. Episcopi Ratisbonensis in Spiritualibus Vicarium Generalem, ex pluribus, quas scripsit, epistolis constat. Synodi illius mentionem etiam facit Starovolscius in Epitome Conciliorum Romæ edita. Gonzalez ad *Capit. 2. de Concess. Prabend.* & alii.

Nicodemus Ep. donat suæ Cath. Ecclesiæ Imaginem B. V. M. à S. Luca pictam. Eodem Mense Septembri die 23. Nicodemus Episcopus Cathedralem suam Ecclesiam dono longe pretiosissimo exornavit. Imagine scilicet Beatissimæ Cœlitum Reginæ, penicillo Divi Lucæ depicta, ac postea argento, & auro inclusa, ac gemmis exornata, de qua in Antiqua tabula legimus sequentia: *Hanc Imaginem Gloriosissima Virginis Maria, Beati Evangelista Luca manibus depictam jam bonis temporibus Orientali Græcorum videlicet Imperio florente Serenissimus ibidem ætate illa Imperator apud Urbem Constantinopolim residens Excellenti Principi, & Domino Joanni Galleacio Mediolanensium Duci Illustri munus insigne, omnique ætate colendum dono dedit, post cujus obitum Matrona quadam nobilis ex Anglorum Regno Comitissa de Chent dicta eadem veneranda Imagine multo tempore perquam devotissime potita fuit. Tandem vero labentibus annis pluribus spectabilis & Magnificus Dominus Bronorius de la Scala ob insignem ejus virtutem Imagine ista honoratus, eandem contemplatione Reverendi quondam in Christo Patris, & Domini Domini Nicodemi hujus Ecclesia Episcopi Germani sui pro Christi fidelium devotione ferventius accendenda ad decus, & ornamentum Ecclesia nostra addidit anno salutis Christiana millesimo quadringentesimo quadragesimo die 23. Mensis Septembris. Et ut fidelium magis crescat devotio, idem Episcopus omnibus, & singulis Christi fidelibus dicta Imaginis ostensioni in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis Gloriosa Virginis prædicta Festis devote præsentibus quadraginta dierum indulgentiam in forma Ecclesia consueta misericorditer*

est

est elargitus: quam Successores Episcopi ratam habentes, & gratam, similem gratiose indulgentiam concesserunt. Hæc ibi:

Apud Harduinum Augustinus Patricius Canonicus Senensis in Historia Concilii Basileensis, Florentini &c. hæc habet: *Mense deinde Octobris Basileenses Litteras Regis Aragonum acceperunt, in quibus ille sacrosanctam Synodum, repræsentantem Universalem Ecclesiam appellabat &c.* Subditur post pauca. *Quarto deinde Idus Octobris cum Patres dispensassent Decreto XXIII. super Creatione Cardinalium, indulserunt Felici, ut, quos utiles esse judicaret, crearet novos Cardinales: qui mox de Consilio aliorum Cardinalium octo novos creavit, quorum unus illegitimus erat.* Eorum Nomina hæc sunt. Alexander Patriarcha Aquileiensis Tridentinus. Otho Dertusensis, Georgius Vicensis. Franciscus Gebennensis, Bernardus Aquensis, Joannes Argentinensis Episcopi. Joannes Frisingensis Vicarius, & Joannes de Segobia Presbyteri Cardinales omnes. Horum tituli hi fuère. Patriarcha Aquilejensis S. Laurentii in Damaso. ..... Joannis Frisingensis S. Martini in Montibus &c. ..... Paulo post designati sunt Legati in Germaniam Alexander S. Laurentii in Damaso, Joannes S. Martini &c. cum amplissima potestate omnia agendi, & concedendi, Cæsari, ac Principibus, modo ipsos traherent ad partes suas. Audierant enim, Cæsarem Conventum Generalem omnibus Regibus, & Principibus indixisse, Maguntiæ ad Purificationem Beatæ Virginis, & alium Provincialibus suis prius Nurmbergæ ad Festum S. Andreæ, ut in eo præconsultaret, quid in dissensione Ecclesiæ esset agendum? Magna igitur cura inerat Basileensibus Cæsarem præveniendi, & eum in sententiam suam deducendi.* ....

* Utique Grünwalderus noster. Cardinalesà Pseudo-Pont. creati.

Hæc Joanni Grunwalder Vicario Frisingensi in laudem cedere poterant, si tanti honores eidem à Pontifice legitimo fuissent collati. Accessisse videbatur Joanni adhuc major inter Basileenses gloria anno 1441. quo scriptor supra laudatus meminit, Joannem nostrum, Sancti Martini in Montibus Cardinalem cum Cardinale Arelatensi præsedisse Concilio. Verum tametsi ejusmodi Viris occasione schismatis acta illa in laudem trahi non possint, manet tamen quædam laudis existimatio, quod inter tot Viros nominatissimos Basileæ congregatos eminuisse visi sint: quibus etiam magna quædam Principum Nomina tunc adhæsisse certum est.

Grünwalderus inter Basileenses magnus.

Grunwalderus noster eodem anno 1441. Norimbergæ. 5. Id. Januarii litteras quasdam expedivit, quibus celebri Monasterio Beyrbergensi varias Indulgentias elargitus est. Litterarum initium sic habet: *Joannes miseratione Divina tituli S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis de Bavaria vulgariter nuncupatus, Sacrosanctæ Basileensis Synodi in Spiritu Sancto legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentantis, ac Sedis Apostolicæ de Latere Legatus. Universis & singulis Christi fidelibus salutem in Domino sempiternam. Pia Mater Ecclesia &c.*

Tituli Grünwalderi.

Verum hisce ausibus ineptis calamum ulterius commodare non vacat. Redimus ad Ordinem Historiæ.

Inter hæc annno 1440. Joannes Guttenbergius Argentoratensis Artem Typographicam invenit, qua unus una die plus imprimit Chartæ, quàm mille possent scribendo. Charta, & Typographiâ carebant Majores nostri, quibus tamen nonnulli hodierni exprobrant vitam otiosam, eo quod non plures eorum libri in Bibliothecis compareant. Quam vereor, ut iidem Majores nostri aliquando exprobraturi sint longe majus otium modernis, dum tantis beati artibus, totque libris circumfessi, & nullis temporis angustiis præpediti non admodum multa in lucem protrahunt, & aliquando nonnisi ea demum proferunt, quæ ex antiquorum Codicibus hauserunt? Belle de hoc quidam Scriptor Germanicus: Olim, inquit, antequam ars ista inventa est, qui Codice gaudere volebat, sive alienis, sive propriis manibus exscriptionem procurare cogebatur: erantque in Urbibus Librariæ Tabernæ, è quibus scripti Codices, ut hodie impressi, comparari, aut Viri reperiri poterant, qui ad exscribendum præsto essent. Verum ejusmodi Codices multo

Inventio artis Typographicæ.

Ehrenspiegl.

ære ſtabant, nec niſi Divites emere poterant, pauperes vero excludebantur, neque ignorantiæ ſuæ poterant ſuccurrere. Quibus hodie beneficio Typographicæ Artis janua ad Artes & honores aperitur, & quisque longe brevioribus impenſis ſcientias comparare poteſt. Optime de his ſcribit Dominus Sebaſtianus Brandt.

Typorum utilitas.

Et qui è Divitibus vix Regi obvenerat olim,
Nunc Liber in tenui cernitur eſſe caſa.

Codices olim incendiis, atque rapinis erant obnoxii, & quando fortè exemplar, quod unicum exſtabat, periit, aliud non erat ſuper. Graviſſimum hoc periculum ars Typographica hodie ſuſtulit, & dum forte in centum locis pereunt Exemplaria, reſtant alia in aliis ſexcentis, & amplius. Hinc Inventores, & Cultores Artis hujus haud immerito magnam ſibi gloriam brevi pepererunt, & à Friderico Rege quasdam Prærogativas, Nobilium Characteri haud abſimiles, conſecuti ſunt. Fatendum nihilominus eſt, quod occaſione Typographicæ Artis multi abuſus in Orbem irrepſerint, dum multi re optima peſſime uſi, ſtoliditates ſuas facilius orbi ſuggeſſerunt. Præcipue vero ingemiſcimus, ea occaſione multos Manuſcriptos optimos, & antiquiſſimos Codices in ſpolium Bibliopegorum ceſſiſſe, cum poſteri mallent legere ea, quæ typis erant expreſſa, quam quæ Veterum manu erant exarata, velut hodieque experimur. Ita vix ullum commodum ſine incommodo eſſe conſuevit.

Abuſus.

§. IV.

Reliqua Nicodemi Acta, & Mors, cum rebus Eccleſiæ, & Imperii.

Baſileenſes manent contumaces.

CUm Patres Baſileenſes, toties licèt commoniti, legitimo Pontifici morem gerere, & Concilium diſſolvere detrectarent, tandem ab Eugenio IV. anno 1441. 13. April. diris fuere devoti, & è fidelium communione excluſi, ut ad eum annum Raynaldus notavit. Verum non idcircò ceſsêre Baſileenſes, ſed Seſſiones ſuas proſecuti eodem anno Feſtum Viſitationis B. M. V. inſtituerunt, quod ſuo tempore à legitimo Pontifice etiam fuit confirmatum. Joannes Kekius Tegernſeenſis Monachus eodem anno in Vigilia Nativitatis Dominicæ in Deiparæ laudem coram congregatis Patribus inſignem Orationem habuit: quam ſi Harduinus cum aliis tribus, ab eodem Doctore in ea Synodo cum magna laude dictis præ manibus habuiſſet, fortaſſis inter tot alia Baſileenſia Acta recenſuiſſet. Illæ cum aliis pluribus typis Inclyti Tegernſeenſis Monaſterii A. C. 1573. in lucem prodiêre.

Feſtum Viſitationis B. V. inſtituunt.

Salisburgi eo anno animam exhalavit Joannes II. Reichenſpergius Archi-Epiſcopus: cui ope Baſileenſium Fridericus Truchſeſſius de Emerberg Styrus, Metropolitani Collegii Decanus, fuit ſubrogatus, neglecto Sigismundo Volckensdorffio Præpoſito, in cujus promotionem pars notabilis Collegii collimaverat.

Salisburgum obtinet novum Archiepiſcopum. *Dükerus.*

Fridericus Imperator anno 1442. optime de Eccleſia meritus eſt, dum Baſileenſe Conciliabulum improbavit, & evertit, ſimulatione Concilii alterius paulò poſt cogendi.

Imperator à Baſileenſibus alienus.

Hinc etiam Basileenses die 16. May Sessionem ultimam concluserunt, & è loco discesserunt, indicto tamen in proximos annos alio Concilio, & relictis interim Basileæ aliquot Patribus, qui in casibus medio illo tempore emersuris Concilii Universalis nomine responsa darent. Dissolvitur conventus Basileæ: sed non fotus.

Ea tempestate Nicodemus Episcopus noster auditis Vicarii sui Joannis Grüenwalder promotionibus alium sibi Vicarium deinceps deligendum ratus, Joanni Simonis, Canonico hujus Cathedralis Ecclesiæ (cujus jam supra ingesta fuit mentio) id muneris detulit. Denegati quoque fuere Grünwaldero proventus illi, qui ei, cum antehac studio pacis Episcopatum Nicodemo cessisset, fuerunt assignati. Id ægre tulit Grünwalderus, qui eapropter Basileenses interpellandos censuit, maximè quia Felix Pseudo-Pontifex Vicarii Frisingensis Officium Joanni Tuelbeck Canonico, ac Decretorum Doctori contulerat. Itaque eâ de re diu certatum fuit Basileæ, donec tandem Felix modum invenisse visus est, quo partes conciliari possent. Verum ne sic quidem lites mansere diu sopitæ: Unde ii, qui Basileæ substitere, Doctores rursus fuere interpellati, ut universalis Ecclesiæ nomine, atque authoritate liti modum ponerent. Verum illi causam remisere ad imaginarium suum Pontificem, fortè quod jam tunc viderent authoritatem suam paulatim in fumum abire. Litteras desuper A. 1442. 1. Junii exaratas, tametsi prolixæ sint, & saltem, prout apud Hundium reperiuntur, satis obscure, & oscitanter scriptæ fuerint, in parte altera nihilominus exhibebimus. Grünwalderus Frisingæ minus acceptus Episcopo. Basileensium Reliquiarum vertigines. T. I. pag. 172. N. 338. c.

Cæterum Fridericus electus eo anno die 17. vel juxta quosdam 24. Junii Aquisgrani Regni Germanici Coronam suscepit. Sequenti anno Christi 1443. die 10. Mensis Junii Nicodemus laudatissimus Episcopus noster Viennæ ab Electo Romanorum Imperatore Friderico Ditiones Frisingenses, antiquitus Episcopatui concessas, rursus in Beneficium, seu Feudum ritu solenni accepit. Tenor litterarum sic habet. *Ehrenspiegl.* Investitura Nicodemij Ep.

Wür Fridrich von Gottes gnaden Römischer Kunig zu allen zeiten Mehrer des Reichs, Hertzog zu Osterrich, zu Steir, zu Kernden und zu Krain, Graue zu Tirol &c. Bekhennen und thun kundt offenbar mit disem briefe allen den, die ihn sehen oder hörn lesen. Daz uff heut datumb diß brieffs für uns khommen ist in unser statt Wienn, da wir in unser kuniglichen Maiestat geziret gesessen sin, der Erwirdig Nicodem Bischoff zu Freisingen unser Fürst, Rhat, und lieber andechtiger, vnd hat vns demuticlich gebeten, daz wür ihm seine und seins Stüffts zu Freisingen Leben, Regalia, Herrlichkeit, Weltlichkeit, und Lebenschafc, die wür als ein Römischer Kunig zu verleihen haben, zu raichen und zu leiben gnedigclich geruhten. Wan nu des egenanten Nicodemen Bischoffs zu Freisingen Voruarn, unsern Voruarn Römischen Keysern und Kunigen allzit mit lautere trey und undertenikeit gewont gewesen sint, alsdan der vorgenant Nicodem vns ietzund auh ist, desgeleichen wür vns auh fürbazzer zu ihm unzweifenlich versehen darumb mit wollbedachtem mute, gutem Rate unserer Fürsten, Grauen, Edeln, und getrewen, und rechter wissen, haben wür demselben Nicodemen Bischoffen zu Freisingen alle und yeglich seine, und seins Stüffts zu Freisingen Regalia, Herrlicheit, Leben, Weltlicheit, Lebenschaft, Rechte, und weltlich Gerichte mit allen Rechten, Eeren, wirden, und Zierden darzue geborunde, die wir als ein Römischer Kunig zu verleihen haben, gnedigclich geraichet, und geliben, raichen und leihen Ibm auh die von Romischer Kunigcliher macht in kraft diß Brieffs, mainen, setzen, und wellen, daz er solcher Regalia, Leben, Weltlicheit, Herrlicheit, Lebenschaffte, Rechte, und weltliche gerichte yberall in seinem Stüffte gebrauchen sull und mug, ohn menigclichs hindernuß und widersprechen. Er hat uns auch darumb gewondlich gelübd und aide gethan, vns als ain Romischem Kunige getrew und gewertig zusein, uns für seinen rechten Herren zu halten, zudienn und zuthun alles, das ain Fürst des Richs ainem Römischen Kunige zethun fliebtig ist, von Rechts wegen. Vnd wür gebietten darumb allen

und ieglichen des egenanten Stüffss zu Freisingen underthanen, es sein Grafen, Frein, Edele, Rittere, Knechte, Manne, Ambtleüte, und Gemeinde, und sust alle andere desselben Stüffts zu Freisingen pflichtige, in was würden oder wesen die sind ernstlich und vestielich mit disem brieue, das si dem egenanten Nicodemen Bischofen zu Freisingen in allen sachen, gescheften und dingen, weltlicheit, weltlichen gerichten, und sust seinen, und seins Stüffts Regalia und Lehen antreffunde, als irn rechten natürlichen und ordenlichen Herren ohn alles widersprechen gewerttig und gehorsam sein sullen, und Ihn der auh gebrauchen und geniessen lassen, als lieb ihn seye unser und des Reichs swere ungnad zuuermeiden. Mit vrkund diss briefs versigelt mit unserer kuniglichen Maiestat anhangendem Insigel. Geben zu Wyenn nach Krists geburd vüerzehenhundert und darnach in dem dreu und vierzigisten iare an Mantag nach dem heiligen pfingstag, unsers Reichs im vierdten iare.

Ad mandatum Domini Regis
Caspar Dominus Novi Castri Cancellarius

R^ta

Jacobus Wider.

Idipsum, quod in recitatis litteris perhibetur, in Codice prædiorum annotatum cernimus his verbis: *Anno M IIII^c XLIII. die X. Junii, qua fuit feria secunda post Penteeostes, in Viena R. in Christo Pater, & Dominus Dominus Nicodemus, ex Dominis de la Seala, Dominis de Verona, & Vicentia &c. Regalia, sive Feuda Ecclesiæ suæ recepit solenniter, id est in publico cum Banderia sua à Serenissimo Romanorum Rege semper Augusto, Domino Domino Friderico Austriæ, Stiriæ, Karinthiæque Duce.*

Nova difficultas oboritur Grünwaldero.

Interim ex morte Nicolai Gumpenberger Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Præpositi rursus nova controversia oborta est, num scilicet Dignitas Præpositi Joanni Grünwalder à Basileensibus surrogato, an vero Ulrico Nusdorffer, à Canonicis, pro more illius temporis, electo esset adjudicanda? Quid Basileenses rescripserint, sequens apographum ex Hundio desumptum docebit.

Sacrosancta generalis Synodus Basilien. in Spiritu Sancto legitime congregata universalem Ecelesiam repræsentans dilecto Ecclesiæ filio Gisperto electo Segobricen. causarum audientiæ nostræ Judici salutem & omnipotentis Dei benedictionem, dum exquisitam dilectissimi Ecclesiæ filii Joannis Sancti Martini in montibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri Cardinalis de Bavaria vulgariter nuncupati circumspectionis industriam diligenter attendimus, & debita consideratione pensamus, quod ipse universalem Ecclesiam suorum honorat magnitudine meritorum, dignum reputamus & debitum ut ipsam sibi reperiat in exhibitione gratiarum munificam & in suis oportunitatibus liberalem, Exhibita siquidem nobis pro parte dicti Cardinalis petitio continebat, quod orta dudum inter eum & dilectum Ecelesiæ filium Ulricum Nustorffer, qui se gerit pro Clerico Salzburgen. diœces. super præpositura Ecclesiæ Frisingensis, quæ inibi dignitas post pontificalem

maior

maior existit, & ad quam consuevit quis per electionem assumi, quamquam tunc per obitum quondam Nicolai Gumpenberger ipsius Ecclesiæ præpositi extra Romanam curiam defuncti vacantem Joannis Cardinalis sibi per eum quoad viveret tenendam, regendam, & etiam gubernandam per dilectissimum Ecclesiæ filium Alexandrum Sancti Laurentii in Damaso etiam dictæ Romanæ Ecclesiæ presbyterum Cardinalem Aquilegiensem vulgariter nuncupatum, nostrum tunc per partes illas legatum de latere legationis primo, & deinde nostra sub certis modo & forma commendatum, seque prioris commendæ hujusmodi vigore dictam præposituram assecutum, & insuper Apostolica auctoritatibus de novo etiam sub certa forma sibi collatam, & de ea provisum fuisse, nec non præfatum Vlricum commendæ & assecutioni, nec non collationi, & provisioni huiusmodi contra iustitiam opposuisse & opponere, nec non impedivisse & impedire, ac fecisse & facere, quo minus idem Joannes Cardinalis eandem præposituram posset pacificè possidere. Vlricus vero prædictus ad præposituram prædictam se electum illamque ad se de jure spectare asserebant prout asserunt materia quæstionis. Nos causam hujusmodi non obstante quod ad Romanam curiam legitime devoluta, seu in ea de juris necessitate tractanda vel etiam finienda non esset tibi ad dicti Joannis Cardinalis instantiam audiendam comisimus & fine debito terminandam, tumque in ea citationem in partibus nondum executioni demandatam diceris decrevisse, cum autem sicut eadem petitio subjungebat à nonnullis asseratur neutri Joannis Cardinalis & Ulrici prædictorum in dicta præpositura vel ad eam ius competere. Nos statum causæ hujusmodi nec non omnium & singulorum dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum, canonicatuum & præbendarum ac aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ ipse Joannes Cardinalis obtinet & exspectat, ac in quibus & ad quæ ius sibi quomodolibet competit, quæcunque & qualiacunque existant nomina & cognomina, eorumque fructuum, redditu um, & proventuum veros valores, nec non etiam quarumcunque pensionum, quas super quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis Ecclesiasticis eorumve mensis ac fructibus, redditibus ac proventibus percipit quantitates, nec non quascunque etiam de quotcunque & quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis curatis seu alias incompatibilibus quomodolibet eidem Joanni Cardinali concessas dispensationes præsentibus pro sufficienter expressis habentes & volentes eidem Joanni Cardinali, ut iuxta suæ dignitatis decentiam & suorum exigentiam meritorum statum suum commodius tenere, ac incumbentia sibi onera facilius supportare valeat de alicujus subventionis auxilio providere, nec non gratiam facere specialem, discretioni tuæ per hac scripta mandamus, quatenus si per eventum litis huiusmodi postquam ipsa coram te legitime introducta fuerit, tibi constiterit neutri eorundem Joannis Cardinalis & Ulrici dicta præpositura, vel ad eam jus competere, præposituram prædictam, cui cura imminet animarum & quæ personalem residentiam requirit, & cujus fructus, redditus & proventus quinquaginta Marcharum argenti secundum communem æstimationem valorem annuum ut idem Joannes Cardinalis asserit, non exce dunt sive adhuc per obitum ipsius Nicolai Gumpenberger ut præmittitur, aut electionem nullam, vel alias invalidam de ipso Vlrico factam, vel ex eo, quod ipse Vlricus electioni hujusmodi infra tempus à jure statutum consensum præbere distulerit, seu recusaverit, sive alias quovis modo ex alterius cuiuscunque personæ seu per liberam alicuius de illa indicta curta, vel extra eam etiam coram Notario publico & testibus sponte factam resignationem, aut constitutionem felicis recordationis Joannis Papæ XXII. quæ incipit execrabilis, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranen. Statuta concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta. ipsaque præpositura dispositioni Apostolicæ quomodolibet reservata existat & super ea inter aliquos alios lis, cuius etiam statum præsentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa, dummodo tempore Dat. præsentium non sit in ea alicui specialiter ius quæsitum cum omnibus iuribus & pertinentiis suis eidem Joanni Cardinali per eum quoad vixerit unà cum aliis dignitatibus, personalibus, administrationibus, officiis nec non Canonicatibus, & præbendis, commendis, aliisque beneficiis Ecclesiasticis ac pensionibus supra dictis tenendam, regendam, & etiam gubernandam auctoritate nostra in commendam concedas. Ita quod ipse Joannes Cardinalis fructus, redditus & pro-

proventus, aliaque iura & emolumenta ratione dictæ præpositura obvenientia quoad vixerit percipere & retinere, ac in suos & eiusdem præpositura usus & utilitatem convertere, nec non alias de illis disponere & ordinare liberè possit & valeat sicuti ipsius Ecclesiæ præpositi, qui fuerunt pro tempore de illis disponere sive ordinare potuerunt seu etiam debuerunt, alienatione tamen bonorum immobilium, & preciosorum mobilium eiusdem præpositura dicto Joanni Cardinali penitus interdicta, inducens per te, vel alium, seu alios eundem Joannem Cardinalem vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem præpositura juriumque, & pertinentiarum prædictorum, & defendens inductum amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciens ipsum Joannem Cardinalem, vel dictum procuratorem pro eo ad præposituram huiusmodi, ut est moris admitti, sibique de illius fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis integre responderi, contradictores authoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. & aliis Apostolicis constitutionibus, nec non illis præsertim, quibus caveri dicitur, quod præfatam præposituram obtinens, non debeat cum illa extra eandem Ecclesiam aliquod aliud beneficium Ecclesiasticum obtinere, & quibusvis aliis dictæ Ecclesiæ statutis & consuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sive commendis sibi faciendis de dignitatibus ipsius Ecclesiæ Frisingensis, ac huiusmodi speciales, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis vel legatorum eius literas impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus præfatum Joannem Cardinalem in assecutione dictæ præpositura volumus anteferri, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem dignitatum aut beneficiorum aliorum præiudicium generari, seu si venerabili Episcopo, & dilectis Ecclesiæ filiis Capitulo Frisingen. seu quibusvis aliis communiter, vel divisim quomodolibet indultum existat, quod ad receptionem, vel provisionem alicuius minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod intercedi, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de dignitatibus ipsius Ecclesiæ ac huiusmodi, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per literas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia indulgentia generali, vel speciali cujuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis, aut si præfatus Joannes Cardinalis præsens non fuerit, ad præstandum de observandis statutis & consuetudinibus dictæ Ecclesiæ Frisingen. solitum ratione præpositura prædictæ juramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem idoneum & cum ad Ecclesiam ipsam accesserit corporaliter illud præstet. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Data Basileæ III. Non. Julii. Anno à Nativitate Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio.

Mors Nicodemi Episcopi. Laudes. Has lites, ut videtur abrupit mors optimi Antistitis nostri Nicodemi, quam is obiit Viennæ die 13. proximi Mensis Augusti 1443. Vir æternâ memoriâ dignus, quippe qui Ecclesiam suam Cathedralem multis splendidis muneribus exornavit, ejusque jura semper sarta tecta servavit. Quanti Nicodemum æstimaverit Fridericus Imperator, nemo solidius potuit demonstrare, quam Æneas Sylvius Piccolomineus, qui primum Dominico Capranico Episcopo Firmano, & Cardinali, postea Nicodemo Episcopo nostro, tum Bartolomæo Episcopo Novariensi; post Nicolao Albergatto Cardinali: demum etiam Friderico Imperatori à secretis fuit, à quo ultimo etiam Laureâ Poeticâ fuit exornatus. Hic Æneas, qui Cæsaris intimos animi recessus penetraverat, conscripsit Pentalogum, Consultationes nempe quinque Summorum Virorum, videlicet Friderici Imperatoris, Nicodemi

Pentalogus Viennensis.

mi Episcopi nostri Frisingensis, Sylvestri Chiemensis Episcopi, & Caspari Schlickii, quibus seipsum ceu Secretarium Æneas adjungit.

In iis Consultationibus de gravissimis Ecclesiæ, & Imperii negotiis agitur. Fingit Æneas, se, aliquando Cæsari remotis arbitris potuisse loqui, qua occasione deliberatum fuerit, cum quibusnam Viris Imperator graviora negotia utiliter, & provide tractare posset? Tum subdit, visum esse deliberantibus, primo loco admittendum esse *Virum præstantissimum, & maximæ probitatis* Dominum Nicodemum della Scala Episcopum Frisingensem: postea Sylvestrum Chiemensem Episcopum grandi scientia, pietate, & rerum usu instructissimum: ac demum Casparum Schlickium jam trium Imperatorum Cancellarium fidelissimum: quibus etiam Æneas ipse accedere posset. Tum refert, Consultationes dictorum quinque Virorum: quas usque ad nostra tempora inter Æneæ partus à nemine relatas laudabilissimâ operâ Clarissimus P. Pernardus Pezius è Divi Emmerammi Ratisbonensibus pluteis in publicum primus protraxit. Ipse Æneas hisce satis indicavit, quantum fiduciæ in Nicodemo Imperator posuerit. Neque verò minoris esse debet ea existimatio, quam de Nicodemi Virtute habuit ipse Æneas, quippe qui postea ob summas animi dotes Summus Pontifex fuit, ut suo loco dicemus. Cæterum ex iis Consultationibus manifestum est, Fridericum Imperatorem tum quidem nec Eugenii, nec Felicis factioni admodum adhæsisse: Sed Concilium Oecumenicum, seu universale exoptâsse, ut litibus finis imponeretur. Sed hæc incidenter.

Corpus Nicodemi Viennæ tumulo marmoreo conditum fuit in Ecclesia R.R. P.P. Augustinianorum, quorum, dum provixit, insignis Benefactor fuit, iisque, ut alicubi lego, Vineam quandam, & Vestes sacras pro iis, qui solenni ritu sacris operaturi essent, donavit. Ferunt, prope eum sepulta esse etiam Fratrum ipsius Corpora. Soror Nicodemi Beatrix Wilhelmo Comiti Oetingano fuit in Matrimonium tradita. Tumulus Nicod. Episc.

Pollingâ monitus fui, Nicodemum Episcopum ultimo vitæ suæ anno confirmasse Missam perpetuam, quam ad Ecclesiam in Forstenried Henricus Schreiner de Kumethall, & Conjux ejus Agnes assentiente Domino Præposito Pollingano fundaverit. Item Statuta quædam Canonicorum Regularium à Joanne Grünwalder Decretorum Doctore, Canonico Frisingensi, ac R. D.D. Nicodemi, dictæ Ecclesiæ Episcopi in spiritualibus Vicario ad Erhardum Præpositum in Understorff fuisse transmissa.

Ex hactenus deductis constat, Nicodemum Episcopum ultra XXII. annos sacrum Regimen Frisingæ extendisse: atque obiisse Eugenio IV. legitimo Pontifice. Friderico IV. Imperatore: Alberto Pio Superioris, & Henrico Divite Inferioris Bojariæ Ducibus: Friderico IV. ab Emerberg Archi-Episcopo Salisburgensi Leonardo à Layming Episcopo Pataviensi: Ratisbonensi Friderico Paysperg, Brixinensi Georgio II. tenuis fortunæ parentibus in Valle Stubaia nato.

Vacante post obitum Nicodemi Frisingensi Sede Collegium Cathedrale Frisingense Electionem Mathiæ Schötl Abbatis Rottensis confirmavit. Eodem tempore Æneas Sylvius Piccolomineus Senensis, Friderico Imperatori à Secretis supra laudatus, hæc de Nicodemi morte scripsit ad Julianum Cardinalem S. Angeli, Apostolicæ Sedis Legatum. *Frisingensis Episcopus, qui Vester amicus non vulgaris fuit, præter opinatum omnium vitâ excessit. Rex successorem optat, Germanum esse Domini Cancellarii. Res, & in Capitulo, & apud Eugenium, & apud Concilium per diversos ventilatur: nec certum adhuc, nec verisimile habeo, quis debeat voto potiri. Ego desideriis meis omnibus Germano Cancellarii faveo. Det Deus illi, ut secunda sint universa.* Epist. 2.

Eodem anno P. Leonardus Vöttinger ex Monasterio Weichenstephanensi accersitus Mitram Wessofontanam suscepit. Benedictoburani habebant Abbatem Wilhelmum, ex Tegernsee assumptum.

CAPUT

CAPUT II.

Henricus II. Epiſcopus Friſingenſis, Ordine XLII.

§. Unicus.

Lites ſuper Epiſcopatu Friſingenſi.

Henricus cum Grünwaldero certat pro obtinendo Epiſcopatu Friſing.

QUem mox laudavimus, Caſparum Schlick, trium Imperatorum, Sigismundi, Alberti, atque Friderici Cancellarium, frater erat Henrici Schlick, Boleslavienſis in Bohemia Præpoſiti. Mortuo Viennæ Nicodemo Epiſcopo noſtro ſtatim data fuit opera, ut Henricus ille Friſingenſem Mitram adipiſceretur, ùt modò ex Ænea Sylvio intelleximus. Verùm hoc opus, hic labor erat, cùm Friſingenſes Canonici audita Nicodemi morte, ſtatim concordibus ſuffragiis jam iterum (uti ante annos 22.) elegerint Joannem Grünwalder Pſeudo-Cardinalem toties hactenus nominatum: quam Electionem etiam Archi-Epiſcopus Salisburgenſis ex more temporis illius ratam habuit, eo quod non ſuſpicaretur, alium Epiſcopum Friſingenſibus à Summo Pontifice datum iri. Sed aliud deinceps edoctus eſt, nempe ab Eugenio Friſingenſem Mitram Henrico Schlickio deſtinari. Interim Joannes die 10. Menſis Octobris Poſſeſſionem Epiſcopatus adiit. Velutis ex Inſtrumento ſequenti luculentum fit.

In nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejusdem milleſimo quàdringenteſimo quadrageſimo tertio indictione ſexta pontificatus Sanctiſſimi in Xſto patris & Domini noſtri Domini Felicis divina providentia pape quinti anno ejus quarto die verò Jovis, decima menſis octobris, hora ſeptima de mane vel quaſi in loco capitulari ſuperiori ſolito Eccleſie Friſingenſis, Venerabiliumque & circumſpectorum patrum dominorum Heinrici Smiber, Decani, Caſparis Seyboltzſtorffer Scolaſtici, Wigislai de Rorbach, Martini Wamsland, Georgii Eglinger, Degenhardi Salching, Johannis Pyenzenawer, Johannis Simonis & Abſolonis Minzinger Canonicorum Capitularium Eccleſie Friſing. predicte, capitulariter ad infra ſcripta congregatorum, ac Capitulum facientium, & repreſentantium, noſtrumque Notariorum & teſtium infraſcriptorum preſentia perſonali conſtitutus ſupradictus venerabilis vir dominus Caſpar Seyboltzſtorffer Reverendiſſimi in Xſto patris & Domini Domini Johannis tit. S. Martini in montibus Sancte Romanè Eccleſie presb. Cardinalis electi & confirmati Eccleſie Friſing. nec non dictorum dominorum Decani Canonicorum & Capituli procurator Syndicus & Tconomus & quasdam confirmationis & electionis de perſona dicti Reverendiſſimi patris domini Cardinalis factè literas à venerabili & circumſpecto viro Domino Fridrico Grün Decretorum Licentiato Canonico Eccleſie Friſing. Reverendiſſimi in Xſto patris & Domini Domini Fridrici Archiepiſcopi EccleſieSaltzeburgenſis ac Apoſtolice Sedis Legati Cancellario ac ad infra & ſupraſcripta commiſſario & judice ſpecialiter deputato emanatas ſigilloque ejus rotundo ac manu & ſigno providi viri Magiſter Thome de Vttendorff Notarii ut prima facie apparebat munitas ſubſcriptas & ſignatas, prelibatis Dominis Henrico Decano, Canonicis & capi-

capitulo facto realiter exhibuit & presentavit, ipsosque Dominos Henricum decanum & Canonicos & Capitulum ut ad earundem literarum & in eis contentorum executionem procedere dignarentur sub penis in eisdem contentis requirendo. Qui quidem domini Decanus Canonici & Capitulum hujusmodi literas cum ea qua decuit reverentia & honore recipientes easdem publice alta & intelligibili voce per me Johannem Stadlmair Notarium infrascriptum legi voluerunt & mandaverunt. Unde ego Johannes Notarius ipsas confirmationis literas de verbo ad verbum alta & intelligibili voce publice prelegi ad dictorum dominorum Decani Canonicorum & capituli voluntatem & mandatum. Post quarum quidem confirmationis literarum lectionem per me Johannem Stadlmair Notarium suprascriptum ut premittitur factam, dicti domini Decanus canonici & capitulum deliberatione matura prehabita per organum sepefati Decani se hujusmodi literis & mandatis libenter velle parere & intendere responderunt, & dixerunt. Consequenter primarum tertiarum & sextarum horis Canonicis more solito in Ecclesia Frising. decantatis atque peractis prefati domini Decanus Canonici & Capitulum volentes prescriptis literis & mandatis parere & intendere, juxta consuetudinem laudabilem apud Ecclesiam Frisingensem hactenus observatam Reliquias Sanctorum de summo altari devote suscipientes ac processionem cum choro pleno versus Ecclesiam collegiatam S. Johannis Waptiste facientes jam dictum Reverendissimum patrem dominum electum & confirmatum de domo Marschalci Ecclesie Frisingensis venientem ante hostium Ecclesie Sancti Johannis quod respicit Ecclesiam Sancti Andree montis ejusdem prestolabantur & expectabant. Qui quidem dominus electus & confirmatus cum reliquias hujusmodi accessisset devote ad genua se provolvit, ibidem ipsas reliquias devotissime deosculabatur. Quem tunc prefati domini Decanus, Canonici & Capitulum, ut & eorum verum & indubitatum pontificem honorifice & cum omni reverentia suscipientes ad chorum Ecclesie Frising. cum cantu solempniter transduxerunt. Deinde prefatus Reverendissimus pater electus & confirmatus locum capitularem una cum dictis dominis Decano & canonicis accedens, ipsisque simul ibi constitutis & capitulariter congregatis Venerabilis vir dominus Johannes Symonis decretorum licentiatus Canonicus dicte Ecclesie Frising. de dominorum Decani Canonicorum & Capituli expresso mandato & consensu prefatum dominum electum & confirmatum quatenus capitula & articulos alias conceptos & per eos & eorum quemlibet ante ingressum electionis jurata, & per futurum Episcopum juranda ut & tanquam futurus Episcopus jurare debet, innovare & ea observare juraret, solempniter requisivit. Cui quidem requisitioni antedictus dominus Cardinalis electus & confirmatus annuens, prelecto sibi per dictum dominum Johannem Symonis de verbo ad verbum ipsorum capitulorum & articulorum tenore, hujusmodi capitula & articulos se observare & juxta ipsorum tenorem adimplere velle, more prelatorum manus ad pectus ponendo juravit. Juramento preterea sic ut premittitur per sepedictum dominum electum & confirmatum prestito idem dominus electus & confirmatus predictos dominos Decanum, Canonicos & capitulum ibidem adhuc presentes quatenus sibi ut & tanquam Ecclesie Frising. & eorum vero atque indubitato pastori & Episcopo obedientiam & reverentiam debitas prestare & facere jurarent debite requisivit. Qui quidem huic requisitioni juste libenter annuentes eidem domino electo & confirmato obedientiam & reverentiam debitas ut & tanquam eorum vero prelato Episcopo & pastori prestiterunt & fecerunt, & quilibet eorum prestitit & fecit. Quibus quidem sic peractis ad dicti Reverendissimi patris domini electi & confirmati requisitionem & instantiam prefatus dominus Henricus animo & intentione ipsum dominum electum & confirmatum in corporalem realem & actualem possessionem ipsius Ecclesie Frising. juriumque & pertinentium ejusdem mittendi suo ac vice & nomine Canonicorum & Capituli de eorum expresso mandato & consensu locum in capitulo primum ut & tanquam eorum Episcopo & pastori, ac continuo locum capitularem exeuntes chorum Ecclesie Frising. intrando stallum in eodem choro similiter supremum in signum vere possessionis assignavit pariter & installavit ipsum intronisando. Quibus sic ut premittitur receptis & assignatis Missa solempnis de S. Corbiniano patrono Ecclesie Frisingens. decantabatur, Cui ipse Reverendissimus pater tanquam electus & confirmatus

Ecclesie Frisingensis intererat, & oblationem celebrandi hujusmodi officium, precedentibus sibi Canonicis cum candelis accensis, & cruce erecte & easdem usque ad finem Misse ante ipsum dominum electum & confirmatum juxta morem in Ecclesia Frising. hactenus observatum tenentibus fecit. Officio quoque hujusmodi finito & expleto, receptoque per jam dictos dominos Electum & confirmatum, decanum & canonicos itinere versus Castrum Episcopale, jamdictus decanus nominibus quibus supra ad prefati domini electi & confirmati requisitionem & instantiam ipsum ad castrum Episcopale Frising. liberum vacuum & expeditum absque alicujus contradictione reclamatione & impedimento introduxit, claves ipsius Castri eidem domino electo & confirmato in signum vere possessionis tradendo & assignando, quas claves dictus dominus electus & confirmatus ad se recipiens eas Eberbardo Tewsel portunario suo fideliter tenendas & custodiendas tradidit atque commisit, qui eas similiter ad se recipiens fidelitatis ipsi domino electo & confirmato prestitit juramentum. Demum ultra progredientes habitationem Episcopalem consuetam ingressi sunt, possessionem hujusmodi ibidem continuando ibidemque prandium & cenam ipsius diei ac noctis quiete peragentes. De & super quibus omnibus & singulis sic ut premittitur gestis & actis sepedictus dominus electus & confirmatus nec non Decanus & capitulum predictum conjunctim & divisim solempniter & expresse protestabantur, Requirentes nos notarios infrascriptos ut ipsis super premissis & quolibet eorum unum vel plura publicum seu publica conficeremus instrumentum sive instrumenta. Acta sunt hec sub anno indictione pontificatu die mense horis & locis quibus supra, presentibus ibidem in singulis actibus honorabilibus viris dominis Georgio Fätwein decano & Johanne Freyssinger Canonico Ecclesie S. Johannis Frising. nec non strenuis militibus Johanne Fraunberger & Wolfgangno Pyentzenauer, ceterisque pluribus fide dignis testibus ad premissa vocatis specialiter & requisitis.

Eo ferè tempore Æneas Sylvius Romam sequentes litteras scripsit, atque per Cursorem misit.

Æneas Sylvius laborat pro Henrico.

Æneas Sylvius Poëta, Joanni Tolner in Romana Curia Procuratori, Viroque bono S. P. D.

*Venit ad Curiam vestram lator præsentium, quem Regia Majestas in factis Ecclesie Brixinensis * destinat. Rogo te, sicut soles, Regio desiderio ut faveas, ne quis ad illam Ecclesiam promoveatur, antequam Rex nominaverit, quem voluerit: nec graveris, quomodo res transeat, me instruere. Scribo tibi confidenter, sciens amicitiam quæ inter Dominum Cancellarium, * & te viget. Et cum ego illius servitor existam, non puto meas preces apud te incassum ire. Post hæc scire te volo, eundem Cancellarium abesse, quia per Regem destinatus est Nurembergam: sed mox revertetur, quia jam sibi, ut redeat, scriptum est. Is si nunc adesset, scriberet tibi, quid opus sit in facto Frisingensis Ecclesiæ: Sed quoniam ipse abest, opus est, me omnia significare: nam ille me in suo loco dimisit, & harum rerum commisit curam. Res ergo sic se habet. Adversarius, * qui fuit per Capitulum electus, jam adeptus est possessionem omnium eorum, quæ apud Bavaros sunt, & dietim instat, ut Castra, quæ Rex tenet, sibi dentur, & omnes Bavariæ Duces ejus causam tuentur, Regique molestissimi sunt. Rex autem dedisset jam Castra Domino Henrico, si Bullæ venissent Apostolicæ: sed quia non veniunt, supersedet. Et timendum est, ne Bavarorum precibus in alterius partis favorem mutetur. Ideo admodum miror, has litteras non esse ex Curia missas, quia non minus interest Papæ, & Curiæ vestræ Dominum Henricum hanc sortiri Ecclesiam, quàm Domini Cancellarii. Ipse enim reperit honorificam concordiam, & promittit sibi * alium Episcopatum pro fratre. Sed omnia refutat intuitu Papæ, qui sibi tam benignus fuit. Ego tamen timeo, ne cogatur necessario, ex quo Bullæ non mittuntur, quia tantum impetum sustinere non potest. Rex verò sibi * promiserat possessionem Castrorum, quæ habet, visis Bullis. Ideo velis supplicare Cardinalibus (nam ipsi sunt impedimento,*

* *lege:* Frisingensis, ut ex consequentibus patebit.

* Scil. Casparum Schlick.

* Grünwalderus.

* illi.

* illi.

sicut

*sicut accepi) ne propter unam Annatam * centum perdant , & illam non habeant. Ego rogo, dicas Tarentino, qui Cancellarium dirigit, quod prudentis est aliquando scire perdere, nec dicatur, spem pretio non esse emendam, quia inescandi sunt uonnunquam homines, sicut pisces & aves, & ferarum genus: nec tantùm, quod ante pedes est, respicere debemus, sed futura etiam intueri. Te etiam hæc causa tangit. Qui propter hanc promotionem insignem Ecclesiam Pruckensem consequêris. Ideo labora, ut Bullæ mittantur, quas potes per hunc nuntium mittere, qui est Capellanus Regis, & fidus. Non dico plura. Tu me plenè habes. hic rem amici, rem tuam, & rem geres communem. Rescribe mihi, quid in re sit, quæ spes habeatur, ut Cancellarium, & fratrem, qui tui sunt, cunctorum certiores efficiam: ac vale optimè.*

* Annata est dimidium annui proventus, fisco Apostolico pendi solitum ab iis, qui aliquod Sacerdotium consequuntur: vide *Hofmann.*

Ex his litteris, quæ utique statim post mensem Octobrem, quo Grünwalderus Episcopatûs possessionem adierat scriptæ fuere, patet, Fridericum Imperatorem jam anno 1443. agentibus Ministris suis in gratiam cum Eugenio quadantenus rediisse, idque opera potissimum Schlickii Cancellarii, uti Æneas satis distincte insinuat verbis illis: *Ipse evim reperis bouorificam concordiam &c.* Patet ulterius, Henricum Schlickium jam fuisse denominatum Episcopum Frisingensem: morosos tamen in expediendis litteris Cardinales fuisse: de quo Æneas conqueritur. Ita lites fuêre protractæ: quod etiam confirmant aliæ Æneæ epistolæ, in eo negotio ad Joannem S. Angeli Cardinalem Casparum, & ipsum Henricum Schlickium (quem vocat Electum Frisingen.) exaratæ, quarum extractus in par- N. 339. 340.
tem alteram rejicimus. 341. 342.

Inter hæc Grünwalderus etiam à Basileensibus Electionis suæ Confirmationem impetravit, literis hunc in modum exaratis:

Sacrosancta generalis Synodus Basiliensis in Spiritu Sancto legitimè congregata Basileæ confirmatur electio Grunwalderi.
Universalem Ecclesiam representans. Dilectissimo Ecclesie filio Johanni tt. Sancti Martini in montibus presbytero Cardinali Episcopo Frisingensi salutem & omnipotentis DEI benedictionem. Ad opus Universalis Ecclesie divina dispositione, cujus inscrutabili providentia ordinem recipiunt universa, convocati in unum ad cunctas orbis Ecclesias, nec non presidentes illis personas nostre considerationis intuitum diligentius extendimus, & pro illarum statu per idoneos pastores, qui multimodis eas efferant incrementis, salubriter dirigendo nostri favoris patrocinium gratiosius impartimur. Cum itaque sicut accepimus dudum Ecclesia Frising. cui bone memorie Nicodemus Episcopus Frisingensis dum viveret presidebat, per ejusdem Episcopi obitum, qui extra Curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, tu etiam tunc tit. S. Martini in montibus presb. Cardinalis ac ipsius Ecclesie Frising. Canonicus existens in Episcopum ejusdem Frisingensis Ecclesie per illius Capitulum electus, & electione de te facta hujusmodi auctoritate Metropolitica servatis in hoc servandis confirmata, electionis & confirmationis earundem vigore possessionem partis bonorum dicte Frisingen. Ecclesie assecutus fueris, illaque ex tunc in spiritualibus & temporalibus gesseris & exercueris, prout geris & exerces de presenti, munere consecrationis per te rite suscepto. Nos qui etiam hodie per alias nostras literas electionem & confirmationem predictas ratas habentes & gratas auctoritate Universalis Ecclesie & ex certa scientia nostra duximus confirmandas, cum suppletione defectuum, si qui forsan intervenerunt, in eisdem cupientes, ut dicta Frising. Ecclesia sub duo felici regimine prosperetur ac optatis etiam provisionis nostre presidio gratuletur successibus. Sperantes quoque, quòd tu, cujus personam multiplicibus virtutum donis ab illarum largitore fulcitam & longa nobis experientia notam sinceris in Domino zelamus affectibus, memorate Frising. Ecclesie, cui ut premittitur hactenus laudabiliter prefuisti, poteris inantea plurimum esse fructuosus, de eadem persona tua predicte Frising. Ecclesie, dummodo illi tempore datarum presentium de alio pastore canonice provisum non existat, denuo auctoritate prefate universalis Ecclesie & ex simili scientia providemus, têque illi preficimus in Episcopum & pastorem, curam regimen & administratio-

nem ipsius Frisingen. Ecclesie tibi in dictis spiritualibus & temporalibus plenarie committentes, in illo, qui dat gratias & largitur premia, confidentes, quod eadem Frising. Ecclesia per tue circumspectionis industriam & laudabilis diligentie studium in domino feliciter dirigetur ac grata in eisdem Spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca circumspectioni tue per hec scripta mandamus, quatinus impositum tibi à Domino onus regiminis prefate Ecclesie Frising. suscipiens humiliter & devote sic te in exercenda ejus cura diligentem exhibeas, atque studiosum, quod ipsa Ecclesia Frising. provido & fructuoso gubernatori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram ac dicte universalis Ecclesie Benedictionem & gratiam uberius exinde consequi merearis. Datum Basilee Idib. Novembr. Anno à Natvit. Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto.

Ita Basileenses.

Deinceps Grunwalderus noster contra Fridericum Salisburgensem Archi-Episcopum præsentibus Notario, & Testibus appellationem interposuit, quod is,
N. 343. licet antehac Electionem suam tatam habuisset, nune tamen Consecrationem impertiri nollet. Quid ulterius responderint Basileenses ignoramus.

Illud compertum est, Grünwalderum etiam coram Notario Viennæ fuisse protestatum, quod, cum ipse ceu Electus, & Confirmatus Episcopus Frisingensis possessionem tum in Frisingensi, tum aliis per Bojariam Castris jam adierit, & ab omnibus ut verus Episcopus agnoscatur, nihilominus cum Fridericus Rex è Dominiis Frisingensis Ecclesiæ, per Provincias hæreditarias dispersis, excludat, & nuperrimè Castrum Oberswels in Styria (quod ipsum etiam jamjam obtinuerat) armatus cinxerit, & Præfectum ibi institutum cedere compulerit. Cum vero nihil efficeret Grünwalderus, rursus Mense Novembri ejusdem anni novam appellationem apud Pseudo Pontificem Felicem interposuit contra Salisburgensem Archi-Episcopum, quòd is Mandata Pontificia & Basileensia, quibus jubebatur Henricum Schlickium in jus vocare, eousque neglexerit, ac negligat. Ita sesquiannus inter acerbas contradictiones Frisingensibus fluxit, quibus incommodis etiam sequens triennium minimè caruit, veluti ex variis Sylvii epistolis perspicuum est.

Grunwalderus Felici Pseudo-Pont. causam suam commendat.

Interim Joannes Grünwalderus anno Christi 1444. Cryptæ B. V. Monachii conferre voluit gratiam, sequentibus litteris expressam, inanem quidem, utpote cum ipse adhuc gravissimis censuris irretitus concedendi potestate careret, scitu tamen non indignam, ut plenius intelligat Lector, quem se gesserit eo tempore idem Grünwalderus. Itaque sic scripsit.

Episcopum se gerit.

Joannes Miseratione Divina Tit. S. Martini in Montibus S. R. E. Presbyter Cardinalis, Electus & Confirmatus Ecclesie Frisingensis ex Bavaria vulgariter nuncupatus. Universis Sancte Matris Ecclesie filiis, ad quos presentes nostra littera pervenerint, salutem, & sinceram in Domino Charitatem. Pia Mater Ecclesia de animarum salute sollicita, devotionem fidelium per quadam munera spiritualia, remissionem videlicet, & indulgentiam invitare consuevit, ad debitum famulatûs honorem Deo, & Sanctis tribuendum, assiduis Salvatoris gratiam precibus implorando, ut delictorum suorum veniam, & gloriam Regni cœlestis consequi mereantur aternam. Cupientes igitur, ut Capella sub Titulo, & in honore Conceptionis Gloriosissima Virginis Matris Maria in Oppido Monacensi nostra Diacesis, & loco olim Synagoga Judaorum ibidem erecta, dedicata, & consecrata congruis frequentetur honoribus, & à Christi fidelibus jugiter veneretur, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui dictam Capellam in subscriptis Festivitatibus, videlicet Nativitatis Domini Nostri, Circumcisionis, Epiphania, Cana Domini, Parasceves, Pascha, Ascensionis, Pentecostes, Sancta Trinitatis, Corporis Christi, Sancta Crucis, nec non singulis festivitatibus Beatissima Maria Virginis, omnium Apostolorum, & Evangelistarum, S. Michaelis, Omnium Sanctorum, & Commemoratione animarum, Sanctorumque Stephani, Laurentii, Georgii, Achatii, Gregorii, Am-

Ambrosii, Augustini, Jeronymi, Nicolai, Martini, Mariæ Magdalenæ, Catharinæ, Margaretæ, Ursulæ, Barbaræ, Ceciliæ, Dorotheæ, & Dedicatione ejusdem Capellæ, ac per Octavas Omnium festivitatum prædictarum Octavas habentium, singulisque diebus Dominicis devotè orationis causa visitaverint, seu qui decantationi Antiphonæ Salve Regina &c. Sabbathinis noctibus inibi interfuerint, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum Ejus authoritate confisi 40. *dies indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, ratas nihilominus, & gratas omnes & singulas indulgentias, per quoscunque Catholicos Antistites hactenus ad dictam Capellam datas, & concessas habendo. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri, & secreti nostri jussimus appensione communiri. Datum Ratisbonæ die Sabbathi prima Mensis Augusti, anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto.*

Ita Grunwalderus noster, qui eundem, quo in præsenti imaginaria concessione usus est, titulum etiam die 19. Novembris ejusdem anni sibi tribuit, dum Missam in Weilbach fundatam confirmavit: & Casparum Tegernseensem Abbatem ad Synodum Diæcesanam *in Virtute S. obedientiæ* districtè præcipiendo, & mandando vocavit.

Proximo anno 1445. Æneas Sylvius à Friderico Romanorum Rege ad Eugenium Papam missus Orator, cum Senas, Patriam suam, venisset, ab Amicis monitus est, ne Romam prosequeretur iter, eo quod ob præstitos Conciliabulo Basileensi favores Iras Pontificis in se concitasset. Verum non opus erat ea commonitione, cum Æneas jam antehac Authoritate Apostolica fuerit à Censuris absolutus. Cæterum Cæsareus Orator Romam delatus, & facilè à Pontifice admissus verbis sequenribus, notatu dignis, Eugenium allocutus est. Æneas Sylvius Romam mittitur.

Prius, Sanctissime Præsul, quam Cæsaris Mandata referam, de me ipso pauca dicam. Scio multa de me tuis auribus inculcata esse, neque bona, neque digna relatu; sed neque mentiti sunt, qui me tibi detulerunt. Plurima ego, dum Basileæ fui, dixi, scripsi, & feci, nil inficior, at non tam tibi nocere, quam Ecclesiæ prodesse mens mea fuit. Erravi, quis neget? sed neque cum paucis, neque cum parvis hominibus. Julianum S. Angeli Cardinalem, Nicolaum Archi-Episcopum Panormitanum, Ludovicum Pontanum Tuæ Sedis Notarium sum secutus, qui Juris Oculi, & Veritatis Magistri credebantur. Quid Universitates, & alia Orbis Gymnasia referam, quorum pleraque adversus Te sentiebant? Quis cum tantis hominibus non erraverit? Verum ego ubi errorem deprehendi Basileensium, fateor, non statim ad Te convolavi, quod plerique fecerunt, sed veritus, ne ab errore in errorem prolaberer, ut sæpe in scyllam incidunt cupientes vitare charybdim, ad eos me contuli, qui neutrales habebantur, ut ab altero duorum extremorum ad alterum non sine consultatione, ac mora transirem. Mansi ergo apud Cæsarem tribus annis, ubi dum magis ac magis contentiones audio, & inter Basileenses & Tuos Legatos fiunt, nihil mihi dubii relictum est, quin Te penes sit veritas. Atque hinc factum est, ut cupienti Cæsari ad Tuam me Clementiam viam facere, non invitus paruerim: Hinc enim me Tuam in gratiam redire posse sum ratus. Nunc apud Te sum, & quia ignorans peccavi, mihi ut ignoscas, oro: deinde causam Cæsaris explicabo. Hæc Ponrifici Æneas, qui veniam ab illo facilè obtinuit. Cum verò postea vora Cæsaris, novum in Germania Concilium exoptantis, Pontifici exponeret, responsum aliud non tulir, quam illud: nempe Pontificem missurum ad Cæsarem Legationem. Eo responso accepto Æneas in Germaniam rediit. De Ænea pluries mentionem ideò facimus, quia olim Nicodemo nostro à secretis fuit, & vel eo ipso nomine noster quodammodo est. Certè Æneas ipse Frisingæ frequenter memor fuit, uti testatur in Epistola sua 108. iis verbis: *Arrigo aures, cum Frisingensem Ecclesiam audio nominari.* Raynaldus. n. 25.

Interea Grünwalderus semper adhuc inhærebat sententiæ suæ, & Felici Pseudo-Pontifici: quod disertè nos docer Instrumentum alibi producendum: item duo Instrumenta, certa piscandi jura concernentia, & anno 1446. scripta N. 344.

 die-

diebus Martis, & Mercurii post D. Jacobi Festum diem, ubi etiamnum vocabatur Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Episcopus Frisingensis. Sane ut duo illa Instrumenta in publicum proferamus, materiæ parvitas prohibet, cum ad Historiam publicam nihil admodum conferant, & res proferant à moribus hodiernis minime alienas. Aliud in primo Tomo, statuimus de Documentis, Materias etiam non graves concernentibus. In iis enim vel sola antiquitas venerationem promerebatur, & Veterum Ritus, ac mores, nostris plerumque multis dissimiles, ex iis poterant nobis innotescere: quæ vero nobis sunt viciniora, ac magis cognita, nihil eruditis conferunt, ac melius omittuntur.

Conventus Francofurtensis. Postulata Germanorum. Eodem anno Christi 1446. Calendis Mensis Septembris Imperii Principes una cum Legatis Pontificiis convenere Francofurti, ubi de recipiendo Eugenio Papa tractatum injêre. Conventum est in certas conditiones, nempe primò, *ut Generale Concilium in tempore, locoque designando convocetur.* 2º *ut Professio Potestatis, Authoritatis, & praeminentiæ Generalium Conciliorum, Catholicam militantem Ecclesiam repræsentantium per Oratores Pontificios facta, etiam Pontificiis literis approbetur.* 3º *Ut Nationi Germanicæ super gravaminibus opportune provideatur.* 4º *Ut qua in præjudicium duorum Principum Electorum* (Coloniensis nimirum, & Trevirensis ob Basileense Concilium gradu à Pontifice motorum) *acta sunt, ex sua Sanctitatis Clementia revocentur.* Hæc nomine totius Nationis Germanicæ Æneas Sylvius supra laudatus, rursus in Italiam missus Pontifici eleResponsio Pontificis. gantissima Oratione exposuit. Subdit Reynauldus, Pontificem postulatis de Concilio in Germania cogendo assensisse, si Reges etiam Cæteri essent consensuri. Authoritatem Conciliorum, quæ vera, & canonica sint, nunquam fuisse revocata in dubium. Nationis gravamina levatum iri. Se in Archi-Episcopos Clementiâ usurum, si schisma nuperum detestarentur. Atque ita Eugenius Germanorum animos mitigavit.

Ejus cautela pro Ecclesia Frising. Animadversione dignum censemus, quod, licet Eugenius Papa Ecclesiarum Germaniæ tranquillitati consulturus, deinceps Episcopis, & Prælatis Germaniæ Dignitates suas, in quarum possessione erant, confirmaverit, etiam pro eo casu, quo alius jus, ùt vocant, *quæsitum* haberet: nihilominus tamen Ecclesiam Frisin-* Oesel. gensem in Bojaria, & Osiliensem * in Livonia excepetit, ordinaveritque, ut partes contendentes sua jura deducerent. Existimamus, causæ Frisingensis Decisionem dilatam fuisse, eo quod tam Henricus Schlickius, quàm Grünwalderus in possessione Dominiorum quorundam Frisingensium fuerit: nisi malimus suspicari, Pontificem voluisse Cæsaris Cancellario, Henrici Fratri, rem gratam præstare, neque Fratrem è possessione statim deturbare.

Eugenius PP. obit. Interim Eugenius ad extrema deductus die 23. Februarii Pontificatu feliciter gesto in pace quievit, sedemque reliquit Thomæ Parentucello Sarzanensi, Tit. S. Susannæ Cardinali die 6. sequentis Mensis Martii electo, qui Nicolai V. NoNicolaus V. Æneas Sylvius fit Ep. Tergestinus. men assumpsit, & eodem adhuc anno Æneæ Sylvio Mitram Tergestinam imposuit. Novæ Nicolai Electioni Felix Antipapa moras injicere connisus fuerat: Verum nil nisi risum ab omnibus retulit. Inde illud emolumenti Ecclesiæ accessit, Basileenses resipiscunt. quod Proximo anno Christi 1448. Clerus, populusque Basileensis veniam Schismatis à Nicolao precati, obedientiam Ei detulerint, pristinis juribus à Pontifice Evanescit Cardinalatus Grünwalderi. deinceps restituti: dum interim Grünwalderi nostri somniata Cardinalitia Dignitas in fumum abiit: quidquid Gravesonius in contrarium asserat. Nunquam enim deinceps Joannes noster Cardinalem se dixit, aut ab alio dictus est, ut ex Instrumentis suo loco constabit.

Raynald. Eodem anno agebat in Germania Joannes Carvaialis, S. Angeli Diaconus Cardinalis à Nicolao ad exscindendas Schismatis reliquias, ac dirimendas EccleConcordata Germaniæ. siasticorum de Sacerdotiis certantium controversias eò missus. Ea occasione Fridericus Imperator cum Nicolao Pontifice circa beneficia conferenda concordiam illam iniit, cui deinceps inhæsit titulus: *Concordata Germaniæ*, quæ magna sui parte etiam-

etiamnum vigere cernimus. Iis insertæ fuêre Pactiones de retinendis in Germania Sacerdotiis, de quibus suprà dictum est, ubi eousque solæ Frisingensis, & Osiliensis Ecclesiæ ab Eugenio IV. antehac fuerant exceptæ. Sed quoniam Henricus Schlickius paulatim ab Episcopatu Frisingensi abhorrere cœpit, & denique libere cessit, hæc Bullæ suæ Nicolaus inseruit. *Et quia hodie* (15. Januarii 1448.) *dilectus Filius Henricus Schlick Electus Frisingensis provisioni sibi per dictum Prædecessorem de Ecclesia Frisingensi factæ pro quieto, & tranquillo statu Ecclesiæ Frisingensis ad requisitionem nostram per Dilectum Filium Henricum Masheim, Litterarum Apostolicarum Abbreviatorem, Procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris sponte, & liberè cessit, nosque cessionem hujusmodi, ad preces dicti Regis* (Friderici) *in favorem Venerabilis Fratris nostri Joannis* (Grünwalderi) *Episcopi Frisingensis, qui dicto Neutralitatis tempore per Dilectos Filios Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Frisingensis ad Ecclesiam Frisingensium tunc Pastoris solatio destitutam Electus, & deinde per Venerabilem Fratrem nostrum Fridericum Archi-Episcopum Salzeburgensem in Episcopum, & Pastorem ejusdem Frisingensis Ecclesiæ confirmatus exstitit, nobisque debitam obedientiam præstitit per suas litteras, duxerimus admittendam; ejusdem Regis in parte supplicationibus inclinati, ne dictus Episcopus propter exceptionem in litteris dicti Prædecessoris, de Ecclesia Frisingensi, ut præfertur, factam, deterioris conditionis, quam cæteri Prælati dictæ Nationis exsistat, volumus, & præsenti tenore decernimus, dicti Prædecessoris, atque nostras litteras præfatas, ac omnia, & singula in eis contenta à data præsentium computando, ad præfatum Joannem Episcopum Frisingensem, Ecclesiam, & subditos suos Ecclesiasticos, & sæculares quoscunque extendi, ipsoque sub dicti Prædecessoris, atque nostris litteris prædictis, ac omnium in eis contentorum commodo & effectu includi, ac illis gaudere, perinde, ac si dicta Ecclesia Frisingensis in litteris dicti Prædecessoris minimè exceptuata, ipsique Joannes Episcopus, Ecclesia, ac subditi hujusmodi se tunc pro eodem Prædecessore, & Sede prædicta cum Rege, & aliis præfatis declarassent, aut declarationi hujusmodi specialiter, & expresse adhæsissent. Nulli ergo &c.* Ita demum Grünwalderus noster quietam Episcopatus Possessionem adeptus est: cui etiam Fridericus Rex omnes Frisingenses Dynastias in Provinciis suis hæreditariis sitas contulit, ut in consequentibus luculentum fiet. Henricus Schlickius cedit Episcopatum Grünwaldero.

Henrico Schlikio cedenti mille Hungarici aurei, & Dominium Welsii Superioris ad vitæ dies ex pacto obtigêre. Quo anno Henricus diem supremum clauserit, hactenus nobis non innotuit. Eum haud immerito in catalogum Frisingensium Episcoporum introduximus, quia Joannis Grünwalderi Electio, facta à Canonicis, gravissimis censuris irretitis, ipso Jure erat irrita, & nulla: Henrici vero institutio à Sede Apostolica profecta absque dubio sortita fuit plenum vigorem, atque valorem. Cæterum per Concordata Germaniæ concessa est equidem libertas eligendi Antistites in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis, uti etiam in Monasteriis: Verum Dignitates in Cathedralibus post Episcopalem proximæ, nempe Præpositura; nec non etiam Præpositura Collegiatarum Ecclesiarum fuêre reservatæ Summo Pontifici. Eum in modum deinceps solebant Summi Pontifices conferre Præposituras tum Cathedralis, tum etiam Collegiatarum Ecclesiarum S. Andreæ, S. Viti, Isanensis &c. Verum quid nostro hoc, quo scribimus, ævo circa plerasque illatum Præpositurarum contigerit, locô congruô memorabimus. Nunc tandem ad Grünwalderi Episcopi res ulteriores progredimur. Henrico cedenti assignatur pensio annua. Effectus Concordatorum Germaniæ.

CAPUT

CAPUT III.

Joannes III. Episcopus Frisingensis, XLIII.

§. Unicus.

Quadriennium Joannis Tertii.

PLura cum de Joanne Grünwaldero jam in superioribus disseruerimus, ea hic minime repetenda censemus. Sequentia tamen visum est hic tum adjungere, tum repetere.

Grünwalderi qualitates &c. Erat Joannes ex Nativitate quidem sua illegitimus Joannis Bavariæ Ducis filius: nihilominus tamen in sublimioribus scientiis tantos progressus fecit, ut non solum Decretorum Doctor renuntiatus, verum etiam magni Theologi nomen adeptus fuerit. Hinc meritò à Sede Pontificia canonicatum, ex morte Emerammi de Eisenhoven vacantem, impetravit, in cujus possessionem anno 1411, die 29. Novembris immissus est, præsentibus Eglolpho Hornbeck Præposito, Friderico de Fraunberg Decano, Gerhoho de Waldeck Custode, Wilhelmo Schilwazen Decretorum Doctore, Ulrico de Wall, Wilhelmo de Fraunberg, Magistro Petro Walthero, Henrico Judmann, Eglolpho Grympold, Magistro Joanne Durlach, & Simone Wolfbacher. Obtinuit Joannes Beneficia varia Ecclesiastica, nempe unum ad aram S. Crucis in Ecclesia B. V. Mariæ Monachii: item erat ibidem Parochus ad S. Petrum, rursus Canonicus Frisingæ, ac demum etiam Præpositus Isanensis. Ast ubi hæc Præpositura illi ab Oswaldo de Meingerstreitt Clerico Bambergensis Diœcesis coram summa Sede fuit tracta in controversiam, simulque innotuit, Joannem tot Beneficia possidere, jussus est Parochia & Præpositura se abdicare, ubi nihilominus fatendum est, eum adhuc anno Christi 1439. alicubi nominari Parochum S. Petri. Eum insuper fuisse Vicarium Generalem Frisingæ, in superioribus dictum est, uti etiam Præpositum Majoris Ecclesiæ, ac demum Pseudo-Cardinalem. Lites, quæ ei cum Henrico Schlickio intercessere, hic non recoquimus. Sed ad sereniora illius tempora properamus. (N. 345.)

Cæsar favet Grünwaldero. Itaque Joannes Episcopus pacificam nactus Episcopatus sui possessionem cumprimis sollicitus fuit, ut veluti prius à Pontifice, ita nunc ab Imperatore institutionem consuetam impetraret. Eam etiam consecutus est eodem anno, Mense Majo, ut litteræ Cæsareæ adhuc superstites demonstrant. Adjecit Imperator Panchartam, seu confirmationem Generalem omnium Jurium, ac proventuum Ecclesiæ Frisingensis. Item Eidem aliis litteris protectionem Regiam adpromisit. Ipsum Joannem in Austriam venisse satis indicatur in hisce Instrumentis: idipsum tamen adhuc fit luculentius ex sequentibus. (N. 346. N. 347. 348.)

Ehrenspiegl. Grünwalderus in Austria moratur. Erant in Imperiali Urbe Schweinfurtensi cives quidam opulenti, qui inter ejus urbis Senatores admitti cupiebant. Eum scopum ut assequerentur, sub variis prætextibus, & obtentu ingentium gravaminum Senatum exauthorarunt, imo etiam mul-

mulctarunt, & novos Senatores delegerunt, contendentes, id in iis pressurarum circumstantiis sibi per sua privilegia omnino fuisse licitum. Ea res ab exauthoratis statim delata est ad Cæsarem, Neostadii Austriæ tunc commorantem, à quo protectionem sibi impense efflagitabant. Imperator auditis querelis novos illos Senatores Schweinfurtenses ad se venire, causam dicere, & tenorem prætensorum Privilegiorum sibi exhiberi mandavit. Re caute examinata pronuntiavit Imperator, Senatum veterem non tantum esse restituendum, verum etiam læsis Senatoribus usque ad ultimum obolum intra septimanas sex, & dies tres esse satisfaciendum. Huic judicio assedère quam plurimi Viri Principes, Nobiles, ac scientiis illustres, quorum primora Nomina recensentur: *Joannes Episcopus Frisingensis, Leonardus Pataviensis, Fridericus Ratisbonensis, Sylvester Chiemensis, Ulricus Ciliæ Comes, Joannes à Schwanberg, Caspar Schlick, Imperatoris Cancellarius &c. &c.* Tanti stetit Schweinfurtensibus sua seditio. Interim vides, Lector, Joannem nostrum eo tempore in Austria non tantum fuisse præsentem, verum etiam primum inter Judicii Cæsarei Assessores locum obtinuisse.

Domina Amalia de Bern (seu, quod idem est, della Scala) aliqua ex relictis à Nicodemo Episcopo hæreditariis bonis sibi à Joanne Episcopo postulaverat. Placuit partibus, Alberti Bojariæ Ducis arbitrio rem totam committere, qui etiam Episcopum, & Dominam Amaliam die Divo Matthæo Apostolo sacra conciliavit. Joannes Ep. transigit cum Amalia della Scala.

Eodem anno Eberhardus, eo nomine II. Weichenstephanensium Abbas post laudabile 32. annorum Regimen ad superos transierat. In ejus locum communibus suffragiis successit Joannes, loci tunc temporis Prior, Vir in domestico Chronico à singulari pietate, benignitate, discretione, ac sedula, patienti, & felici rei œconomicæ cura magnopere commendatus; cujus idcirco Electionem Joannes Episcopus lubens confirmavit. Confirmat novum Abbatem Weichensteph.

Proximo anno Christi 1449. Felix eo nomine V. Pseudo-Pontifex tandem sapnit, & umbratilem dignitatem ultro abjecit, magnis idcirco Privilegiis, & veerioribus honoribus à Nicolao V. honoratus. Eum etiam intra anni spatium mortem postea obiisse perhibent. Fassus ipse aliquando fuit post damnatum Schisma, nunquam se magis fuisse erectum, quam ubi depressus fuisset. Petrus Ulmer ex Ordine Eremitarum S. Augustini SS. Theolog. Doctor, Serenissimorum Bojariæ Ducum Ecclesiastes Aulicus, Mitrocomianæ Ecclesiæ Episcopus, ac Pro-Episcopus Frisingensis eo anno Calendis Octobris octo aras Ecclesiæ Patrum Eremitarum S. Augustini Monachii consecravit. Felix V. resipiscit. *Raynaldus.* N. 349.

Mittenwaldenses eo anno jus mercatus annui impetrarunt. Mineras in Hamerspach eo anno Episcopus noster iterum elocavit: Proximo vero anno Leges præscripsit Mittenwaldensibus, qui secundo Isara rates adveherent. Eodem anno Wigulæjus * de Rorbach Cathedralis Ecclesiæ Summus Custos argenteam Ludovici Ingolstadiensis statuam, de qua jam alibi actum, in Divi Sigismundi Effigiem transmutavit: quod factum hodierni haud immerito nulla laude dignum existimant, cum Donatoris piam intentionem Wigulæjus everterit. Eodem anno obiit sæpius hactenus laudatus Joannes Keckius Tegernseensis, & quidem Romæ, ubi inter præcipuos Pœnitentiæ Ministros adlectus fuerat. Ludovicus utriusque Bojariæ Dux eo anno Statuum Provincialium Privilegia, ac Jura confirmavit amplissimis litteris, quas Joannes Episcopus noster fide publica transsumpsit. Idem Episcopus noster, ut oppignorata Dominia Waidhoviense, Burgrainense, & Inticense liberaret, sequenti anno Ulmerfeldense vendidit, reservato tamen sibi, & Ecclesiæ suæ jure illud reluendi. Cathedrale Collegium assensum præbuit, & Nicolaus, titulo S. Petri ad Vincula SS. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Sedis Apostolicæ per Alemanniam Legatus primum: ac postea etiam Fridericus Salisburgensis

Varia Episcopi acta. * *Alibi: Wigislaus. Chronic. Frising. l. sub Ep. Bertholdo.* N. 350. N. 351.

ſis Epiſcopus Tractatum adjectis certis conditionibus probavere. Nos perlectis iis Litteris mirari deſinimus, dum alicubi legimus, ex Schiſmate inter Henricum, & Joannem Epiſcopos ſupra relato, Friſingenſem Eccleſiam ingentia detrimenta fuiſſe perpeſſam.

Scribit nonnemo, eodem anno, Chriſti 1451. in Andecenſi Monte Canonicis amotis Monaſticam Diſciplinam fuiſſe inſtitutam. Verum his adverſantur Andecenſes noſtri, & è vetuſtis Codicibus docent, Ducem Bojariæ Albertum eo anno ſolum de reſtituendo ibi Statu Monaſtico cum mox laudato Cardinale conſilia iniiſſe, quæ poſtea primum anno 1455. ad exſecutionem pervenerint: quod paulo inferius iterum monebimus. Dicitur vero Albertus cogitaſſe *de Statu Monaſtico ibi reſtituendo:* quod Lector intelliget, vel cum reſpectu ad vicinum olim Monaſterium in Wörth antehac Sæculo Decimo à Beato Raſſone, Andecenſi, ac Dieſſenſi Comite in ea vicinia conditum, de quo Tomo I. hujus Hiſtoriæ ſub S. Lantberto Epiſcopo egimus: vel reſpiciendo eos Monachos, qui olim in ipſo Andecenſi Caſtro ſacra curaverant, de quibus in hoc Tomo 2. ſupra egimus.

pag. 168. 169. *cap. 1. §. 1.*

Epiſcopus noſter intereſt Ludovici Ducis nuptiis. Sub initium anni 1452. Ludovicus Dux Landishutanus Annam Saxoniæ Duciſſam matrimonio ſibi junxit. Nuptiis illis Fridericus Salisburgenſis Archi-Præſul ſolenni ritu benedixit: Joannes vero Epiſcopus noſter ſummum Officium perſolvit. Circa idem tempus Fridericus Imperator Italiam comitantibus multis Principibus, atque Nobilibus ingreſſus, & ubique locorum cum ſumma veneratione exceptus, Senis Leonoram Regiſ Luſitaniæ Filiam, ſponſam ſuam excepit. *Fridericus Imp. coronatur.* Inde Romam progreſſus, die 16. Martii à Summo Pontifice Sponſæ ſuæ copulatus: die ſequenti corona, atque Inſignibus Imperialibus fuit exornatus. Habebat Fridericus in Comitatu ſuo Ladislaum, Hungariæ, Bohemiæ, & Auſtriæ Hæredem Juvenem, quem Hungari, Bohemi, atque Auſtrii inſolentius, quam par erat, ſibi depoſcebant. Prope erat, ut ad arma veniretur: & Ulricus Ciliæ Comes una cum Ulrico de Eizing bellum Imperatori jamjam denuntiaverant, multis acerrimis velitationibus ſecutis. At rixis impendentibus oppoſuere ſeſe Sigismundus Salisburgenſis Archi-Epiſcopus, qui nuper Friderico Emerpergio mortuo ſucceſſerat: item Carolus Marchio Badenſis, Joannes Epiſcopus Friſingenſis, & Fridericus Epiſcopus Ratisbonenſis: ad quorum preces Imperator Ladislaum, tredecim circiter annos natum, totum vegetum, & incolumem ſub certis pactis dimiſit, & tutelæ Ulrici Ciliæ Comitis commendavit.

Hic annus, quo Felix Antipapa obiit, etiam Joanni Epiſcopo noſtro ultimus fuit. *Mors Joannis Epiſcopi.* Deceſſit enim Viennæ die 2. Decembris, quo neſcio, morbo ſublatus. Ejus exuviæ Friſingam reductæ fuere, & in Cathedrali Eccleſia conditæ. Lapis ſepulchralis ſic habet: *Anno Domini MCDLII. Reverendus Pater, & Dominus Dominus Johannes, hujus ſanctæ Friſingenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſecundo Menſis Decembris.*

Fata. Obſervat nonnemo, hunc Epiſcopum in rebus ſuis fere omnibus fuiſſe litibus obnoxium. Certe Natales non habuit legitimos: Præpoſitura, Parochia, Officium Vicarii, Cardinalatus, Epiſcopatus graves ei rixas impoſuere. Tumba quoque ipſius incommodo non caruit. Cum enim ſibi vivens elevatum conditorium in medio Cathedralis Baſilicæ coram ara S. Crucis erexiſſet, Cathedrale Collegium, merito cauſſatum, cænotaphium illud progredientibus ad aras Sacerdotibus incommodum afferre, illud poſtea conſentiente Salisburgenſi Archi-Epiſcopo removit, & ad Capellam S. Thomæ tranſtulit. Dictu mirabile! Etiam poſt ſeros annos ſepulchralis lapis violentiam paſſus eſt. Cum enim anno Chriſti 1724. pars aliqua Cathedralis Eccleſiæ ſubſediſſet, etiam ille corruit, & in partes diſſiluit. Speramus tamen, animæ illius meliorem poſt hanc vitam ſortem obtigiſſe. Certe in Eccleſiam ſuam admodum liberalis fuit. Propoſuerat etiam ſuæ Diœceſis

sis Clerum melius instituere: Verum morte præventus propositum exsecutioni mandare prohibitus est. Obiit itaque quinto quieti, & legitimi Regiminis anno, quo Nicolaus V. Ecclesiam, Fridericus Imperium, Sigismundus Salisburgensem, Fridericus III. Ratisbonensem, Leonardus Pataviensem, Nicolaus Cusanus S. R. E. Cardinalis Brixinensem Ecclesiam gubernavit: Alberto Pio Superioris & Ludovico Divite Inferioris Bojariæ Ducibus.

Ad illos vel subsequentes annos videtur pertinere Epistola sive à Joanne III. sive IV. ad Abbatem Tegernseensem data in hæc verba:

Salutatione favorosa premissa venerabilis in Christo nobis sincere dilecte. Scire vos cupimus, quod nos hic proximis diebus apud castrum nostrum Pernfels constitutum redeundo Monasterium beate Marie Virginis in Etal Domino comitante applicuimus, vitam & conversationem Abbatis & fratrum ibidem investigare cupientes eosdem in proposito bono & commendabili ac ad vitam monasticam regularem regularemque observanciam inibi laudabiliter observandam & custodiendam paratissimos invenimus, de quibus gratiarum actiones immensas omnium bonorum largitori referimus, nec nobis amplius verbo sed opere complacere intendunt. Set quia defectum personarum in regulari observantia inbutarum apud eosdem consideramus, propterea affectuosius rogamus, vosque in Domino hortamur, quatinus in Religionis nostre* favorem & dictorum Abbatis & fratrum salutem nostrique contemplationem duos fratres, aut saltem unum maturum vestri cenobii in regulari observantia expertos, zelum Religionis habentes in consolacionem prefatorum Abbatis Prelati & conventus ac ipsorum informacionem uberiorem ad dictum Cenobium beate Marie destinare velitis, inibique ad tempus continuare, ut eorumdem doctrina, studio, & exemplo ad vitam perfectam, & sanctam pervenire valeant, in eo altissimo, Patrique vestro S. B. debitum obsequium, nobisque amiciciam & complacenciam gratissimam exhibentes, utque ita faciatis, reddimus nos omnino certiores.*

* leg. constituti.

* leg. vestræ.

CAPUT IV.

Joannes IV. Frisingensium Episcopus XLIV.

§. I.

Natales, Promotiones, Electio, & Acta prima Joannis IV. ubi de Erectione Andecensis Monasterii.

Joannes Tuelbeck, Monacensis Patritius ex SS. Canonum studio Licentiam, Insignia, & munus Doctoris capiendi nactus inter hujus Cathedralis Ecclesiæ Canonicos anno 1431. adlectus est. Gesserat primum Officialis, ut vocant, munus, & Præpositura Collegiatæ S. Viti Ecclesiæ gaudebat, atque insuper onus

Promotiones Joannis IV. Ep.

Parochi Ecclesiæ B. V. Mariæ Monachii gerebat. Hic demum concordibus votis post Joannis III. Episcopi obitum *per inspirationem*, ut vocant, Successor nominatus est, anno Christiano 1453. ut Chronica Frisingensia produnt. Hic ut suæ Electionis confirmationem obtineret, laborante ærario domestico 4000. florenos mutuos accipere coactus est.

Annus ille alioquin tristissimus erat Christianæ Reipublicæ, cum Constantinopolis, Imperii Orientalis Metropolis, nuper in Concilio Florentino ad unionem cum Ecclesia Romana revocata, die 29. Maji in Turcarum potestatem transiit, & Græcorum Imperium in prædam Machometis II. Tyranni cessit. Græci Schismate indesinente Iram Cœli provocasse existimantur: & ab eo tempore Athenæ erant
Flosculi Hist. barbaræ, Græcia indocta, & Doctrinæ fontes in Oriente plane exaruere, ut bene nonnemo scribit. Alii Aquilam eousque bicipitem uno capite fuisse truncatam deplorant.

Episcopus noster Tulbeckius primo statim Regiminis sui anno nihil magis curabat, quam decorem Domus Dei, Basilicæ nimirum Cathedralis, ut monstrant litteræ ad summum ejus Ecclesiæ Custodem Wigislaum de Rorbach datæ. 8. Julii in hæc verba:

Joannes Dei gratia Episcopus Ecclesiæ Frisingensis venerabili in Christo nobis sincerè dilecto Wigislao de Rorbach Canonico & Custodi Ecclesiæ nostræ Frisingensis salutem in Domino. Cum ex nostri pastoralis officii debito pervigili quidem cura & mentis consideratione ad hoc tendere teneamur, quod Regius Propheta prophetavit dicens: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. desiderantes, ut nostra Frisingensis Ecclesia nedum in spiritualibus, sed & in temporalibus congrua nostris temporibus suscipiat incrementa, tam in structuris, quam ædificiis & aliis ornatibus tanquam aliarum nostræ Diœcesis Ecclesiarum Regina ampliori decore circumamicta & insignita refulgeat splendoribus, & praeminentiori statu firmetur; cum autem plerisque curis & aliis oneribus adeo simus circumsepti, ut structurarum reparationi, & hujusmodi necessaria incumbentia insistere non valemus; Nos tamen ipsius Ecclesiæ nitorem & statum congruentem, quantum nobis ab alto conceditur, prout etiam tenemur, augeri & conservari summopere cupientes, de solertia & providentia à Deo tibi collatis experti, confisique, sibi onus in, & apud dictam Ecclesiam fabricandi, restaurandi, reficiendi, ornandi, reparandi, & in melius commutandi, potestatem quoque & facultatem omnes & singulas pœnas in favorem fabricæ Ecclesiæ nostræ Frisingensis qualitercunque, per quoscunque & in quibuscunque contractibus appositas & apponendas, atque commissas & committendas, nec non de rebus vagis & incertis disponendi, ac collectarum eleemosynarium & Christi fidelium largitionum in & apud singulas nostræ diœcesis Ecclesias exigendi, levandi, percipiendi, & in usus fabricæ convertendi, præsentium tenore usque ad revocationem committimus & concedimus. Quod decreveris per censuras Ecclesiasticas & alia remedia oportuna firmiter facias observari. Datum in Castro nostro Frisingensi die Solis, octava Mensis Julii, Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, nostro sub Secreto appenso.

Post eam curam, quæ Deo prima debebatur, etiam Juribus Ecclesiæ suæ conservandis invigilavit providus Præsul, & ab Imperatore Friderico Institutionem, Juriumque stabilem confirmationem petiit, atque ob merita Prædecessorum
N. 352. plane singularia facile impetravit, ut ex litteris præstariis liquet.

Consilia de Turcis reprimendis. Proximo anno, Christi 1454. inter Imperii Principes consultabatur, quibus modis Turcarum in Europam magis, magisque irruentium ferociæ occurri posset? Decreta equidem fuerat in eos Expeditio, at nullo effectu. Æneas Sylvius, Cæ-
Sed incassum. saris Orator, strenuè equidem partes suas explevit. Verum cum incassum se laborare cerneret, hæc ad amicum scripsit, ex quibus facies illius temporis relucet,

Quid

Quid sentis, inquit, *quid putas futurum? mallem tacere, mallem opinionem meam esse falsissimam, ac mendacis, quam veri Propheta nomen. Dicam tamen, quod meus presagit animus. Non spero, quod opto. Nihil boni menti mea persuadere possum. Quare, inquis? quare, inquam, bene ego sperem? Christianitas nullum habet caput, cui parere omnes velint. Neque summo Sacerdoti, neque Imperatori, qua sua sunt, dantur. Nulla reverentia, nulla obedientia est; tanquam ficta Nomina, picta Capita sint, ita Papam, Imperatoremque respicimus. Suum quaque civitas Regem habet, tot sunt Principes, quot domus. Quomodo tot capitibus, quot regunt Christianum orbem, arma sumere suadebis? Age, dicito, concurrere in bellum cunctos Reges. Cui Ducatum dabis? quis Ordo in exercitu erit? qua disciplina militaris? que obedientia? quis pascet tantum populum? quis intelliget varias linguas? quis reget diversos mores? quis Anglicos amicabit Gallicis? quis Januenses conjunget Arragonensibus? quis Teutones Hungaris, Bohemisque conciliabit? si paucos contra Turcas ducis, facile succumbis: si multos, confunderis. Undique sunt angustia.* Hæc Æneas.

Adelzreitterus ad illud tempus deplorat corruptionem monetæ, à diversis Principibus factam. Ita res Germaniæ semper vergebant in deterius.

Diximus in præcedenti Capite, Albertum Bojariæ Ducem cum Cardinale Cusano anno 1451. iniisse consilium de abdicandis Canonicis Montis Andecensis, & in eorum locum Instituti Benedictini hominibus substituendis, vel potius restituendis, uti ex ejus loci coævo Codice demonstravimus. Et habuere desideratum eventum pia Ducis vota. Postquam enim Nicolaus V. Summus Pontifex *plenissime informatus fuit*, ut Ipse in Bulla data anno 1453. disertè fatetur, Apostolicas Literas ad Wilhelmum Abbatem Benedictoburanum dedit, quibus eidem significavit, assentiri se Ducis petitioni, & ideo præcipere, ut ipse Abbas ex Commissione Apostolicæ Sedis vota Ducis exsecutioni mandet, adjectis tamen quibusdam conditionibus, super quibus conscientiam Abbatis oneraret. 1. Ut ea mutatio non fiat absque Præpositi, & Canonicorum consensu. 2. Ut Dux Albertus alia Beneficia conferret. 3. Ut idem Dux Fundationem competentem Monachis assignaret. 4. Ædificia congrua præpararet, & 5. Canonicorum possessiones ad Monachos transferret. Hæc omnia Albertus Dux exactè explevit, ipsique Canonici assensum præbuere. Hinc Wilhelmus Benedictoburanus Abbas die 24. Februarii 1455. Iisdem Canonicis delegata authoritate Apostolica injunxit, ut *sub Excommunicationis pœna* die 17. Martii in Andecensi Monte sese præsentes sisterent, ibique litteras Apostolicas audirent. Quodsi comparere nollent, se nihilominus jussa Pontificis exsecuturum esse. Litteræ Abbatis per publicos Notarios Canonicis fuere exhibitæ. Verum cum nullus eorum propriæ personæ præsentiam exhiberet, aliqui tamen Procuratores misissent, Abbas in Monte Andecensi Bullam Nicolai palam recitari jussit. Ea perlecta Procurator Ducis Conradus Siber Præpositus Ilmonasteriensis Ducis nomine Abbatem Benedictoburanum, seu Commissarium Apostolicæ Sedis rogavit, ut ad exsecutionem Mandati Apostolici procederet. Legit etiam litteras Præpositi Andecensis, quibus is Præposituræ suæ renuntiaverat: ac postea accusavit absentes Canonicos, petiitque, ut eos Abbas contumaces declararet. Annuit etiam Abbas, & viso, Pontificiis Mandatis undequaque fuisse satisfactum, Canonicorum Collegium in Monachorum contubernium commutavit. Præsentes tum aderant Ipse Dux Albertus, Casparus Tegernseensis, Eberhardus Ebersperg ensis, Wilhelmus Schyrensis, Leonardus Wessofontanus Abbates: Georgius Raittenbuchensis, Conradus Diessensis, Henricus Pollinganus Præpositi; Bernardus Tegernseensis, & Georgius Wessofontanus Priores, una cum Notariis Publicis, Illustribus quibusdam Comitibus, Baronibus, & Magna aliorum Virorum frequentia. Novo deinde Monasterio sex Benedictini Sacerdotes cum uno fratre Laico fuere impositi, omnes è prædicto Monasterio Tegernseensi evocati, è quibus post triennium Eberhardus Stöcklin, qui eousque

Collegium Canonicorum Andecensium mutatur in Monasterium.

Papa utitur opera Abbatis Benedictoburani.

Administratoris Officium obierat, primus Andecensium Abbas fuit renuntiatus. Quanta deinceps bona in infinitarum poene animarum, illuc devotionis causa occurrentium salutem ex Virorum illorum, atque successorum summis laboribus profluxerint, atque hodiedum profluant, notius est orbi, quam describere possimus.

Non possumus hic non accusare Aventini impudentiam, dum propè finem suorum Annalium scribit, Nicolaum Cusanum Alberto Duci eam in Andecensi Monte mutationem *summopere dissuasisse.* Si enim hic Apostolicus per Germaniam Legatus id dissuasisset Duci, quomodo suasisset Pontifici, qui fatetur, se fuisse *plenissimè informatum?* Aventini impudentia tantò major est, quantò certius legit Chronicon Bojariorum Arenbeckii, qui tempore mutationis illius inter vivos fuit. Sic enim ille scripsit. *Anno Domini MCDLI. Nicolaus de Cusa Cardinalis Legatus Sedis Apostolicæ à Latere per Germaniam Episcopus Brixinensis, qui eo tempore doctissimus habebatur, in Quadragesima Monacum venit, & hortatu Ducis Alberti cum eo in Montem Andächs personaliter ivit, ac Hostias consecratas* (quæ jam pluribus sæculis ibi à fidelibus devotissime adorantur) *& Reliquias, ac omnia alia singulariter conspexit. Cum quo præfatus Dux suos honorabiles Nuntios ad Papam Nicolaum V. misit, ut ejus authoritate Collegium Canonicorum extingueretur, & Monasterium Ordinis S. Benedicti ædificaretur, & institueretur. Cujus precibus Papa motus petita concessit, ut patet in Bulla Papali desuper confecta, ac data anno* 1453. *Idibus Aprilis. Qua Bulla percepta mox incepit studiosè construere Monasterium Illustris Dux Albertus, cui Papa Nicolaus tria millia florenorum in subsidium donavit.* Hæc Arenbeckius, qui absque dubio legerit antiqua Andecensium Chronica, ubi diserte habetur, Cardinalem viso pretiosissimo, Sanctissimoque Thesauro Andecensi propositum Ducis amplis laudibus illico extulisse, atque monuisse, ut diligentissime conaretur ea, quæ animo pie destinasset, in exsecutionem deducere. Sed hæc ad retundendam Aventini impudentiam satis.

Nicolao V. succedit Calistus III.

Eodem mense Martio, quo ea mutatio contigit, die 24. ejusdem Nicolaus V. Pontifex ad superos abiit. Post cujus excessum elapsis 15. diebus Cardinales Calistum III. Hispanum ad summum Pontificatum vocarunt, Alphonsum Borgiam antehac dictum, qui statim Mense Majo Bullam edidit, atque ad Salisburgensem Archi-Episcopum misit, qua percelleret eos, qui Clericos ad sæcularia tribunalia trahere consueverant. Pontificias litteras plena manu Raynauldus exhibet. Mense Augusto Ludovico Landishutano Duci natus est filius Georgius, quem ipsa die Gloriosæ Virginis Deiparæ in cœlos assumptæ Landishuti in Basilica Divi Martini Sigismundus Salisburgensis Archi-Episcopus salutaribus undis expiavit. Episcopus noster hoc, & superiori anno Eutingensibus colonis certam lignorum quantitatem tum ad usus domesticos, tum ad viarum reparationem è suis nemoribus ad Dominium Burgkrainense pertinentibus assignavit.

§. II.

Publica, ac privata Acta usque ad annum 1464. ubi de Pontificatu Æneæ Sylvii, seu Pii II.

Otho Truchsessius Cardinalis, & Episcopus Augustanus ad lustrandum Divi Udalrici Augustæ Monasterium, Tegernseensem, & Schyrensem Abbates invitaverat. Id ubi Joannes Episcopus noster edoctus est, litteras ad Casparum Abbatem Tegernseensem dedit sequentis tenoris:

Joh.

Joh. Dei gratia Episcopus Ecclesie Frisingen. favorosa salutatione præmissa venerabilis ac Religiose in Christo sincere nobis dilecte. Jocunde hiis diebus intelleximus, quod Reverendissimus Dominus noster Dominus Cardinalis Episcopus Augustensis vos una cum venerabili nobis dilecto Abbate in Scheyrn ad visitandum Monasterium Udalrici Auguste benigne invitaverit. Et quia ad tale sanctum opus nedum spectare vocationem, * *sed nos & promotores reddere debemus. Qua de re dilectionem vestram cordialiter exhortamur, ut ad diem seu terminum pro tali sancto opere institutum vestros gressus cum omni sollicitudine dirigere velitis, in hoc nobis valde gratam & acceptam ostendentes voluntatem. Ex Castro nostro Frisingensi die decima Mensis Junii anno &c. LVII.*

* deest aliquid.

Inscriptio.

Venerabili ac Religioso in Christo nobis sincerè dilecto Caspari Abbati Monasterii in Tegernsee.

Ladislao Hungariæ, Bohemiæque Rege Austriæ Duce, veneno, ut suspicantur, inter solennes Nuptiarum apparatus extincto inter Austriacos Principes anno 1457. acerrima quæstio agitabatur, cuinam illorum successio in eam Provinciam jure hæreditario esset attribuenda? Inter litigantes numerabatur ipse Fridericus Imperator, qui ad Conventum Statuum Viennam suo nomine misit inter alios etiam Udalricum Riderer Præpositum Frisingensem, Cancellarium suum. Lites sequenti anno fuere aliquantum compositæ, quo tandem Provinciæ partitio consecuta est, verum quæ paulo post novis controversiis materiam amplam præparavit. Controversiæ Principum Austriæ.

Eodem anno, Christi 1458. die 6. Augusti fato cessit Callistus III. Pontifex Maximus, qui non nisi triennio & mensibus 4. sederat. Eo sublato Cardinales Æneæ Sylvio Piccolomineo Pontificium honorem detulerunt, postquam nonnisi 12. dierum interregnum intercesserat. Nuncius de hac electione per orbem sparsus ingentem ubique lætitiam excitavit, in iis præcipuè locis, ac aulis, quæ antehac Æneam in Ministeriis habuerant, inter quas procul dubio etiam erat hæc Frisingensis Civitas, in qua olim is Nicodemo Episcopo nostro à Secretis fuit, ut supra diximus. Callisto III. subrogatur Æneas Sylvius, dictus Pius II.

Ferunt, id ei fuisse prædictum à Friderico Cæsare. Cum enim Æneas Fridericum, & Eleonoram Romam comitaretur, sic eum aliquando affatus est: *Ecce Romam petimus. Videor videre mihi, te Cardinalem futurum. Neque hic tua fortuna conquiescet; altius eveheris. Beati Petri Solium te manet. Cave, ne me contempseris, ubi id honoris consecutus fueris.* Hæc Æneæ Imperator, qui præstantissimas ejus dotes, & merita quasi incomparabilia optimè æstimare noverat. Multi ejus vitam, resque gestas commemorant, nemo tamen fidelius, quam ipse Æneas, qui ad amicum quemdam litteras dedit, in quibus divinam Providentiam adoravit, quæ ipsum per varios honorum gradus evexerit. Eam epistolam apud Reynauldum Lector reperiet. Æneas, deinceps Pius II. nuncupatus, eodem adhuc anno Apostolicæ Confirmationis robur adjecit donationi, qua Joannes III. Episcopus Collegio Isanensi Parochialem Ecclesiam Burgrainensem una cum filiabus Mitbach, Chronacker, & Pürmosen concessit addita potestate Vicarium ibidem constituendi. *Tom. 19. ad ann. 1458. n. 9.* *Ex theca Celsissimi.*

Abbas Ebersperģensis Eckardus jussu Pontificio ejus rei exsecutor fuit. Cæterum uti jam antehac Pius in Conventibus Principum Imperatoris nomine pro re Christiana adversus Turcas tuenda sæpius facundissime juxta ad ferventissime peroraverat, ita deinceps Pontifex creatus omnes curas eo impendit, ut Christianos Principes conjungeret, atque adversus truculentos illos Christiani Nominis hostes in bellum sacrum alliceret. Eum in finem missa Legatione, datisque litteris Zelus Pii II. pro re Christiana.

teris Imperatorem, Imperiique Proceres Mantuam invitavit, de bello Turcis inferendo secum tractaturos. Ut Cæsaris animum permoveret, ad Henricum Viennensem Episcopum, & Henricum Riderer Præpositum Frisingensem, qui arcanis consiliis Imperatoris adhiberi solebant, litteras dedit, monuitque, ut Cæsarem in suam (Pontificis) sententiam pertrahere omni studio conniterentur. Optima fuissent Pontificis consilia, si piis conatibus favissent Principes, & fraterna odia in Turcas convertissent.

Tom. 6. à pag. 1029. Laborant Salisburgenses pro Apotheosi B. Vitalis &c.

Apud Henricum Canisium legimus eodem anno, Christi 1459. pro Divis Vitale, & Eberhardo Salisburgensibus quondam Antistibus Sanctorum Albo Authoritate Ecclesiæ adscribendis Romæ laboratum fuisse.

Pius Pontifex Joanni nostro Frisingensi Episcopo, Ulrico Chiemensi, & Gregorio Seccoviensi in mandatis dedit, ut suo nomine in sanctimoniam Beati Vitalis inquirerent. Litteræ Apostolicæ sic habebant.

pag. 1030. Pontifex inquisitionem 3. Episcopis committit.

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Frisingensi, & Seccoviensi, ac Chiemensi Episcopis salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ut corda fidelium in sui amorem Rex cœlestis accendat & incredulos convertat ad fidem, Sanctos suos miraculis magnificat gloriosis. Devotiores enim fideles ipsi redduntur Altissimo, dum vident electos ipsius post exitum hujus vitæ felicem virtutibus coruscare, ac reliqui eum sequi desiderant, cum se sequentibus æterna præmia largiatur. Sane de meritorum excellentia, quibus Sanctus Rudbertus, quondam Salzeburgensis Antistes & confessor Domini gloriosus, sub nostra mortalitatis habitu, vitam duxit sanctissimam, processit, quod ipsum post obitum suum crebris coruscantem miraculis, Apostolica Sedes catalogo adscripsit beatorum, & sicut dilectus filius Burchardus Præpositus & Archidiaconus Salzburgensis nobis exposuit, fœlicis memoriæ, Vitalis quem Deus, qui Ecclesiam suam semper nova prole fœcundat, in Ecclesia Salzburgensi prædicta, fecit immediate succedere, cum pie vixisset in hoc sæculo, viam salutis docendo verbis pariter & exemplo, tandem præsentis vitæ cursu fœliciter consummato, multis ab eo tempore miraculis Deus decoravit, ac in præmium Sanctitatis ejus Episcopi fidelibus usque in præsentem diem monstrare dignatus est. Ita quod remanentibus etiam adhuc tam scriptis suis, quam operum suorum vestigiis, CHRISTI fideles ipsi reliquias suas devota & assidua visitatione frequentant, ac si catalogo prædicto jam haberetur descriptus.

Cum itaque non deceat eum apud homines sine veneratione relinqui, quem merita Sanctum ostendunt & miracula; Nos quos providentia docet, festinos in certis, & lentos in dubiis inveniri, dicti Burchardi devotis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ, de qua gerimus in Domino fiduciam pleniorem, præsentium auctoritate committimus, quatenus si adeo super hoc publica fama in partibus illis invaluit, quod de ipsius Vitalis, cujus corpus in Ecclesia Monasterii Sancti Petri Salisburgi requiescit, vita & miraculis inquirendum videatur, de virtute morum & veritate signorum, operibus scilicet & miraculis secundum interrogatoria, quæ vobis sub bulla nostra interclusa mittimus diligenter inquirentes, quod super præmissis invenietis conscriptis fideliter, sub vestris Sigillis & cum vestrarum litterarum serie testimonio remittatis. Datum Senis: Anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, duodecimo Calend. May, Pontificatus nostri anno primo.

pag. 1031.

His litteris alias adjunxit Pontifex, quibus iisdem Episcopis præscribit modum, quo in pervestigandis rebus suprà naturæ vires per Beatum Vitalem gestis uti debeant. Sane Episcopus noster deinceps partes suas in eo negotio duobus Ordinis nostri Abbatibus, & uni Canonicorum Regularium Præposito commisit, uti litteræ sequentes perhibent.

Episcopus noster subdelegat Abbates duos, & unum Præpositum.

Joannes Dei gratia Episcopus Frisingensis, Judex & Commissarius causæ infra scriptæ à Sede Apostolica una cum collegis nostris specialiter delegatus. Venerabilibus &

reli-

*religiosis N. Sancti Petri Salisburgæ, & N. in Beürn * Ordinis Sancti Benedicti Abbatibus, nec non in Hegelwert Ordinis S. Augustini Præposito Salzburgensis diœcesis, Salutem & sinceram in Domino charitatem.* * Michael Beurn.

Litteras Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Pii, divina providentia Papæ secundi, eius vero bulla plumbea in cordula canapi, more Romanæ Curiæ, impendens bullatas, sanas & integras non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes, nobis præsentatas, nos cum ea qua decuit reverentia noveritis recepisse, hujusmodi sub tenore.

Pius Episcopus Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus N. Frisingensi, & N. Seccoviensi, ac N. Chiemensi Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ut corda fidelium &c. Tota hæc bulla prius scripta est de verbo ad verbum. Sed quia nos tam nostris quam Ecclesia nostra negotiis causisque variis legitime impediti cognitioni hujusmodi causæ & negotii ad præsens vacare, & utiliter intendere commode non valemus: Idcirco de omnium vestrum legalitate ac religiositate plenè confisi, vobis in hac parte plenarie committitimus vices nostras, volentes nihilominus, ut in negotio hujusmodi secundum traditam à Sede Apostolica formam, ac alias ut de jure fuerit procedendum, procedatis. In cujus rei testimonium præsentes litteras nostri Sigilli jussimus & fecimus à tergo impressione communiri. Datum in castro nostro Frisingensi, die octava Mensis Martii, Anno Domini M CCCC LXII.

Subjunguntur postea apud Canisium ea omnia, quæ deinceps in ea causa fuere ventilata, & Romam perscripta. Et legimus apud P. Mezgerum nostrum in Historia Salisburgensi, Apotheosin Divi Vitalis à Pio Papa etiam fuisse decretam, sed morte Pontificis, & Archi-Præsulis, qui negotium magno fervore prosecutus fuerat, fuisse interruptam: Anno tamen deinceps 1519. Officium solemne, & Missas de eodem Beato Vitale celebrandi Indultum Monachis Sancti Petri à Leone X. Pontifice per Breve Apostolicum fuisse concessum: quod deinde sub Urbano VIII. supplicante Archi-Episcopo Paride à Sacra Rituum Congregatione ad totam Diœcesin fuerit extensum.

Pius Pontifex eodem anno in causa Undenstorffensis Monasterii ad Episcopum nostrum sequentes litteras dedit. Lustratio Monasterii in Inderstorff.

*Pius Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili fratri Episcopo Frisingensi salutem & Apostolicam benedictionem. Votis illis gratum, nos decet, præstare assensum, quæ à rationis tramite non discordant, & sacræ religioni conveniunt, ac salutem animarum concernere dinoscuntur, Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, prepositi & conventus monasterii in Understorff per præpositum soliti gubernari Ordinis Sancti Augustini tuæ diæcesis petitio continebat, * ipsi per quadraginta annos, vel circa sub regulari observantia, ordinationibusque & Statutis, tam apostolica, quam ordinaria authoritate eis traditis laudabiliter vixerint, & similiter vivere intendant in futurum, nihilominus propter varietatem præpositorum dicti monasterii dubitant contra hujusmodi ordinationes & statuta posse perturbari tempore procedente. Quare pro parte dictorum prepositi & conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut super hoc eis oportunè providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ipsorum prapositi, & conventus pium & laudabile propositum in Domino plurimum commendantes, ac de promissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis specialem fiduciam in domino obtinemus, per apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus tribus prælatis & fratribus ejusdem, aut alterius Ordinis sub observantia degentibus per te assumptis unà cum eis ad præfatum Monasterium personaliter accedens, de regula, statutis, ordinationibus, ceremonialibus, ac aliis singulis, ibidem pro divino cultu, & religionis Zelo, nec non aliis ad regularem observantiam necessariis authoritate nostra te diligenter informes, & juxta illa præfatis præposito & Conventui normam debitam, & statuta ad veram religionem* * Supple, quòd.

& observantiam spectantia, qua nullatenus absque tuo, vel successorum tuorum Episcoporum Frisingensium pro tempore existentium consensu per futuros præpositos dicti Monasterii vel quoscunque alios variari, vel in aliquo mutari possint, perpetuo tradere & imponere eadem authoritate nostra procures, Decernens irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Super quibus omnibus & singulis tibi plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac statutis ac consuetudinibus Monasterii & Ordinis prædictorum juramento confirmationis apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Mantuæ anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo quinquagesimo nono, sexto decimo Kal. Januarii Pontificatus nostri anno secundo.

Hæc ex literis Pollinganis.

Huic mandato Apostolico ut morem quantocyus gereret Episcopus noster, eodem adhuc mense Octobri adductis secum Joanne Weichenstephanensi, & Guilielmo Schyrensi Abbatibus Undenstorffium venit, eidemque Monasterio saluberrima quædam Statuta in LXI. Capitula distincta Authoritate apostolica præscripsit. Speramus, Statuta illa intra breve tempus in lucem publicam cujusdam Viri Eruditi opera esse proditura. Eorum confirmatio sic habet:

Johannes Dei gratia Episcopus Frisingensis ad suprascripta à Sede Apostolica Commissarius specialiter Deputatus dilectis nobis in Christo Fratribus Johanni Præposito, N. Decano, totique Conventui S. Mariæ in Undenstorff Canonicorum Regularium Ordinis B. Augustini nostræ Frisingensis diœcesis Salutem & sinceram in Domino caritatem cum tranquilla mente Deo servire. Cum quidem ad Monasterium vestrum exequendæ Commissionis nobis factæ gratia cum coassumptis venerabilibus Patribus nobis sincere dilectis Johanne in Weyhenstevèn cum Priore suo, & Guilhelmo in Scheirn Monasteriorum Ordinis B. Benedicti Abbatibus adjuncta ordinaria potestate accessissemus, invenissemusque per Dei gratiam bene longis temporibus in omni regulari disciplina institutum, legibus quoque & ordinationibus opportunis munitum & provisum, quamvis aliqualis propter novas præter B. Augustini Regulam jejuniorum & aliarum cæremoniarum impositiones inter fratres suborta esset differentia, atque scrupulosa conscientia. Nam bonarum mentium est ibi timere culpam, ubi culpa minime invenitur. Volentes auctoritatibus prædictis ipsos de præfatorum Prælatorum consilio omnino quietare, ut cordis desiderio desideramus, ut rejectis sub regula non comprehensis Domino pura caritate impendere servitutem valeant regularem, attendentes, quem non modicum errare, qui magno bono præfert mediocre, ut jejunium caritati, aut vigilias sensuum integritate, seu nec propter immoderatam psalmorum & officiorum decantationem amentiam, aut tristitia notam incurrat; nam non verbis tantum sed corde orandus est Deus. Melior est etenim quinque Psalmorum cum cordis puritate, atque tristitia modulatio; & cum maximum sit jejunium voluptatibus abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluntatibus sæculi, propter quam illam beatam spem, & revelationem gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi exspectamus, quibus & inhærere jubemur. qua ex re Reverendi Patris felicis memoriæ Johannis Episcopi immediati nostri Prædecessoris vestigiis inhærentes qui, dum esset in minoribus constitutus, Papali & Ordinaria auctoritatibus hoc Monasterium visitando nonnulla statuta & ordinationes secundum Regulam beati Augustini matura deliberatione præhabita cum certis & convenientibus declarationibus ac dispensationibus hic inscriptis redacta reliquit, quibus visis & maturè masticatis iterato vobis sub pænis in eisdem comprehensis, cum omnibus statutis, punctis, dispensationibus & declarationibus observanda de consilio & consensu præfatorum Prælatorum una cum paucis additionibus per nos factis relinquimus ac statuimus, atque auctoritatibus præfatis approbamus, ratificamus, atque confirmamus, approbataque rata & confirmata vobis Præposito, Decano, totique Conventui assignamus & perpetue ad observandum tradimus, si secus in prædictis per præsentem Præpositum, Decanum, Conventum, aut futuros, seu quoscunque alios variari, vel in aliquo immutari contingeret, irritum & inane decernentes.

tes. Acta, lecta, & promulgata sunt die ultima mensis octobris, Anno à Nativitate Domini Millesimo, quadringentesimo sexagesimo in præfatorum Venerabilium Patrum, totiusque Conventûs in loco Capitulari Monasterii Undensdorff, ac Venerabilis & honorabilis Dominorum Joannis Stadler Licentiati in Decretis nostri Vicarii Majoris, & Joannis de Wildenwerg Sancti Andreæ Frisingensium Ecclesiarum Canonicorum præsentia hora XI. meridiei, ac sub nostro appendente sigillo munita.

Et cum non sit in homine, ut semen serenti respondeat, quoniam juxta verbum Apostoli, neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, det igitur altissimus Regulæ Sanctissimi Augustini Professis, ut spiritualis pulchritudinis amatoribus gratiam & auxilium, quatenus pro Dei gloria & honore, ac incremento religionis, pariterque salute & ædificatione populi Christiani hæc omnia observent immarcescibilis gloriæ coronam in perenni patria percepturi. Et ne quodquam ex ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumant, semel ad minus in toto Conventu singulis annis legantur diligenter, sæpius tamen Novitiis & minus probatis studiosius declarentur, eo adjuvante, qui est benedictus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

(Locus signi Notar.) *Et quia ego Georgius Tuchinger Presbyter, Plebanus Frisingensis Diœcesis in Osterwarngew, publicus Imperiali auctoritate, Reverendissimique in Christo Patris & Domini, Dni. Joannis Episcopi Frisingensis Secretarius, nec non præsentis causæ coram Paternitate sua Notarius prædictarum literarum Apostolicarum præsentationi, receptioni, executioni ac personarum examini omnibusq; aliis singulis præmissis, dum sic, ut præmittitur fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus præsens interfui, atque sic fieri vidi, & audivi, ideoque præsentem chartam signo & nomine meis consuetis, una cum jam dicti Reverendissimi Patris Domini Joannis Episcopi Frisingensis Executorum & Commissariorum Sigilli appensione consignavi in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus.*

In eundem annum Christi 1460. incidit mors Alberti Pii Ducis Monacensis Fundatoris seu Restauratoris Andecensis nostri Monasterii, in quo etiam sibi tumulum elegit. Cernitur hodieque in eo Monasterio depicta ejus effigies, uti etiam Conjugis suæ Annæ, cum hac inscriptione: Mors & elogium Ducis Alberti Pii.

Divus Albertus Senior, Pius, Gloriosus, & Inclytissimus Bavariæ Dux, Comes Palatinus Rheni, Septem Filiorum, & trium Filiarum Pater excedens hac luce pridie Calendas Martias anno à Natali Christiano Millesimo quadringentesimo sexagesimo sepelitur marmorea ista, atque testudinea tumba medius una cum Nobilissima Castissima, atque Charissima Conjuge obiente diem anno 1475. *pridie Idus Octobrias, inter duos amantissimos Filios Ducem Joannem Illustrissimum Principem anno* 1463. *Idibus Decembribus vitâ defunctum, & alterum minimum natu Clarissimum Ducem Wolfgangum, Religiosorum, ac Virorum bonorum omnium Patronum, ac Patrem unicum, & bene meritissimum, demortuum anno* 1514. *Octavo Calendas Junias Deo optimo Maximo, perpetuæque securitati, sibi denique, & suis omnibus sanctum hoc, & Celebre Monasterium in . . . . . non consentiente solum, sed etiam tria millia aureorum per eloquentissimum, atque in omni genere præstantissimum Eruditionis Legatum suum Nicolaum Cusanum Presbyterum Cardinalem Reverendissimum subministrante Beatissimo Patre & Domino Domino Nicolao Quinto Pontifice Maximo, ex integro & fundo instituendum, construendum, reformandum, dedicandum, reditibus ditandum curavit. Cujus spiritus, omniumque suorum vivant, gaudeant, lætentur in æternum quam felicissime.* Ita grati Andecenses.

Eodem anno, Christi 1460. D. Udalricum Riederer, Præpositum Frisingensem, negotiis gravissimis fuisse à Cæsare adhibitum, testatur Thomas Ebendorffer de Haslbach in suo Chronico Austriaco apud Clarissimum P. Hieronymum Pezium *Tom. 2. de Rerum Austriacarum Scriptoribus.* Floruit etiam in hac Diœcesi eodem tempore Bernardus de Waging literatus, ac religiosissimus Asceta, & Prior Udalricus Riederer. col. 905. & Bernardus de Waging florent in hac Diœcesi.

Prior Tegernseensis, Theologiæ Baccalaureus, scriptor plurium, nempe XXXVI. præclarorum Opusculorum, quæ non solum apud Tegernseenses, BenedictoBuranos, ac Vieinos, verum etiam passim in Austriacis, aliisque Bibliothecis reperiuntur. De eo diffuse agit Clarissimus P. Bernardus Pezius in Præfatione *Tom. 7. Bibliotheca Ascetica*, ac tanta de Viro illo in medium adducit, ut is jure Oraculum præcipuorum Episcoporum, & Abbatum dici promeritus fuerit. Eodem tempore trans Lacum Tegurinum è regione Sacelli S. Quirini Religiosi Ascetæ reperereunt Petroleum illud, à S. Quirino deinceps dictum, quod hodieque ob Virtutes admirabiles est celeberrimum, & in varias etiam dissitas Regiones exportatur. Episcopus noster Joannes eo anno novam Monasterii Wessosontani Ecclesiam, & campanas sacris cæremoniis initiavit, & Paulo Abbati sacram Benedictionem impertivit; ubi dubium non est, quin id præstiterit assentiente Petro à Schaumburg, Episcopo Augustano, S. R. Ecclesiæ Cardinale. Idem Episcopus noster post multas, ac graves lites, quæ ei cum Wilhelmo Dieperskircher Abbate Benedictoburano etiam ad tribunal Cæsaris intercesserant, operâ Ludovici Bojariæ Ducis cum eodem Abbate conciliatus fuit.

Petroleum S. Quirini.

P. Bern. Pez Anecdot. T. 3. part. 3. Ex mon. Wessofontanis.

Die 17. Januarii anni 1461. luci vitæ præsentis valedixit Casparus Religiosissimus Tegernseensium Abbas, cujus obitum suprà laudatus Bernardus Prior Joanni Episcopo nostro perscripsit suo, atque universi Conventus nomine sequentem in modum.

Obitus Caspari Abb. Tegernf. nunciatur Episcopo.

Reverendissime & gratiosissime Pater ac Domine cum sui humillima commendatione obedientiam & orationes devotas. Cum sit versa in luctum cithara nostra, gaudium nostrum & omne solatium sit ingenti mœrore penitus absumptum, nil aliud depromere aut scimus, aut possumus, nisi lamentum cordiale, carmen perlugubre, ac totius amaritudinis intolerabile va! Revera, Pater Reverendissime, nunc istis diebus malis id nostris exigentibus ira Dei gravissima desævit in nos, & veluti torrens inundantis aqua operuit nos: siquidem ablata est vita nostra, recessit à nobis pastor optimus, Dux noster & fortis bellator interiit, capitis nostri corona decidit, omnis decor noster emarcuit, norma vita nostra, ac virtutum exemplar & morum occubuit, lucerna nostra extincta est, & caligo tenebrarum irruit in nos. Hinc premunt, quin imo opprimunt nos totos vehementes angustia & mœror circumvallatos undique amaritudine, ac repletos inæstimabili dolore. Sanè, quod gementes, flentes, & dolentes, cumque luctu referimus gravissimo, noster quondam ductor & precessor dignissimus, nostri Monasterii intus & extra restaurator, quin veriùs alter fundator, nec non nostra sacra regularis observantia reparator, institutor, augmentator & conservator Reverendus Pater Dominus diva memoria Caspar olim Abbas noster, dum annis triginta quatuor & mensibus sex nostri statum Monasterii in spiritualibus & temporalibus laudabiliter & optime gubernasset, post mira & grandia, qua tanto tempore operatus est bona, postquam plurima & gravia, qua temporaliter pertulit mala, cùm jam se sentiret ad exitum propinquare, recepto secum dignè Salutari viatico, corpore scilicet & sanguine Dominico, nec non sacro perunctus oleo XVII. die Mensis Januarii portas mortis horridas pertransiens, ac luci vita præsentis valefaciens, nosque orphanos & desolatos relinquens paulò post solis occubitum solem adiit, qui nescit occasum. Hac est, Pater benignissime, nostri causa tam gravis lamenti. Cum autem sic orbati, afflicti & desolati sine pastore, duce, & rectore, nisi cum gravi animarum dispendio ac maximo Monasterii damno diutius nec valeamus, nec debeamus subsistere, & non assit in hac tanta necessitate & angustia, qui solamen nobis, consilium & juvamen salubrius possit & efficacius impendere, prater te unicè, O Præsul & Pastor prædigne, in quo spes nostra tota, omnisque fiducia totaliter pendet; igitur ad vestram Reverendissimam Paternitatem, tamquam ad nostra salutis & totius consolationis portum tutissimum confugium faciendo, ejusdem paternam clementiam devotione humillima, & confidentia plenissima instantissime supplicando rogamus, ac petimus perintense, quatenus eadem Paternitas vestra Reverendissima in nostra necessitate, tam

Tegernseenses flagitans præsentiam ipsius Episcopi.

tam maxima benignè dignetur occurrere, atque in propria persona nobis sic plenè desolatis quantocyus subvenire. Salvet paterna benignitas fluctuantes, ne pereant, pugnantes adjuvet, ut vincant, nutantes sublevet, ne corruant, insidiantes repellat, ne noceant, & sese contra adversariorum incursus objiciant, ne gregem dominicum hostiliter invadant, atque prout gestiunt, miserabiliter dispergant; Non enim desunt perturbatores nocivi, & invasores crudeles, nec assunt consolatores necessarii, ac defensores fideles. Ergo Pater benignissime, citò paterna super nos viscera expande, si pater es, te talem exhibe, si pius es, immò quia es, pietatem ostende, nec retrahat nec retardet impedimenti occasio qualiscunque. Veni & oves sine pastore tu pastor optime dirige & rege; & quia salus nostra in manu tua, O Præsul alme, diligenter praecave, ne ruina, quæ nobis imminet vicina, propter tui absentiam veniat ex te. Adesto igitur citiùs, & magnopere age, ut pastorem & Ducem talem te operante cum novo mereamur gaudio videre, cujus doctrinam imitari & vitam, sit nostra professionis jam citiùs attingere finem. Sed O Abba Caspar, pastor bone, quis nobis dabit alterum Te? Certè, quia similem tibi est impossibile inveniri, optamus, ut nobis talis divinitùs detur, qui tua vestigia à longè saltem imitetur, qui per te plantata sustentet, rigata fœcundet, ædificata non dissipet, restaurata conservet, firmata amplius corroboret, sanata non aliquatenùs infirmet, neque à tuis rectis semitis vel modicum declinet. Tribuat hoc ipsum pius & misericors Dominus, qui cum sit potens, sit etiam volens. En Pater Reverendissime, amor ejus, de quo sermo, sed & dolor pro eodem nos verbis excedere fecit, quod quidem vestra Reverendissima Paternitas velit benignius interpretari; nobis quoque diem sui adventus dignetur per præsentes insinuare, ut sic certiores reddamur, ne, quod absit, imparati inveniamur. Interim Deum placare studebimus jejuniis & precibus devotis. Ejus ratio.

Hæc Tegernseenses Episcopo nostro.

Sane in defuncti Caspari Abbatis tantis encomiis meritò condecorati locum concordi Fratrum Electione subrogatus est Conradus Ayirnschmalz, qui Prædecessoris vestigiis fidelissimè institit, non minorem deinceps laudem, quàm Casparus ingentibus meritis, ac virtutibus assecutus. Is, ut primùm eam dignitatem consecutus est, mox ad Episcopum nostrum sequentes litteras dedit. Casparo succedit Conradus.

Reverendissime in Christo & gratiosissime Pater ac Domine cum devotissima sui recommendatione orationes & obedientiam semper devotas. Vestre Reverendissime Paternitatis benivolentie, nec non affectionis paterne, & singularissime gratie nuper in maxima nostra necessitate nobis ostensa sedulo memores gratias agimus infinitas, etsi tunc plurimùm desiderata vestre R.P. personalis deerat presentia, verumtamen missis ad nos Legatis, viris utique fide dignis & optimis, omnique laudum preconio reverentia & honore à nobis jugiter prosequendis ejusdem vestre R.P. assistentia plurimum necessaria nequaquam defuit, unde iterum & iterum grates replicando nos fratres precipue Conventuales cum ingenti gaudio corde & animo concinimus gratias & gloriam Deo. At ego pauper & captivus Abbas, qui manus in me multorum pertuli violentas, non tamen temerarias aut cruentas, quales pro me gratias referam, aut unde gaudeam non habeo, quin potius lugens & merens de divino judicio in me vehementer pavesco, nempe qui necdum vel modicè pugnare didici, jam positus in acie inbecillis & inermis Dux & Magister effectus sum belli. Verùm ne pro tam magno beneficio pernitioso ingratitudinis vitio obnoxius inveniar pro vestre R.P. directione, simulque paterna assistentia & consolatione ut sic communitati exhibitis communes cum ceteris gratiarum actiones numquam referre cessabo; Sint proinde laudes & grates altissimo Deo, cujus, quia potentiam effugere non possumus, nec proterve reniti ejusdem voluntati debemus. Ceterum quia vestra Reverendissima Paternitas elapsis diebus non multis sese nobiscum in brevi personaliter ..... denuntiando promisit affuturam, quod quidem veluti pro omine cum gaudio suscipientes quam maximo præstolamur, cottidie suspirantes & orantes, ut idipsum quandoque videamus expletum. Sed cum diebus istis, uti timemus, id fieri de- Episcopo Tegernseenses rescribunt. Gratiarum actio.

Urgetur adventus Episcopi. *center non valeat, vestram R. P. rogantes & obsecrantes humillima devotione supplicamus instantissimè, quatenus post festa sacra pascalia eadem V. R. P. mox, ut commodiùs hoc facere possit, se nobis presentem exhibeat ad consolandum & consulendum in causa gravi fratris cujusdam, que nos quam plurimùm angit, & premit, graviterque conturbat, in qua nec finem attingere nec exitum invenire, neque nobis ipsis salubriter consulere possumus aut scimus multiphariis undique involuti timoribus & curis de periculis certis timentibus & gravaminibus multis &c. Exhibuit aliquando diebus dudùm transactis vestra Reverendissima Paternitas fidelitatem maximam pro quiete & salute fratris ejusdem, sed heu omnia beneficia, quin etiam qualibet salutis remedia in eo sunt actenùs penitus frustrata; urgemur itaque occasione pretacta vehementer nimis, unde & nobis affectuosis suspiriis subveniri devotissime precamur. Nam*

Ratio. *& quidam eidem sanguine conjuncti plurimum insolentes, nostra regularia prorsus contempnentes, & ea, qua non licent audacter presumentes hucusque nobis infesti fuerunt, sed & in antea forsitan ampliùs erunt, minas ponunt, insidias tendunt, insontes quosdam injustè conviciantur, & culpant, eisque mala inferre machinantur & parant. Igitur Pater pro filiis agat, ut submotis hiis omnibus in sancta religione sancta valeant perfrui quiete & pace, siquidem sana vestre R. P. consilia, prout merito tenemur, devoti prosequemur, super quecunque in re ipsa eadem vestra R. P. fieri mandaverit, aut ordinaverit, uti justum videbitur, sponte procurabimus; sic enim fratri carnali ejus, de quo sermo, nos pridem per scripta ut absolveretur requirenti, confidenter respondimus, insinuantes eidem vestre R. P. personalem presentiam nobiscum brevi futuram, volentes eum ut sic saltem ad tempus quietare. Deus vestram Reverendissimam Paternitatem confirmet feliciter, cui prout sumus, semper ut simus recommendati desideranter optamus. Ex Monasterio Tegernseensi XVIII. die Martii Anno Xristi &c. LXI°.*

Eodem planè tempore supra laudatus Bernardus Prior ad alium quendam Episcopum (incertum, cujus Sedis.) sequentia perscripsit.

In Jhesu Christo cum orationibus devotis, & recommendationibus solitis filialem, sincerissimumque affectum Reverende & cordialissime Pater nunc inter mortales unice & singularissime dilecte, ymo super omnes amantissime. Vestre R. P. scripta pridiè à me recepta mihi merenti & amarè dolenti non modicum attulerunt solamen; quippe eo extincto, qui me amplius, quàm se ipsum diligebat, mihique ad vota singula parere, nec non in omnibus consentire, & semper complacere studebat, qui denique mihi, cum viveret, lux erat oculorum & dux, quin ymo pater, mater, soror & frater, pastor quoque pius & rector, nec non in omnibus benignus auxiliator, & optimus semper consolator; hic me nuper seminecem superstitem relinquens ab hac luce migraturus finem jam sibi adesse presentiens singulis fratribus per ordinem cum amplexu & osculo valefaciens expletis orationibus solitis sana ratione inter fratrum manus appodiatus circumstantibus omnibus & pariter orantibus corde & animo in Deum suspensus veluti suaviter dormiens beato & Christianissimo fine quievit, in cujus transitu, & ante ac post quantum contristatus extiterim, afflictus, & anxiatus, quantumque viribus mentis & corporis extenuatus, novit ipse, qui omnia scit, quin ego ipse, prout sentio, agnosco, quamvis non plenè; siquidem ex quam pluribus satis evidenter conicio, quod eum, qui ut sic, dum humanitùs viveret, mihi vita extiterat, nunc: O Deus miserere! sum citiùs secuturus in morte, neque post eum, qui alterum esse meum, & cujus anima cum mea erat eadem secundùm Deum, diutius subsistere valeo aut volo, nec ulla umquam citò pertransiens & umbratilis consolatio animum merore sic penitùs absumptum ac ingenti dolore nimis depressum poterit in pristinum restaurare, quamvis O Pater dulcissime, consolationes tue tuis scriptis gratissimis nunc mihi exhibite aliquantulum meam affecerint mentem; consolatur proinde modicum, quia virum hunc optimum multarum utique & magnarum operatorem virtutum, quibus per omne tempus, dum viveret, incessabiliter insudavit, quasque tandem fine laudabili feliciter consummavit, abisse

ere-

crediderim potiùs, quàm obisse. Sed unde & quo? certè de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de merore ad gaudium, de labore ad requiem, de periculo ad securitatem, de exilio ad patriam, de miseria transitoria ad gloriam sempiternam. Quod cùm ita sit, prout piè spero & opto, nichilominus de ejus abscessu & absentia affectus sensualiter gemitum extorquet, lacrimas exprimit, atque creberrimos excitat singultus. Rursus ea, qua modo divinitùs nobiscum sunt acta mentem dejectam relevant, & erigunt, ac plurimum consolantur, sed & robur prestabunt, & vires restituent qualescunque. Ut autem veneranda, semperque amanda paternitas nostri statum agnoscat ad presens Monasterii & fratrum, usque nobis, prout decet, congaudeat, & orationes ad Dominum efficaces pro bona continuatione effundat, eidem summariè notifico, quòd dum dive memorie Reverendi Patris olim Domini Casp. Abbatis fuisset funus lacrimabile juxta morem traditum sepulture, mox ego timoribus & curis maximis repletus Capitulum convocavi, meamque mentem & consilium super plurimis agendis, cavendis & providendis latiùs explanavi, & quia vacante Abbatia jam singula vacabant officia, ego cum clavibus officium Prioratûs resignans ortabar supplicando instantiùs, ut alicui regimen Monasterii & curam committerent, qui posset & nosset in agendis nos omnes dirigere, & in casibus ac causis emergentibus cuique respondere, volensque exire Capitulum omnes acclamabant, ac precibus multis exorabant, ut illud onus usque ad novi Abbatis institutionem de novo assumerem, & ne meipsum querendo partialem me redderem, sed quin potiùs utilitati providerem. Igitur piis annuens votis eorumdem coassumptis per me, & sociatis mihi quibusdam in auxilium fratribus, ne mora dispendium faceret, quamvis viribus destitutus petentibus acquievi, moxque die altera Capitulum convocans plenius mentis conceptum coram omnibus exposui; gratia autem assistente divina meis votis in cunctis sine resistentia singuli parebant, me nichilominus, quem desolatum nimium cernebant, suis piis solaminibus sinceriter confortantes fidem prestabant, quòd mihi adherere ac in omnibus meis monitis & persuasionibus vellent plenariè assentire. Ecce cum bona voluntate fraterna concordia! ubi idem in idipsum aderat sapere & sentire, quod & merito Deum exorabilem nobis & placabilem effecit. Accito itaque cum testibus Notario publico diem pro electione futuri Abbatis consentientibus universis assignando feriam videlicet 2am qua erat in crastino festi S. Pauli Conversionis tamquam terminum peremptorium cum sequentibus inmediatè præfixi; erat autem hac dies octava post sepulturam Domini Abbatis defuncti; Missi quoque concite ad Dominum loci Ordinarium eundem ex nomine Conventus totius vocans ad interessendum hujusmodi nostræ electioni; vocavi etiam Venerabiles Dominos Abbates Monasteriorum Scheyrn, & Montis Andezz, qui unà cum Legatis Domini Ordinarii accelerantes in jam dicto festo nobiscum affuerunt, cum quibus in crastino servatis servandis juxta formam Decreti Sacri Basiliensis Concilii & per viam mixtam, in quam praecedenter coram Notario & testibus Capitulariter consensimus, ad Electionem processimus, Compromissarios statuentes Dominos Abbates prætactos, unà cum Venerabili Patre Domino Johanne Symonis Decano Ecclesie Frisingensis, assistentibus Venerabilibus viris Domino Decretorum Doctore Johanne Stadler in Spiritualibus Vicario, nec non Domino Wilhelmo Tatz jam dicte Frisingensis Ecclesie Canonicis. Porro ipsis Dominis Compromissariis jam dictis inter alia promissionem sub jurejurando fecimus, ut votis singulorum singillatim & secretè perscrutatis eum in Abbatem eligerent, qui votorum pluralitatem ultrà medietatem totius Conventùs esset habiturus, nullum habendo respectum ad meritum vel Zelum. Expleto igitur scrutinio omnium vota duobus peregrinis exceptis in duas personas confluxerunt, quarum nulla juxta condictum ultra medietatem attigerat, sed circa numerum medium pariter stabant, quo comperto una ex hiis duabus personis Deo inspirante mox sua vota in alteram transtulit, in quam etiam alia duo vota peregrina translata sunt, & sic de novo omnes unanimi consensu & concordi voluntate in eandem personam consensimus, eamque, quam Deus dudum elegerat, in Monasterii Abbatem & Pastorem elegimus, ipse est Venerabilis Pater Dominus Conradus de Weylhaim, qui fuit nostri Monasterii Cellerarius

rarius & provisor in temporalibus annis quàm pluribus, vir utique bonus, religiosus, industrius, providus & gnarus, zelum habens ad religionis observantiam, & in temporalibus experientiam multam, qui quidem mihi singulariter ac intimè conjunctus, ac insuper consentaneus in omnibus talem se erga me exhibet, quod extra & præter beneplacitum meum & velle, ut ita dicam, nec pedem velit movere. Deus hoc ipsum confirmet, ac sibi ad gloriam nos insimul unanimes in cunctis conservet, pro quo tu Pater Sancte cum tuis exora cottidie devotè. Hic itaque Deum offendere timens, ejusque voluntati contraire non debens nec valens licèt cum plurima & importuna resistentia raptus, tractus, & coactus obedienter subiit onus, pro quo Deo grates & laus. Hec sunt Pater mi colendissime, que tue venerande Paternitati volui ad presens insinuare, ut & tuis precibus sanctis & meritis nobis apud eum, quem amas, quæ sunt bona & necessaria obtineas, ut, quemadmodum cepimus, proficiendo cottidie in melius finem tandem optatum & optimum feliciter assequamur. Amen. Hæc tunc apud Tegernseenses gesta sunt.

Ad ann. 1460. n. 29.

Nova rei Christianæ ruina.

Ea ferè tempestate Imperium Trapezuntinum totum in potestatem Turcarum prolapsum fuit, Christianis Principibus mutuis odiis in se sævientibus. Scribit Raynauldus, Virum præcipuæ Sanctitatis laude celebrem Dyonisium Carthusianum extra se raptum vidisse Christum lamentantem, quod Principes sui digni non essent, per quos Turcæ expugnarentur, quippe qui ipsis Turcis essent deteriores, cum neutiquam quærerent, quæ Dei essent, sed solos fundos terrestes: & aliis etiam criminibus essent oppleti.

His Christi vocibus permotus Vir Sanctus litteras gravissimas dedit ad Principes, quibus eos ad vitam meliorem deducere conabatur. Ast eum parum profecisse, rixæ, deinceps passim nostræ Historiæ inserendæ monstrabunt.

In eum annum occurrit inter membranas Frisingenses sequens Instrumentum.

Anno Domini Millesimo quadringentesimo LXI. in die Alexii reconciliatum est hoc altare per Reverendum Patrem & Dominum Johannem Episcopum Ecclesie Salanensis Suffraganeum Reverendissimi Patris & Domini Domini Johannis Episcopi Ecclesie Frisingensis, & in ejus apertione reperta est littera sigillata habens hujusmodi tenorem.

Anno Domini millesimo CC.LXX. quarto secundo Non. Aprilis consecrata est hec Basilica & hoc altare à venerabilibus Dominis Friderico Archi-Episcopo Salzburgensi, Chunrado Episcopo Frisingensi, Petro Episcopo Pataviensi, Leone Episcopo Ratisponensi, Johanne Episcopo Chymense in nomine Sancte & individue Trinitatis & Sanctissime Virginis & Matris Marie, & Sancti Corbiniani Pontificis hujus Sedis & in honore omnium Sanctorum. Continentur autem in hoc altari iste reliquie. Oleum Sanctum, quod in Sabbato Sancto Angelus de celo veniens ad sepulcbrum Domini accendit. De columpna, in qua Dominus fuit flagellatus. De palma Domini. De Tunica inconsutili. De mensa Domini. De cereo Domini. De Spongia Domini. De cruce igne & aqua probatissimum lignum. De sepulchro Domini. De vestibus Sancte Marie virginis, Sancti Johannis Baptiste, Sanctorum Apostolorum Petri, de sanguine Pauli, Sanctorum Bartolomei, Jacobi majoris, Sanctorum Martyrum Stephani proto-Martyris, Vrbani Pape & Martyris, Sixti Pape & Martyris, Innocentis, Kiliani, Bonifacii, Cosme & Damiani, Viti, Pangratii, Quirini, Blasii, Laurentii, Mauritii, Fabiani & Sebastiani, Dionysii, Castuli. Sanctorum Confessorum Corbiniani, Martini, Proculi, Benedicti, Leonis Pape, Nicolai, Nonnosi, Hainrici Regis, Vdalrici, Patritii Archi-Episcopi, Bricii, Ottonis, Justini. Sanctarum virginum. de Crinibus Sancte Katerine, Margarethe, Juliane, Agathe, Gerdrudis, Lucie, Walpurge, Regine, Barbare, undecim millium virginum, Cecilie, Felicitatis, Kunigundis, Sabine, & aliorum plurimorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum.

Item

Item etiam repertæ sunt reliquiæ in privatis cedulis Sanctorum Martyrum Johannis & Pauli, Primi & Feliciani, Georii Martyris, Sigismundi Regis & Martyris, Cæsarii Martyris, nec non Maximiliani Confessoris. Est altare Beatæ Virginis in choro situatum.

Salisburgi eo anno, Christi 1461. Sigismundus Archi-Episcopus vitam cum morte mutavit: quem in ea sede secutus est Burchardus de Weispriach, antehac Metropolitanæ Ecclesiæ Præpositus, cui sequenti anno etiam Cardinalitia Dignitas accessit: Principibus interim nostris mutuis sese bellis exagitantibus. Novus Arch. ep. Salisburgi.

Equidem eodem anno Christi 1462. ad sedandos Austriæ tumultus Viennæ Statuum Conventus indictus erat, ad quem etiam Imperator Fridericus Udalricum Riederer Præpositum Frisingensem, ceu Cancellarium suum, una cum Camerario suo Nobili de Rohrbach, quem alii Gravenecker appellant, misit, quos tandem ipse Cæsar Viennam secutus est; ast fato minus prospero. Dicti enim Cæsaris Legati à civibus capti, atque in carceres fuere conjecti. Cæsari vero disserte nuntiatum fuit, cives obedientiam detrectare. Imo eo progressa est Viennensium protervia, ut ipsum Palatium Imperatoris obsidione cingerent, & illic una cum Conjuge, filio Maximiliano, & 350. familiaribus Fridericum à medio mense Octobri usque ad diem quartum Decembris captivum tenerent. Ubi tanto temporis spatio, annona deficiente fames horribilis in Aula subsecuta est. Et forte longius processissent eorum furiæ, nisi quidam Imperii Status, Bohemiæ Rex potissimum, atque quidam Austriaci tandem Friderico adfuissent, eumque vitæ periculo subtraxissent. Tandem reducta per Bohemum concordia, anno 1463. pax restituta est. Ei tractatui præmissa fuerat Scherdingæ consultatio inter Principes de induciis paciscendis, cui etiam Episcopum nostrum interfuisse Ebendorfferus Haslbachius supra laudatus memorat. Albertus, Friderici Imperatoris frater Germanus totius seditionis causa præcipua, eodem adhuc anno Christi 1463. toxico sublatus miserandam mortem oppetiit, qui antehac Wolfgangum Holzer, Viennensium Civium Magistrum, post plures alios capite plexos in partes quatuor secari jusserat, quod pecunia corruptus, fidem sibi fefellisset, & ad partes Cæsaris conversus se, nempe ipsum Albertum, ei tradere constituisset. Id quod refert synchronus Scriptor P. Wolfgangus de Styra Mellicensis, qui videri potest: uti etiam mox allegatus Ebendorfferus, qui rebus gestis præsens adfuit, & omnia accurate in litteras retulit. Ita tandem acerbissima Fratrum odia fuere extincta.

Viennenses rebelles adversùs Cæsarem. Eundem in Aula obsident. Qui tamen liberatur. *Apud P. Hier. Pez. T. 2. à col. 450. & à col. 968.*

Supererant adhuc aliæ gravissimæ lites Cæsarem inter, & Matthiam Hungariæ Regem Turcico bello distractum, qui de Regno Hungariæ non sine maximis Provinciarum calamitatibus contendebant. Pontifex Pius II. Rerum Austriacarum fautor maximus ad sedandas eas turbas misit quosdam Cardinales, viros præstantissimos, & cum his etiam Rudolphum novum Frisingensem Præpositum, qui inter Reges pacem constituere studerent. Et adfuit piis conatibus bonum Numen. Certis enim pactis conditionibus Fridericus cum Matthia conciliatus est.

Novæ inter Austriacos rixæ. Sedantur.

De Udalrico Riederer (quem eundem fuisse censemus, cujus supra semel, iterumque mentionem ingessimus) scribit Perillustris Baro Jacobus Fuggerus, eum inter turbas Austriacas mox relatas propè Neostadium Austriæ fuisse interemptum. Itaque non miramur, quod eodem adhuc anno alius successerit Frisingensis Ecclesiæ Præpositus, scilicet Rudolphus supra dictus, Pio Pontifici notus, visusque dignus, qui ad maximi momenti tractandum negotium inter Viros eminentissimos adhiberetur. Raynaldus eum alicubi vocat Rudolphum de Rudestraim, Præpositum Frisingensem, Wormatiensis Ecclesiæ Decanum, Pontificis Referendarium, & Apostolicæ Sedis Oratorem.

Ehrnspiegl. *Ad A. 1463. n. 4.*

Mense Novembri Imperator, coerciturus infandam Judæorum avaritiam, malitiamque, in mandatis dedit Episcopo nostro, ut omnes Romani Imperii, quos ei nominaturus esset Magister Mattinus Mayr, Hebræos Frisingam convocaret, rationem suorum facinorum reddituros, ac pro merito mulctandos. Paruit Episcopus, ac statim post mediam Quadragesimam sequentis anni 1464. Argentorato, Mergentheimio, Mullhusio, Villinga, & ex multis aliis locis Judæos Frisingam datis litteris accersivit, ibi coram prædicto Magistro causas suas dicturos. Quid porrò deinceps gestum sit, quemque finem Judæorum causa sit nacta, nullibi aliquid annotatum hactenus vidimus.

Ex notatis Celsissimi. — Judæorum convocatio Frisingam.

Pius II. Pontifex Maximus eodem anno cum Venetis adversus Turcas fœdus pepigit, cui etiam Matthias Hungariæ Rex socia arma conjunxit. Ut abituro ex Italia exercitui majores animos adderet Pontifex, statuit, ipsus non procul abesse. Itaque iter ingressus Anconam venit; verum ibidem morbo correptus intellexit, se propediem æternitatis iter ingressurum. Itaque collectis, quos secum duxerat, Cardinalibus causam Dei, Ecclesiæ, & animæ suæ commendavit, & rite ad mortem paratus è vita discessit die 16. Augusti. Defuncti exuviæ Romam reductæ ad Divum Petrum sepulchro illatæ sunt. Deinceps nonnisi elapsis 13. diebus Pontifex pronuntiatus est Petrus Barbus Venetus, antehac Tituli S. Marci Cardinalis, dictus Paulus II.

Fœdus adversùs Turcas. — Mors Pii II. PP. — Electio Pauli II.

Austriam universam deinceps obtinuit Fridericus Imperator, cedente cognato Sigismundo Tyrolis, & Alsatiæ Domino: qui idem Imperator Civibus Viennensibus magno animo ignovit.

§. III.

Residua Joannis Episcopi acta, & spontanea abdicatio.

Difficultates Ratisbonenses.

Ratisbonenses Canonici anno 1457. mortuo Friderico Payrspergio Episcopo in Henricum Absbergium vota direxerant. Verum Summus Pontifex Calixtus III. Electioni assensum non præbuit, sed Rupertum de Neumarck, Comitem Palatinum Rheni prætulit. Hic nondum legitima ætate præditus confirmari equidem potuit, at consecrari non potuit, neque quoad consecrari posset, provixit, post octennium administrationis Ecclesiæ suæ morte ereptus. Eo anno 1465. fatis sublato rursus Canonicorum suffragia in Henricum Absperginm conspirarunt, cujus etiam Electionem Paulus II. Summus Hierarcha probavit. Eum Joannes Episcopus noster in Festo Divæ Catharinæ Episcopalibus Insignibus decoravit.

Mausol. S. Emmerammi. Cessant.

Eodem anno Sigismundus Monacensium laudatissimus Dux ultro ac sponte habenas Patriæ dimisit, & Fratri suo Alberto (quem Sapientem dixêre) cessit. Ipse deinceps vitam à turbinibus remotiorem amplexus, ast pauperum oblitus non est, quibus dum provixit, fidelem, ac liberalem opem contulit, imitando posteris exemplo.

Adelz.

Anno proxime insecuto, Christi 1466. Landishutana Civitas primum: postea Salisburgensis quasdam rerum humanarum vicissitudines expertæ sunt. Landishuti inter Fratres Minores S. Francisci intepuerat primævus Seraphicus Spiritus, adeo, ut Ludovicus, inferioris Bojariæ Dux, observantiores Fratres à Paulo II. Pon-

Reformatio FF. Minorum Landishuti.

Pontifice sibi dari peteret. Annuit Pontifex, & Episcopo nostro Joanni mandavit, ut in eorum locum *Observantes* introduceret. Mandatum Pontificis Antistes noster exsecutioni mandavit, & Mense Januario, die Conversioni Divi Pauli Apostoli sacra Landishutum *Observantes* introduxit.

Dies 16. Februarii Burchardum Archi-Episcopum Salisburgensem rebus mortalibus exemerat, cui Metropolitanum Collegium votis unanimibus Bernardum de Rhor Austriacum suffecit. Is ex more Ritu solemni ingressus est Urbem, comitante Sigismundo Duce, quem supra laudavimus.

Posthac sacram Inaugurationem accepit à Joanne Episcopo nostro, Ratisbonensi, atque Gurcensi Episcopis cooperantibus. Proxima Dominica Bernardus novus Archi-Episcopus Ruperto Sancti Petri Abbati Mitram imposuit. Novus Archiep. Salisb. consecratur à nostro Episcopo.

Interim Udalricus Kemnater Canonicus, & Summus Cathedralis hujus Basilicæ Custos eidem Ecclesiæ egregiam munificentiam exhibuit, suæ, & Majorum suorum animabus Deum, Deiparentem, & Divum Corbinianum redditurus propitios. *Hæc ex Notis Celsissimi.*

Georgium Bohemiæ Regem labe Hussitica infectum eo tempore Paulus II. Pontifex è Fidelium Cœtu dimovit. Rudolphus Lavantinus Episcopus Sanctæ Sedi adversus Georgium Regem egregiam operam navavit. Proximo anno 1467. Norimbergæ in Conventu Principum tum de reprimendis hæreticis Bohemiæ, tum de debellandis Turcis actum est.

Lætiora vidit annus Christi 1468. quo sæpe laudatus piissimus Princeps Sigismundus Bojariæ Dux fundamenta vastæ, & amplissimæ Basilicæ Beatæ Virginis Monachii jecit. Pari ferè felicitate gavisa est Mosburgensis Civitas, in qua Ludovicus Dux primum lapidem Collegiatæ tunc Ecclesiæ S. Castuli posuit. Novæ Basilicæ Monachii & Mosburgi.

Id discimus ex iis verbis antiquæ Tabulæ, quæ sic habet. *Sub Ludovico, & Georgio ejus Filio inferioris, superiorisque Bavariæ Ducibus, sub Joanne Tuelpeck Episcopo Frisingensi anno Domini M CCCC LXVIII. XII. Kal. Mensis Septembris translata sunt Reliquiæ Sancti Castuli de tumba inferiori sub Altare præsenti, & recondita honorifice in archa plumbea, in medio hujus Altaris summi, tres partes magnæ Cerebelli, & pars cerebri, mandibula cum dentibus, costa, & ossa integra brachiorum, & crurium, cum medulla, & alia partes multæ corporis S. Castuli. XIIII. Kal. Novembris, præsentibus ibidem R. P. Jo. Episcopo Salan. Suffraganeo, Joanne Steudler Vicario generali, Jo. Penzenauer Præposito hujus Ecclesiæ, Canonico Frisingensi: Rugero Decano, Jo. Gugelmair Scolastico, toto Capitulo Ecclesiæ Mosburgensis. M. Strang. M. Pruner, St. Naffmair, Jo. Hunt. P. Draso. Jo. Krantaler civibus ibidem.*

Subsequenti anno 1470. ad superos transiit Joannes Præpositus Undenstorffensis, qui Alberto Bojariæ Duci à Sacris Confessionibus fuerat. Mors Præpositi Undenstorffensis.

Ea tempestate Turcæ subactis pluribus Provinciis jam in Carniolam usque victricia signa intulerant, & cædes, atque incendia longe, lateque barbara crudelitate sparserant. Nemo erat, qui non intelligeret, actum esse de Germaniæ, Italiæque rebus, nisi quantocyus Principes arma conjungerent, & barbaris ingentem, validumque exercitum objicerent. Id ut impetraret Pontifex, misso Legato Francisco Cardinale Senensi apud Cæsarem, Principesque diligentissime institit. Et Fridericus quidem Cæsar Comitia Ratisbonam indixit, ubi etiam ingens Principum numerus convenit, inter quos Goldastus etiam Episcopum nostrum commemorat. Verum cum Fridericus Imperator nihil egregium meditaretur, & Paulus II. Pontifex maximus eodem tempore post sex annorum parum gloriosum Regimen apoplexiâ sublatus esset, consilia omnia parum profecere. Cæterum in Pauli Pontificis locum anno 1471. successit Franciscus à Ruvere Ligur, PP. Inanes Christianorum adversus Turcas consultationes. Sixtus IV.

gur, ex Ordine Minorum Divi Francisci assumptus, Sixti IV. Nomine insignitus.

Nova Bojorum Ducum dissidia. Inter Bojariæ Principes eo tempore rursus rixæ succreverant, cum Albertus Christophorum Fratrem suum captivitati addixisset. Pro captivo communi Fratre cum Wolfgangus Dux apud Cæsarem perorarct, is quidem lites componere studuit, verum ab Alberto nihil obtinuit. Sequenti tamen anno Christi 1472. Christophorus sub certis pactis, & conditionibus libertati fuit restitutus. Ludovicus, inferiotis Bojariæ Dux eum annum omni Bojorum posteritati reddidit memorabilem, dum famosa sua opulentia Ingolstadiensis Academiæ primordia jecit, perennis gloriæ suæ præclarum monimentum. Is filiam suam Margaritam desponsurus Philippo Comiti Palatino dotem à subditis, & Ecclesiis postulabat: verum Salisburgensi Episcopo, & reliquis Bojariæ Episcopis meliora consilia suggerentibus acquievit.

Primordia Academiæ Ingolstadii.

Episcopi Bojariæ novis exactionibus se opponunt.

Ex notis Celsissimi. Joannes Episcopus noster eo anno Dynastiam Ulmerfeldensem ab Antecessore oppignoratam à Joanne Neudecker reluit. In Dynastia veto Mässenhusiana Joannes de Fraunberg, Dominus Haagæ, ad vota Parentis sui Anniversariam stirpis, suæ memoriam assignatis certis decimis, fundisque instituit, Joanne Episcopo nostro, uti etiam Bernardo Salisburgensi Archi-Episcopo confirmationis robur, & indulgentias adjicientibus.

Incendium Weichenstephanii. In sæpe laudato Weichenstephanensi Codice ad hoc ipsum tempus hæc legimus: *Anno Domini MCCCCLXXII. in die SS. Joannis & Pauli post Completorium circa horam octavam facta sunt tonitrua, & fulmina. Et ex his accensa est turris nostra, & totaliter combusta est una cum campanis.*

Æstas sequentis anni 1473. adeo erat torrida, ut terræ ardore dehiscerent, & loca palustria flammas conciperent. Id commodum accidit Turcis ad complura loca munita facilius expugnanda.

Turcæ Guttenwerdam capiunt. Inter cætera etiam numerabatur Guttenwerda Castrum inferioris Carnioliæ, ad Cathedralem hanc Ecclesiam pertinens: cujus præsidiarii primum equidem, & secundum Barbarorum assultum represserunt, ast tertio victi, ac pars trucidati, pars in ditam captivitatem abducti fuêre.

Inter hæc senuerat Episcopus noster, & de vitæ reliquo quietius transigendo, ac subtrahendis Episcopali oneri humeris consilia animo agitabat. Ei nemo eo Officio dignior videbatur, quam Sixtus de Tannberg Cancellarius suus, Cathedralis hujus Ecclesiæ Canonicus. De hoc igitur in suum locum sufficiendo cum Cathedrali Collegio tractare cœpit. Et sanè universum sacrum illud Collegium idem sentiebat cum Episcopo suo, sicque Sixtus unanimibus suffragiis Joannis locum adeptus est, de quo mox infra plura.

Episcopus noster locum cedit Sixto successori.

Joannes cum in modum sepositis Episcopalibus curis omnibus soli deinceps animæ suæ saluti invigilaturus Monachium se contulit, ubi postea anno 1476. è mortalium numero expunctus est, ut intelligimus ex Lapide Illius sepulchrali, qui sic habet: *Anno Domini M CCCC LXXVI. nono die Maji obiit Reverendus Dominus in Christo Pater, & D.D. Joannes Tolpock quondam Frisingensis Episcopus hic sepultus, cujus anima requiescat in pace.* Tumulus marmoreus Joannis erat ab initio non nihil elevatus: verum cum anno 1670. Area Collegiatæ Basilicæ Divæ Virginis Mariæ Monachii marmore sterneretur, facta deinceps complanatione lapis parieti vicino insertus est sub turri respiciente meridiem. Priusquam rebus caducis valedixit, cordi illi fuit, ut Missam perpetuam à Cognatis suis, Henrico, atque Bertholdo, & à Majoribus suis Jacobo, & Joanne Tuelpöckiis in eadem Ecclesia jam fundatam, adjecto stipendii auctario redderet stabilem.

Mors Joannis IV. Ep.

Ejus laudes. Erat Joannis Tuelbeckii famulitium minime numerosum, Regimen perpetuò pacificum, quippe qui nemini Principum non in magna veneratione, & amoribus

ribus erat. Omne æs alienum, quo Episcopale ærarium gravatum repererat, expunxit, & insuper mille octingentis libris denariorum vineas quasdam novas in Austria à Nobili quodam Seifenekcero comparavit. Holenburgense Castrum eo tempore in prædonum quorundam potestatem venerat, quod illis paulò post Fridericus Cæsar eripuit. Joannes Episcopus ejus arcis recuperationem successori suo Sixto commendavit, cui etiam deinceps facta est restitutio. Sæpe monuit Joannes Episcopus Ludovicum, & Georgium inferioris Bavariæ Duces, ut more Majorum suorum Mospurgensem Civitatem, & Ditionem in beneficium sibi à Frisingensi Episcopo peteret: *Ludovicus autem & Georgius*, ùt ait Arenbeckius, *supersederunt in periculum animarum ipsorum non modicum, licèt Joannes Episcopus Frisingensis dictus Tuelpöck sæpe numero Ludovicum Ducem de recipiendo hujusmodi feudo monuerit, qui semper cum pietate respondit:* una dierum. *qui dies dilatus fuit, donec vita sua cum morte mutavit.* Hæc ille. Bojariæ Duces Mospurgum nolunt recipere fide clientelari.

Legimus de Joanne Episcopo, quòd hostem Capitalem Erdingæ habuerit Wolfgangum quendam Mölzl, qui Ecclesias, ac Clerum multis modis gravissimè vexaverit. Hic nebulo tandem cum multis sociis prædonibus captus, in vincula conjectus, & Monachii capite plexus est. Accidit tamen, ut quidam ex illa prædonum turba elaberetur, & ad Joannis pedes provolutus, veniam postularet. Quem miseratus piissimus Episcopus veniam ei & ipse dedit, & à judicibus impetravit. Ad laudes demum hujus Episcopi pertinet illud, quòd inter Præfectum, & cives Lacopolitanos circa potestatem judiciariam salubres leges condiderit, ac Clerum suæ Diæceseos in formam pristinâ meliorem reduxerit. Pœnæ persecutorum Joannis Episcopi.

Cessionem Joannis in annum 1473. incidisse diximus; quo nempe anno Sixtus IV. Ecclesiam Universam, Fridericus verò Imperator Imperium gubernavit. Synchroni hujus Provinciæ fuêre Bernardus Salisburgensis Archi-Præsul, Henricus Abspergius Ratisbonensis, & Ulricus Nufsdorffius Pataviensis Antistites. Brixinæ eo tempore schisma erat inter duos Rivales, quorum unum Pontifex, alterum Canonici elegerant. Superiorem Bojariam Albertus sapiens dictus, Inferiorem Ludovicus Dives moderabantur.



CAPUT

CAPUT V.

Sixtus, Episcopus Frisingensis XLV.

§. I.

Primus Sixti Episcopi annus.

Prosapia Sixti Ep. SIxtus de Tannberg Patre Joanne de Tannberg in Aurolzmünster, matre Ursula de Rhorr natus nepos Joannis de Tannberg, & Margarethæ de Ebron in Wildenperg Illustrem suum sanguinem (cujus equidem hodie nullæ supersunt reliquiæ) non solum à juventute præclaris virtutibus, verùm etiam postea laureâ Utriusque Juris insigniter nobilitavit. Promotiones. Inter Canonicos Frisingenses relatus est anno Christi 1456. Præposituram Isanensem adeptus est anno Christi 1458. Ominantur nonnulli, cum etiam Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis fuisse Canonicum. Tom. VI. pag. 1283. Verum ei opinioni apud Henricum Canisium refragatur Chronicon antiquum Salisburgense, ea ipsa, in qua describenda versamur, ætate, nempe anno 1475. absolutum, ubi Sixtus solùm appellatur Canonicus Frisingensis, Præpositus Isanensis, & Plebanus Lauffinganus. Eum fuisse Joannis Prædecessoris sui Cancellarium, suprà vidimus. Lib. magnus Tradit. Synchrona manus Frisingensis affirmat, eum à Bernardo Salisburgensi Archi-Episcopo, Avunculo suo fuisse designatum Episcopum Gurcensem, quod idem Mezgerus noster in Salisburgensi Historia affirmat. pag. 501. Addit laudatus domesticus Codex, ejus designationem etiam Paulo II. Summo Pontifici fuisse probatam. Verum additur, Sixtum Gurcensis Ecclesiæ possessionem nunquam adiisse, eò quod Fridericus Imperator obicem posuerit. Id Dei permissione, imò consilio accidisse patuit, dum Sixto Joannes Tuelbeckius majorem Cathedram cessit, universo Frisingensi Collegio applaudente, neque ægrè fortè ferente Romano Pontifice, qui Sixti Electionem ratam habuit, uti discimus ex iis Romani Archivii verbis: *Pridie Idus Januarii anno 1474. provisum Ecclesiæ Frisingensi de persona Sixti.* Bernardus quoque Archi-Episcopus ei Electioni applausit, Consecratio. cumque Salisburgi Dominicæ Resurrectioni festivo die unxit, & sacra Mitra atque Lituo exornavit. Ipse Fridericus Imperator non multò post, nempe die 30. Maji Sixto Episcopo Regalia, ut vocant, ritu solenni Augustæ Vindelicorum contulit, Institutio Cæsarea. ut patet ex litteris alibi recitandis.

N. 313. Ehrnspiegl. Quæ alias eo anno Augustæ memorabilia evenere, Joannes Jacobus Fuggerus latiùs recenset, & addit, Episcopum nostrum inter plures S. R. Imperii Principes Electores, Archi-Episcopos, Episcopos, ac Duces post Imperatorem die Corpori Christi sacrata comitatum fuisse in festivissima deductione Eundem Christum Eucharisticum, ac postea magnifico convivio fuisse adhibitum. Sixtus comparet Augustæ.

Ex

Ex Monumentis Ecclesiæ Collegiatæ S. Andreæ edocemur, eodem anno die 10. Aprilis obiisse Reverendissimum Dominum Joannem Frey Episcopum Salonien-sem, ex Ordine Minorum assumptum, qui in Collegiata illa Ecclesia tumulum sibi elegit. Mors Pro-Ep. Frising.

§. II.

Acta tum Sixti Episcopi, tum publica ab anno 1475. usque 1480.

Sixti IV. Antecessor Paulus II. Pontifex Maximus, considerans, non multos mortalium pervenire ad eam ætatem, ut tempus Jubilæi, quinquagesimo tantùm quovis anno celebrandi, attingant, constituerat, ut vigesimo quinto quoque deinceps anno in Ecclesia ejusmodi festivitas celebraretur, & largissima peccatorum venia fidelibus dispensaretur. Itaque idem Sixtus IV. qui tunc in Petri solio sedebat, annum Christi 1475. voluit esse Jubilæum, idque universo orbi Christiano significavit. Itaque anno illo Romæ ingens fidelium numerus convenit ex omni natione, quæ sub sole Christi fidem sectabatur. Mos ille eum in modum eo anno primùm introductus hodieque religiose observatur. Tridenti eo anno Simon Christianus parvulus ab Hebræis recutitis, nil avidiùs, quàm sanguinem Christianum sitientibus, atrociter occisus est, prodigiis deinceps clarus. Judæi, qui impii facinoris erant authores, postea ad ignes damnati fuêre, paucis exceptis, qui fugâ salutem quæsiêrunt. Annus Jubilæus. Simon Tridentinus.

In Germania nostra Philippus Comes Palatinus Rheni, Bavariæque Dux, superiori anno, Christi 1474. uxorem duxerat Margaretham Ludovici cognomento Divitis, Ducis Landishutani filiam. Ludovicus ut filiæ de pingui dote prospiceret, Cleri loculos emulgendos censuit. Ast gravirer sese, ùt par erat, opposuêre Bojariæ Antistites; & primò quidem missis Legatis hortati sunt Ducem, ne immunitati Ecclesiasticæ tantum vulnus infligeret, seque Ecclesiasticis censuris innotaret. Cùm eum in modum nihil proficerent, Sixtus Episcopus noster post Epiphaniæ festum ad Ducem se contulit, eique mitiora consilia suggessit, ea felicitate, ut Princeps tandem diem designarit, quo cum Antistitibus ea super re deliberare cuperet. Episcopi Bojariæ tuentur immunitatem Ecclesiasticam. Maximè Sixtus noster.

Itaque Dominica Quadragesimæ secundâ Bernardus Salisburgensis Metropolitanus, Sixtus noster Frisingensis, Udalricus Pataviensis, & Henricus Ratisbonensis Episcopi convenerunt Principem, eique exactionis illius iniquitatem vivis coloribus expresserunt. Dux itaque tandem resipiscens, meliora condixit, ac postea iis, qui exactionis illius Authores fuerant, mandavit, ut extortas pecunias Frisingam ad Sixtum Episcopum nostrum in sui confusionem deportarent. Itaque hic Frisingæ posthac pecuniarum restituendarum facta est partitio. Visum tamen est sacris Antistitibus, Duci ex iis pecuniis munus gratuitum ultro offerre: Cujus summa ex arbitrio potissimùm Sixti Episcopi nostri pendebat. Confusio malorum Consiliariorum.

Porro cum idem Ludovicus eodem ferè tempore Georgio, unico filio suo sponsam impetrâsset Hedwigem, Casimiri Poloniæ Regis filiam, connubiali solennitati præter Fridericum Cæsarem, & filium Maximilianum unà cum multis Ducibus, Episcopis, Principibus, ac Comitibus etiam inter fuit Sixtus Episcopus noster. Ferunt, apparatum nuptialem fuisse tam splendidum, quo magnificentio- Nuptiæ Ducis Georgii.

rem Bojaria nunquam viderit. Constitutiones anno 1475. à Sixto Episcopo in Synodo factas in Parte hujus Operis secunda plena manu recensemus.

N. 354.

Sixtus Episcopus noster eodem anno mense Decembri litteras, ac Privilegia ab Antecessoribus Episcopis Celebri Monasterio Attilensi concessa rursus rata habuit, datisque novis litteris confirmationis robur adjecit. Literæ extant.

Mors Tuelbeckii quondam Episcopi nostri.

Proximo anno Christi 1476. die 9. Maji Monachii ad superos feliciter transiit Joannes Tuelpöck Frisingensis antehac Episcopus, veluti jamjam supra insinuavimus: ad cujus laudes pertinet etiam illud, quod una cum Sixto Episcopo Successore suo ordinaverit, ut hebdomadariæ Conciones in Cathedrali Ecclesia fierent, quæ eousque (ùt existimamus) in Parochiali D. Georgii Ecclesia peragebantur. Cæterùm teste Giano Pyrrho Pincio Mantuano die ultima mensis Octobris ejusdem anni Udalricus de Frumbsperg, seu Freundsperg Cathedralium Ecclesiarum Augustanæ, Frisingensis, & Brixinensis Canonicus ad Mitram Tridentinam vocatus est: quo ipso tempore cum in Werdenfeldensibus montibus argenti venæ fuissent detectæ, quæ quæstum ingentem spondere visæ fuerant, quæstio inter Episcopum nostrum, ad cujus cameram universus ille Comitatus pertinebat, & Albertum Bojariæ Ducem exorta est, utri eorum jus competeret, ramenta illa in suos usus convertendi? Et jamjam vehementer gliscere incipiebat disceptatio, cùm ecce vix paulùm penetrabant fossores, mox terra metallici generis disparuit, & liti vix coeptæ finem imposuit. Interim non apparet, quo jure Dux venas Werdenfeldenses sibi postulare potuerit, quippe cùm Ditio illa extra Bojariæ limites sita sit, ac tota ad Principatum Frisingensem emptionis titulò pervenerit, veluti ad annum Christi 1294. suprà annotavimus. Certè hodie nullam ea super re controversiam Frisingensi Episcopo moveri, recenti experientia didicimus. Legimus in Boicæ gentis Annalibus (qui Adelzreitero tribui ab ignorantibus solent) Turcas eo anno in Styriam fecisse irruptionem, tanto terrore Transœnanis Bojis incusso, ut Erdingam usque (vicinam Frisingæ urbem) profugerint. Eo periculo commotos Ludovicum Ducem Landishutanum, Wilhelmum Aichstettensem, & Sixtum Frisingensem Episcopos Salisburgensi Archi-Episcopo auxiliares copias misisse; ac postea die 29. Septembris unà cum aliis Ducibus, atque Episcopis conventum Landishuti egisse: ubi Archi-Episcopus fuerit missus ad Cæsarem, ejus opem flagitaturus.

Annal. di Trento.

Lis super mineris in Comitatu Werdenfels.

Arembeck. Brunn. Adelzr.

Brevi terminatur.

Turcarum irruptioni Boji se objicere conantur.

Sed frustra.

Porrò eundem Archi-Episcopum nihil aliud tetulisse à Friderico, quàm quòd variis artibus tentatus fuerit, ut Metropolitanam suam Cathedram Joanni Strigoniensi Archi-Episcopo cederet: qua de re mox plura ac fortè certiora dicemus. Interim eo anno Carolus Audax Burgundiæ Dux, cùm Nancejum Lotharingiæ Regiam arcta obsidione premeret, suppetias Lotharingo mittentibus Helvetis prælio cruento tribus vulneribus sauciatus occubuit: ex cujus obitu Maximiliano, Friderici Cæsaris Filio, qui unicam ejus filiam Mariam uxorem duxerat, Trithemio teste, accessére ditissimi, amplissimique Principatus, videlicet tam Ducatus, quàm Comitatus Burgundiæ, Ducatus Brabantiæ, Ducatus Lümburgensis, & Geldriæ, Comitatus Flandriæ, Comitatus Palatinus Hannoniæ, Seelandiæ, Hollandiæ, Namurci, & Zutphaniæ, Dominium quoque Frisiæ, & Mechliniæ; quæres temporis successu multa Austriacis à Gallo frendente bella concivit. Interim eodem anno defuncto Bernardo Chiemensi Episcopo Georgius Altorffer Landishutanus à Bernardo Salisburgensi Archi-Episcopo, cujus eousque Cancellarius fuerat, successor nominatus est. Joannes verò Sardicensis Episcopus, Sixti Antistitis nostri Frisingensis Pro-Episcopus, Basilicam B. Mariæ Virginis Raitenbuechensem recèns constructam ritu solenni initiavit. Conradus verò, quintus eo nomine Tegernseensium Abbas Monasterium suum fossa, muris, & propugnaculis communire cæpit, quod opus hodieque spectabile intra novennium fuit completum. Qui idem

Austriacæ potentiæ ingens incrementum.

Monasterium Tegernseense munitur.

idem Abbas Monasterium suum multis aliis illustribus ornamentis, ac maximè insigni novorum librorum, ac Codicum appatatu mirè locupletavit. *Monum. Tegernf. apud P. B. Pez. T. 3. part. 3.*

Retulimus paulò suprà, ex Boicæ Gentis Annalibus, Fridericum Imperatorem tentâsse Bernardum Salisburgensem, ut Mitram suam Salisburgensem in Joannem Strigoniensem Archi-Episcopum transferret. ita quidem prædictorum Annalium Scriptores. Verùm paulò aliter habent Salisburgenses, & Frisingenses Tabulæ. Bernardus ex Nobili Austriæ Familia de Rhor ortiundus, primùm Canonicus, ac Parochus Salisburgensis, demum Archi-Episcopus, vir erat naturâ pacificus, quietis amans, pertæsus molestias, quas partim vicini Principes, partim Turcæ in Carinthia identidem inferebant, de abdicando Archi-Episcopali onere consilia tractabat. Proposuerat verò Dignitatem suam transferre in Sixtum Episcopum nostrum, Nepotem suum, quem constabat Mitrâ illa esse dignissimum, quippe quem Freybergerus Frisingensis Canonicus vocat *inter omnes Episcopos Germaniæ nominatissimum.* Fridericus Imperator ea de re edoctus Bernardum ad se vocavit in Volkemarckt, ubi tum morabatur. Is cùm compatuisset, author ei fuit, ut vel servaret Dignitatem, vel saltem inscio se non deponeret. Id condixit Cæsari Bernardus; quò verò spectarent Cæsaris consilia, assequi non potuit. Statuerat autem Imperator omnem lapidem in Romana Curia movere, ut, cedenti Bernardo sufficeretur Joannes Strigoniensis Archi Episcopus, quem in Aula sua fovebat. quod etiam clandestinis machinationibus, ac demum etiam armis obtinuit, ut fuse in Salisburgensi Historia Mezgerus noster tradit. ea de re inferiùs plura.

Consilium Bernardi Archiep. Salisb.

Impeditur à Cæsare.

Ad suprà dictum annum Christi 1478. occurrit & illud dignum notatu. Fridericus Imperator Hollenburgense castrum, quod belli tempore in hostium potestatem redactum fuerat, armis rursus expugnavit. Episcopus itaque noster, ad cujus Ecclesiam Ditio illa dudùm spectaverat, ad Imperatorem se contulit, ut cum eo super restitutione Castri tractatum iniret. Accepit Imperator à Præsule nostro 1500. florenos Rhenenses, & castrum eidem restituit. Extant literæ Authographæ datæ Græcii feria 3. post festum Divi Thomæ Apostoli 1478. quas, quia lacunis non carent, in partem secundam rejicimus. N. 355.

Sixtus redimit castrum Hollenburg.

Aliud negotium cum Duce Bavariæ Alberto eodem tempore habuit Episcopus noster. Provisio duarum præcipuarum Parochialium Ecclesiarum Monacensium, nempe Beatæ Virginis, ac Divi Petri ad Episcopum nostrum pertinebat: cui juri Albertus inhiabat. Causa prætendebatur, quod Episcopi Frisingenses aliquoties instituerint tales Parochos, qui Ducibus minùs erant accepti: aut alios, qui in Parochiis illis constanter residere non poterant. Itaque acceditur Sixtus Summus Pontifex, quem monuit Albertus, se cessurum Episcopo alias duas Parochiales Ecclesias Ratisbonensis Diæcesis, nempe Lindkirchensem, atque Mainburgensem, dummodo jus præsentandi prædictarum Parochiarum Monacensium sibi, suisque successoribus invicem adjudicarentur. Annuit votis Alberti Pontifex, atque Parochiales illas Ecclesias Monacenses Duci contulit, & Episcopo reliquas duas attribuit. Additum fuit, quòd, si quando Episcopus præsentatos à Duce Parochos authoritate Ordinaria confirmare absque gravi ratione detrectaret, confirmatio præsentatorum ad Salisburgensem Archi-Episcopum devolveretur. Huic Pontificiæ dispositioni Sixtus Episcopus volens, an nolens? acquievit.

Duæ Ecclesiæ Parochiales Monacenses veniunt in jus Ducum. Metropol. T. 2. p. 479.

Statim post initium anni sequentis 1479. die 17. Januarii Ludovicus Dux Bojariæ secundæ rebus caducis valedixit, in Monasterio Vallis Beatæ * terræ commendatus. Justa funebria præsentes persolverunt Georgius defuncti filius, Philippus Elector Palatinus, Bernardus Archi-Episcopus Salisburgensis, Albertus, Christophorus, & Wolfgangus Fratres Superioris Bavariæ Duces, & Otto Dux Neoforensis. Ex Episcopis aderant Wilhelmus Aichstettensis, Joannes Augustanus, Sixtus

** Seelingenthal.*

Illustres exequiæ Landishuti.

Sixtus noster Frisingensis, Udalricus Pataviensis, Henricus Ratisbonensis, & Georgius Chiemensis, quibus ex Abbatibus numero octodecim accessere: ut vix aliàs Landishutum tam illustres exequias viderit.

Conventus Principum Frisingæ. *Arenbeck.* Alium Bojariæ Principum Conventum Frisingam excivit truculenta Turcarum potentia, quæ Christiani populi cervicibus identidem magis, magisque imminebat, maximè postquam Veneti post tredecim annorum bellum cum Barbaris illis pacem iniêrant. Convenêre itaque Frisingæ tertia Dominicâ Quadragesimæ Bernardus Salisburgensis Archi-Episcopus, Albertus Superioris, & Georgius inferioris Bojariæ Duces, Episcopi Wilhelmus Eistettensis, Joannes Augustanus, Udalricus Pataviensis, Sixtus noster Frisingensis, & Georgius Chiemensis unà cum aliis Bavariæ Statibus. Imperator, Sigismundus Austriæ Archi-Dux, uti etiam Episcopi Ratisbonensis, & Bambergensis Consiliarios quosdam suos ad eum Conventum destinarunt. Et prima quidem die coram prædictis Principibus, Principumque Legatis lectæ fuere Venetorum litteræ, quibus exponebantur causæ, ob quas ipsi coacti fuerint Turcico bello finem imponere. Has inter præcipua erat oscitantia Christianorum Principum, quos ceu Christianæ rei desertores accusabant: Unde factum sit, ut ipsi post incredibilem impensarum summam, post amissos ingenti numero milites, ac cives, post tot acceptas clades, & amissa fortalitia dejecti omni spe auxilii rebus suis consulere, & bellum cum Turcis componere compulsi fuerint. Lectis iis litteris Legati Cæsareæ Majestatis exposuere, quanta crudelitate Turcæ in Christianos Ditiones debaccharentur, quas strages inferrent, quantopere Provincias suas protenderent.

Cadit in irritum. His per aliquot dierum decursum bene perpensis visum est congregatis Proceribus, supplicandum esse Cæsari, ut non Bavaros solos, verum etiam reliquos Imperii Electores, Principes, ac Magnates convocaret, ubi de reprimendis Turcarum insultibus ageretur. Id annuit equidem Imperator, & Comitia Norimbergam indixit. Verum cum ipse stato tempore Norimbergam venire posteà noluisset, & alias pauci Principes ibi comparuissent, re infecta Conventus non sine propudio Christiani nominis dissolutus est. Episcopus interim noster eo tempore Montem suum Frisingensem muris, ac turribus cinxit. Complura coëmpta prædia Ditioni suæ Waidhoviensi adjecit: Mittenwaldensibus verò annuas Nundinas confirmavit.

Vigilantia Sixti Episcopi. *Ex notatis Celsissimi.*

Proximo deinceps anno die omnibus Sanctis sacrata novo Cæsaris Mandato rursus omnes Imperii Principes Norimbergam fuere convocati. Comparuere Philippus Comes Palatinus Rheni Elector, Albertus Elector, & Marchio Brandenburgicus, & filius ejus Fridericus: Albertus Saxoniæ Dux, Georgius, & Otto Duces Bavariæ, Udalricus Comes Wirtenbergicus: Episcopi Wilhelmus Eystertensis, Joannes Augustanus, Sixtus Frisingensis, & Ludovicus Spirensis, unà cum Electo Hermanno Coloniensi.

In his Comitiis facile judicatum fuit, quod nisi præcipua Christiani Orbis Capita inter se conciliarentur, fructus nullus belli sperari posset. Itaque Episcopus primùm Aichstettensis delectus est, qui Imperatorem, Regemque Hungariæ ad concordiam hortaretur. Præsul Augustanus missus est ad pacem inter Galliæ Regem ac Maximilianum Archi-Ducem Austriæ, ac Burgundiæ conciliandum. Sixtus verò Episcopus noster ob sapientissimam suam facundiam destinatus fuit in Italiam, ut turbas ibi exortas studeret compescere, ac Pontificem, & Italiæ Principes ad bellum Turcis inferendum animare.

Nova Cæsaris consilia.

Iterum frustranea. Sanè singuli hi præstantissimi Præsules suis equidem partibus neutiquam defuere. Verum nullum erat eo infelici tempore eloquentiæ genus, quod Christianos Principes ad concordiam revocare posset: id quod non sine rubore scribimus, neque miramur, quod Deus in hac nostra Germania permiserit pullulare

Pœnæ Germaniæ hæreses.

virus

virus stolidissimarum hæresum, quarum incentorem apud Trithemium nostrum reperimus Joannem Ruchrad de Wesalia superiore, SS. Theologiæ Doctorem nefandum, qui inter alios Articulos doctrinæ suæ pestilentis posuit primo loco sequentes: *Quod Ecclesiarum Prælati Leges condendi nullam haberent potestatem, neque facultatem addendi quidpiam iis, quæ Christus, & Apostoli docuerant:* Imo dixisse ferebatur, *quod neque Apostoli, neque Summi Pontifices eam potestatem jura condendi acceperint à Christo.* Item: *Quod nulli mortalium, quantumlibet sancto, vel erudito liceat Evangelium, aut verba Christi Servatoris nostri exponere, interpretari, vel explicare: & quod Sacra Scriptura non sit eo spiritu exposita per sanctos Doctores, quo scribentibus primo fuerit infusa. Indulgentias esse pias Christianorum fraudes, eosque homines, qui pro Indulgentiis Romam petunt, fatuos esse & stultos, cum id, quod tam procul quærunt, domi possent invenire, si de peccatis suis essent verè contriti, & confessi, haberentque propositum se emendandi. In nullo homine esse, vel fuisse peccatum originale. Sanctum Petrum, eo quod piscator fuerit, jejunium quadragesimale instituisse, ut pisces suos carius venderet &c.* Annal. Hirsaug. T. 2. ad ann. 1479.

Quos & alios errores laudatus Trithemius recenset, & addit, Hæreticum illum mandato Dietheri Moguntini Archi-Episcopi per Joannem de Elten Ordinis Prædicatorum fuisse vocatum ad examen, post quod libri illius omnes fuerint, ipso aspectante, Vulcano consecrati, ipseque præ animi mœrore paulo post contabuerit. Præludia hæc erant errorum Lutheri, & Calvini, quorum dogmata deinceps Christianos Principes in discordias adhuc graviores erant præcipitatura, ut hodieque experimur. Deo autem gratias agimus, quod eo ipso tempore & anno natus sit Philippus, futurus quadragesimus septimus Frisingensium Episcopus, de quo suo loco dicemus, eum Hæreticæ pravitati se acerrimè opposuisse.

In ædibus Ridlerianis Monacensibus ad Divos Joannem Baptistam, & Joannem Evangelistam: item ad S. Crucem Landishuti ab aliquot annis devotæ quædam Virgines morabantur. Hæ ut securius pietatis operibus operam darent, supra dicto anno 1480. intra Claustrum fuêre conclusæ, ut hodieque videmus. Duo novi Parthenones.

Hundius, aliique scribunt, Sixtum Episcopum nostrum ex Mandato Pontificio in Monasterium Eremitarum S. Augustini Monachii novam ejus Ordinis Coloniam introduxisse, postquam priores Incolæ severiores disciplinæ leges detrectaverint. Mutatio PP. Eremitarum S. Aug. Monachii.

Verum domestica Patrum Eremitarum Monumenta contendunt, Patres illos eo solum consilio Monachio emigrasse, ut ad suum Patrem Provincialem Andream Bysman venirent, nec ab eo, ejusque Provincia Bavarica per extraneos Religiosos (Saxones ii erant) divellerentur. Porrò additur, prædictum Patrem Provincialem Religiosos illos ad se confugientes amanter fuisse complexum, ac eos per varia suæ Provinciæ Monasteria distribuisse: eumque deinceps Nicopolitanum Episcopum, & Pro-Episcopum Olomucensem fuisse renuntiatum. Porro eodem anno Ordo ille Religiosissimus amisit Patrem Joannem Perger, antehac Cœnobii Monacensis Priorem, postea Episcopum Bellinensem, ac Pro-Episcopum Frisingensem, ac Brixinensem, die 26. Junii fatis sublatum. Recensetur fideliter.

Interim Arenbeckius scribit, in eundem annum Pontificio Mandato, cujus exsecutor erat Tegernseensis Abbas, Patres quoque Conventuales Monachio valedixisse, & in eorum locum suffectos fuisse Patres Reformatos S. Francisci: quos in hodiernum usque diem Monasterium illud obtinere cum maxima ædificatione, animarumque amplissimo lucro conspicimus. Alia similis mutatio eodem anno contigit Monachii in Angerensi Parthenone, ut idem Arenbeckius tradit. Denique etiam reliquo Clero eo tempore præscriptæ fuere leges quædam, & eodem A. 1440. Patres Conventuales Monachio discedunt. Arenbeck. col. 450. Synodus Frisingensis, parum diversa ab alia, habita

Cap. 34. vers. 4. dem anno typis publicis vulgatæ. Ita Sixtus Episcopus diligentissime studuit *infirma consolidare, & ægrota sanare.* Quod apud Ezechielem Spiritus Sanctus præcipit. Earum Reformationum Authorem præcipuum Arenbeckius Albertum Ducem nominat.

Bernardi Archiepiscopi Salisb. incogitantia. Eodem tempore Bernardus Archi-Episcopus Salisburgensis nunciavit Imperatori, paratum se esse Archi-Episcopale munus abdicare. Invitatus itaque Græcium à Cæsare, illuc se contulit, Seccoviensi, ac Chiemensi Episcopis comitantibus. Ibi cum Friderico locutus, ab eoque persuasus Joanni Strigoniensi Archi-Episcopo Dignitatem suam data Syngrapha cessit: Suis vero postea id unum narravit, cupere Imperatorem, ut ipse Strigoniensi Dignitatem suam cederet: factam vero fuisse cessionem dissimulavit. Hinc Canonici, Statusque Salisburgenses, absque quorum consensu in eo negotio nihil agere oportebat, authores Bernardo fuêre, ut Dignitatem servaret, & Principis munia in neminem alium transferret: cui etiam consilio acquievit Bernardus: & cum Hungariæ Rege fœdus pepigit. Ea re offensus Cæsar mox Salisburgensem Ditionem, ac Dominia ferro aggressus damnum, ad centum millia aureorum æstimatum intulit. Id præmium inconstantiæ Bernardi fuit.

Gravissimè nocet provinciæ suæ.

§. III.

Ulteriora Acta Sixti Episcopi usque ad annum 1485.

Sixtus Ep. benignus ergà Canonicos S. Joannis.

IN Codice membraneo MS. qui à *Statutis* nomen habet, ad annum Christi 1481. Sixtus Episcopus manu propria hæc notavit. *Canonici ad S. Johannem tenentur perpetuis temporibus cantare Officium & Vesperas in Basilica S. Joannis super Altare, quod ibi situatum est in die S. Sixti Patroni ipsius: & in die Benzeslai de Dedicatione: & in die S. Mauricii legere Missam. Pro quo labore ex donatione Altaris quilibet Episcopus pro tempore existens tenetur eis solvere in Festo S. Michaelis sex solidos denariorum monetæ usualis juxta literas hinc inde traditas per Episcopum Sixtum, & Capitulum prædictum, & solvuntur de Officina ferraria vulgariter von dem Hammer, und Schleifmüll ante portam Monacensem situatis, quæ officina subsidio meo Sixti Episcopi, & hujus rei Fundatoris de novo est erecta. Actum duodecima Mensis Februarii anno Domini M CCCC 81.* Hæc ob venerationem manus propriæ Sixti Episcopi, verbis ejusdem recensenda videbantur. Cæterum Pastor ille noster vigilantissimus Donationes, & Privilegia, quæ Antecessores Episcopi ab Imperatoribus, Regibusque provide impetraverant, Mense Septembri publica fide à Leonardo S. Stephani Abbate transumi curavit: & pratum quoddam, *Koller-Anger* dictum, præcedenti Mense Augusto comparavit.

Novus Archiep. Salisb. *Mezger. Dukher.* Proximo anno, Christi 1482. Joannes Vitesius, Strigoniensis Archi-Episcopus tandem ad votum Friderici Imperatoris translatus est ad Metropolitanam Cathedram Salisburgensem, Canonicis, ac Statibus Cæsari obtemperare coactis. Adelzreitterus commemorat, Matthiam Hungariæ Regem, consilio dicti Joannis Vitesii cum Imperatore collisum, petiisse à Bojariæ Statibus, ne auxilium Cæsari ferant. Itaque dictos Bojariæ Principes rursus Frisingæ conventum egisse, communibusque suffragiis decrevisse, nullas Cæsari suppetias mittere, nisi Summi Pon-

Novus Principum Conventus Frisingæ.

Pontificis, pacem inter Imperatorem & Regem unicè optantis, assensus accederet. Id vere promerita est virtus Matthiæ Regis, quæ eo tempore summo rei Christianæ bono Turcas identidem potenter represserat.

· Episcopus noster eo anno lites quasdam occasione Decimarum Peuttingensium auditis testibus idoneis sopivit, uti diffuse in Parte altera referimus. N. 356.

Postero anno Sixtus IV. Summus Pontifex confidens de integritate, fide, devotione, ac rerum experientia, ac virtutibus, quibus Deus Sixtum Episcopum nostrum insignivit, eum delegit, ut inter Collegium Cathedrale Augustanum, ejusdemque Urbis Senatum, ac cives concordiam tentaret. Quæstio agebatur, utrum filii Augustanorum Civium deinceps in numerum Canonicorum Cathedralium ejus Ecclesiæ essent recipiendi, nec ne? affirmabant id cives, negabant Canonici, eo quod experientia docuisset, filios Augustanorum civium, si in numerum Canonicorum referrentur, potius sanguinem ac cognatos, quam Collegas suos Canonicos, & bonum Collegii solere attendere: quæ res etiam permovit Societatem Nobilium S. Georgii in Suevia, ut civium votis acerrimè sese opponerent, Sixtoque nostro denuntiarent, quòd sive Cathedrale Collegium, vel ipse ceu Legatus Apostolicus pro civibus pronunciaret, ipsi dicti Nobiles Sueviæ id nunquam admissuri essent. Scribit noster admodum R. P. Corb. Khamm in Joanne II. Episcopo Augustano, eum deinceps à Summo Pontifice Diploma de non recipiendis ad Capitulum Cathedrale filiis civium Augustanorum, ejusdemque confirmationem Anno 1484. impetrasse. Illud compertum habemus, filios Augustanorum civium utut Nobilium hodie inter Canonicos illos locum non reperire. Sixti Episcopi operâ utitur Summus Pontifex.

Albertus Superioris Bojariæ Dux eo tempore à Sixto Summo Pontifice impetravit, ut ex qualibet Cathedrali Bojariæ Ecclesia posset in Consilium suum assumere unum, vel duos Canonicos, quibus Cathedralia illa Collegia non solum fructus majores, verum etiam distributiones, ut vocant, quotidianas, quæ alias solum præsentibus in Choro exhibentur, solvere tenerentur. Tentavit itaque Albertus successu temporis primo Ratisbonenses Canonicos, & Joannem Neuuenhauser Jurium Doctorem, Cathedralis Ecclesiæ Decanum ad Consilium suum Monachium evocavit, simulque pro eo proventus consuetos à Canonicis postulavit. Id cum detrectarent Canonici, omnes eorum census, quos eousque ex Ditionibus Bojcis percipere solebant, conscribi jussit, sibi eos attributurus, nî morem sibi Canonici gererent. Alberti Ducis propositum.

Illi eo facto territi tandem Duci assensum præbuere. Accidit vero postea, ut idem Joannes Neuuenhauser etiam inter Canonicos Frisingenses reciperetur. Quo facto idem Dux etiam Frisingensis Canonicatus fructus Monachium mitti jussit. Verum postulatis Ducis sese acriter opposuere Frisingenses Canonici, cumque Dux iis idem comminaretur, quod antea Ratisbonensibus, Frisingenses Canonici Romam missis viris doctis appellarunt ad Pontificem melius informandum: quæ causa fuit, ut & ipse Dux ad Urbem destinaret viros, privilegium sibi concessum propugnaturos. Causa porro eum in modum Romæ discussa judicatum est, ejus examen non melius, quam *in partibus*, ut vocant, nempe in Provincia, ubi res agitabatur, discuti posse. Itaque à Pontifice nominati fuere Narcissus Abbas Benedictoburanus, Conradus Præpositus Novæ Cellæ, & Udalricus Præpositus Undenstorffensis, quorum quilibet sibi Jurisperitum adjungeret, ut causæ discussio ex juris ordine instrueretur. Conventum est deinceps Frisingæ prima die Julii anno Christi 1493. ubi in Cathedralis Ecclesiæ Sacello, seu Capella S. Elisabethæ præsentibus Canonicis, multisque Clericis, laicisque, ac præcipuè iis Abbate, & Præpositis, quibus negotium à Sede Apostolica demandatum fuerat, testes fuere in examen adducti. Ea occasione graviter disceptarunt

Decani utriusque Cathedralis Ecclesiæ, nempe Joannes Lambergius Frisingensis, Jurium Doctor, & prædictus Joannes Neuunhauser Ratisbonensis. Prævaluisse visus est Decanus Frisingensis, cum duo testes, quos Ratisbonensis adduxerat, fuerint à judicibus rejecti, causæ decisione ad dies quindecim dilata. Eo termino elapso rursus convenere Pontificii Deputati, novumque testium examen instituerunt: ubi tandem lites ita fuere compositæ, ut Frisingense Collegium deinceps non fuerit amplius impetitum.

Dissipatur.

Expensæ utriusque partis fuere invicem compensatæ, ut loqui solent Jurisperiti. Porro Joannes Neuunhauserus cum causa præter id, quod speraverat, cecidisset, Canonicatum suum, & proventus, Philippo Comiti Palatino, & Bavariæ Duci ultro cessit. Hæc ex Arembeckio illius temporis homine docto, & Capellano Sixti nostri deprompsimus, atque seriem totam, quamvis ad posteriores annos protractam, hîc compendio enarrandam esse censuimus.

Mutatio Parthenonis Bittrichiani.

Interim (ut ad ordinem Actorum redeamus) anno 1484. Mense Majo Albertus Dux Superioris Bojariæ Sorores quasdam, in contubernio Bittrichiano, Monachii solutius agentes non loco solum, sed & Urbe exigere cogitabat. Mitior fuit Episcopus noster, persuasitque Principi, ut meliora pollicitas sineret in ædibus suis persistere, ac tertiam, ut vocant, D. Francisci Regulam observare. Scribit Arembeckius octo earum Virginum Frisingam commigrasse, ubi Sixtus Episcopus iis commodam habitationem comparaverit, easque moribundis ministrare jusserit, cujus rei vestigia etiamnum præ oculis sunt.

Rixæ inter Bojariæ Duces.

Sequenti anno, Christi 1485. gravia jurgia inter Albertum, & Christophorum Duces, ac Fratres efferbuere, & Albertus quidem cum numeroso milite, ac plus quam 50. Nobilibus Monachio digressus loca Christophori, nempe Landspergam, Weilhemium Urbes, & Castrum Paalense occupavit. Gravissimè offensus ea re Christophorus cum Fratris Alberti exercitum lacessere non auderet, saltem Nobilibus quibusdam, qui Albertum secuti fuerant, insidias struxit, cum domum sese Monachio reciperent, id quod Christophorus præmonitus fuerat. Res accidit eum in modum. Christophorus Dux cum delecta manu Augusta Kranspergam venit, ubi suis, ut corpora reficerent, mandavit. Casu vero supervenere duo opifices cives Frisingenses domum redituri, quibus jussit Christophorus, ut cum suis cibum caperent. Id eo consilio factum, ne adventus suus Frisingensibus innotesceret. Soluta mensa cum suis Frisingam festinavit. At ubi ad pedem Montis Weichenstephanensis ventum est, Christophorus nonnisi cum uno famulo Montem conscendit, ubi sereno cælo, eos, de quibus ei nunciatum fuerat, Nobiles vidit per prata Frisingensia iter agentes. Hos conspicatus ad Divi Jacobi Ecclesiam (quæ Vetringensium Parochialis est) in genua concidit, supplex factus eidem Sancto Apostolo, ut ei victoriam à Deo impetraret. Mox ad suos reversus ad fortiter more suo pugnandum eos cohortatus est. Sane in ipsa hac civitate nondum constabat, quid mox futurum esset. Dux itaque per portam Divi Viti civitatem subito ingressus ac mox per Monacensem erumpens semiquadrantis ferè spatio ab urbe celeri pugna Nobiles, Fratri suo Alberto addictos, adortus est, in qua cecidere duo Viri strenui, & illustres, nempe Nicolaus Abenspergius, Familiæ suæ ultimus, & Burckhardus Rorbachius: quos fideliter monuerat Monachii Albertus, certo sibi constare, Christophorum iis fore in insidiis: itaque aut Monachii subsisterent, aut ducentos equites corporum suorum custodes assumerent: quorum tamen illi neutrum elegerunt, ac sine congrua custodia viam aggressi iter ad æternitatem inierunt: Sane re intellecta Episcopus noster familiarem suum Warmundum Pientzenauer ad Ducem Albertum misit, qui nocte concubia Monachium delatus, tum Duci, tum aliis exposuit, qua ratione neque Episcopus, neque Frisingenses cives culpæ sint participes: id quod posthac suo tempore ipse Christophorus Dux testatum reddidit.

Fatales Abenspergiis & aliis.

In-

Interim interfectorum corpora in Parochialem Divi Georgii Ecclesiam fuere illata, ubi junctis multis ardentibus cereis ea nocte jacuere. Postera die ex Mandato Episcopi nostri justa iis funebria fuêre persoluta, aderatque tum ipse Episcopus, tum Domini Canonici, Nobiles, ac cives.

Finito mortuali Officio armis fuere exuta cadavera; & corpus quidem Abenspergii aliquot Presbyteri comitante ingenti populi turba usque ad portam, Murenthor dictam, deduxere, deinceps Abenspergam delatum, ibique sepulturæ traditum: Rorbachii vero cadaver postea simili ordine, & ritu ad portam, à lateribus (*Zieglthor*) dictam, fuit delatum, ac postea ad inclytum Monasterium Schyrense transmissum, & in sepultura Majorum suorum collocatum. Christophorus Dux postea Romam misit, atque à Pontifice impetravit, ut ipse una cum sociis facinoris in Monasterio Andecensi absolvi, & communioni fidelium restitui possent. Visitur hodieque in prædictis pratis Frisingensibus lapis, ubi sequentia fuerunt notata: Der Edle Niclas von Abensperg, der lezt diß Namens, ist allhier nidergelegen, und tods abgangen den 18. Februarii 1485. Gott genad! Latinè. *Nobilis Nicolaus Abenspergius, ultimus ejus nominis, hic occubuit, & obiit.* 18. *Febr.* 1485. *Deus sit propitius!* Sane Abenspergensem Familiam olim inter præcipuas fuisse, rerum, maximè Bojcarum, peritis plus quam notum est.

Eo ferè tempore Sigismundus Baro de Fraunberg, Hagæ Bojorum Dominus, decreverat ad Divum Wolfgangum in Schwindan instituere Præpositum cum Presbyteris quatuor. Quæ fundatio ut robore Pontificio fulciretur, supplicavit Bartholomæo de Maraschis Civitatis Castelli Episcopo, Pontificio ad Germanos Legato, ut eam ratam haberet. Bartholomæus, ut caute procederet, Udalrico Episcopo Adramiteno, Augustano Pro-Episcopo: item Præposito Garsensi Salisburgensis Diœcesis: & Matthiæ Kynthio Aichstettensi Canonico negotium commisit, ut, si omnia recte agi deprehenderent, institutionem illam, seu fundationem comprobarent, præsentationem Præpositi, ac 4. Presbyterorum Fundatori ipsi, ac post eum Seniori ejus Familiæ tribuerent, & Udalricus Ecclesiam consecraret. Qua de re paulo infra redibit amplior mentio. Sigismundus Fraunbergius cupit augere numerum Sacerdotum in Schwindau.

Sixtus IV. Summus Pontifex eo tempore ad superos migravit, locumque fecit Innocentio VIII. qui audito, in civitate, & Diœcesi Frisingensi reperiri laicos, qui eleemosynas Ecclesiis oblatas in usus suos converterent, mandavit Episcopo nostro, ut eos pœnis, quibus visum foret, coërceret.

Eodem anno Idem Pontifex Leopoldum Austriæ Marchionem, Ottonis nostri eo nomine primi Frisingensis Episcopi Parentem Albo Sanctorum adscripsit. Matthias vero Hungariæ Rex eo anno Viennam Austriæ in potestatem redegit. Bojariæ denique Superioris Duces Albertus, & Christophorus remotis arbitris instituto tractatu concordiam inierunt.

§. IV.

§. IV.

Imperialia, ac Frisingensia Acta continuantur usque ad annum 1491.

Duæ potissimum curæ anno 1486 exagitabant Friderici Imperatoris animum, nempe ut ereptam sibi ab Hungariæ Rege Austriam recuperaret, & Maximilianum filium Imperii socium videret. Neutrum absque auxilio ac suffragio Electorum Imperii fieri posse visum est. Itaque sedulis studiis eorum animos conatus est demulcere, ac in vota sua trahere.

Ebrnspiegl.

Maximilianus eligitur in Regem Romanorum. Plurimum eam in rem contulit Maximiliani jam tum præpotentis Principis virtus ac felicitas, qua se Principem fortissimum probaverat tum subactis Regionibus, tum maximè Gallis, adeò, ut præter suffragia nihil deesset, quibus Imperator renunciaretur. Ea sane facile consecutus est, cum nemo illo dignior reperiretur, & quidem Francofurti, ubi Fridericus Pater, & Sacri Romani Imperii Principes Electores Mense Februario convenere, & vota sua die ejus Mensis 16. unanimi applausu contulere, frustra obnitentibus Galliæ, & Bohemiæ Regibus. Electione tam prospere peracta Fridericus apud Principes ulterius institit, ut sibi ad recuperandam Austriacam Provinciam aut auxiliares copias mitterent, aut subsidia pecuniaria annumerent. Non legimus, multum eo quidem tempore profecisse Imperatorem, cum responsa Principum ferme nonnisi intra verba consisterent. Solutis nihilominus Comitiis ventum est Aquisgranum, ubi Maximiliano ritu festivissimo Regni Germanici Corona Mense Aprili fuit imposita.

Pontifex favet intentioni Fraunbergii. *Ex Notatis Celsissimi.* Eodem mense deputatis à Bartholomæo de Maraschis Legato Apostolico Commissariis, de quibus supra diximus, causam Ecclesiæ S. Wolfgangi in Schwindau ipse Summus Pontifex Innocentius VIII. impense commendavit: cumque Baronis Fraunbergii votis sese opponeret Sixtus Episcopus noster, eum idem Pontifex monuit, ut desisteret, Baronem vero animavit, ut negotium prosequeretur.

Albertus Dux ducit filiam Cæsaris. Interim Albertus Superioris Bojariæ Dux Chunegundam Cæsaris filiam Patre insalutato uxorem duxit, & Nuptiales Ritus Oeniponti celebravit. Sponsam posthac Monachium introduxit magno apparatu, cui Georgius Bojariæ inferioris Dux, Sixtus Episcopus noster, & Fridericus Episcopus Pataviensis interfuere. Prope erat, ut ea res arma Cæsaris in Bojiam converteret. Verum alia gravia negotia, atque incommoda non permittebant arma Bojis inferre; ipseque Maximilianus Rex monuit Patrem, ut Albertum pateretur esse generum suum: quod is denique annuit: ac paulo post nova, eaque frequentissima Comitia Principibus Norimbergam indixit. Convenere Principes, Principumque Legati ingenti numero, & Cæsari auxilia promiserunt. Verum ea parum profutura erant, nisi Superi alia via Fridericum cum Matthia Hungariæ Rege conciliassent.

Vicissitudines Salisburgenses. Eo anno demum obiit Bernardus quondam Salisburgensis Archi Episcopus: post cujus obitum Canonici Metropolitani ejus supellectilem à Joanne, qui post Bernardi cessionem subrogatus fuerat, sibi postularunt. Id cum abnuisset Archi-Episcopus, plerique Canonici eum deseruere, atque Christophorum Ebronem, Metropolitanæ Ecclesiæ Præpositum, salutarunt Archi-Episcopum. Verum male iis

lis cessit facinus. Omnes enim, re Romam delata, anathemate fuere perculsi.

Episcopus noster eo anno pro augendis Cathedralis Ecclesiæ luminaribus insigni religione fundum egregium assignavit. Literas Fundationis, sinceram in Deum pietatem spirantes, huc censuimus inferendas. Sic eæ habent.

Sixtus Dei Gratia Episcopus Frisingensis. Dignum prorsus arbitrati sumus, ut inter sollicitudines nostris incumbentes humeris defectus, quos in Ecclesia nostra Frisingensi, cui ad præsens indigni, disponente Domino præsidemus, vigilanti cura resarciamus, & obviemus periculis, quæ inde possunt emergere verisimiliter. Quin imo in his, quæ ad laudem Dei, & divini cultus amplificationem ac decorem necessaria existere perspexerimus, indemnitati ipsius Ecclesiæ & utilitati consulamus; Et quia in dicta Ecclesia nostra in lumine, sine quo tamen missa juxta sacrorum statuta Canonum celebrari non debet, non modicum consideramus defectum, eo potissimum tempore, quo ob diei brevitatem Missa, die clarescente, rarò legi solent; timentesque pericula effusionis sanguinis Christi ex sacro calice, & alia, quæ circa sacramentum propter obscuritatem, & luminis defectum contingere possent, prout aliàs in Ecclesia nostra contigisse legimus, ubi cum calix cum sanguine Christi eversus, & super altare fuisset effusus, paulò post Ecclesia nostra una cum civitate & omnibus ædificiis montis atque palatio Episcopali cum ingenti omnium decore divino periit incendio, atque conflagrata extitit. Cupientes itaque huic magno periculo cum impensa modica obviare statuimus, & de communi consensu Capituli nostri ordinamus, ut Custos Ecclesiæ nostræ & omnes sui successores teneantur ordinare, & de reditibus custodiæ præparari facere candelas ex libris 45. ceræ, quarum 32. candelæ semper habeant in pondere unam libram, Et die sequenti post Festum S. Michaelis distribuere ad duos terminos, medietatem videlicet S. Michaelis, & aliam medietatem Natalis Domini, Capellanis, Vicariis, & altaristis Ecclesiæ nostræ Cathedralis, prout sequitur. Primo ad summum altare in Choro 2. ℔. ceræ, ad altare S. Crucis 3. ℔. ceræ. ad altare S. Michaëlis 3. ℔. ceræ. ad altare S. Wolfgangi 1. ℔. ceræ, ad altare B. Virginis præsentationis in templo 3. ℔. ceræ. ad altare S. Leonardi 1. ℔. ceræ. ad altare Beatæ Virginis prope porticum templi 4. ℔. ceræ. ad altare S. Stephani, 1. ℔. ceræ, ad altare S. Catharinæ 3. ℔. ceræ. ad altare S. Trinitatis 3. ℔. ceræ. ad altare S. Elisabeth 2. ℔. ceræ. ad altare omnium Sanctorum nulla est missa fundata, ad altare S. Justini 1. ℔. ceræ. ad altare S. Spiritus 3. ℔. ceræ. ad altare S. Pauli 3. ℔. ceræ. ad altare S. Thoma Kemnater lumen instituit. ad altare Apostolorum 1. ℔. ceræ. ad altare S. Joannis Evangelistæ & ad altare S. Corbiniani 1. ℔. ceræ, ad altare S. Nicolai 3. ℔. ceræ. ad altare S. Margarithæ 1. ℔. ceræ. ad altare Sigismundi & ad altare S. Helenæ non est defectus. ad altare S. Benedicti 2. ℔. ceræ. ad altare S. Barbaræ 1. ℔. ceræ. ad altare S. Joannis in Capella S. Benedicti 3. ℔. ceræ. ad altare trium Regum & ad altare S. Mariæ Magdalenæ 1. ℔. ceræ. ad altare in nova structura Custos Ecclesiæ providebit pro duobus officiis fundatis. Ad S. Joannem Collegiatæ Ecclesiæ 3. ℔. ceræ. ad S. Petrum 1. ℔. ceræ; volentes, ut de cætero nulla admittatur in Ecclesia nostra Missa fundatio, nisi pariter in lumine modo præmisso provideatur. Mandamus præterea, ut nullus Capellanorum, Vicariorum, & altaristarum altarium omnium prædictorum à Calendis octobris usque ad diem Annunciationis B. Mariæ Virginis inclusivè aliquam Missam super dictis altaribus celebret; nisi duas habuerit candelas ex prædictis in altari usque ad finem Missæ ardentes una cum aliis candelis cereis, quibus juxta institutionem Missarum suarum huc usque usi sunt, quarum numerum per hanc constitutionem nostram nullatenus voluimus minui: Quicunque vero Capellanorum, Vicariorum, aut altaristarum per prædictum tempus, aliquam in altaribus prædictis legerit Missam fundatam sine dictis candelis, ut præmittitur, ardentibus, pœnam sex denariorum, quotiens ordinationem præsentem transgressus fuerit, solvere teneatur Schläfflino nostro applicandam, qui super hoc attendere debebit, & per Decanum Ecclesiæ nostræ perfici possint; ordinamus, & eidem Custodiæ condonamus tres ℔. denar. annuas ex prædio no-

stro in Ataching, quod modò possidet Andreas Khorentheür, per nos de novo comparatas, dictæ custodiæ in festo S. Galli singulis annis persolvendas, quas pro medietate vel quasi juxta computum nostrum pro impensa dictarum candelarum communibus annis sufficere arbitrati sumus ad laudem Dei omnipotentis, ut, cum in nobis lumen oculorum nostrorum defecerit, Ipse sua clementia, atque misericordia ineffabili animolam nostram divino suo lumine illuminare dignetur, Amen. Et ut prædicta omnia robur obtineant perpetuæ firmitatis, Sigillum nostrum præsentibus jussimus appendi.

Et nos Theodericus Præpositus, Joannes Decanus, totumque Capitulum Ecclesiæ Frisingensis prædicta omnia approbavimus. & in præsentiarum approbamus. In cujus rei testimonium litteras præsentes Sigillo nostro Capitulari appenso jussimus consignari. Datum in Castro nostro Frising. die 20. *Mensis octobr. anno Domini* 1487.

Mutatio in Altomünster. Eodem anno antiquissimum Monasterium Divi Altonis traditum fuit Ordini à Diva Birgitta instituto: de cujus prima fundatione alibi egimus, & nunc è P. Gabriele Bucelino nostro, Doctissimo Asceta Weingartensi, hæc subjungimus. Illud Monasterium (S. Altonis) *Cum postea Ministri Advocatorum Principum totum penè devorarent, & ad incitas redigerent, visus tertium Sanctus Fundator & primus olim loci Abbas Alto comminatus Principi interitum, ita permovit Guelphonem Ducem, ut pro ablatis egregie satisfaceret, fundatamque à Majoribus Cellam, seu Præposituram Ambergoviensem eò converteret, imo denique permutatione bonorum facta Monachos una cum Abbate ad locum Residentiæ suæ Altorffium in Sueviam transferret, translatis vicissim, quas Majores sui Altorffii posuerant, Sacris Virginibus in relictas Monachorum sedes, Monachorum deinceps verus Pater existens: quem pietate imitatus Welpho filius cum Altorffense Cœnobium conflagrasset, in ipsam arcem suam Religiosos transtulit, Cœnobioque Vinearum (Weingarten) nomen indidit, quod circum domestici Sacelli, S. Martino sacri, aream plantata vinea fuisset. Cæterum S. Altonis Monasterium Virginum factum, Divi Benedicti Regulam ad usque A.C.* 1487. *coluit, quousque illud Georgius Bavariæ Dux Ordini Divæ Birgittæ traderet, sub quo usque hodie sacer Virginum* (imo & virorum) *cœtus censetur.* Hæc Bucelinus: Plura de his Gewoldus in Additionibus ad Hundii Metropolim, ubi etiam Bullam Innocentii VIII. PP. exhibet. *T. 2. à pag. 18.*

Conditur castrum Burghusianum. Proximo anno Georgius Bojariæ Dux adjecit magno operi manum, dum nempe Arcem illam amplissimam Burghusianam condidit. Scribit Arembeckius, ex omni ferè Bavaria, ac speciatim Frisingâ cœmentarios, lapicidas, aliosque opifices & operarios fuisse evocatos, ingentemque pecuniæ summam quotidie fuisse expendendam.

Eodem anno Tristramus Nusperger Canonicus & summus Custos Henrico Pfeilschmid Licentiaro, & Cathedralis Ecclesiæ Concionatori domum quandam, ad custodiam ejusdem Basilicæ pertinentem, ad dies vitæ pro certo stipendio annuo locavit. *Notata Custodiæ Eccl. Cathedr.*

Anno sequenti lites quædam circa jus piscandi in locis quibusdam controversis Lacus Cochelensis inter Episcopum nostrum Sixtum, & Præpositum Schlechdorffensem Joannem ex una: & Abbatem Benedictoburanum ex altera partibus arbitrio Christophori Abbatis Weichenstephanensis, Andreæ Abbatis Andecensis, & Caspari Winzer Præfecti Telzensis fuere compositæ. Exstant literæ autographæ, quas edere hodie supervacaneum censemus, quia rebus temporis lapsu mutatis materia litibus deinceps fuit subtracta.

Arenbeck. Adelzr. Pridie Festi Dominicæ Ascensionis anno Christi 1490. Maximilianus Rex ex Provincia Athesina per oppidum Rosenheimense, & Monasterium Eberspergense Monachium venit, à Ducibus Christophoro, & Wolfgango introductus non sine pompa ingenti, & cum gaudio summo ab Alberto sororio, ipsaque sorore Chunigunda exceptus. Perstitit ibi aliquanto tempore; eaque occasione usus Sixtus

Epi-

Episcopus noster, ut sua per Austriam, & Carinthiam Castra Regis ope suo tempore recuperare posset, ejus animum oblatis mille florenis sibi conciliavit: eumque tanti æstimavit Maximilianus, ut cum circa Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ Monachio, inter comitatum illustrissimum, progrederetur Augustam, inde Francofurtum profecturus ad Comitia, Sixtum nostrum ceu Principem singularis sapientiæ laude clarissimum in suum comitatum acciverit: ubi is etiam comparuit, & post ingentia summæ prudentiæ specimina edita finitis Comitiis gloriosus domum rediit. Cæterum in hoc Conventu Principes Electores separatum ab aliis inferioribus Principibus locum occuparunt: quod eousque erat insolitum.

Sixtus Ep. invigilat rebus Ecclesiæ suæ.

Adhibetur ab Imperatore ad consilia.

Die 19. ejus anni è vivis excessit Joannes antehac Strigoniensis, demum Salisburgensis Archi-Episcopus, de quo hactenus frequens mentio facta est. Supererant pro futura electione soli duo Canonici; cæteri enim censuris innodati nec eligi poterant, nec eligere. Quid vero facerent duo illi Canonici? si unus eligeret alterum, & vicissim hic alium, nihil fuisset actum. Itaque cum alias ipsi mallent eligi, quam eligere, aliis, nempe Ruperto S. Petri Abbati, Jacobo Abbati in Michaelbeurn, & Leonardo Hagerer Causarum Procuratori eligendi potestatem reliquerunt, quorum suffragiis Fridericus Schaumburgius ex urna prodiit, anno sequenti ab Innocentio Pontifice confirmatus. Sixtus Episcopus noster eo tempore complura prædia, & pascua in variis suis ditionibus pretio comparavit. Summus vero Pontifex Sigismundum Fraunbergium iterum cohortatus est, ut proposito suo super Divi Wolfgangi Ecclesia pluribus Clericis augenda porro insisteret. Ea res qua ratione deinceps in irritum eciderit, hactenus ignoramus: dum interim hoc ipso, quo scribimus, tempore, aliunde spes affulget, plures Clericos deinceps Ecclesiæ illi esse deservituros. ea de re agemus suo loco.

Metzgerus. Electio novi Archi-Episcopi Salisb.

N. 356. 357. 358.

Eodem fere tempore Matthias Hungariæ Rex vitam, ac sceptrum posuit nullo legitimo Regni hærede relicto. Ei Hungariæ Status suffecere Uladislaum Bohemiæ Regem, Maximiliano neglecto: Cui tamen Austriaci egregiè favebant, eumque ceu legitimum hæredem Viennam admittebant, tota Austria sese illius fidei committente.

Salisburgi novus Archi-Episcopus Fridericus verno tempore sacram Inunctionem accepit à Georgio Chiemensi Episcopo, cui Seccoviensis, & Lavantinus Episcopi una cum Abbate Salemitano adstitere.

Fridericus Imperator Episcopo nostro eodem anno decidendam commisit litem, quæ inter Abbatissam Divæ Walburgæ Aichstadii, & Comites de Pappenheim vertebatur. Monachii eo anno inter Divini verbi præcones inita est concordia, qua cuique die, & hora competeret verbum Salutis populo annunciare. Instrumenti apographum in Parte II. producimus.

Notata Celsissimi.

N. 359.

Monasterium Benedictoburanum, cujus territorium propemodum totum Frisingensi Diœcesi incingitur, eodem anno die 11. May per incuriam quarundam mulierum linum in villa vicina purgantium intra unius horæ spatium in tristes favillas subsedit, Ascetis cum Abbate vix ægre dilapsis, libris vero omnibus, picturis, ac universa supellectile igne consumptis, servatis nihilominus Documentis, & Codicibus, qui in tabulario, seu Archivo custodiebantur. Gravius erat illatum damnum, quam fere eredi possit. Religiosi viri, qui domi posthac habitare eo tempore non omnes poterant, jussu Alberti Ducis per Monasteria Tegernseense, Andecense, Wessofontanum, Eberspergense, & Schyrense fuere dispersi, ubique fraterna charitate recepti, & habiti. Abbas Narcissus cum destitutum sese cerneret mediis ad restaurationem Monasterii necessariis, coactus est prædia quædam in Walgau, & Krin Sixto Episcopo nostro vendere, quæ etiamnum ad Cameram Episcopalem pertinent. Paria ferme fata experta est Isanensium Col-

Monast. B. Buranum conflagrat.

N. 360. 361. Uti etiam Ecclesia Isanensis.

Collegiata Ecclesia, post cujus conflagrationem Præpositus, & Canonici assentiente Episcopo nostro aliquam pecuniæ summam ex Ecclesia S. Wolfgangi in Schwindau mutuam accepêre, ut ruinas sacræ ædis suæ possent resarcire. Joannes Ro-
N. 362. tensium Abbas eo anno Episcopo nostro jura quædam piscandi in fluvio Goldach vendidit. Pactam pecuniæ summam Barmundus de Fraunberg Præfectus in Burgkrain Episcopi nomine numeravit, uti apocha testatur.

Ratisbona ab aliquo tempore Alberto Bojo sese addixerat; unde Friderici Imperatoris indignationem tum ipsi Ratisbonenses, tum ipse Albertus in se concitarunt. Maximilianus Rex Patrem Bojo, ac Ratisbonensibus conciliare studebat, sed inani opera. Itaque bellum Bojariæ imminebat, quam etiam fames, & aquarum eluvies affligebat. Ferunt, Frisingensis Civitatis partem, Isaræ, & Mosaco viciniorem, tantam inundationem festa die SS. Joannis & Pauli, quæ Dominica erat, fuisse passam, ut cives in hoc Frisingensi Monte salutem suam quærere coacti fuerint. Mosacus amnis prope portam Urbis, quæ Murrenthor appellatur, ex imbrium è pratis, agris, & sylvis vicinis torrentis instar irruentium copia littora rupit, adeò, ut Udalricus Novæ Cellæ Præpositus coactus fuerit civium opem implorare, pontem pro commeantibus construere, & amnem illum in alveum suum reducere: quam operam etiam Frisingenses liberaliter contulerunt. Addit Arembeckius, à Festo S. Thomæ Apostoli usque ad Festum Purificationis B. V. Isaram fluvium à Danubio usque Frisingam fuisse glacie obductum. Boji ut tanta mala à Patria averterentur, institutis passim sacris peregrinationibus, & comprecationibus Dei misericordiam implorabant.

Inundatio Frisingæ.

Imperator anno illo nova Comitia Imperii Principibus, Statibusque indixit; quibus tametsi quam plures Principes adfuerint, Episcopi tamen nostri mentionem in Catalogo ibi congregatorum hactenus non reperimus. Miramur interim, quod, cum Bojici Scriptores cætera quidem mala, quæ eo tempore Patriam urgebant, posteris nunciarint: illud vero reticuerint, quod immunitati Ecclesiarum grandia præjudicia fuerint eo tempore illata. Constat vero ex Frisingensibus Manuscriptis, Episcopos Synodo Muldorffii congregata jura Ecclesiarum sarta tecta servare studuisse, at parum profecisse. Fridericus Salisburgensis Archi-Episcopus de nova Synodo cogenda consilia cepit: & Episcopo nostro ea super re mentem suam datis litteris aperuit. Verum rescripsit Episcopus noster, se jam altera vice egisse totum, quod à Sacro Antistite potuerit exigi. Solam personam suam fortiter quidem, sed incassum obstitisse iis, qui Ecclesias tam proterve afflixerant. Paratum se nihilominus esse, cupiditati Aulicorum sese opponere usque ad sanguinem. Hæc fortissimus Episcopus noster Archi Episcopo fluctuanti.

Immunitas Ecclesiastica affligitur per Bavariam.

Fortitudo Sixti Ep.

Arembeckius memorat, Maximilianum Regem anno Christi 1491. ex Hungaria rediisse, & Sabbato ante Quinquagesimam Landishutum venisse, ubi ad eum Dux Albertus secundo Isara fluvio Monachio descenderit. Triduo posthac ibi exacto, in die, quam à cineribus vocamus, progressum esse Frisingam, ubi ab Episcopo nostro una cum Principibus, quos in comitatu habebat, splendido convivio atque hospitio fuerit exceptus. Porro sequenti die Jovis eum perrexisse Monachium, ubi iterum cum plausu ingenti à Sorore Chunigunda fuerit salutatus. Ita fere ille.

Maximilianus Rex venit Frisingam.

Circa idem tempus inferioris Bojariæ Dux Georgius præsens ingressus est conclave, ubi Frisingenses Canonici causas, negotiaque sua tractare solent, ibique per Cancellarium suum Wolfgangum Baronem de Kolberg eosdem Canonicos obtestatus est, ut parerentur sub certis conditionibus fieri à Sixto Episcopo cessionem Episcopatus Filio Philippi Comitis Palatini Rheni, ac Sororis suæ.

Huic petitioni assensum equidem præstitisse plures Canonici visi sunt. Verum Innocentius VIII. assensum suum denegavit.

§. V.

§. V.

Zelus Episcopi Sixti usque ad obitum.

Albertus Superioris Bojariæ Dux anno Christi 1492. cupiebat Monacensi Urbi, ceu sedi Ducum hujus Provinciæ decus ingens adjicere, & in Divæ Virginis Basilica, à suis Majoribus exstructa verum dote eousque destituta, Collegium Canonicorum instituere. Ut certius, faciliusque propositum exequi posset, censuit duo ejusmodi Collegia, nempe Ilmonasteriense, & Habacense una cum proventibus esse Monachium transferenda. Et jam ceperat ea super re cum Innocentio VIII. Summo Pontifice tractatum inire. Verum cum ejus rei fama ad Episcopum nostrum esset perlata, is (qui primorum Fundatorum intentionem nulla ratione violari voluit) sese acerrime opposuit, adeo, ut tum quidem neutrum dictorum Collegiorum translatum fuerit. Quid annis sequentibus actum sit, infra dicemus. Sixtus Ep. iterum se opponit Duci Alberto.

Eidem Alberto Duci, quod Ratisbonam libertati suæ, & Imperio restituere nollet, bellum gravissimum ea tempestate à Cæsare Friderico impendebat. Verum Rex Maximilianus unà cum Georgio Landishutano Duce pacificatores erant. quippe qui Alberto Duci persuaserunt, ut Ratisbonam Cæsari redderet, Imperatori verò, ut socerum in gratiam reciperet. Video, etiam Episcopos quosdam nominari, qui ad constituendam inter Principes pacem fuerint adhibiti: Verum inter eos iterum non reperio nomen Episcopi nostri, quippe qui magis consultum censebat Ecclesiæ suæ, si ipse manus abstineret, & Frisingam, loco iniquiori sitam, periculo armotum subtraheret. Nova cautela Sixti Ep.

Eo anno Christophorus Columbus Mense Julio novum Orbem detexit: Id Americæ salutem attulit, maxime cum paulo post eo missi fuere salutis Præcones, quos Gravesonius fuisse dicit Benedictinos, Minores, & Dominicanos, qui in Americam delati innumera gentilitatis trophæa triumpharint, sanguine suo vastissimas illas Provincias tinxerint, & barbaros innumeros ad Christi signa traduxerint. His tractu temporis etiam alii Viri Religiosi accessere non sine summo Religionis Christianæ incremento. Porro felix Columbi navigatio commodum etiam quoddam Europæ nostræ attulisse visa est, cum deinceps thesauri ingentes ex America in Hispanias fuere adducti, qui postea etiam in alias Europæ partes fuere diffusi. Verum quidquid commodi exinde Europæi hauserint, id certè absque incommodo non fuit. Audi bone Lector! In Americam Christi fides introducitur. Inde copiosum aurum in Europam exportatur.

Non hic memoramus rixas illas, cædes, cladesque, quas Americani auri sacra (scilicet) fames Europæ intulit, & avaritia suscitavit. Id unum monemus, aucta pecuniarum copia rerum pretia grandem mutationem subiisse. Poterat circa finem Sæculi XV. modius frumenti comparari pauculis obolis: Idem dic de aliis cibariis, de vino, de cerevisia, de corio, de pannis, & aliis mercibus, id quod ex coævis libris censuum, atque ratiociniorum luculenter discimus. Hodie vero ea omnia ad pretium quadruplo, sextuplo, aut etiam decuplo majus ascendunt. Putasne, Lector, absque incommodo? Dicet aliquis: quid inde incommodi, si aucto auri, & argenti numero, etiam pretia rerum denique fuere aucta? Audi, ô bone! Eo tempore ex prædio aliquo solvebat colonus v. g. libras tres. Hodie aucto rerum pretio non solvit plures: quantum inde Dominis directis detri- Exiguo commodo secuto.

trimentum evenire putabimus? Ecclesiarum Ministris v.g. Cantoribus pro decantando Anniversario perpetuo officio assignabantur pauculi nummuli, & digna erat merces, quippe quæ vitæ protrahendæ erat sufficiens. Hodie, manente eodem cantandi onere, non numerantur ei hominnm generi ex fundo plures nummuli, qui proin ad vitam sustentandam pares neutiquam sunt. Quam id grave hominibus illis debet accidere? Prudens & expertus Lector multa alia id genus exempla sciet huc revocare. Nos unum adjungimus. Ex fundatione perpetuæ Missæ olim Mystæ sacrificanti pendebantur quotidie crucigeri nostri sex, aut octo; & ex his ille convenientem sibi alimoniam poterat tum quidem comparare. Verum quomodo hodie ex tantillo stipendio aut eleemosyna Presbyter poterit consulere necessitatibus suis? Et hæc ntique causa justissima est, nt aliquando Numerus Sacrificiorum, & aliorum Officiorum, olim fundatorum, Authoritate Ecclesiastica minui, ac restringi possit, & debeat. Interea tamen reipsa Fundatorum votis, intentioni, ac spei neutiquam potest satisfieri: nisi malis dicere, ejusmodi Fundatorum intentionem nunquam fuisse, aut esse potuisse, ut Presbyter vel alii Ministri, famuli, servique eum evidenti sno gravamine similia munia obeant, sed optasse duntaxat, ut ea non nisi tamdiu peragant, quamdiu assignatum stipendium ex Ecclesiæ, aut bonorum virornm judicio fuerit condignum. Nempe nt, qui servit altari, vivere possit de Altari, & nemo fraudem patiatur. Sed hæc incidenter non viris eruditis, & doctis, sed rudioribus scripta sunto.

Mors Innocentii VIII. — Innocentius VIII. inter hæc mundo valedixit, postquam Collegiatæ D. Andreæ Ecclesiæ jura, atque Privilegia sua datis Apostolicis Litteris confirmavit.

N. 363.

Alexander VI. — Ei successit Rodericus Borgia Hispanus, dictus Alexander VI. uti ante Pontificatum, ita etiam in eodem sceleribus obsitus. Nostrum non est ea repetere, quæ de Alexandro illo Raynaldus ipse post alios, ac deinceps plures ingenue scripsere. Frisingæ Episcopus noster Sixtus eo anno Choro Cathedralis Ecclesiæ augmentum nempe cantores, parato ære adjecit.

Et Friderici Imp. — Fridericus Imperator, qni anno subsecuto, Christi 1493. Enzerstorffensi Urbi, Dominio Episcopi nostri subjectæ, Nundinas annuas celebrandi copiam fecerat, certaque telonea adjecerat, Lincii anno ætatis suæ 78. Imperii 53. vivendi finem fecit.

Parentalia peregit Salisburgensis Archi-Episcopus cum plutibus aliis Episcopis. Porro à morte Parentis Maximilianus filius imperare cœpit.

Uti etiam Christophori Ducis. — In Urbe Rhodia eo anno vitam cnm morte mutavit fortissimus Heros Christophorus Bojariæ Dux: cui Georgius Dnx Landishutanus apud sepulturam Ducum inferioris Bojariæ cum magna solennitate parentavit in Festo Divorum Cosmæ, & Damiani Martyrum, quo præmisso Mortuorum Officio, altera die inter cætera plura Sacrificia tres Ordinis nostri invitati Abbates tria solennia Officia ritu Pontificio decantarunt: primum Erasmus Pervaler Mallerstorffensis: secundum de B. V. Martinus S. Viti cis Rottam prope Neumarckt: tertium pro defunctis Wolfgangus de Weichs Weichenstephanensis: qui post persoluta funebria nna cum suis Capellanis in Castro Landishutano convivio solenni fuere adhibiti.

N. 364. Eodem fere tempore dubia quædam, super Decimis majoribus Peuttinganis exorta, fuere penitus sublata: fassusque est Rector illius Ecclesiæ Michaël Tenck, eas totas ad Episcopum pertinere.

Hund. T. 3. pag. 436. — Pontifex Alexander eo anno Canonicis Divi Viti Parochiales Ecclesias in Anzing, Pogenhausen, Dainkirchen, & Sintzhausen, cum hujus filiabus Kinhausen, & Purckhausen confirmavit.

Dixi-

Diximus superius, Albertum Ducem eo connisum fuisse, ut Ilmonasteriense & Habacense Collegia Monachium in Basilicam B. M. V. transferret. Porro Habacensis Collegii translationem absque maximis incommodis fieri non posse Narcissus Abbas Benedictoburanus Duci demonstravit, cum quilibet illorum Canonicorum in vicinia propriam Parochialem Ecclesiam habeat, in qua Divina peragere, populo verbum salutis nunciare, & Ecclesiæ Sacramenta administrare statis diebus teneatur. Ita Dux circa Habacense quidem Collegium deinceps nihil movit: in ejus vero vicem Schlierscense Collegium sibi delegit, Monachium transferendum. Sane de ea translatione hæc apud Gewoldum legimus: *Anno Domini M CCCC XCIII. Dux Albertus de Monaco quodam ausu præsumtuoso Collegium de Ilmünster una cum corpore S. Arsacii Episcopi: & Collegium de Schlierseefine consensu Frisingensis Episcopi transtulit ad Monacum: propter quod Sixtus Episcopus una cum Capitulo suo dictum Principem citavit ad Papam Alexandrum VI. de & super prædicta translatione Collegiorum: & ex parte Episcopi, atque Capituli per Doctorem Georgium Parbinger tamdiu in jure processum est, quousque primam sententiam in Rota obtinuit: & nulli dubium, quin hujusmodi translatio omnino revocata fuisset, si mors prædicti Episcopi non intervenisset. Obiit enim lite pendente.* Hæc Gewoldus: qui tamen translationem S. Arsacii perperam ad annum 1493. reponit.

Impeditur Translatio Canonicorum Habacensium.

Non vero Ilmonasteriensium & Schlierseensium.

Licet Episcopus noster sese opposuerit.

Nam ex Tabulario Benedictoburano constat, Narcissum Abbatem Benedictoburanum, mox supra laudatum, festivæ illi translationi Sancti Arsacii jussu Summi Pontificis anno 1495. interfuisse, & Sacris solenni ritu operatum fuisse. Porro dicti S. Arsacii Festum jam olim Sæculo X. Frisingæ pridie Idus Novembris celebratum fuisse, discimus ex Notatis Gamansii, qui illud ex Liturgia Frisingensi majusculis litteris exscripsit.

Transfertur etiam S. Arsacius Ep.

Interim inter pias Episcopi curas solatium illi non modicum attulit, quod Prior Carmelitarum Augustæ eum omnium bonorum operum, quæ per Religiosos ejusdem Ordinis viros Deus operaturus esset, reddiderit participem.

Inter hæc Salisburgi anno 1494. decessit Fridericus Archi-Episcopus, & locum Sigismundo Holenbeckio Canonico fecit, anno sequenti per Georgium Chiemensem, cooperantibus Pataviensi, Seccoviensi, & Lavantino Præsulibus inaugurato. Non diu sacrum lituum hic Archi-Episcopus tenuit, quippe qui sequenti statim anno Christi 1495. è Comitiis Wormatiensibus redux Müldorffii animam efflavit. Successor ei datus est Leonardus de Keutschach Carinthus, Canonicus Regularis, è Monasterio Oberndorffensi Carinthiæ assumptus, & quidem suffragiis Ludovici Episcopi Chiemensis, Ruperti Abbatis S. Petri (cujus ægrotantis vices subiit Prior Virgilius) Henrici Rieger de Pegniz Plebani Lauffingani, & Berchtoldi Pirstinger Cameræ Magistri &c. quibus Collegium Metropolitanum eligendi facultatem tribuerat. Electionem Alexander Pontifex ratam habuit, ac Leonardo Pallium transmisit. Quirinus, eo nomine primus Abbas Tegernseensis eo anno strenue defendit antiqua jura, quæ Monasterio suo supra Dietrami Cellam competebant, & etiamnum competunt. Faventem habuit Episcopum nostrum, cujus Notarius Joannes Peck super iis, quæ eo tempore gesta erant, instrumentum publicum confecit.

Novi Archi-Episcopi Salisb.

Histor. Salisb.

Monum. Tegernf. col. 572.

Conventui Principum Wormatiensi etiam interfuit Sixtus Episcopus noster, à Maximiliano Imperatore eo vocatus.

Scribit Freybergerus, cum in gravissimo illo conventu flexis genibus supplicem accidisse Imperii Proceribus, ut sibi adversus Alberti Ducis propositum super translatione Collegiatarum Ecclesiarum Ilmonasteriensis, atque Schierseensis auxilium, opemque ferrent. Verum morbo correptus, cum Medici eidem authores fuissent, ut Wormatia excederet, & auram salubriorem quæreret, ad

hanc

hanc Sedem suam reduci voluit. Ast cum nonnisi duorum milliarium iter confecisset, in Monasterio B. Mariæ Magdalenæ, Ordinis Regularium S. Augustini Canonicorum, die 14. Julii, tempore pomeridiano, quo vespertinæ laudes Deo decantabantur, Sacramentis consuetis rite ad luctam præparatus inter suorum manus placide spiritum Deo reddidit, non sine notabili Principum luctu, eorum maxime, qui eum durante morbo sæpius amicissime salutaverant, Wormatia identidem Franckenthalium digressi. Inter Comites itineris sui habuit Rupertum Auer Canonicum, cui jussit nunciare Frisingensi Collegio afflictam valetudinem suam, designavitque locum, ubi relicta à se plusquam triginta millia florenorum, imo (ut alicubi legimus) aureorum summa reperiri posset. Inter cætera pia Legata etiam notabilem æris numerum designavit pro causa adversus Albertum Ducem Romæ exponenda. Tristis nihilominus super ejus morte nuncius Frisingam ingenti mœrore implevit, cum forte nemo unus esset, qui Sixtum Episcopum ceu Patrem amantissimum, Pastoremque fidelissimum non summo amore prosequeretur. Auctæ sunt piæ devotissimi populi lacrymæ, cum ejus cadaver die 21. Julii in hanc urbem suam fuisset reductum. Tumulo deinceps illatus est in Cathedrali Ecclesia ad gradus, quibus ad Chorum ascenditur: ubi ejus Epitaphium sic habet: *Anno Domini 1495. quarta decima die Mensis Julii obiit Reverendissimus in Christo Pater, ac Dominus, Dominus Sixtus Tanberger, hujus Ecclesiæ Episcopus, qui bene rexit. Cujus anima in pace requiescat. Amen.* Elogio isto dignissimum fuisse Episcopum nostrum abunde testantur ea, quæ hactenus utcunque recensuimus: quibus hic adjungimus, eum fuisse Fundatorem earum candelarum cerearum, quæ hodieque distribuuntur Canonicis ad laudes matutinas venientibus. Festum Conceptionis Immaculatæ B. M. V. in choro ac foro festivum esse jussit. Pro Reformatione Cleri tres Synodos instituit. Multa Privilegia castris suis obtinuit. Coæva etiam manu annotatum legimus, eum hunc Montem Frisingensem muro cinxisse non sine magnis expensis: Cathedralem Ecclesiam, quæ prius nonnisi laqueari ligneo tegebatur, Canonicis suis etiam ad pium opus liberalem manum porrigentibus, fornice lapideo, qui hodieque superest, obduxisse: Sedilia hodierna tum Canonicorum tum reliquorum Clericorum, atque Cantorum renovasse, & Ecclesiæ suæ Vestes Sacrificantibus destinatas auro prædivites donasse. Addit Freybergerus, Eum semper studuisse augere proventus Ecclesiæ suæ, ejus immunitatem tueri, mansuetudine sua omnium animos sibi devincire. Fuisse in cultu Divino assiduum, & inter omnes Germaniæ Episcopos nominatissimum: atque idcirco præcipuis Frisingensibus Præsulibus esse accensendum, supra monuimus. Longum esset recensere litteras omnium emptionum, quibus quam plurima prædia Episcopus noster Ecclesiæ suæ adjecit, Deique atque Sanctorum cultum mirifice auxit. Nos supra eas duntaxat selegimus, & in partem II. retulimus, quæ ad Historiam illustrandam magis pertinere visa sunt.

Obitus Sixti Episcopi.

Nunciatur Frisingensibus.

Sixti Ep. laudes.

Ex Chronicis Frisingensibus.

Ex dictis Mors illius post 21. annorum religiosissimum Regimen incidit in illud tempus, quo Alexander VI. Ecclesiæ, Maximilianus Imperio præfuit. Mitram Salisburgensem eo tempore gerebat Leonardus, paucis ante obitum Sixti diebus electus. Ratisbonensem Rupertus II. Comes Palatinus Rheni: Pataviensem Christophorus Schachnerus. Episcopo nostro Sixto Ipso anno obitus Kalendis Januarii Chronicon Bojorum inscripsit Vitus Arenbeckius Presbyter Landishutanus, qui se Sixti Capellanum nominat: Author sane celebris, è quo post alios Rerum Bojcarum Scriptores multum non profecisse grato animo fatemur. Scribit in suo illo Chronico Arenbeckius, se concinnasse etiam Librum *de Gestis Episcoporum Frisingensium.* Verum quorsum devenerit ille Codex, nobis hactenus manet incognitum. Faxint superi, ut qui eum fortassis possidet, typis in publicum prodire faciat!

Col. 455.

Vul-

Vulgata Sixti Episcopi morte Georgius Dux Landishutanus castro huic Frisingensi præsidiarios milites imposuit, donec novi Episcopi electio sequeretur. Præter milites vero etiam quidam è Canonicis Frisingensibus in idem castrum sese recepêre, ut ibi omnia rectè gererentur: quod ex Gewoldo didicimus.

Ad acta Sixti Episcopi pertinet erectio hospitii peregrinantium pauperum, N. 364. b. seu Romipetarum in oppido Mittenwaldensi: cujus Instrumenta, nobis sero exhibita, in altera operis parte producimus. N. 365. c.

CAPUT VI.

Rupertus XLVI. Episcopus Frisingensis.

§. Unicus.

Biennium Ruperti Episcopi.

Natus est Rupertus, Trithemio nostro teste, quarta decima die Mensis May anno 1481. Heidelbergæ, tertio genitus Philippi Comitis Palatini, Bavariæque Ducis. Cum tenera adhuc ætate in Collegium Cathedralis hujus Ecclesiæ fuisset assumptus, è vivis sublato Sixto Episcopo anno 1495. Calendis Augusti in Episcopum Frisingensem electus est. Legimus, Frisingenses Canonicos ob certas temporis illius circumstantias Rupertum elegisse, tametsi is primum annum ætatis decimum quartum explêsset. Errare videntur, qui scribunt, eum statim eodem adhuc anno possessionem, seu administrationem Episcopatûs adiisse, cum certum sit, eum anno illo nec à Sede Pontificia confirmationem, neque ab Imperatore Principatum Frisingensem fiduciario jure accepisse. Melius scribit Joannes Freibergerus, Frisingensis Canonicus, rerum eo ævo Frisingæ gestarum diligens, & oculatus testis, dum cœptam à Ruperto Frisingensis Ecclesiæ administrationem ad annum sequentem, & quidem ad diem Divo Joanni Apostolo sacram distulit. Romanæ Tabulæ sic habent: *Anno 1496. die Lunæ. 8. Febr. SS. Dominus noster in suo Consistorio secreto, ut moris est. providit de Persona D. Ruperti Frisingensi Ecclesiæ vacanti per obitum b. m. Sixti, illius ultimi Episcopi, extra Romanam Curiam defuncti.*

Natales Ruperti. Electio. Confirmatio.

Num ingens gaudium ex ea tum electione, tum confirmatione hauserit Rupertus, merito dubitabit prudens Lector, cum is sequenti anno, Christi 1497. tertia feria post Dominicam Palmarum dilationem legitimæ institutionis Lindaviæ à Cæsare petierit, obtinueritque, velut ex litteris Cæsareis intelligimus in hunc modum exaratis:

Reluctatio.

Wür Maximilian von gots gnaden Römischer Kunig zu allen zeiten mehrer des Reichs zu Hungern Dalmatien Croatien Kunig Ertzhertzog zu Osterreich, Herzog zu Burgundt, zu Brabant, zu Gheldern &c. Graue zu Flandern, zu Tyrol &c. Bekhennen offentlich mit disem Brieff, thun kundt allermeniglich, das wür dem Ehrwürdigen Ruprechten, postulierten, vnd confirmierten zu administratoren des Stüffts Freysingen vnserm lieben andechtigen, sein, vnd desselben seines Stüffts Regalia, Lehen, vnd weltlicheit, so von vns, vnd dem heiligen Reich zu lehen rühren, vnd ihme von vns, vnd demselben Reiche zu lehen zu erkhennen, vnd zu empfahen gebühren, ein Jahr lang das negst nach datum diß brieffs geurlaubt haben, vnd vrlauben ihme die auch von Römischer kuniklicher macht wissentlich in craft diß brieffs, also das Er die mit sambt dem Pan yber das Bluth zurichten dazwischen von vns, vnd dem Heiligen Reiche in vrlaubsweise inhaben, nutzen, niessen vnd gebrauchen mag, vnd ihme sein, vnd des berührten seins Stüffts vnderthanen gehorsam und gewertig sein sullen von allermeniglih vnverhindert, doch vns vnd dem Reiche an vnser Oberkait, lehenschaft und gerechtikait, und sunst menigklich an seinen Rechten vnvergriffenlich, vnd vnschedlich, vnd auch also das er da zwischen gegen vns, vnd dem Heiligen Reiche nichts minder verpflicht, vnd verbunden sein soll, als ob er solche Regalia, vnd lehen von vns empfangen, vnd davon gewonndlich gelübdt, und Eyde gethan hette, und nach ausgang derselben zeit soliche Regalia, lehen, und weltlichait selbst persönlich von vns vnd dem Heil. Reiche zu lehen erkhenne, vnd empfahe, vnd vns davon gewönlich pflicht, vnd aide thue, als sich gebühret, vngefahrlich. mit vrkundt diß brieffs besigelt mit vnserm kuniglichen anhangentem Insigel. Geben zu Lynndaw an viertten tag des monaths Januarii nach Christi geburth vierzehen hundert, vnd in siben vnd neünzigisten, vnser Reiche des Römiscen in Eilfften, vnd des Hungerischen in sibenten Jahren.

Ad mandatum Domini Regis

Extra



Sixtus Olhafen.

Clarius patuêre Ruperti consilia, quando eodem anno ad nuptias sororis suæ Heidelbergam se contulit, ac deinceps ibidem substitit, Patrique Electori significavit, malle se Episcopatum relinquere Philippo Fratri natu majori, quippe die 7. May anno 1480. progenito.

Consilium illud videtur non displicuisse Philippo Parenti. Scribit enim laudatus Trithemius, Vir illius ævi, rebus gestis etiam loco vicinissimus, Rupertum, cum annum ætatis decimum octavum ageret, jussu Parentis ad nuptias respexisse.

Nisi immanè fallimur, eo tempore Romæ diligens, & occulta opera fuit adhibita, ut Pontificis authoritate Philippus Ruperto substitueretur. quod tanto clarius apparet ex eo, quod Rupertus paulo post novas dilationes legitimæ institutionis, seu *Investiture* à Cæsare Maximiliano impetraverit. Totum denique mysterium orbi innotuit, quando Alexander Pontifex die 3. Mensis Decembris anno 1498. cessionem Ruperti ratam habuit. Id testantur ea, quæ in Romana Curia fuere annotata sequentem in modum: *Anno 1498. die Lunæ 3. Decembris Sanctissimus D. N. in suo Consistorio secreto admisit resignationem Ecclesiæ Frisingensis per D. Rupertum illius Administratorem in manibus suæ Sanctitatis sponte factam, & illam dedit in Administrationem D. Philippo Fratri dicti Domini Ruperti in decimo nono anno constituto usque ad vigesimum septimum.* Rupertus ita à Sede Frisingensi absolutus Uxorem duxit Margaretham, Georgii Ducis Landishutani filiam, inferioris Bojariæ hæredem. Dispensationem ob consanguinitatem Theodorus Majoris Ecclesiæ Præpositus, & Casparus Maralt ejusdem Ecclesiæ Canonicus Romæ impetrarunt. N. 365. 366. Resignatio. Nuptiæ.

Statim sub initium Administrationis Ruperti Translatio Collegiorum in Schliersee, atque Ilmünster executioni mandata fuit, ut supra jamjam diximus. Audio, legi in quodam M. S. Codice Wessofontano, Canonicos ejus Ecclesiæ deinceps ab Abbatibus Tegernseensi, Ettalensi, Benedictoburano, atque Wessofontano fuisse præsentatos. Nos codicem illum non vidimus.

Eodem tempore è Monasterio Schyrensi Frisingensis Dioecesis ad Wessofontanum Dioecesis Augustanæ translatus est P. Henricus Zäch, futurus loci dignissimus, atque providentissimus Præsul, quem alterum Fundatorem dixere ob res per decennium præclarissime gestas. Laudum ejus compendium Lapis ejus sepulchralis exhibet, ubi sequentia habentur.

Qui Marius Patriæ fuerat, qui Tullius ore,
Qui gravitate Cato, Religione Numa:
Abbas Heinricus Pastor celeberrimus, eheu!
Concidit, hac tristi contumulatus humo.

Existimant Wessofontani, eum fuisse Authorem Typographicæ Officinæ, in Monasterium suum introductæ.

Ruperti Frisingensis Administratio non integrum biennium tenuit: quo tempore Præfectis, Civibus, subditisque suis per Carnioliam gratiam peculiarem à Maximiliano Imperatore Halæ in valle inferiori Oeni fluminis impetravit, ne ad judicium Labacense (quæ Urbs est Carnioliæ Metropolis) ad judicium evocari possent. Extant etiamnum literæ, quibus Rupertus unam, alteramque emphyteusin, ac clientelare beneficium subditis concessit. N. 365. supra.

CAPUT VII.

Philippus XLVII. Episcopus Frisingensis.

§. I.

Natales Philippi, & Regiminis primordia.

Philippi parentela. *Tritbem. Chronic. Hirsaug.* PRimam lucem Philippus aspexit Heidelbergæ anno Christi 1480. die 17. May. Parens ipsius erat Philippus Comes Palatinus Rheni, Bavariæque Dux, futurus Elector post Fridericum Patruum. Mater Margaretha Ludovici Ducis cognomento Divitis Filia, Soror vero Georgii Divitis. Atque ex eo conjugio Philippus nactus est Fratres Ludovicum primogenitum, Rupertum, de quo supra diximus: Fridericum, filiorum mox dicti Ruperti deinceps Tutorem: Georgium Episcopum Spirensem, Henricum Præpositum S. Albani Moguntiæ, Joannem Episcopum Ratisbonensem, Wolffgangum Canonicum Herbipolensem: & Othonem Henricum in pueritia è vivis sublatum. Sorores vero habuit Elisabetham, quæ primo nupsit Landgravio Hassiæ Wilhelmo, quo sine liberis mortuo data est in conjugem Badensi Marchioni Philippo: Amaliam, & Helenam, quarum altera Maritum habuit Ducem Mecklenburgensium, altera vero Ducem Pomeranorum, & Stettinensium. Catharinam, factam Monialem Ordinis S. Benedicti in Parthenone Nuenburgensi prope Heidelbergam: Barbaram, quæ anno ætatis XIV. vitam exuit. Philippus noster erat inter tot fratres sororesque natu secundus. De eo jam supra ex Atenbeckio diximus, quod Joannes Neuunhauser Juris Doctor, majoris Ecclesiæ Ratisbonensis Decanus, & Frisingensis Canonicus eidem cesserit Frisingensem Canonicatum. Ex R. P. Corbiniano Khamm discimus, hunc Philippum etiam fuisse Præpositum Moguntinum, & Canonicum Augustanum. Sane qua ratione Mittam Frisingensem consecutus sit, jamjam sub Ruperto perspeximus. Quod Philippus noster post aliquot annos etiam Naumburgensi Ecclesiæ fuerit datus Administrator, suo loco memorabimus.

Fratres. Sorores. *Hierarch. Aug. p. 1. pag. 610.*

Frisingæ possessionem adiit Philippus sexta feria ante Pentecosten Anno 1499. comitante eum Friderico fratre, atque ingenti Nobilium Virorum numero. Quo ipso anno castrum Massenhusianum una cum adjuncta perampla Hofmarchia, ut vocant, huic Frisingensi dominio accessit. Vendidit illud huic Ecclesiæ Henricus Comes de Hardek. Solutio deprompta fuisse videtur ex opulentissimo ærario, quod, ut supra diximus, Ecclesiæ suæ reliquerat Sixtus Episcopus, etiam post mortem eidem utilissimus.

Castrum Massenhausen emitur.

Juvat literas illius tractatus mox hic subjungere.

Ich

Ich Heinrich Grawe zu Hardekh und im Machlandt, Herr zu Stetemberg und Crewzen, Obrister Erbschenckh in Osterreich, Druggsess in Steir, Remischer Kuniglicher Majestat Rate, und Camrer &c. Bekhenn, und thue kund hiemit offennlich. Als ich dem Hochwirdigen und Hochgebornen Fürsten und Herrn Philippen, Phalzgraven bey Rein, und Herzogen in Bairn, diser zeit bestetten Administratoren zu Freysing, meinem gnedigen Herrn, seiner Fürstlichen Genaden Stiffte und nachkommen, mein Geslos Messenhausen, mit allen seinen zugehörn ewigelich verkaufft hab nach laut eines brief und urkund berürten kauff anhenngig nnd darzu gehorig bey mir nit gehebt, und vbergeben hab konnen, So gered und versprich ich demselben meinem genedigen Herrn und seiner Genaden nachkommen bey meinen waren trewen in krafft des briefs, daz ich seinen Genaden glaublich vidimus der Brief, die von weilennd Herrn Johansn von Frawenberg seligen tochtern ee und mir Messenhausen in mein gewalt komen sind, unnder Abbt oder Probst anhanngenden Sigiln auch Gerichte Einsaz brief zu Lanndtshut ausgangen, vnd darzue all ander Brief vber vorgemelts Geslos Messenhausen nnd sein zugeherung samentlich und sonderlich lautend in dreyen wochen ungeverlich nebst erscheinend hie vberanntworten und geverlicher weise darinn nichts verhalten wil. Ich verwillig mich darauf hiemit an der Kauff Summ zway tausend guldein Reinisch bis auf selbe vberantwortung den Brief und vrkund bey seinen Fürstlichen Genaden zelassen dergestallt, so berürte vberantwortung der brief und urkund seinen Gnaden geschehen ist, daz als dann sein Fürstlich Genad mir oder meinem Machtpoten dieselben zweytausend guldein Reinisch neben dem gegenwurtigen Brief dagegen auch vberantworten und bezahle, und eines mit dem andern zugee ungeverlich. Zu warem vrkund hab ich seinen Fürstlichen Genaden disen brief mit meinem aufgedrukhten Innsigl besiglet. Geben am Montag nach sand Peter nnd Pauls tag der heiligen zwelfpoten Anno Domini &c. in dem Newn und newnzigisten Jare.

Paulo post subsecutæ sunt literæ subjunctæ.

Hochwirdiger Hochgeborner Fürst, genediger Herr. Ewren Fürstlichen genaden sein mein gehorsam und willig dinst beuor. Ewren Fürstlichen genaden schick ich hiemit bey meinem Pfleger zu Weyteneck Hannsen Tiemynger aller Brief glaubich vidymus, so vil ich der uber Messenhausen gehebt. Darauf ich ewr Fürstlich genad mit willigem vleiss bitte, welle bestimbten meinen Phleger gegen vberantworttung solcher vidymus die zway tausend guldein, lautt der abred, zu meinen handen antwortten, damit ains mit dem anndern, als zu beschehen beredt, zugee. Wil ich gehorsamlich umb eier Fürstlich genad, der ich mich hiemit thue beuelchen, verdienen. Geben zu Linz an Eritag vor sannd Margrethen tag Anno LXXXX VIIII°.

E. F. G.

williger

Heinrich Grave zu Hardekh
und im Machlannd.

Cæterum cum eodem anno Rupertus ejus frater Elisabetham Georgii Ducis filiam, inferioris Bavariæ hæredem, duxisset uxorem, indignationem ingentem Alberti Ducis Monacensis incurrit. Monitus enim erat Albertus à Wolfgango Kolberger, qui Georgio ab intimis Secretis erat, quod idem Dux Georgius omnes suas possessiones filiæ suæ dotis nomine contulerit. Commodum proximo anno Alberto accidit, quod Maximilianus Imperator Augustam Comitia indixerit. Ea enim occasione usus persuadere conatus est Cæsari, ut literas sibi daret, quibus Bojaria inferior, Georgio Duce absque hærede masculo è vita migrante, ipsi Alberto accresceret. Et facile assensum præbuit Maximilianus, maxime cum id justitiæ pactisque fuerit consentaneum. Idem Albertus in futuros eventus etiam alia auxilia armorum sibi sociavit, ut apud Adelzreiterum legimus.

Novus Principum conventus. Philippus Administrator noster ad prædicta Comitia Augustana legatum misit Rupertum Auer de Puelach, Cathedralis Ecclesiæ Canonicum. In iis comitiis agebatur de conjungendi contra invalescentem Turcarum potentiam armis. Verum

Frustraneus. (quod iterum erubescentes scribimus) Christiani nominis Principes, qui numero quinquaginta comparuerant, veterno antiquo manebant impliciti.

Apud Tegernseenses Magistratu se ultro abdicavit Quirinus Abbas, cui Henricus, eo nomine V. suffectus est. Pontifex Alexander eo anno Attilensi Monasterio Ecclesias quasdam Parochiales Salisburgensis & Frisingensis Diœcesium datis literis Apostolicis confirmavit. Gandavi eo anno Carolus V. natus est, Philippi, Hispaniarum Regis filius, Maximiliani Imperatoris nepos.

Nova Christianorum socordia. Norimbergæ anno sequenti 1501. secutus est alius Conventus Principum. Verum cum pauci admodum comparuissent, rursus nihil actum est non sine nominis Christiani atque Germanici repetito opprobrio.

Anno 1502. Philippus noster Collegio S. Joannis Parochialem Ecclesiam in

N. 367. Attenkirchen univit.

Paulo post Georgius Dux Landishutanus Rupertum, generum suum, olim Frisingensem Administratorem, Provinciis suis vicario nomine præfecit, eoque pacto Alberti arma provocavit. Neque segniores fuere Landishutani. Utrique

Cautela Philippi. in auxilium etiam exteros Principes civitatesque trahere studebant. Philippus Frisingensis Ecclesiæ Administrator, qui medio Monachium inter & Landishutum, & vel ideò periculosissimo loco erat constitutus, neutrius factioni adhærendum esse censuit. Nonnemo scribit, Frisingenses medias partes elegisse, eo quod Sixti Antistitis animus à rebus Alberti fuerit alienus. Verum Scriptor ille humani aliquid fuit passus, quippe cum Sixtus Episcopus jam ante aliquot annos in pace quieverit, ut nemo ignorat. Frisingensium itaque tranquillitas non Sixti adversus Albertum odio, sed Philippi prudentiæ ferenda est in acceptis. Cæterum Georgius Dux eodem anno 1503. Mense Novembri è vita migravit: Rupertus vero ceu hæres institutus ingentem auri copiam, quam Burghusii Georgius habebat reconditam, in ærarium suum transtulit. Papa quoque Alexander eodem anno animam exhalavit: in cujus locum subvectus Franciscus Piccolomineus, di-

Pius IV. PP. ctus Pius IV. mense non integro Ecclesiæ Dei præfuit. Ei in throno Apostolico

Julius II. successit Julianus Roboreus Ligur, qui sibi Julii II. nomen assumpsit.

Lacui Vallensi immittuntur nova piscium genera. Memoratu haud indignum censemus, quod eo anno pie feliciterque molitus est Narcissus, Benedictoburani Monasterii religiosissimus, & sanctitatis fama clarus Cœnobiarcha. Vallensis lacus, vulgò *der Wahlensee*, intra judiciariam potestatem, ac liberum territorium Benedictoburani Monasterii, in alpibus situs est, proprietatis jure ad Monasteria Benedictoburanum atque Schlechdorffense pertinens. Longitudine duarum horarum, latitudine sesqui horæ spatium æquat, profunditate vero, ni fallimur, omnes Germaniæ lacus superat. Undas habet

per-

perpetuo limpidissimas, tametsi uno etiam vel altero mense cœlum in copiosas pluvias erumpat, & lutulentos torrentes ex undique circumjacentibus montibus in eum præcipitet. Hic lacus usque ad Sæculum XV. vix non sterilis erat, quippe qui (præter pauculos lucios) pauca alia ignobilium pisciculorum genera suppeditabat. Wilhelmus, Narcissi antecessor, primus erat, qui lacui illi piscium meliora nomina immitti posse censebat. Magno itaque labore ac cura, majori vero artificio ex Kochelo lacu, inferius ad montium illorum radicem unius fere horæ spatium dissito, albulas * (quod piscium genus, quamprimum ex aquis extrahitur, exanimari solet) in lacum superiorem per alpes una cum aqua in lagenis mire paratis transtulit, & lacui Vallensi commisit felici sane rerum successu. Ab eo enim tempore albularum feracem sese lacus monstravit. Illud exemplum imitandum ratus Narcissus à Tegernseensis Monasterii Abbate ex lacu, Monasterio illi adjacente, sexaginta quatuor Salmones * (quo piscium genere nullum nobilius Germania forte fovet) coëmit, & Vallensi lacui die 28. Mensis Decembris, invocata Divini Numinis gratia, concredidit. Fluxere deinceps anni non admodum numerosi, cum apparuit, operam Narcissi nequaquam fuisse inutilem. Longe enim majori numero lacus Salmones deinceps reddidit, & in hodiernum usque diem reddere solet. Ita, uti olim Sæculo XI. Conradus Abbas vicina lacui litora, vallemque Jachenaugiensem excolendam suscepit, ita hi duo Abbates, Wilhelmus & Narcissus etiam lacum ipsum ad meliores usus instruxere, non sine utriusque Monasterii, ac viciniæ, illicque per viam regiam iter agentium commodo, veluti quotidiana experientia oculis gustuique demonstrat. Et quoniam olim haud absimilia Monachi ad D. Petrum Salisburgi: ac in Pongau: Seonenses, Chiemenses, Madronenses, Vispacenses, Schlierseenses, Rotenses, Scheffitlarienses, Tegernseenses, Scarantienses seu Schlechdorffenses, Staffelseenses, Wessofontani, Ettalenses & Faucenses in excolendis alpibus, exscindendis vicinis nemoribus, redigendis ad usum humanum fundis quasi innumeris idem fere, quod Benedictoburani præstiterunt, à vero nihil aberrant, qui dicunt, totius fere Bojariæ, alpibus subjectæ, culturam Benedictinorum potissimum hominum industriæ esse tribuendam: quod idem de cultura animarum Lector præprimis intelliget, de qua nos etiam alibi, dum de SS. Corbiniano, Ruperto, Bonifacio &c. agebamus, meminimus. Tantum Superiori Bojariæ contulere Monachorum, diu noctuque Divinis laudibus, animarumque curæ intentorum toties nobis objecta otia: Lectorique expendendum relinquimus, an aliud genus hominum per Bojariam bono publico, & rei Christianæ plus profuerit? certè illi eadem pietatis studia in hodiernum usque diem etiam cum amplissimo animarum fructu sedulo fovent.

Albulæ.
* Renchen.
Salmones.
* Salmling.
Monachorum conatus provinciæ nostræ proficui.

Anno 1504. Augustæ Vindelicorum Maximilianus Imperator præsentibus multis Principibus, inter quos Philippus noster, in favorem Alberti & Wolfgangi Ducum adversus Rupertum sententiam pronunciavit. Non defuere susurrones quidam, qui Philippo nostro suspicionem impingerent, quasi is cum Ruperto fratre suo arcana consilia de occupando Monachio haberet. Verum re maturè discussa patuit, grandem injuriam à mendacibus Philippo esse illatam. Sane cum Rupertus Cæsaris mandato morem neutiquam gereret, pluribus cladibus & direptionibus Bojaria vexata est & proscissa, ipseque Maximilianus ea occasione utendum ratus Kuffsteinium, natura & arte munitissimum castrum in potestatem redegit, & à Bojaria deinceps sumptuum nomine avulsit. Temporis illius fata maxime Weichenstephanenses fasti deplorant.

Philippi innocentia.

Videbatur cœlum rixis imposuisse finem, cum Mense Augusto ex alvi profluvio Rupertus Dux vicesimo suæ ætatis anno animam exhalâsset, atque sequenti statim mense Septembri simili morbi genere Elisabetha è vivis sublata esset. Verum cum Rupertus tres filios reliquisset, eorumque causam avus, nempe Philippus

pus Palatinus Elector susceplsset, sequenti primum anno 1505. sedatæ fuere Boicæ turbæ opera cumprimis Philippi Administratoris nostri. Ita Bojaria utraque Alberto ejusque fratri Wolfgango cessit, Ruperti vero filiis ea ditionis Boicæ pars attributa fuit, quæ ab eo tempore Palatinatus novus * sive Neoburgicus appellari consuevit. Philippus noster deinceps suorum ex fratre nepotum (quorum tutor Fridericus frater erat) sedulam nihilominus curam gessit: postquam inter eos belli turbines Frisingam feliciter illæsam conservaverat. Eodem anno aliquot prædia N. 368. 369. Ismaningana à Georgio Ridler Monacensi cive coëmit, suæque Ecclesiæ univit.

* Die junge Pfalz.

§. II.

Philippi Acta ulteriora, ubi de ejus consecratione & sacris primitiis.

Novum venandi jus obtinet Philippus.

Optime convenisse Philippo Administratori nostro cum Alberto & Wolfgango Ducibus, ex eo luculenter discimus, quia anno 1506. Duces laudati eidem cessere jus venandi in sylvulis & frutetis, quæ à limitibus Frisingensis ditionis usque Greineckium circa viam regiam, qua Monachium itur, T. 1. p. 180. protenduntur. Id Gewoldus in Metropoli annotavit. Legimus, eodem anno à Consiliariis Aulicis Frisingensibus adversus Mennbeckium quendam processum criminalem publicè fuisse institutum.

Maximilianus Imperator eo tempore Romano itineri sese committere cupiebat ad capescenda Imperii insignia. Præpeditus vero Hungaricis tumultibus Brixinensem Episcopum ad Pontificem misit, sua apud eum negotia curaturum. Illud Maximiliano tristissimum accidit, quod filius ejus Philippus eodem anno, quo Hispaniarum possessionem uxorio nomine adierat, tot sceptris atque coronis, terræque universæ valedixerit.

Philippus interim Administrator hujus Frisingensis Ecclesiæ jam attigerat annum ætatis vicesimum septimum, quo ex Pontificia dispositione Unctionem Episcopalem recipere posset. Itaque anno 1507. Februario Mense primum à Cæsare Regimen Frisingensium dominiorum titulo clientelari Biberaci accepit. Suscepit postea Sacris Ordinibus die Divis Philippo (Patrono suo) & Jacobo Apostolis sacra primam Deo Eucharisticum Sacrificium in Cathedrali hac Ecclesia obtulit. Ei festivitati interfuere Ludovicus Bavariæ Dux, Alberti secundo genitus: Joannes Ratisbonensis Coadjutor, frater nostri Antistitis, & Wigulæus Episcopus Pataviensis. Scribunt domestici Frisingenses, populum tam confertum Frisingam convolasse, ut eum non solum Cathedralis Ecclesia, verum etiam omnia per urbem diversoria capere non potuerint. Ex quo facile intelligimus, Episcopum nostrum hominum animos in sui amorem mira virtute rapuisse. Demum idem Episcopus noster à Proëpiscopo suo Matthia Schach, Carthusiæ Prüelensis Priore, Unctionem etiam Episcopalem suscepit. Cooperati fuêre Augustanus & Aichstattensis Proepiscopi, cæremoniisque adstitere Weihenstephanensis & Schyrensis Abbates mitrati. Frater Germanus Philippi Episcopi nostri Joannes, de quo supra, eodem anno mortuo cognato, antecessore suo, plenam Ecclesiæ Ratisbonensis administrationem adeptus est Mense Decembri.

N. 370.

Primitiæ Philippi.

Episcopus consecratur.

Mor-

Mortales etiam exuvias eo anno deposuit Christophorus Weihenstephanensium quondam Abbas, de quo sequentia perhibent fasti illius Monasterii. Electus erat in loci Cœnobiarcham absens anno 1484. cum occasione vindemiarum degeret in Austria, vir neutiquam annorum numero gravis, sed religione doctrinaque insignis. Domum ex Austria reversus cum oblatam dignitatem suscipere neutiquam vellet, obfirmatis fratrum votis demum adactus confirmationem & benedictionem admisit. Verum pauculorum annorum intercapedine pertæsus Abbatiales curas & onera, cum ingenti studiorum desiderio teneretur, munus insigne cessit in manus Sixti Episcopi, atque Bononiam se contulit, ubi Cathedram Theologiæ ac simul supremam Juris Pontificii lauream censecutus est. Inde in patriam suam (Carinthiam) secedens, verbi Dei præconem celeberrimum egit: & quæcunque laborum stipendia vivus collegerat, moriturus Monasterio suo Weihenstephanensi assignavit, ab obitu ad Marianas Cellas * sepultus.

Christophorus Abbas Weihensteph. Abdicat se Magistratu. Moritur.

* *Maria Cell.*

Porro Christophoro, cum Bononiam permittente Episcopo secessisset, idem Sixtus Episcopus assentientibus communibus fratrum suffragiis Abbatem præfecit Wolfgangum de Weix, virum præclaris dotibus prædirum. Hic cum inter Canonicos Frisingenses olim esset receptus, & officialis munus consecutus, studio Monasticæ professionis ad Mellicense Austriæ Monasterium, religionis ac doctrinæ laude semper celebratissimum, sese contulit, Tyrocinium ibi sub optimorum Magistrorum disciplina subiturus. Jamque in eo erat, ut votis religiosis Deo sese ibidem adstringeret. Verum à cognatis vi tetractus Monasticum habitum tandem deposuit, atque urgente Cathedralis Ecclesiæ Præposito rursus Canonici officium assumpsit, quod deinceps annis omnino quadraginta cum magna laude gessit. Ast nondum abolito Monasticæ vitæ desiderio demum in Weihenstephanensi Monasterio rursus Tyronem egit, Degenhardo, fratris sui filio, Canonici munus cessit, & vota solemnia Deo ibidem nuncupavit, suaque omnia Monasterio donavit, paulo post in Abbatem, ut diximus, assumptus, qui deinceps eidem Monasterio qua virtute, qua rerum gerendarum dextetitate utilissimam operam impendit. Idem Wolfgangus, antequam Monasticam vitam professus fuisset, anniversarium Officium pro suis progenitoribus ibidem instituit. Ast hæc per parenthesin.

Wolgangus de Weix Abb. Weihensteph.

Ipso anno consecrationis suæ Philippus Episcopus noster à Bojariæ Ducibus obtinuit confirmationem tractatus cum Comite Hardeckio ante aliquot annos initi, quo castrum dominiumque Massenhusianum Ecclesiæ Frisingensi accessit, uti in superioribus notavimus.

Emptio castri Massenhusiani.

Bojaria eo anno cedente Wolffgango Duce ad unius Alberti imperium devenit: Ducis tamen titulum Wolffgangus sibi retinuit, certa annua pensione sibi assignata.

Maximilianus Rex eo anno Comitia Constantiam indixit, quibus etiam Philippus Episcopus noster præsens fuit. Actum ibidem iterum de Romano itinere: verum Pontifex Maximilianum absentem Tridenti per Legatum suum Cæsarem ritu solemni appellavit, quod ipsum tamen primum anno sequenti 1508. mense Februario executioni mandatum fuit: quo ipso mense, juxta Trithemium nostrum, testem oculatum, Parens Philippi Episcopi nostri, nempe Philippus Comes Palatinus, Princeps Imperii Elector obiit ætatis suæ anno sexagesimo nondum completo in oppido suo Germetsheim: cujus exuvias Heidelbergam reductas in Choro Collegiatæ Ecclesiæ S. Spiritus prope tumulum uxoris suæ, antehac non sine solemnibus funebribus illuc illatæ, filii absque pompa, quemadmodum parens vivus præceperat, intulerunt. Is enim, cum morti jamjam proximus esset, in mandatis dedit iisdem filiis suis, ut nonnisi à pauperculis duodecim, pullo habitu vestiendis, absque omni vanitate ad sepulchrum deportaretur: quod etiam re-

Chronic. Hirs. T. 2. pag. 636. Moritur Pater Philippi.

reipsa contigisse Trithemius prolixe restatur, qui addit, id providentiæ Divinæ „ esse tribuendum. Ipse namque, ait laudatus scriptor, pauperes ante portas pa- „ latii sui quotidie pro stipe convenientes hilariter pascere consuevit, & quidquid „ mentis edentium fuisset residuum, in usus eorum expendi totum per eleemo- „ synarium suum proprium, quem ad hoc specialiter deputatum habuit, pro „ Christi honore mandavit. Invenit namque misericordia Principis in humilitate „ meritum, qui libens Christi pauperibus tribuit nutrimentum.

Subjungit postea idem Trithemius, cum septem in vita superstites reliquisse filios: filias vero quatuor, quorum nomina postea subjungens, loco secundo reponit Philippum Frisingensem in Bavaria Episcopum, quem appellat Principem „ ingenio mitem & mansuetum, qui Clerum & populum sibi commissum hodie „ (dum nempe scripsit Trithemius) regit in omni pace & tranquillitate. Ita synchronus ille.

Cognato funeri post dies paucos admodum, nempe 10. Martii, etiam suum junxit Albertus, dictus sapiens, Bojariæ universæ Dux, qui antehac, ut supra retulimus, ob inferioris Bavariæ dominatum cum eodem Philippo Electore graviter collisus fuerat. Reliquit Albertus filios tres, nempe Wilhelmum, Ludovicum & Ernestum, quorum posterior futurus erat Episcopus Pataviensis ac demum Archiepiscopus Salisburgensis. Chunigundis Uxor mortuo marito inter Moniales tertiæ Regulæ Divi Francisci se recepit.

Cæsar Maximilianus eo anno Venetis bellum intulit, iisque cæsis vallem Catubriam * (quæ olim ab anno 973. ad Ecclesiam Frisingensem pertinebat, uti T.I. monstravimus) subegit. Poterat Philippus Episcopus sperare, se recepturum ditionem illam, si in potestate Austriaca Catubria perstitisset. Verum brevi secuto alio conflictu Veneti fuêre victores, & Catubriam (quam superatis Scaligeris, Vicentiæ & Veronæ dominis occupasse videntur) rursus dominio suo asseruerunt.

* *Cadoberthall. pag.* 179. & 354.

Ismaningenses sequenti anno, Christi 1509. tum pro antiquitus, tum noviter concessis olerum plantariis annuam pensitationem datis literis Episcopali Aulæ condixerunt.

Bellum Venetum eo tempore semper magis magisque invaluit, conquerentibus eum Maximiliano Imperatore Principibus, à Venetis sibi & Imperio quam plura vi fuisse subtracta. Inter eos Principes conqueri maxime Philippus Episcopus noster potuit, ut mox narravimus.

Antonius Abbas Weihensteph.

Fasti Weihenstephanenses memorant, eo tempore pie è vita migrasse Antonium Abbatem suum, qui gravissimas Monasterii sui ærumnas perpessus fuerit. Ejus successor Benedictus vir Religiosissimus, omnem equidem adhibuit industriam, ut ære alieno Monasterium liberaret, atque disciplinam Monasticam sartam tectam servaret: verum cum ejus Regimen neutiquam in annos feliciores incidisset, successoribus suis illata à Principibus damna resarcienda relinquere coactus est. Verum, qui subrogandi erant, Abbates nihilo mitiora fata passuri erant: uti suis locis palam fiet.

Interim anno Christi 1511. Ludovicus Elector Palatinus, Philippi Episcopi frater germanus, Sibillam, Wilhelmi Bojorum Ducis sororem: & sororem alteram Sabinam Udalricus Dux Wirtembergæ matrimonio sibi junxere. Ipse Wilhelmus eodem anno Bojariæ Regimen exorsus est.

Salisburgenses cives coërcentur à suo Archi-Episcopo.

Salisburgensium Archipræsul Leonardus, de quo supra dictum est, postquam ab aliquot annis religiose feliciterque provinciæ suæ habenas rexerat, ingratos Urbis suæ cives eo tempore experiri coactus est. Spirabant illi libertatem majorem, qua sperare poterant homines Principi suo fidei sacramento adstricti. Nata inde conspiratio tempestive Principi optimo innotuit. Hac detecta civium primores mensæ suæ adhibuit, lautoque epulo refecit. Verum dum ii nihil mali suspicati læte conviv antur, clauduntur palatii portæ, & belle saturatis vincula inici-

ficiuntur, Archiepiscopo perfidiam iis exprobrante. Posthac rhedis vecti in arcem compinguntur, ubi rursus cæna opipare instructa iis parata erat. Tumultum interim in Urbe exortum Leonardus blandis verbis facile sedavit. Primipili conspirationis postea tempore nocturno à portica arcis parte curtibus alligati in Werffense munitissimum castrum fuêre abstracti, quibus tamen veniam exorarunt Chiemensis Episcopus, & S. Petri Abbas, qui gratiæ nuncium ipsimet attulerunt, miserosque è vinculis liberârunt: quibus tamen domi postea ingens mulcta pecuniaria fuit imposita, privilegiis etiam, quibus eousque gavisi fuerant, diminutis.

Episcopus noster Philippus eodem anno ad preces Abbatis & Conventus Andecensis Ecclesiam ejusdem Monasterii SS. Nicolai & Elisabeth: Sacellum item ejusdem S. Elisabeth ad pedem montis situm, & denique etiam vicinam Ecclesiam B. M. V. in Erling devote visitantibus certas indulgentias concessit.

Cum Venetis eo anno vario Marte pugnatum est. Henricus Tegernseensium Abbas proximo anno, Christi 1512. cum adversa valetudine multum conflictatus imparem se sensit oneri Abbatiali diutius ferendo. Itaque Regimen, ab annis 12. cum ingenti laude gestum ultro deposuit. Ei fratrum votis Maurus successit, de quo in quodam MS. Codice hæc legimus. *Maurus Leyper de Lantzberg nostræ Congregationis Abbas XLVI. eligitur Anno Domini 1512. prid. Non. Febr. qui fuit quarta dies Februarii, & in Dominica LXmæ immediate post Festum S. Valentini fuit confirmatus Frisingæ à Philippo Episcopo Comite Palatino eodem anno & die.* Hæc ibi. *Henrico Abb. Tegernf. succedit Maurus.*

Junio Mense inter Monacenses & Ismaninganos piscatores lis super jure piscandi in Isara fluvio decisa fuit. Julio vero Mense rursus alia controversia inter Episcopum nostrum Philippum, Balthasarum Abbatem Benedictoburanum, Antonium Præpositum Schlechdorffensem, & Urbem Monacensem ex una: ac Præpositum Beurbergensem ex altera partibus super aggere per Libusam * fluvium prope Monasterium Beurbergense causa aquarum ad molendinum emittendarum ducto, fuit composita. *Variæ lites sopiuntur.* *Documenta domestica.* * *Loysach.*

Obiit eo anno Trithemius noster, qui inter præstantia sui ingenii monumenta quasi præscius imminentium Religionis dissidiorum etiam reliquit Tractatum, quo futuros errores egregie præfocavit. Julius Pontifex eo anno bona, jura ac privilegia sua DD. Canonicis S. Andreæ Apostolica Autoritate stabilivit. Philippus Episcopus noster & Guilielmus Bojariæ Dux in causa piscationum ac piscatorum Otterhnsianorum & Mozingensium, ad Ambronem fluvium transactionem iniêre. *Bucel. ad ann. 1508. & 1512.* *N. 371.* *Metrop. T. 1. pag. 180.*

Eodem anno die 21. Febr. vivere desiit Julius II. Pontifex, de quo belle scribit R. P. Georgius Kolb S. J. hunc in modum. Clatissimum fuisse dixissent „ omnes, si inter profanos belli Duces locum occupasset. Ab ipsis igitur Catho- „ licorum permultis, & maxime à non-Catholicis inter armatos militum ordines, „ potius, quam Sacratos Præsules fuit collocatus, an galea an infula decorus ma- „ gis, dissentiant illi, qui dubitare cœperunt. Hæc ille. *Mors Julii PP.*

Philippus Episcopus eo tempore Collegio Canonicorum S. Andreæ insignem favorem impendit, quem Lector in Parte II. reperiet. N. 372.

Post Julii II. obitum non diu vacavit Petri Sedes. Die enim 4. Martii majoribus Purpuratorum Patrum suffragiis Pontifex creatus est Joannes Mediceus Cardinalis, cum primum annum vitæ tricesimum septimum ageret, dictus posthac Leo X. Mensibus Januario ac Novembri Maximilianus Imperator quæstiones super limitibus, pascuis & potestate judiciaria, Inchingæ & in vicinia exortas, decidit. Leo X.

Superiori anno Julius Pontifex Romæ in Ecclesia Lateranensi Concilium instituerat, quo Pisanum Conciliabulum, absque Pontificio assensu à quibusdam Cardinalibus institutum, ejusque temerarias Sanctiones everteret: sessionibus vero nondum absolutis mortem oppetiit, ut supra vidimus. Itaque successoris

Concilium Lateranense. Leonis erat finem Concilio Lateranensi imponere. Proscriptis igitur variis erroribus actum est peculiariter, de Cleri reformatione, & variis corruptelis exscindendis, ac abusibus abolendis. Fuit inter Patres Concilii Paris de Grassis Pisauriensis Episcopus, qui, cum vota singulorum ex more exquirerentur, num Decretum de Reformatione placeret expediri? audacter respondit: *placet, quod reformatio fiat universalis, & quod reformatores reformentur.* quod audiens Pontifex subrisit, dixitque, curaturum se, *ut omnium reformatio fiat tam sui, quam Reformatorum.* Quæ verba profecto & Episcopo, & Pontifice digna erant. Quid enim efficere solent ii, qui attente student reformationi aliorum, non item sui? ubi in memoriam revocari possint ea Spiritus Sancti verba: *quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum per os tuum? tu vero odisti disciplinam & projecisti sermones meos retrorsum &c.* Num mox dicto Leonis X. proposito responderint ea, quæ hic subjungemus, Lectoris arbitrio decernendum relinquimus.

Matthæus Langius Augustanus Patritius, Gurcensis Episcopus, magna apud Pontificem atque Imperatorem auctoritate invaluerat, quippe cujus opera ad obeundas Legationes Maximilianus sæpe usus fuerat, quemque Leo Pontifex etiam sacra purpura donaverat. Ingentia hæc erant præludia ad Purpuram etiam Salisburgensem consequendam, ad quam non obscure, sed palam ipse aspirabat. Obsistebat Langii votis libertas eligendi, qua Regulares Divi Augustini Canonici Salisburgenses gaudebant. Horum animos qua ratione sibi conciliaverit, Mezgerus noster memorat sequentem in modum:

Hist. Salisb. pag. 520. Matthæus Langius ambit Mitram Salisb. „ Annus (inquit) 1514. memorabilis est mutatione Status DD. Canonicorum Ecclesiæ Metropolitanæ, qui Pontificia auctoritate per Matthæi Gurcensis „ Episcopi & Cardinalis operam, à Regula Divi Augustini absoluti, è Regulari „ ad Sæcularium Canonicorum ordinem transierunt. Trecenti nonaginta duo „ anni fluxerant, nempe ab anno 1122. quo Conradus I. institutum Collegium „ Metropoliticum in familiam religiosam redegerat. Verum longe immutata „ temporum ratio, & mos aliarum insignium Cathedralium Ecclesiarum, vix „ amplius antiqua statuta patiebatur. Accedebat paucitas Candidatorum Religionis, etsi multi forent, qui dignitatis esse mallent. Novem tunc supererant. „ Matthæus igitur, ut gratiam iniret apud DD. Canonicos, quippe qui jam Archiepiscopale fastigium meditabatur, gratiam à Leone X. Romano tunc Præsule „ hanc impetravit, ut solutis vinculis Regularibus statum liceret capessere, & „ imposterum tenere, qui illustris nobilitatis & tantæ Ecclesiæ dignitatem æquaret. Diploma Pontificium datum 22. Septembris anni præfati: quod eodem „ anno Salisburgi executioni mandatum. Hæc ille. Subdit verò Diikerus, Canonicos Salisburgenses eum in modum libertate donatos in testimonium grati „ animi chirographo atque sigillo suis Matthæum futurum in Archiepiscopatu „ successorem designâsse, quantumcunque Leonardus Archiepiscopus reclamârit.

Canonici Salisb. dimittunt Regulam S. Augustini.

Petrense Monasterium servatur. Simile quidpiam tentavit idem Matthæus, dum antiquissimæ Divi Petri Salisburgi Abbatiæ (cui primordia sua Salisburgensis Ecclesia debet) palam inhiavit, sibique eam commendari optavit. Verum cum fortiter restitisset Leonardus Archiepiscopus, spe sua Matthæus frustratus est. Sane quonam zelo ista attentarit Cardinalis, Lectoris judicio expendendum iterum relinquimus. Leonardum majorem apud Deum gratiam iniisse nobis dubium esse non potest.

Adelzr. Diffidia inter Bojos. In Bojaria eo tempore inter Guilielmum & Ludovicum fratres Duces vehemens excitata est controversia. Guilielmus, ceu natu major, juxta parentis tabulas universam sibi Bojariam postulabat: Ludovicus vero etiam sibi partem aliquam repetebat. Ejus causæ diremptio cum Statibus Provinciæ commissa esset, & ex eorum mente inter alia pactæ essent triennii induciæ, quorumdam maledicentia factum est, ut Cæsar neglectum sese in causa tam ardua conquereretur, &

acta

acta rescindi postularet. Missi eam in rem fuêre ad Boicos Ordines Monachii congregatos Gabriel Eubius Aichstettensis, & Philippus Episcopus noster Frisingensis, viri sane maximi, qui tamen nec oratione, nec minis persuadere potuerunt Statibus, ut causam Cæsaris arbitrio committerent definiendam. Duces tamen Statibus modestiores condixere, se Cæsari facturos satis: qui demum etiam sententiam pronuntiavit, & Ludovico quadrantem provinciæ adjudicavit. Verum postea ultronea fratrum conventione factum est, ut Ludovicus pro quadrante trientem consequeretur. Philippus Episcopus noster eo tempore turri Cathedralis Ecclesiæ (quam olim dicebant regiam) 7. campanas, ac posteto anno etiam octavam intulit. Ex computo rationum, qui etiamnum extat, intelligimus, eas campanas non adeo multis centumpondiis constitisse. Campanæ Eccl. Cathedr.

Sexto Kalendas Februarii anno MDXV. quidam Josephus Gruenbeck (de cujus conditione hactenus nihil nobis innotuit) literas dedit ad Philippum Episcopum nostrum, ejusque fratrem germanum Joannem Episcopum Ratisbonensem, quæ deinceps Landishuti fuêre impressæ præmisso hoc titulo: *Ad Reverendissimos & illustrissimos Principes Philippum & Joannem Frisingensis & Ratisponensis Ecclesiarum Episcopos, Comites Palatinos Rheni Ducesque Bavariæ. Salubris exhortatio Josephi Gruenbeck in litterariarum rerum & universorum graduum tum honorum tum dignitatum jacturam.* In ea epistola scriptor deplorat Romani Imperii miseram conditionem, cui vix non vicinum exitium (haud vano augurio) ominatur. Hortatur etiam illustrissimos Principes, quos *vivas virtutum imagines*, *dominicique gregis pastores nobilissimos & præstantissimos* appellat, ut scientias bonasque artes ab interitu vindicare, pravas consuetudines ex Episcopalibus ditionibus eliminare, vepresque vitiorum extirpare collaborent. Dolendum est, eam Gruenbeckii exhortationem flagitiose admodum fuisse impressam, adeo, ut multa in eam obscuritas irrepserit. Quæ causa est, cur eam cum lectore non communicemus, contenti demonstrasse, quonam ex Palladio eo tempore quæsierint præsidium, qui inclinatæ Musarum spei erigendæ allaborarunt. Rogatur Philippus, ut patrocinium rei literariæ suscipiat.

Ad superos eo anno Frisingæ transiit vir religiosissimus, Pater, ac Dominus Matthias Schach, Prior Carthusiæ Prüellensis prope Ratisbonam, Proëpiscopus Frisingensis, & ibi (Frisingæ) *in medio laicorum choro* (suspicor prope sedilia communia) *sepultus*, uti haud ita pridem hodiernus Prüellensium Prior Celsissimum Principem Joannem Franciscum datis literis commonuit. Mors Suffraganei Frisingensis.

In Illyrico, Carinthia, Styria & Carniola rusticorum agmina eo anno adversus legitimos dominos suos grandem tumultum conciteraverant. Verum justis armis castigati resipiscere didicerunt. Domesticæ chartæ docent, Philippum Episcopum nostrum Lacopolim se eo tempore contulisse, atque præsentia sua seditiosos cives atque colonos suos paterne compescuisse. Ipso anno Episcopus noster plura vicina prædia, fundosque in Dorfacker, Crantspergensis Præfecturæ pago, numerata pecunia Ecclesiæ suæ adjecit. Literas contractus atque traditionis in parte altera cum Lectore communicamus: uti & eas, quibus Episcopus eodem anno Sylva prope Kaltenbach dominium suum in Burgkrain ampliavit. Lacopolitanum vero territorium ab iis, qui obtentu Cæsarei mandati mineralibus illius districtus, adversantibus antiquis privilegiis & consuetudine insidias struxerant, liberavit. Eodem fere tempore recens fundatum beneficium in Kirchdorf confirmavit, atque jus præsentandi Monasterio Rotensi addixit. Philippus turbas Lacopoli sedat. Sedulus Oeconomus. N. 372. 373. N. 374. *Notata domestica.* N. 375.

§. III.

Initia concussionis Ecclesiæ Romanæ, quæ per Lutheri doctrinam contigit, & acta Philippi Episcopi usque ad Sæculi VIII. Frisingensis finem: ubi de nova ejusdem promotione.

Concussio Ecclesiæ Romanæ, quæ per Lutheri doctrinam contigit, dudum prævisa.

Diximus superius, Trithemium nostrum aliosque ob pravos ejus Sæculi mores merito conjecisse, fore, ut Germanicum Imperium brevi aut corrueret, aut certe gravissime concuteretur. Id vero multo antea, Sæculo nimirum Christi duodecimo diserte prædixerat Diva Hildegardis, Ordinem nostrum prope Bingium oppidum, inter Moguntiam & Confluenriam situm, professa, à tenera ætate illustrationibus Divinis instructa, & toto orbe celebrata, quippe cujus oracula tres summi Pontifices Eugenius III. Anastasius IV. & Alexander III. Conradus III. Rex, Fridericus I. Imperator: Archiepiscopi Hierosolymitanus, Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, Bremensis & Salisburgensis: Episcopi Bambergensis, Spirensis, Constantiensis, Wormatiensis aliique missis tum nunciis tum literis consuluerunt, atque orationis suffragia postularunt, uti fusius commemorat Trithemius noster, qui etiam libros ab ea summa sapientia scriptos enumerat. Hæc igitur Spiritu Dei plena virgo Germanis sequentia prædixit, ut ex ejus verbis Raynaldus ad annum 1519. N. 56. recte deducit: nempe exorituras esse in Germania hæreses, & quidem varias: verbum Dei corruptum iri: dicta Sanctorum Patrum sectariis fore contemptui: & ideo subsecutura esse civilia bella gravissima. Totius sane mali causam fore licentiam carnis, contemptum Ecclesiæ, & indignam Sacramentorum Ecclesiæ perceptionem. *Interim tamen* (subjunxit Virgo sancta) *fidelissimus Deus nidulum aliquem habebit, ubi suos conservet & protegat.* Hæc illa; quibus clarius prædici nihil potuit. Sic olim etiam Petrus Alexandrinus, Sanctitate & Martyrio clarissimus, & magnus Antonius Abbas futuras ex Arii hæresi calamitates prænunciarunt.

Chronic. Hirsaug. ad Annum MCXLVII.

Memoria Hist. Conciliorum pag. 2.

Lutherus caput erigit.

Veritas hujus oraculi luculentissime apparuit ab anno Christi 1517. quo Lutherus adversus Traditiones, Concilia, Patrum doctrinas, ipsamque adeo Ecclesiam ejusque Caput superbam cervicem erigere, Divi Augustini Regulam abjicere, vota, à se solemni ritu publice nuncupata, Evangelicis consiliis unice innixa, castitatem videlicet, paupertatem & obedientiam abjicere, nova dogmata cudere, imo potius errores antiquos resuscitare cœpit. Non est propositi nostri, ejus rei tragœdiam texere, sed illud duntaxat compendio monemus, Lutherum, cum Principibus Sæculi Episcopatus, Monasteria ac omnem spiritualem jurisdictionem: Clericis Uxores, colonis vero libertatem multiplicem facundia sane dulci, etsi frequenter valde sordida, asseruisset, eam Germaniæ tristissimam faciem, quam hodieque deploramus, superinduxisse. Cætera aliis percensenda relinquimus, congruis tamen locis aliqua commemoraturi. Porro *nidulum* illum, de quo S. Hildegardis dixerat, quidam viri docti ac probi judicant posse dici Bojariam nostram: at nos fortassis rectius *nidulum* illum in Diœcesi Frisingensi constituimus, ut per decursum annorum monebimus. Plurimum sane pro veteri Religione sarta tecta in hac Diœcesi servanda P. Wolfgangus Sedelius Tegernseensis Monachus, SS. Th. Doctor, Græcè & Hebraice doctissimus, eo ipso anno in Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli Monasticen Divi Benedicti professus, quo Lutherus Divi Augu-

Monum. Tegernf. apud P. Bernard. Pez anecdot. T. III. Part. III. col. 554.

Augustini & Ecclesiæ Canones repudiavit, contulit, dum posthac viginti & amplius annis in æde Patrum Augustinianorum Monachii cum summa laude concionatoris munia explevit, murumque se pro Dei Ecclesia opposuit. Ejus viri præclara gesta speramus brevi typis impressa videre. Syngrapham, quam Sedelius in sacra votorum nuncupatione aræ imposuit, in Parte altera legendam offerimus. Wolfgangus Sedelius Tegernseensis opponit se Luthero. N. 376.

Anno prædicto Philippo Episcopo nostro novus in Misnia Episcopatus videlicet Naumburgensis: Ernesto vero Bojariæ Duci natu minori Mitra Pataviensis obtigit. Philippus Ep. fit Administrator Naumburgensis.

Proximo anno, Christi 1518. die 7. Febr. Carolus, inter Romanorum Imperatores futurus eo nomine Quintus, Hispaniarum Rex coronatus est. Ejus in Romanorum Regem electionem cum impedisset Francisci Galliarum Regis æmulatio, Lutheri dogmata semper magis magisque invaluere. Maximilianus Imperator frequentissima eo anno Comitia celebravit Augustæ Vindelicorum, subsidia expetens ad bellum Turcis inferendum. Verum cum eum paulo post mors interciperet, iterum nihil profuere bona cæteroquin consilia, ut mox dicemus. Episcopus noster solicitus super antiquis juribus Lacopolitanis, ac præsertim super judicio, ut vocabant, Provinciali, conservandis, Privilegium ab Ottokaro Rege olim anno 1274. concessum, ac postea sæpius confirmatum, denique in idioma Germanicum translatum, à Benedicto Abbate Weihenstephanensi cum autographo conferri, ac postea fide publica transsumi curavit. Raynald. n. 162. 163. Philippi vigiles curæ.

Annus Christi 1519. vix inchoatus, fuit supremus Cæsari Maximiliano, pridie Idus Januarii vitam mortalem deserenti. Post cujus obitum cum Friderico Saxoniæ Electori à Collegis Electoribus Germaniæ Sceptrum fuisset delatum, is, memorando posteris exemplo, summam dignitatem modestissime rejecit. Nominatus postea Carolus, eo nomine inter Romanorum Imperatores V. missis Legatis Saxoni triginta florenorum millia obtulit, quæ tamen Fridericus iterum grandi animo recusavit. Cumque rogatus esset, ut saltem decem millia pateretur in familiam aulicam dispertiri, respondit: *accipiant*, inquit, *si lubet. Verum qui vel unicum aureum hodie acceperit, cras in Aula mea non amplius comparebit.* Hæc fere ex Erasmo Bucelinus. Raynaldus refert, eidem Principi Pontificis nomine oblatam fuisse Rosam auream, Pontificiis precibus de more sacratam, addita commonitione, ne Lutherum pateretur è Saxonia discedere, quippe qui Wittemberga dimissus Hussitarum Bohemorum Sectæ sese juncturus videbatur. Conventum est cum ipso Luthero, ut negotium ipsius cujusdam Germaniæ Antistiti, videlicet Trevirensi, aut Salisburgensi, aut demum Philippo nostro Frisingensi committeretur. Verum non steterit postea promissis Lutherus, caussatus, decisionem negotii pertinere ad Cardinalem. Ita rursus nihil actum est. Verum hæc rursus aliis prosequenda committimus. Nobis satis est demonstrasse, Episcopum nostrum fuisse numeratum inter tres Germaniæ Antistites, à quorum opera medela adversus Lutheri ausus sperari posset. Leonardus supra jam laudatus Salisburgensis Archiepiscopus eo anno piè ad Superos migravit: cujus locum postea occupavit Matthæus Langius, de quo itidem supra dictum est. Bucel. Annal. Germ. Carolus V. fit Imperator. Lutheri astutia.

Monachii jam ab uno & altero anno inter Collegiatam Divæ Virginis Ecclesiam, S. Petri Decanum, & Magistratum Civicum ex una: atque Divi Francisci Sodales ex altera partibus agitabatur controversia super cœmiterio prope eorundem Patrum Ecclesiam constructo. Litem diremere Wilhelmus & Ludovicus Duces, sancitæque fuere leges communi partium assensu, quæ deinceps observari deberent circa funebria eorum, qui illic sibi tumulum electuri essent. Harum duntaxat approbatio exspectabatur à Philippo Episcopo nostro ceu loci Ordinario: quam ille etiam hoc anno, Christi 1519. lubens concessit. Literas tum transactionis tum ratihabitionis recitat Gewoldus in Additionibus ad Hundii Metropolim, quas ob prolixitatem hic reponendas esse non censuimus. Idem Episcopus Lis Monacensis dirimitur. Tom. 2. à pag. 347.

pus noster eodem anno ditionem Waidhoviensem coëmptis quibusdam prædiis ampliavit.

N. 377. Memoratu dignæ occurrunt Matthæi Langii Cardinalis, & Salisburgensis Archiepiscopi literæ ad Philippum Episcopum exaratæ, quarum hic tenor est.

Philippus Ep. rogatur, ut Archiepiscopo Salisb. consecrationem impendat.

Matthæus miseratione Divina Tituli S. Angeli Presbiter Cardinalis Salzeburgensis, Apostolicæ Sedis Legatus. Venerabilis frater, Amice charissime. *Wir haben zu unserm neuen eingang der Regierung unsers Stüffts Salzburg nach desselben Stüffts loblicher gewonheit auf freytag nach Sannd Matheus tag des heyligen zwelfbothen, und Evangelisten schirst künftig hie zu Saltzburg einzureiten mit beywohnung vnser, und unsers Stiffts Landtleuthen, Pflegern, und Ambtlewten, die wir darzue uns gewohnlich pflicht, und buldigung zethuen, ervorderen, und am Sonntag auf die Babstlichen Indult, so wür beyheendig haben, die Erzbischofflich* consecration *zu empfahen, und des negsten Montags sannd Virgilientag darnach unser erste Mess Gott dem allmechtigen zu lob, und mit hilff seiner gottlichen gnaden zusingen fürgenommen. Und so wür aber zu Eurer Lieb sonders vertrauen haben, und sich wollgezimet, und gebierent, dass Eur Lieb, als der Erst, und vordrist unser mitBischoff unser Provintz solch unser* consecration *mithelffe zuvollbringen, als auch Eur Lieb in dem Bäpstlichen Indult uns das Pallium zeraichen am ersten benennt ist. So begeren wür an Eur Lieb mit sonderm früindtlichen vleiss bittund, dieselb welle sich in aigner person zu solcher unserer* consecration *und ersten Mess hier gen Saltzburg verfügen, und zwenn oder drey tag vor bestimbten Sonntag hie einkommen, auch uns solch* consecration, *als wür dan die von Eürer Lieb begüerig sein zu empfahen, in beysein ander unser mit-Bischoven unserer Provintz, die wür auch thun ervordern auf bestimbt Bäbstlich Indult selbs mitthaillen und handlen. Damit wür auch an der anzall der Bischoven, so bey solcher* consecration *sein sollen, durch ainigerley zuefall nicht manglen, so gerhue Euer Lieb Ihren WeihBischou auch mit zenemen, und uns diser bitte, des wür uns dan zu diser unser geistlichen freid und hohzeit gross geehret, und geweret zu sein achten, als wür uns zu Eurer Lieb gänntzlich versehen, nit abschlagen, noch sich der mühe, und arbeith umb unser willen . . . . . . lassen. Das kumbt uns von Eurer Lieb zu sonderm annemligen dankh und wollgefallen, und wellen das umb dieselb feuntlich gern beschuldten, und gewartn von Eurer Lieb dess Ihr antworth bey disem unsern boten.* dat. in civitate nostra Saltzeburgensi die penultima Mensis Augusti Anno Domini &c. decimo nono.

Sequentia Archi-Episcopus scripsit manu propria.

Lieber Herr und Freünd. wür bitten Eür lieb ser freintlich, welle in allweg khommen, und kainswegs ausbleiben. Das wellen wür gar freuntlich und mit willen umb Eur Lieb verdienen, auch uns selbs E. L. zukunft entlich verträsten. Dat. ut supra.

Matheus Cardi. von Salzburg
p. m.

Inscriptio.

Venerabili fratri Amico nostro charissimo Domino Philippo Episcopo Frisingensi.

Has

Has Archiepiscopi literas, quibus ille profitetur, inter cæteros Provinciæ seu Metropolis Salisburgensis Coëpiscopos primum locum deberi Frisingensi, Frisinga sibi diligenter asservat: dum interim miramur, neque Dükerum, neque Mezgerum aliquam ejus consecrationis mentionem facere, sed de solo magnifico Langii in Urbem ingressu agere, omissis etiam Principum, qui convenerant, nominibus.

Mater utriusque supra memorati Ducis Bojariæ Chunegundis proximo anno, Christi 1520. naturæ debitum solvit, Bojaria sese constanter novatoribus opponente, ut Adelzreiterus meminit.

Joannis Freibergeri, Decretorum Licentiati, Frisingensis Canonici, ac Pastoris S. Petri in Vohburg, opusculum, cui titulus: *Origo Christianæ Religionis Ecclesiæ Frisingensis*: & alterum: *Cronica Episcoporum Frisingensis Ecclesiæ*: typorum beneficio eo anno in publicam lucem prodiêre, ut constat ex verbis in fine adjectis, quæ sic habent: *Impressum Landshut per Johannem Weissenburger Anno* 1520. *die* 4. *Maji.* Nos utroque opusculo hactenus fideliter usi sumus, in quorum tamen posteriori aliqua emendanda esse, ex documentis antiquioribus deprehendimus. Opusculum Joannis Freybergeri typis committitur.

Eo tempore actitatum fuisse de publicanda adversus Lutherum Pontificia sententia, intelligimus ex epistola viri celebratissimi Joannis Eckii Nuncii Apostolici ad Philippum Episcopum nostrum data in hæc verba:

Salutem in Domino Jesu. Responsum P. t. Reverendissime Pater & Illustrissime Princeps super negotio publicationis accepi: & quantum in me est, mallem per omnia Illustrissimæ D. t. gratificari: at quia prius conquestus sum P. t. Reverendissimæ super gravissimo onere mihi imposito à Domino Apostolico, non possum non facere, quod facio: Quod enim Illustrissima P. t. confidit, non impatienter laturum S. D. N. hanc dilationem publicationis, non ego hoc certo: at quia timeo impatienter laturum de me, hoc manibus & pedibus vitare contendo. Cupio actionis meæ & muneris æquabilem reddere rationem, quo satisfaciam Principis voto: Eò autem decurrit intentio Reverendissimæ D. t. ut probare Spiritus instituto S. Pauli velis, num ex Deo sint, & juxta sacrarum constitutionum ordinationes Metropolitani tui consilium requirere: Ego autem pro mea parvitate videns hoc Apostoli Pauli factum adaptari contra Apostoli mentem, & torqueri, quasi suspecta esset, S. D. N. cum S. R. E. Cardinalibus sententia contra Luderum lata, & jam iterum probanda esset & discutienda Sum. Pont. definitio, cum supremum habeat in rebus fidei judicium, qui probata promulgat, non probanda & discutienda proponit: immo piaculum est in dubium vertere, quod Ro. Pont. ut Christi Vicarius diffinivit, adeò quod jam à MCCCC. & amplius annis plures quam CCXX. Romani Pontifices hanc Sedem Petri sine ulla erroris macula, diffinitive in fide pronuntiando illibatam servaverint, quod prorsus omne humanum superat judicium, & omni admiratione prosequendum: Non ergo probandum venit à Sancta Ap. Sede discussum, sed quicquid fidem sanctam respicit, ut probatum suspiciendum est & acceptandum: Alterum de consilio Metropolitani &c. hoc dico, S. D. N. nichil michi commisisse de Reverendissimo D. Cardinali Salisburgen. Domino meo pientissimo, neque caveri hoc sacris constitutionibus post mandata Apostolica Metropolitani consilium requirendum, sed dum dubius est Suffraganeus Metropolitanum accedat, hoc in Concilio Toletano, hoc in Arlaten. hoc in Aphricano constitutum lego: At cum Papa diffinit, mandat, cedat Metropolitanus, cum ita sit ordo concinnatus dignitatum, ut apex supremus Pontificius nullibi sit exclusus, quin immediate omnes suæ potestati subdantur & vero supremo Hierarchæ: Unde Reverendissima P. t. ægre ferret, si ad mandata tua Capellanus obedire contemneret, nisi prius Parrocho, aut Decano te inferiore requisito: quod si omnino Reverendissimi D. Metropolitani consilium fuisset requirendum (quod tamen omnino nego in hoc casu fuisse necessarium) respondi Apocrisariis Illustrissimæ P. t. hoc dudum potuisse fieri, cum ferme duo menses jam à prima intimatione præterierint, in quibus nedum

Archipræsulem & Germaniæ Legatum adiisse licuisset, sed etiam ipsum Pont. Ro. Et o utinam factum fuisset, quo ego hoc liberatus essem onere: ut non sic invitus raperer ad aliquid durius agendum, quam Deo amabilibus Episcopis de pauperculo Eckio gratum sit: At perpenderint amantissimi Christi Præsules, hoc esse negotium fidei, pro incolumitate status Ecclesiastici, & inprimis Episcopalis: quo rite expenso, reperient se plus michi fore obligatos, quam quicquam adversus me molesto accipient animo:

Quare Reverendissime Pater & Illustrissime Princeps ut respondere possim de injuncto michi officio Pont. Max. utrumque deliberet & consilium quærat: tamen Apostolicis pareat mandatis: & ne diocesis Reverendissimæ P. t. aliis difformis reperiatur, in qua tamen bullam publicare minoris est periculi, quam in aliis locis, ideo nomine meo oro, rogo, peto, supplico, nomine vero S. D. N. Domini Leonis PP. X. vi commissionis à S. Sede michi factæ, sicut ejus autenticum scriptum sub plumbo Reverendissimæ P. t. & Illustrissimæ D. Apocrisariis coram monstratum, moneo & requiro, ut illa per totam diocesim publicari curet Bullam Apostolicam contra errores Luderanos infra XV. dies proximos ab insinuatione præsentium conputandos sub pænis & censuris in Bulla contentis: & de hoc vel S. D. N. certificet, aut me certiorem reddat, ut sic Sedi Sanctæ fidem facere possim de obedientia Amplissimæ P. t. in Sanctam Sedem Apost. quod si Illustrissima P. t. hoc facere neglexerit, quod omnino non spero futurum, provocabit Sum. Pont. ut congruis remediis curet hanc zizaniam in vestra dioceſi extirpari: Et ut prius ita nunc deprecor veniam Illustrissima P. t. non ægre ferat hanc meam Sum. Pont. jussus executionem: obedientiæ servio & fidei: & tu non ignoras vulpeculas capiendas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth: & quod B. Hieronymus ait, Hæreticis celeriter est obviandum: nocuit differre paratis: Principiis obsta &c. Me interea commendo Reverendissimæ & Illustrissimæ D. t. cui quam ferventer servire paratus sum in alio negotio, ubi ubi occasio fuerit præbita, experiaris. Ex Ingolstadio XXVIII. Decembris 1520.

E. Ill^e. & Rev^mæ P.

deditissimus

Jo. Eckius Nuncius Apostolicus.

Reverendissimo Patri & Illustrissimo Principi D. Philippo Insignium Ecclesiarum Frisingen. Episcopo, Numburgen. Administratori, Comiti Palatino Reni, Bajoariæ Duci &c. Domino pientissimo.

Caro-

Carolus V. eo anno die 13. Octobris Aquisgrani in festivissimo Principum conventu Regni Germanici coronam suscepit. Sequenti vero anno, Christi 1521. Wormatiæ cum Principibus consilia habuit de Lutheri & aliorum adversus Romanam Sedem ejusque placita insurgentium doctrina eliminanda. Lutherus ipse, ut idem Scriptor tradit, sub fide publica comparuit, sed communi decreto proscriptus fuit. Addit Bucelinus, ejus libros ad concentum tubicinum publice ignibus fuisse exustos, quos jam prius Parisienses Doctores damnarint, & Angliæ Rex Scripto refutaverit. Raynaldus memorat, Ignatium Loyolam eo anno fuisse vulneratum in corpore, sanatum in anima. Leo X. Summus Pontifex ex febri decessit. Domestica Documenta perhibent, Philippo nostro omnia Ecclesiæ Frisingensis jura ac privilegia fuisse confirmata à Carolo Imperatore. Unde conjicimus, Wormatiensibus Comitiis etiam eundem Episcopum nostrum intervenisse. *Annal. Germ.*

Cæterum cum eo anno Benedictoburani Asceta è Tegernseensi Monasterio sibi Abbatem adscivissent loci Priorem Matthiam Reichle, Conradus Salonensis Episcopus, & Proepiscopus Frisingensis, ejus frater germanus, datis literis, suavi gravique stilo scriptis, ei amplissime congratulatus est. Literas lectu dignas in Parte II. referimus. N. 378.

Ex chartario insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Andreæ in hoc Frisingensi Monte accepimus autographum sequentis tenoris.

Literæ encyclicæ ad Clerum Diœcesis Frising.

Philippus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Frisingensis, Administrator Numburgensis, Comes Palatinus Rheni, Bavariæ Dux &c. Universis & singulis Cathedralis nostræ ac Collegiatarum, Monasteriorum, Ruraliumque Ecclesiarum ac Capitulorum Præpositis, Abbatibus, Decanis, & Camerariis, ceterisque personis specialem in alios jurisdictionem qualitercunque habentibus per civitatem & diœcesin nostras Frisingen. ubilibet constitutis salutem in Domino. Nuper ad Reveren. in Christo Patris, Domini & Amici nostri Domini Mathæi tituli Sancti Angeli Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, Archi-Episcopi Salzeburgen. Episcopi Gurcensis Apostolicæ Sedis Legati Metropolitani nostri vocatione in Muldorf Salzeburgen. diœcesis personaliter constituti, ibique cum eodem Archi-Episcopo ceterisque Coëpiscopis & administratoribus Salzeburgensis Provinciæ sive eorum Oratoribus & Nunciis ad omnipotentis Dei gloriam, & animarum, maxime Ecclesiastici ordinis personarum, salutem, ac pro illius status, proh dolor! collabentis salubri reformatione nonnulla statuta, constitutiones, & ordinationes unanimi, & concordi assensu inviolabiliter observari conclusimus, & edidimus, prout & quemadmodum in quodam mandato desuper emanato, cujus exemplar concordans Sigilli nostri impressione ac Notarii publici subscriptione roboratum ex latore præsentium recipietis, plenius continetur. Cum autem parum prodest, Statuta, constitutiones & ordinationes edere & statuere, nisi illa etiam debitæ executioni demandarentur, idcirco vobis omnibus & singulis supra dictis & cuilibet vestrum in solidum in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub Excommunicationis pœna districtius præcipiendo mandamus, quatenus prædictum mandatum ac omnia & singula in eo contenta omnibus & singulis vestris Confratribus Presbyteris, & Clericis aliis quibuscunque sub cura, obedientia, & in Decanatibus vestris ubilibet existentibus illos prius per vos ad capitularem vel alium eligendum locum convocetis publice, alta & intelligibili voce de verbo ad verbum legatis, intimetis, publicetis, ac ad vocum notitiam deducatis, illosque & quemlibet eorum moneatis & requiratis, ut infra terminum quindecim dierum, ac sub pœnis & censuris in eodem mandato positis & expressis illi ac omnibus & singulis in eo expressis & contentis clausulis eos seu eorum alterum respective concernentibus realiter & cum effectu pareant, obediant, conforment, & regant, ac quilibet eorum pareat, obediat, conformet & regat, vos nichilominus rebelles, inobedientes, contemptores mandatique prædicti transgressores dicto quindecim dierum termino in mandato hujusmodi expresso elapso, quantocyus per vos testesve Synodales Decanatuum vestrorum, seu alios Nobis, aut in Spiritualibus Vicario nostro generali denuncietis & insinuetis & quilibet vestrum denunciet,

ſtitiam evadant, ſed ſuorum exceſſuum penam condignam luant, ſuper his providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur in Sede Juſticiæ Divina diſpoſitione conſtituti, hujusmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati tuæ, que dilecti filii nobilis viri Ludovici Comitis Palatini Rheni, Sacri Romani Imperii Principis Electoris frater germanus exiſtis, ut dum & quando ac quotiens aliquos malefactores ſeu criminoſos & criminum perpetratores in tuis ditione ſeu jurisdictione per tuos miniſtros ſeu judices & officiales captos plus debito detineri ſen cum illis negligenter agi contigerit, Tu quod ad excutionem debitam contra eosdem malefactores & criminoſos prout juſtitia & eorum demerita exegerint, procedatur, expreſſe præcipere ſeu committere & mandare absque alicujus irregularitatis ſeu inhabilitatis nota, aut conſcientiæ ſcrupulo, nec non per te, vel alium Catholicum Antiſtitem, quem ad hoc duxeris deputandum, convocatis ac tibi & eidem Epiſcopo ad hoc aſſiſtentibus duobus vel tribus Abbatibus & aliis Prælatis Eccleſiaſticis ad degradationem quorumcunque Clericorum hujusmodi enormium ſcelerum perpetratorum & in Sacris, etiam Presbiteratus, Ordinibus conſtitutorum, quorum demerita & culpa id exegerint, eorumque Curiæ Sæculari dimiſſionem altàs, prout de Jure procedere libere & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, ac plenam ſuper hoc facultatem concedimus, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo piſcatoris die XX. Maji M D XXIII. Pontificatus noſtri anno primo.

Be. El. Cremonen.

Hæc Philippo Pontifex.

Philippus Epiſcopus eo anno cum Wolffgango de Mäxlrain ſequentem memorabilem tractatum iniit.

Wir Philips von Gottes Genaden Biſchoue zu Freiſing, Adminiſtrator des Stüffts zu Numburgkh Pfallenzgraue bei Rein, und Herzoge in Bayrn &c. Bekhennen und thuen khundt allermenigkhlich offentlich mit dem Brieue für uns und all unſer nachkhomen, nachdem vor vil iaren, und ob menſchlichen gedenkhen das Schloſs Walldenberg ſambt dem Hoff zu Horgenbach, ſo dabei gelegen, mit allem irem zugehörnn von vns und unſerm Stüffi Freiſing zu Lechen gangen, und biſs auf heut dato vnſer und deſſelben unſers Stüffts rechts Lechen guett geweſt iſt &c. als haben Wir unſerm Lieben Gethreuen Wolfgangen von Mächslraim zu Mächslrain auf ſein und ſeiner Freundsſchaffi underthenigs anſuechen und bitten, Inen zu ſonderen gnaden, mit rat und nach gehalten underreden und Bewilligung unſers Thumb Cappitels alhie zu Freiſing, daſſelbe Schloſs Walldenberg ſambt dem Hof zu Horgenpach mit allem irem zuegehörnn, damit Er merern ſeinen nutz ſchaffen und handlen möge, gegen ainem gebürlichen und gemäſſn auswechsl, wie hernach volget genedigklich gefreyet, geaignet, und der Lechenſchaffi daran ſambt der wartt, öffnung, und underthenigkhait ledig und müeſsig gezeelt und gelaſſen, thuen das auch hiemit wiſſentlich in craffi diſes Briefs, alſo und dagegen domit Wir, unſere nachkhomen, und unſer Stüffi Freiſing ſolcher begnadung und freylaſſung der Lechenſchaffi, vergleichung und gebuhrlich widerlege empfachen, ſo hat gedachter Wofgang von Mächslrain fur ſich ſelbs alle ſeine Erben frunt und nachkhomen vns und unſerm Stüffi Freiſing, ſein Schloſs Mächslrain, ſambt dem Burgkhof daſelbs, mit allen (deſſelben hoffs) zugehörn, mit rechter aigenſchaffi, frei, ledig, vnuerſezt, und unverpfendt, ewigklich ein vnd ergeben, und zu Lechen gemacht, Er hat auch darauf, als bald daſſelb Schloſs Mähslrain, ſambt dem Burgkhoff mit ſeinen (des Hoffs) zugehorn, widerumben von uns, in allermaſſen wie Waldenberg (der zeite das Leben geweſt) und als Lebens recht iſt, zu Leben empfangen, und uns gewohnlich Lechenspflicht gethon, laut deſſelben un-

unsers Lechenbriefs, den Wir Im daryber gegeben &c. Doch so haben Wir allen unsern nachkomen und unserm Stüfft Freising in ewig zeit furgesetzt und vorbehalten, das mergenannter Wolfgang von Machslrain, alle seine Erben u. nachkhomen, uns, allen unsern nachkhomen und unserm Stüfft Freising mit demselben Schlos Mächslrain ewigklich wartten und gehorsam sein sollen, ongeuerdte gegen menigklich, wo wir, unsere nachkomen und unser Stifft Freising das bedürffen, und wan wir oder unser nachkhomen des an Ine, seine Erben oder nachkhomen begern, so sollen sye unsere leut darzue lassen, thuen und reuten, als zu unser selbst vesten, und soll uns, unseren nachkhomen und unserm Stüfft dieselb Burgkh und Schloss Mächslrain albegen zu einer ieglichen sache wartten, offen und underthenig sein, &c. inmassen uns dan Walldenberg auch gewartt, offen und underthenig gewest ist, welches genannter Wolfgang von Mächslrain für sich selbs, all seine Erben, fründt und nachkhomen bei seinen Eern und treuen das also unverhindert und unwidersprechlich zuthuen und zuhalten uns in aidts weis zugesagt, geredt, versprochen sy des schuldig gemacht, verpflicht und verbundten hat, alles in crafft und vermoge desselben uns gegeben Reversbriefe, darauf so verzeichen begeben und entschlachen wir uns für uns, und alle unser nachkhomen des rechten aigenthumbs, auch der Wartt, öffnung, und underthenigkhait an vermelten Schloss Waldenberg auch dem hof Hörgenpach und allem irem Zugehorn plöslich gar und genzlich, ewigklich und unwiderrueflich im hochsten, und bestendigisten form, wie wir von rechts wegen thun sollen khönnen und mögen, und zu thuen schuldig sind, wissentlich und wollbedechtlich in crafft disz briefs, aus unsern aller unser nachkhomen und unsers Stüffts Freising handen, gewalt, nutz und gewore, in des vorgenannten Wolfgangen von Mächslrain, aller seiner Erben und nachkhomen rechte, gewalt nutz und gewore, darein wir sy mit disem brief setzen und hiemit eingesezt haben wellen, also das sy sich solichs aigenthumbs nun fürohin ewigklich wie an anderen iren freyen und aigenhaffien guettern, auch recht gewohnhait und gebreuchlich ist, annassen und gebrauchen sollen und mögen on alles unser, aller unser nachkhomen und menigklichs widersprechen, irrung, einträge und hindernus, Sy sollen auch darauf uns, allen unseren nachkhomen, und unserm Stüfft Freising an berürtem Schloss Walldenberg kheiner wartt, öffnung, noch underthenigkhait, wie bishero geschehen, füro hin in ewig zeit nicht mehr schuldig noch gebunden sein, in khain weis,. alles erberlich, getreulich und ongeuerlich, mit urkhonde diz Briefs, den wür für uns und all unser nachkhomen offigenannten Wolfgangen von Mächslrain, allen seinen Erben und nachkhomen hieryber mit unserm anhangendem Insigl besigellt haben. Vnd wir Georg Graue zu Orttenberg Thumb Brobst, Degenhart von Weichs Dechant und gemaines Cappitel des Thumstüffts zu Freysing, bekhennen hiemit, das solche freilassung des aigenthumbs der wartt und öffnung auch ändrung und auswechsl der Lechenschafft auf Walldenberg und dem Hof Horgenpach &c, gegen Mächslrain, wie obstet; durch hochgedachten unsern gnedigen Herrn mit unserm Rat, willen und wissen geschechen, gethan und gemacht ist, und haben auch darumben zu merer Bestättung der sachen unsers Cappitels Insigel an disen Brief thuen hengen. Geschehen zu Freysing am Pfinztag in der Quatember nach Lucia von Cristi unsers Lieben Herrn Geburde zu zeelen fünffzehenhundert und im drey und zwainzigisten Jaren.

Extat in inclyto Monasterio Wessofontano quoddam Manuscriptum, in quo legimus, Anno Christi 1524. collationem, provisionem & præsentationem ad Canonicatus Collegiatæ Ecclesiæ B. V. M. Monachii seu divisim seu conjunctim ad Abbates Ettalensem, & Tegernseensem, Benedictoburanum & Wessofontanum eorumque Conventus pertinuisse. Id amplius patet ex copia Processus, ubi inter alia integer catalogus Canonicorum tunc in vivis degentium pertexitur. Hæc nobis Wessofontani nostri suggessere. De his etiam superius egimus.


Henricus, Episcopi nostri Philippi frater, eo anno ad Sedem Ultrajectinam fuit assumptus.

Ratisbonæ præter Cardinalem Laurentium Compegium comparuêre tum Episcopi, tum Episcoporum legati duodecim, Ferdinandus Austrius & Bojariæ Du-

Duces. Philippus noster personam suam misso legato exhiberi voluit. Deplorat Raynaldus defectus Clericorum, qui malo suo exemplo aliis præbuerint scandalum & occasionem Religionem Catholicam deserendi. Idem Scriptor Sanctiones prædicti Conventus Ratisbonensis plena manu refert, ubi à N. XXVI. eas ad hunc annum Lector benevolus reperiet, & publicum rerum ejus temporis statum plenius intelliget.

Interim nova adversus novos Doctores Ecclesiæ Christi accessere subsidia, Ordo videlicet Clericorum Regulatium, qui Theatini appellari solent, & multa deinceps pietatis castra in Italia erexerunt, secuturis temporibus etiam in Germania militaturi. His paulo post accessere è Patribus S. Francisci Capucini, qui, cum Lutherus liberius viveret, propemodum nudi rigido vivendi exemplo Lutheri vitam coarguere cœperunt, atque etiamnum feliciter coarguunt. De utraque illa Sacra Familia in Bojariam posthac introducta deinceps suis locis sæpius agemus.

Flosc. Hist.



HISTO-

HISTORIÆ FRISINGENSIS SÆCULUM NONUM, Ab anno Christi MDXXIV. usque ad annum MDCXXIV.

Sive

LIBER NONUS De Episcopis Frisingensibus.

CAPUT I.

Continuatio Actorum Philippi Episcopi.

§. I.

Conspectus temporis illius, & gesta Philippi usque ad ann. 1529.



Imperator Carolus V. Gallicorum armorum per Italiam successibus excitus, illuc ad initium statim anni 1525. cum exercitu occurrit, dieque 24. Febr. non solum Francisci Regis copias grandi clade afflixit, verum inter captivos etiam ipsum Regem Franciscum numeravit, cumque suis navibus, Gallicis videlicet, in Hispaniam abduxit. Verum anno nondum exacto eum libertati restituit, Leonoramque Sororem suam eidem in sponsam dedit. Quo tamen ille beneficio paulo post abusus, cum Pontifice ac Venetis fœdus iniit, bellumque Cæsari novum movit. In Germania interim Lutheri doctrina per Münzerum ejus discipulum infecti agrestes coloni, cum nihil, nisi plenam libertatem ex ejus doctrina spirarent, arma circumquaque corripuere, ut Principum Præfectorumque jugum excuterent. Primi ex vicinis nostris tantos spi-

Captivitas Regis Francisci.

Seditio agrestium in Germania.

ſpiritus ſumpſere Hegovienſes & Briſgoienſes. Horum exemplum tranſiit in Rhenanos & Alſatas. Secuti ſunt Algoii, Rhæti, Tyrolenſes. Præceſſerant Brandenburgenſes, Francones, Wirrembergici, Auſtrii, Salisburgenſes, quorum ultimi, cum Archiepiſcopum ſuum in caſtro Juvavienſi arcta obſidione obſeſſum tenerent, Bojariæ Ducum opera validiſſime fuere repreſſi. Cæteri, quibus nihil ſanctum erat, ædes ſacras, Monaſteria, calices, ornamenta, omnia incendiis rapinisque miſcuere. Verum junctâ Principum opera In palabundos ira animadverſum eſt, ut ultra centum eorum millia dicanrur fuiſſe in variis provinciis armis interempta. Ne In Bojariam propagaretur malum, Principum domeſticorum vigiles curæ prohibuere. Ex nulla parte majus periculum timebatur, quam ea, ubi Lycus Boios ab Algoiis ſeparat. Algoii tumultuantes Oberdorffii (inter Faucenſem, Campidonenſem, Kauffbuтanam & Schongavienſem Urbes ſito oppido) convenerant, oppidum ipſum foſſa cinxerant, vicinumque collem, Puechel dictum, aggeribus communierant, uti veſtigia ejus rei hodieque cernuntur. Eorum propoſitum erat, vicinos Bojariæ colonos in ſocietatem armorum trahere. Verum cum Duces Bojariæ vicinos Abbates atque præfectos periculi ſecreto commonuiſſent, & prope Lycum aliquot militum millia objeciſſent, via ſeditioſæ audaciæ intercluſa eſt; ipſique Boji agreſtes, quibus jamjam calor ſuccreverat Algojorum exempla ſequendi, ſapere didicerunt. Ita Bojaria pene ſola tumultus illius fuit expers, & in fide orthodoxa perſtitit. Hæc nos potiſſimum ex optimis Monaſterii noſtri Benedictoburani monumentis deſumpſimus. Miramur interim, Heterodoxos gloriari hodie, quod Lutherus ſuos docuerit dominis ſuis morem gerere, qui tamen toti in exitium ſuorum præpoſitorum pruriebant!

Non item in Bojaria.

Philippus Epiſcopns noſter eo anno (1525.) cum Collegio Cathedralis Eccleſiæ ſuper certis jurisdictionibus & officiis diſtribuendis tractatum habuit & concluſit. Januario menſe ſubſeqnentis anni idem Epiſcopus comparavit domum illam Ismaninganam, quæ hodie eſt ſplendida arx, à Celſiſſimo Principe Joanne Franciſco ad animi relaxationem ferme à fundamentis tum reparata, tum exſtructa tum ampliata. Literas emptionis in partem II. differimus.

Arx Ismaningana.

N. 380.

Ad Mohazium Hungariæ fortalitium eo anno cruento prælio à Solymanno victi Hungari, præſidentiæ ac faſtus ſui pœnas dedere. Rex ipſe juvenis Ludovicus, cum fugam eques capeſſerat, ſive Danubii fluctibus hauſtus, ſive in palude ſuffocatus eſt: cui poſtea Ferdinandum I. Hungari collatis ſuffragiis ſuffecêre. Badæ apud Helvetios celebris inſtituta eſt Catholicos inter & Lutheri aſſeclas diſputatio, ad quam Epiſcopus Baſileenſis Chriſtophorus D. Auguſtinum Marium, Friſingenſem Proepiſcopum miſit, ut Raynaldus tradit. Excitatum à Luthero incendium etiam Auguſtam Vindelicorum eo anno corripuit.

Hungari pugnant infeliciter.

Diſputatio cum Heterodoxis.

Ad an. 1526. n. XCVIII.

Quæ victor Carolus V. Romæ per ſuos An. Chriſti 1527. geſſit, nullam apud eundem Raynaldum laudem inveniunt. Superiori anno fœderatum Pontificis, Regis Galliarum, ac Venetorum exercitum die 24. Novembris in agro Mantuano gravi clade attriverat. Poſthac arma in interiorem Italiam promovit; cumque fœderati ſummis viribus obicem ponere conarentur, Romam ipſam aggreſſus eſt Cæſaris exercitus, captamque die 6. Maji urbem diripuit, ipſo etiam Pontifice ſeſe dedere coacto. Laus tunc major tribnenda fuit Guilielmo Bojariæ Duci, qui, cum plures è ſuis novatorum dogmata per Bojariam ſpargentes deprehendiſſet, carceris capitisque ſupplicio eos mactari juſſit. Ex iis quidam Leonardus, cognomine Cæſar, gente Bojus, cæteris inſolentior ad rogum damnatus una cum doctrina ſua in fumum abiit. Philippus Epiſcopus eo tempore lites molitorum ex arbitrio virorum expertorum, Monachio & Landishuto accerſitorum, compoſuit.

Carolus V. Romam diripit.

Henricus, Epiſcopi noſtri frater germanus, ab anno Chriſti 1524. Ultrajectinæ Eccleſiæ Epiſcopns quinquageſimus octavus die 21. Octobris anni 1528. omnia ſæcularis dominationis jura in Carolum V. tranſtulit, uti in Hiſtoria de Rebus

pag. 1.

bus Ecclesiæ Ultrajectinæ legimus. Qua ratione id contigerit, apud Suffridum Petrum in Appendice ad Chronicon Joannis de Beka lector reperiet.

In Spirensibus Comitiis anno prædicto celebratis ii Principes, qui Lutheri doctrina imbuti fuerant, *Protestantium* nomen sibi tribuerunt, quo etiam nomine Schisma palam declararunt: quod in hodiernum usque diem oculis lacrymantibus conspicimus.

§. II.

Prosecutio Publicorum privatorumque actorum usque ad ann. 1533.

Solimannus Turcarum Imperator, ut Hungariam totam compendio in suam potestatem redigeret, Anno 1529. Viennam Austriæ arctissima obsidione cinxit. Optimo vero consilio Tyranni propositum prævertcrant Ferdinandus, cæterique Principes orthodoxi, cum urbi præsidium ingens imposuissent, cui Philippum Palatinum, dictum bellicosum, Ruperti quondam Administratoris Frisingensis, postea ad nuptias digressi, filium, incredibili animi magnitudine Principem, præfecerunt. Patruo illius Friderico, Philippi Episcopi nostri fratri germano, deinceps collectus Catholicorum exercitus cum suprema potestate fuit commissus. Ernestus Pataviensis Antistes submittendæ exercitui secundo Danubio Annonæ curam in se suscepit. Solimannus cum multis gravissimis assultibus nihil proficeret, audiretque, justum Christianorum exercitum ad urbis liberationem imminere, inglorius obsidionem solvit, postquam octoginta suorum millia desiderаverat, velut apud Adelzreitterum Scriptores referunt. Viennæ obsidio. Solvitur.

Anno eodem compluribus prædiis auctum fuit castrum Eisenhovianum, quod suo tempore obventurum erat Frisingensi Ecclesiæ, ut suo loco dicemus. Inter Episcopum nostrum & Præpositum Schlechdorffensem ex una: & Abbatem Benedictoburanum ex altera partibus iterum lites quædam super jure piscandi in Kochelo lacu succreverant, quæ tamen eodem anno fuere compositæ. Hodie, mutato rerum ac jurium statu, ejusmodi controversiæ locus non est.

Proximo anno Carolus V. Bononiæ die 22. Febr. corona Langobardica: ac postea, die D. Apostolo Matthiæ sacra, Imperiali fuit insignitus. Inde postea reversus in Germaniam Sacris Pentecostes feriis Monachii ritu festivissimo fuit exceptus una cum fratre Ferdinando, Hungariæ & Bohemiæ Rege, aliisque proceribus, quos in comitatu habebat. Monachio digressus venit Augustam ad celebranda comitia: quo tempore ei oblata est famosa illa *Augustana Confessio*, cujus authorem ajunt fuisse Melanchtonem. Alios longe diversos articulos exhibuere quædam Imperii urbes, inter quas primo loco memoratur Argentina. Verum Imperator monuit, servandam esse antiquam doctrinam atque religionem. Id cum multi quidem Principes ratum habuissent, Protestantes Schmalcaldiæ novum fœdus pepigerunt, Germaniæ exitiale. Ita novatores nostri, qui identidem ad Cæsarem provocare solent, dum hoc vel illud Cæsar aut prohibet aut præcipit, illi, quod volunt, faciunt. Coronatio Caroli V. Augustana Confessio.

Episcopus noster semper Ecclesiæ suæ commodis intentus, eo anno Lankoveriana prædia in Pierlbach dato pretio acquisivit. N. 381. 382.

Die 5. mensis Januarii anni sequentis (1531.) Ferdinandus, hactenus Hungariæ & Bohemiæ Rex, etiam ad coronam Imperii gestandam electus est, quam etiam post dies paucos Aquisgrani suscepit. Frater ejus Carolus V. Imperator eo Ferdinandus fit Rex Romanorum.

Tollitur Florentina Respublica. anno Florentinam Rempublicam, semper nova molientem, sustulit, & Alexandrum Mediceum, Hetturiæ Ducem instituit. Paruere cum gaudio plures civium: alii vero rixis assueti, cum ex mandato quidem Imperatoris Alexandro fidem jurarent, tam tristes tamen vultus præ se ferebant, ut se potius ereptæ libertatis exequiis interesse testarentur. Verum Imperatori parendum erat, ne majorem illius iram in se Florentini concitarent.

Tractatur de coercendo Isara fluv. Frisingæ eo anno inter Episcopum nostrum, Cathedrale Collegium, Monasterium Neocellense, ac cives Frisingenses conventum est in certas pensiones, ut rapidi fluminis Isaræ fluctus aggeribus & pilis coërcerentur, impendendas. Sua cuique parti pensionis portio assignata est.

Turcæ optant evertere Romanum Imperium. Vulnus, quod nuper Solymanno Turcarum Imperatori apud Viennam inflictum fuerat, nondum obduxerat cicatricem, sed potius eo excreverat, ut is caperet sublimiores spiritus, & totum Romanum Imperium evertere cogitaret: quod is se tanto faciliori compendio consecuturum speravit, quanto certius constabat, ejusdem Imperii Principes ex Lutheri aliorumque novatorum doctrinis in gravissima dissidia abiisse. Ea res, periculumque præsentissimum Christianæ Reipublicæ movit Caroli V. Imperatoris animum, ut frequentissima Comitia, Ratisbonæ celebranda Statibus indiceret. Paruere equidem Cæsaris edicto multi Principes, quibus doctrina à majoribus hausta adhuc cordi erat. Qui vero doctrinis novis, versus Septentrionem exortis in diversa rapiebantur, Sweinfurti, urbe ad Mœnum fluvium in Franconia sita, conventum celebrarunt. Scribit nihilominus Bucelinus noster, quòd eo anno, Christi 1532. Pax quædam Imperatorem inter ac Protestantes fuerit eousque sancita, donec de eadem in Concilio generali propriora statuerentur. Bojariæ quoque Duces, Wilhelmum atque Ludovicum quibusdam controversiis de hæreditarii Ducatus partitione fuisse eo anno collisos, Raynaldus scribit, additque, studuisse Summum Pontificem operâ tum Ernesti Pataviensis Administratoris: tum Cardinalis Campegii, Legati Apostolici, ac Brundusini & Rossanensis Archiepiscoporum, usum esse ad mutuam concordiam inter eos redintegrandam. In partem cujusdam alterius discordiæ etiam venisse Philippum Episcopum nostrum, docemur ex Epistola post sedatam feliciter controversiam à Clemente VII. ad eundem Episcopum data, quæ sic habet:

Mausoleum. Ob dissidia Principum. *Annal. Germanic.* Etiam Boicorum. Qui tamen placantur.

Venerabili fratri Philippo Episcopo Frisingensi.

Et Philippo quoque nostro Ep. conciliantur. *Maxime lætamur, inter vos, ac dilectos filios Wilhelmum & Ludovicum Bavariæ Duces, propinquos vestros, sublatam esse hanc discordiæ causam, benevolentiamque inter vos conservatam dignam vobis, & optatam nobis, qui vestram & illorum pietatem unanimiter, sicut hactenus consentire cupimus, ad tutelam Catholicæ fidei & Apostolicæ dignitatis. Res igitur juxta desiderium tuæ fraternitatis confecta est non sine magna laude eorumdem Ducum, qui ad primam statim admonitionem & operam nostram per Legatum nostrum cum eis interpositam, sicut eorum pietate & virtute dignum erat, de jure suo decedere maluerunt, quam cum tuæ Ecclesiæ læsione, aut vestræ conjunctionis perturbatione Indultum sibi concessum tueri, ex quo & utilitas & tranquillitas tuæ Ecclesiæ in hoc parta est. &c. Datum Romæ die IX. Octobris MDXXXII. Pontificatus nostri Anno IX.* Hæc apud Raynaldum extant, qui tamen causam dissidii inter Episcopum nostrum & Bojariæ Duces oborti non plene explicat. Ominamur tamen, controversiam habuisse ortum ex quadam Pontificia concessione, qua Episcopi jura visa fuerant imminuta, & huic Duces admonitos brevi renunciasse. n. 15.

Turcæ metuunt Caroli V. nomen. Solimannum innumero pene exercitu stipatum, illatis gravissimis Hungariæ & Austriæ malis, solo Caroli metu in fugam denique fuisse conversum, Scriptores tradunt. Galliæ & Angliæ Reges, gloriæ Austriacæ impatientes, multum contulere, ne Germaniæ Principes conciliarentur. Inclyta quoque ac nobilis Suevorum

rum

rum Societas, quæ rebus præclarè gestis plures hactenus annos impleverat, inter turbines illos dissoluta est. Quibus malis ut occurreretur, Carolus V. à Pontifice sæpius efflictim petiit, ut Concilium generale indiceret. Unde Pontifex tandem permotus ad varios Reges & Principes, ac singulatiter ad Status totius Bavariæ literas dedit, eosque exhortatus est, ut grandi illi negocio consilia sua commodarent. Qui Pontifici demonstrat necessitatem Concilii generalis.

Ad annum Christi 1534. nonnemo domesticorum notavit, Ambergæ convenisse Reverendissimos ac Serenissimos Principes & Episcopos Philippum Episcopum nostrum, Joannem Ratisbonensem, & Ernestum Patavienscm, ubi controversiæ quædam, jura Episcopalia concernentes, inter supra dictos Episcopos, & Serenissimam domnm Bavaricam fuerint decisæ. Tractatus Episcoporum cum Duce Bojariæ.

Interim Wilhelmus Bojariæ Dux à Francisco Galliarum Rege, specioso titulo libertatem Romani Imperii tuendi inductus, fœdus armorum cum eodem pepigit. Verum cum demum intellexisset, Francisci consilia potius ad dissolutionem Imperii respicere, retraxit manum, ac fœderi renunciavit. Divus Ignatius eo anno primos sibi socios adlegit, & sicuti antehac conversionis suæ initia apud nostros Montserratenses in Hispaniis posuit, ita hoc anno prope Parisios in Monasterio nostro, quod Mons Martyrum dicitur, in Festo Assumptionis B. M. V. confessione rite facta atque sacra synaxi percepta, ipse sociique voto se obstrinxerunt rebus omnibus (excepto viatico) ad condictam diem renunciandi: procurandæ proximorum saluti Hierosolymam navigandi: idque præstituto tempore, atque ea conditione, ut, si intra præscriptum anni tempus eo navigare, aut in sacris locis postea vivere non liceret, Romam reverterentur; Romano Summoque Pontifici sese ad pedes abjicerent, ut ad suum arbitrium ipsis in salutem animarum uteretur: prout Ribadeneira testatur, additque, viros illos recurrente eodem festo in eodem loco professionem suam deinceps bis innovasse. Qui à Gallo seductus. Brevi sepit. Initia Soc. J. *In vita S. Ignatii.*

Philippus Episcopus noster eo anno manum admovit ædificandæ ei hujus Episcopalis Palatii parti, quæ occidentem respicit. Idem cum jamjam foveret consilium Episcopalem dignitatem in fratris suis Henrici humeros rejiciendi, cœpit pro futura sua habitatione construere amplum illud ædificium, quod secutis temporibus adhibitum fuit, & etiamnum adhibetur ad cerevisiam, quam albam vocamus, coquendam. Antistes noster cogitat Sedi suæ renunciare.

Clemens VII. Summus Pontifex eo anno mundo valedixit: cujus locum unanimi eligentium Cardinalium suffragio obtinuit Alexander Farnesius Romanus, Pauli III. posthac nomen adeptus: quo tempore novatorum doctrina in Wirtembergia, Urbe Monasteriensi, Hollandia & Seelandia gravissimè invaluit. Angliam maxime virulenta dogmata invaserunt, ubi anno Christi 1535. Joannes Fischerus, Roffensis Episcopus, & Thomas Morus Regni Cancellarius ob sanctam in dandis consiliis libertatem capite fuere plexi. Protestantes Germaniæ eo anno rursus Schmalcaldiæ instituere comitia; quo cum etiam venissent Gallici & Britannici Legati, de fœdere ineundo tractatus fuit institutus: quo facto utrum Franciscus Galliæ Rex Christianissimi nomine se dignum exhibuerit, orthodoxus orbis judicabit. Carolus Cæsar eo anno cum Mauris in Africa prælia conseruit, & cum summa gloria confecit: regressusque Victor Romam primum, ac postea in Hispanias se recepit. Clementi VII. succedit Paulus III. Novæ doctrinæ propagatio.

Eodem anno Frisingam venit missus à recens electo Pontifice Paulo III. Petrus Paulus Vergerius, qui Phillppo Episcopo nostro testes suæ legationis literas Pontificias exhibuit, quæ continebant, quo fine is mittatur ad Germaniæ Principes, ac præcipue ad Philippum Episcopum nostrum, cujus magnum sit in Romana Curia nomen & existimatio. Summa commissionis hæc erat, ut Vergerius significaret Principibus, novum Pontificem etiam jam ante sui assumptionem semper existimasse, Germaniæ turbas alio pacto sopiri non posse, nisi convocando Oecumenicum Concilium, in quo de singulis fidei articulis, qui eousque in contro- Episcopus noster interpellatur à Summo Pontifice.

versiam tracti essent, distincte ageretur, &, quid tenendum esset, communibus suffragiis decerneretur. Posse se quidem Pontificia auctoritate indicere ejusmodi Concilium: mallenihilominus etiam Principum & Episcoporum mentem prius explorare, quo tempore, quove in loco ejusmodi conventus videatur instituendus? addebatur vero, in Germania Concilium non videriesse cogendum, quippe ubi inter dissidentes Principes securitas sperari non posset. Videri autem sibi, posse eligi civitates Germanis vicinas, nempe sive Bononiam sive Placentiam, aut Augustam Taurinorum, imo potius Mantuam, quæ esset sub ditione Caroli Imperatoris, & aliis urbibus Germanis propinquior, ac insuper aliis Nationibus, pa-ta, Hispanis & Gallis accessu commodior. Optare itaque se, ut Bojariæ potissimum Principes quamprimum conveniant, deque tempore ac loco deliberent, & quid facto opus videretur, decernant. Bojariæ consiliis cæteros Principes facile esse accessuros. Monuit postea Episcopum nostrum Legatus, ut interim sensa animi sui datis literis Pontifici exprimeret.

Bojorum existimatio apud Pontificem.

Philippi responsum.

Respondit ad hæc Philippus, gratias sese agere Legato, quod se Frisingæ salutare & compellare voluerit. Concepisse se ingens gaudium super manifestato sibi Pontificis proposito. Se nihil omissurum eorum, quæ ad saluberrimum necessariumque opus executioni dandum aliquid conferre possent. Circa loca proposita sibi nullam occurrere difficultatem. Addidit, jam scripsisse se Regi Romanorum, conventuros esse Bojarici Circuli Principes. Quidquid porro ibi cum Regis consensu statuendum foret, se libenter amplexurum. Rogavit postea Legatum, ut se in dandis ad Pontificem literis Eidem ceu obedientem Ecclesiæ filium majorem in modum commendaret. Seipsum quamprimum literas Romam exaraturum. Eo responso recreatus Vergerius, re Frisingæ feliciter & ex animi sententia peracta, Ratisbonam iter instituit, cui Philippus pro Sanctæ Sedis reverentia itineris comites adjunxit, qui eum omni honore prosequerentur, & liberalem semper mensam ei exhiberent. Talem eousque se gessit Vergerius: Verum triste illud secutum est, quod scribit Mezgerus noster, nempe Vergerium demum ipsum doctrina novorum doctorum illectum, à Romana Ecclesia defecisse: quod sine gravissimo Catholicorum scandalo fieri non potuit.

Histor. Salisb. pag. 545.

Legatus Pontificis fit apostata.

§. III.

Ultimi anni, & mors Philippi Episcopi.

P. Corb. Khamm.

CUm anno Christi 1536. Carolus Imperator, & Franciscus Galliarum Rex rursus mutuis dissidiis exarsissent, locum fecere novatoribus, ut signa protervia suæ ulterius facile proferre possent. Augustani cives, ac Magistratus, doctrina Lutheri toti imbuti, ea occasione utendum rati, inter alia hæc audacter postularunt ab Episcopo suo Christophoro de Stadion, ut Missæ sacrificium abrogaret: campanarum usum tolleret: jus in Parochiales Ecclesias Senatui Augustano cederet: Clericos tum Sæculares tum Regulares in Laicos transformaret. Reposuit Episcopus, articulos illos omnes doctrinæ Christi, Ecclesiæ moribus totique retro antiquitati manifestè repugnare, imo etiam pactis publicis adversari: & ideo integrum sibi non esse postulatis Magistratus annuere. Tum vero, Superi! quam non sæviit animosa Heterodoxorum rabies in Ecclesiasticos Viros, ipsasque Ecclesias? Sacraria effringebantur, Missarum solemnia tollebantur, Ecclesiæ & aræ actibus insolitis atque Romanæ Ecclesiæ prorsus adversis contamina-

Insolentia Augustanorum.

Cui se opponit loci Episcopus.

At sine fructu.

mabantur, & quid? Clerus totus die 18. Januarii Anni 1537. ex urbe migrare compulsus est. Pomeridiano itaque diei illius tempore Christophorus Episcopus cum quadraginta suis Canonicis: cum Consiliariis suis Ecclesiasticis ac famulitio Dilingam migravit: quem eo etiam secuti fuere Præpositus S. Crucis cum suis Regularibus Canonicis. Abbas S. Udalrici cum Religioso suo contubernio (excepto uno perfido Apostata) in arcem suam Wittlspacensem, intra Bojariam sitam, concessit. S. Mauritii Canonici Landspergam, alii sacri cœtus alio sese recepere. Templis eum in modum Catholicis ministris destitutis Lutherani imposuere novos novi Evangelii præcones, & antiqua Sacra sursum deorsum everterunt. Et hoc nempe erat dare, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &, quæ Dei, Deo. Cæsar solemni edicto, à Principibus & liberis Civitatibus chirographo Augustæ firmato dudum præceperat, ut prisca Religio inconcusse servaretur, donec in Concilio Oecumenico brevi congregando controversiæ definirentur. Id cum Augustani posthac minime observarent, sed Religionem pristinam ex urbe proscriberent, quis eos dicet fidem servasse sive Cæsari sive Deo? Episcopus Augustanus cum suo Cathedrali Collegio consilium à Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis exquisierunt, qnid in iis angustiis facto opus esset? Sane quid Frisingenses responderint, docet epistola, quam in Parte altera exhibemus. N. 383.

Clerus Augustanus cogitur solum vertere.

Pacatiores fuere anni illi Bojariæ nostræ. Tametsi enim non deessent, quibus dentes in fœcundam Lutheri doctrinam prurirent, Ducum tamen nostrorum providа opera, & severitate factum est, ne pluribus insanire luberet. Episcopus noster An. 1537. cœpta à triennio ædificia in pace ad perfectionem perduxit.

Bojariæ Tranquillitas.

Eo fere tempore Niciæ, Provinciæ civitate, demum convenere summa Christiani orbis capita, Paulus III. Summus Pontifex, Carolus V. Imperator, & Franciscus Galliarum Rex, ut gravissimis dissidiis finis tandem imponeretur, & arma in Turcas converti possent. Verum ibi inter Imperatorem ac Regem nihil actum est. Ne tamen nihil daretur Pontificis precibus, supremi illi Principes inducias ad decennium pacti fuere. Ferdinandus Rex eo tempore cum Turcis in Hungaria infelicem pugnam iniit.

Conventus Niciensis summorum Principum.

Schmalcaldicum fœdus ea tempestate semper magis magisque effervescens, & propositas à Cæsare conditiones contemnens coëgit Principes, antiquæ fidei assertores, ut adversus Protestantium potentiam fœdus defensionis inirent. Id secutum est Norimbergæ, dictum *fœdus Sanctum*, nec immerito, quia nil nisi Sanctitatem antiquæ Religionis spirabat.

Nova Germanorum dissidia.

Eodem anno fatis concessit germanus frater Episcopi nostri Joannes Ratisbonensis Episcopus. Cathedralis illius Collegii Canonici postea vota sua contulerunt in Pancratium Sinzenhofer, Ecclesiæ Cathedralis Decanum atque Custodem, virum pede quidem claudicantem, sed ingenio atque doctrina pollentem. Claudicavit tamen cum tempore etiam capite, cum oculorum & aurium vires eum deficerent: quæ causa fuit, ut Novatores etiam Ratisbonenses fierent animosiores, & Catholicis titibus gravissime insultarent. Ita tum quidem res Catholicæ erant passim graviter afflictæ. Consecrationem Pancratio adhibuere Hieronymus Episcopus Chiemensis, & duo Procepiscopi, Frisingensis atque Ratisbonensis. Episcopus noster eo anno, Christi 1539. ad præcavendas lites circa jura lignandi inter Monasteria Eberspergense, uti etiam Angerense Monachii, in saltu supra Veringam Superiorem, dicto Prüel, 24. lapides limitaneos posuit: eodemque anno ac die etiam cum Bojariæ Ducibus simillimum tractatum iniit. Fuere eodem anno descriptæ metæ, intra quas Episcopo nostro competeret jus piscandi in Goldach amne, jus item pascendi in vicinia illa.

Fata Ratisbonensium.

Philippus controversias quasdam sopit.

Ludovico Duci datis literis conquestus est Episcopus noster, quod colonis qnibusdam suis in Præfectura Mospurgensi, repugnantibus privilegiis, tributa fuerint imposita. Porro literas Landishntani Consiliarii aperuere, atque deprehenso errore colonos Episcopi supra dictos absolvere. N. 384. 385.

Colonos suos defendit.

Annus

Novi Præsules Salisburgi & Patavii.

Annus Christi 1540. supremus fuit Matthæo Langio Cardinali & Archiepiscopo Salisburgensi, qui feria quinta, qua Cœnam Dominicam celebramus, morbo correptus, tertia Resurgentis Christi die vitam ac Purpuram posuit. Vacanti per ejus mortem Cathedræ Ernestus, Pataviensis hactenus Ecclesiæ Administrator, Bojariæ Ducum frater natu minor, impositus est. Eo Salisburgum translato Patavienses Canonici Mense Novembri elegerunt Wolffgangum Comitem Salmensem, qui, cum optimis antecessoris sui vestigiis pie insisteret, nomen suum deinceps immortalitati consecravit. Carolus Imperator eodem anno convocatis Principum comitiis adversus Turcas subsidium postulavit. Philippus Episcopus noster cum Guilielmo Duce Bojariæ de statuendis, aut potius renovandis inter Præfecturam Tölzensem & Comitatum Werdenfelsensem limitibus tractavit: Magistratui vero civico Frisingensi ad plateas urbis silicibus sternendas certam pecuniæ summam annuam ex vectigalibus Frisingensibus assignavit, reservata tamen sibi potestate gratiam illam revocandi, qûam conditionem grati cives acceptarunt, neque unquam in debitum se tracturos datis literis testatum fecerunt. Cæterum eo anno Philippus adjutorem oneris Episcopalis obtinuit fratrem suum germanum Henricum Comitem Palatinum, eousque Canonicum Augustanum, & Coloniensem, Præpositum Argentinensem, Elvacensem & Aquisgranensem: Ultrajectensem & Wormatiensem Episcopum. Quid eo in negotio contulerit Cathedrale Collegium, nemo domesticorum nobis scriptum reliquit. Existimamus nihilominus, eam Henrici substitutionem ex consensu Canonicorum contigisse, quod conjicimus ex eo, quia Ferdinandus Germaniæ Rex ceu Dux Carnioliæ jam mense Martio anni 1540. Henrico ceu Administratori Frisingensi Privilegia Lacopolitana confirmavit: Pontifex primum die 27. Augusti ejusdem anni Henrico confirmationis gratiam impendit.

Curæ pervigiles Episcopi nostri.

Notata Celsissimi.

Qui sibi ad jutorem adoptat.

P. Khamm part. I. pag. 615.

N. 386.

Mors Episcopi nostri.

Sane Philippus noster deinceps non diu provixit, die 5. Jan. anni 1541. in æternitatem translatus feliciter, uti dubitare non sinunt merita Principis, pacis, Cleri, pauperumque amantissimi, & in Ecclesiam suam Cathedralem liberalissimi. Sepultus fuit ad primam columnam, quæ Ecclesiam Cathedralem ingredientibus ad lævam occurrit. Ejus epitaphium marmori insculptum, in quo ipse Crucifixi imagini adgeniculatus, ac propinquorum insignia numero sedecim ex utraque parte cernuntur, sic habet:

Epitaphium.

Anno Domini MDXLI. quinta die Januarii obiit Reverendissimus in Christo Pater illustrissimus ac . . . . Princeps & Dominus Dominus Philippus Episcopus Frisingensis, Administrator Nummburgensis, Comes Palatinus Rheni & Bavariæ Dux, cujus vita in Cælis, & fama in terris perhennis erit. qui Ecclesiæ Frisingensi annis XLII. fæliciter præfuit. Ita Epitaphium muro insertum. Lapis sepulchri sequentia exhibet.

Arida sacrati tegit hic lapis ossa Philippi,
Orbe viret toto nescia fama mori.

Aliæ laudes.

Desinit cum hoc Episcopo Chronicon quoddam Frisingense, iis verbis. *Hic venerandus Pontifex in castro Frisinga fontem valde perutilem ex lapidibus pretiosis & marmoreis jussit fieri structura tam pretiosa, firma ac perutilis, quod in terris nostris vix sibi similis reperitur. Insuper & castrum ibidem tantis ædificiis construi ac decorari permisit, qualia nullus Episcoporum ante ipsum fecit, ut cernitur ad oculum.* In marmore muro ædificii inserto leguntur sequentia:

Philippus Bischove zu Freysing
Administrator zu Numburg, Pfalzgrave
bey Rein, Herzog in Beyrn hat disen
Paw von grund aufgefuert und verbracht
Anno Domini M D XIX.

Chro·

Chronicon Viti Adami adjungit, Philippum etiam anniversariam sui memoriam fundasse.

Laudibus Philippi etiam alii merito adjungunt, quod fuerit fautor insignis doctorum hominum: item singularis cultor Deiparæ, nec non Divorum Alexandri, Justini atque Nonnosi: quorum trium sacra lipsana decentius reponere cogitabat, si provixisset. Lectorem, hujus Aulæ inspectorem, monemus, columnas marmoreas, quæ in atrio Episcopalis triclinii bellissime sculptæ visuntur, Philippi egregium opus esse.

Obiit itaque Philippus noster Paulo III. Summo Pontifice, qui recens natum S. Ignatii Institutum, in monte potissimum Casinensi conceptum, confirmavit, eodem S. Ignatio in nostra Divi Pauli Basilica extra almam urbem via Ostiensi sita, coram ara S. P. Benedicti sacram illam cæremoniam Professionis cum suis innovante. *Gabr. Bucel. & Scriptores citati in Benedicto redivivo.*

Imperio eo tempore præerat Carolus V. Ferdinandus verò Rex erat Germaniæ &c. Salisburgensem lituum gerebat Ernestus, Wolffgangus Pataviensem, Pancratius Ratisbonensem, Christophorus Fuchsbergius Brixinensem, Wilhelmo & Ludovico rerum Bojariæ potientibus.

Cum anno, ut sæpe diximus, Christi 1701. Kalendis Aprilis occasione pavimenti Ecclesiæ Cathedralis etiam tumulus Philippi fuisset apertus, patuit, eum fuisse repositum in Sacrophago abiegno, nullo muro munito. Vestium pars potior nondum erat corrupta. Caput cadaveris etiamnum omnes fere dentes monstrabat.

Ad laudes Philippi pertinet editio Directorii perpetui Officiorum Ecclesiæ Frisingensis: item *Breviarii*, ac insuper Diurnalis Frisingensis, facta Venetiis.

CAPUT II.

Henricus III. Episcopus Frisingensis XLVIII.

§. I.

Primordia Episcopatus Henrici III.

Monere Lectorem opus non est, ex qua progenie prognatus sit Henricus, de quo hic agendum est. Id enim totum jam in præcedentis Capitis ultimo paragrapho, & alibi commemoravimus. Prædecessores in hac Frisingensi Cathedra habuit duos suos germanos fratres Rupertum & Philippum, raro, & fortassis vix alibi reperiendo exemplo, maxime cum Philippus frater ultra 40. annos in hac Frisingensi Sede exegerit. Hic solum illud suggerimus, quod ex Romanis scriniis Frisinga accepit, ubi sic habetur. *Anno MDXL. die Veneris XXVII. Augusti SS. D. N. deputavit coadjutorem cum futura successione R. D. Philippo Episcopo Frisingensi in sua Ecclesia R. P. D. Henricum Episcopum Wormatiensem, dicti Philippi fratrem germanum, cum retentione Ecclesiæ suæ & aliorum.* *Henricus duorum prædecessorum frater.*

Ejus in Urbem ingressus.

Philippo fratre suo è vivis digresso, Henricus hanc urbem ingressus est die 4. Octobris 1541. Latus ejus stipabant Fridericus Elector Palatinus, & Wolffgangus Dux, germani fratres Henrici, una cum Nobilium caterva, quæ tantos Principes decebat.

Nequitia cujusdam Ministri.

Præmissus obviam fuerat Præfectus hujus Aulæ Mitelbeckius, qui, dum urbi propinquabat novus Administrator, multa de civibus, aliqua etiam de Cathedrali Collegio sinistre suggessit. Unde cum etiam cives eum vexillo obviam illi progrederentur, dolum primum suspicatus, absque timore non fuit. Verum postquam conspexit integerrimam civium submissionem atque reverentiam, plenus solatio liberalitatis suæ argumentum iisdem exhibuit. Cathedrale quoque Collegium omnem sinistræ mentis suspicionem à se facile dimovit, dum eum proxima statim die in possessionem Episcopatus immisit: Cives vero die 13. ejusdem mensis Octobris fidem Henrico jurarunt. Formulam juramenti in Parte altera
N. 387. exhibemus. Interea Lectoris judicio expendendum relinquimus, an Henrici promotio nullas reipsa apud Frisingenses difficultates ante ejus adventum passa sit?

Cæterum eo anno primi ex nuper confirmata Societate Jesu duo Patres Petrus Faber, & Claudius Jajus in hanc Bojariam advenere, adversus hæreticam pravitatem inter alios præstantes viros strenue depugnaturi.

Henrici ex fratre Ruperto, olim itidem Frisingensi Administratore Nepos Otto Henricus, Dux Neoburgicus eo anno sua ad Lutheri placita defectione Henricum nostrum, & Catholicos omnes graviter afflixit. Spiræ eo tempore rursus Comitia Imperii Procerum fuere coacta, petitaque adversus Turcas subsidia. Missus est deinceps Christianus exercitus in Hungariam: qui tamen socordia Ducum graviter attritus & profligatus fuit. Ferdinandus Rex, ab Administratore nostro interpellatus ob tributa, quæ in hæreditariis Austriacæ Domus provinciis Frisingensis Ecclesia etiamnum possidet, Panchartam ei contulit, & Cæsareæ Maje-
N. 388. 389. statis authoritate ceu Principem Frisingensem legitime instituit.

Ernestus Salisburgensis Archiepiscopus à variis conventus, ut in materia Religionis aliqua immutaret, negavit, se injussu Pontificis, quidquam mutaturum, aut mutari permissurum. Ismaningani Coloni Henrico Administratori condixere, se posthac ea subsidia, quæ novis Episcopis ad sumptus in consecratione faciendos pendi solent, libenter exhibituros. Interim Henricus paulo post à Summo Pontifice consecrationis dilationem petiit & impetravit, eo quod corporis infirmitate laboraret.

Notata Celsissimi.

Proepiscopus Frisingensis obit.

Anno 1543. è vivis pie excessit Reverendissimus D. Marius, Proepiscopus Frisingensis, natione Suevus Locherensis, in inclyto (uti moniti fuimus) Canonicorum Regularium ad Insulas Wengenses Ulmæ Divi Augustini Regulam professus, postquam ob summam doctrinæ laudem, ex Universitate Viennensi reportatam, primum in Ecclesia Cathedrali Ratisbonensi concionatoris munus obtinuit: ac postea etiam sublimiorem gradum consecutus, Episcopus Sidonensis, & Proepiscopus Frisingensis renunciatus, adversus Novatores qua voce, qua calamo strenuissime decertavit. De illo jam superius ex Raynaldo mentionem ingessimus.

Elector Coloniensis meditatur defectionem.

Eodem anno novum vulnus res Catholicæ inflixit Hermannus Coloniensis Archiepiscopus & Elector, dum se Heterodoxorum numero adjungere, ac Buceri & Melanchtonis opera Principatus, ad Coloniensem Cathedram pertinentes, à doctrina Orthodoxa avellere studuit. Ejus tamen pravis conatibus tum Collegium Metropoliticum, tum Clerus uterque, Sæcularis scilicet & Regularis sese fortiter opposuit. Henricus Administrator noster eo anno Cœmeterium extra Urbem ampliavit, & Sacellum, quod ibidem etiamnum conspicimus, erigere cœpit, quod deinceps ad perfectionem perductum fuit.

Initia Concilii Tridentini.

Inter hæc cum non solum in Germania, verum etiam in Anglia Novatorum doctrinæ gravissime invalescerent, ipseque Rex Angliæ post carnis pudenda sce-

lera

lera ad castra ab Ecclesia Romana dissentientium transiisset, ac insuper magni quidam Germaniæ Principes Lutheri dogmata ceu sibi summe proficua certatim amplecterentur, sacra insuper omnia in usus prophanos incredibili licentia converterent, Paulus III. tantis Ecclesiæ malis, quoad fieri posset, occursurus Oecumenicum Concilium Mantuæ celebrandum indixit. Cum Mantua eidem fuisset denegata, Vicentiam delegit: quæ urbs cum iterum non arrideret iis, quorum intererat, demum ad Germanorum potissimum vota ac commodum Tridentinam Urbem elegit, ubi de rebus Ecclesiæ tractandis, dissidiisque sopiendis communi consilio ageretur. Oecumenici Concilii indictio contigit an. 1542. mense Majo: verum intervenientibus moris necessariis primum anno 1545. Tridenti comparuere Cardinales Sedis Apostolicæ Legati: Archiepiscopi quatuor. Episcopi viginti duo: Regis Romanorum Oratores duo, Generales Ordinum quinque, cum multis tum Regularibus tum Sæcularibus Doctoribus. Mense Decembri Sessio prima fuit instituta, in qua tamen nihil aliud, quam de inchoando Concilio actum est. Secuta fuit sessio altera die 7. Jan. ann. Christi 1546. ubi supervenientibus pluribus Patribus decretum emanavit super modo vivendi & aliis in Concilio servandis. Miramur, nonneminem Canonum Professorem scribere, Generalibus Ordinum Mendicantium postpositos fuisse Abbates, cum tamen in Actis Concilii Tridentini in Editione Harduiniana videamus Abbates semper præponi prædictis Generalibus, prout statim apparet ex Sessione secunda mox memorata, in qua Regularibus omnibus præferuntur *tres Abbates Ordinis Sancti Benedicti*, & Generales prædicti primum subsequuntur; id quod neutiquam æmulationis, sed solo veritatis atque sinceritatis studio hic animadvertere visum est.

Porro deinceps collecti Patres ad quæstiones in materia fidei examinandas definiendasque processerunt. Ex Lutheranis, qui toties ad Generale Concilium appellaverant, nemo comparuit. Lutherus eodem anno animam suam efflavit; reliquit tamen post se proh! quantos Doctores, inter se perpetuo scriptis ac verbis, aliquando etiam armis digladiantes, puta Calvinianos, Zwinglianos, Anabaptistas, Westphalicos, Molles, Wiclefistas, Schwenkfeldicos, Davidicos, Quintinistas, Stancarianos, Bezavitas, Servetianos, Musculanos, Osiandrinos, Antischfeldicos, Sturmianos, Anti-Lutheranos, Luthero-Calvinisticos, Heshusianos, Majoristicos, Illyricanos, Anti-Trinitarios, Polygamistas, Puritanos, Interimistas, Justificatos, Metamorphistas, Clancularios, Manifestarios, Sabbatarios, Biblistas, Neutrales, Bis-Sacramentarios, Tris- & quadri-Sacramentarios, & plures alios, qui omnes & singuli purum & merum verbum Dei, doctrinamque intaminatissimam sese spargere contendebant.

Lutheri partus.

P. Gab. Bucelinus in Annal. Germ.

Hi nempe fructus pessimi secuti sunt, postquam semel Lutherus hominibus persuasit Patrum scripta, ac Conciliorum Decreta, imo ipsam Scripturam abjicere, quando dicit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, ut jam alibi monuimus.

Heterodoxi eo anno bellum ipsi Imperatori denunciarunt, dictum Schmalcaldicum, nempe à loco, ubi fœdus iverant, iisque etiam Fridericus Palatinus accesserat, eo quod certam illi petitionem Cæsar denegasset. Castra ab ipsis posita fuisse Monachium inter & Ingolstadium Adelzreitterus prodit. Imperatori Bojus adhæsit. Pugnavit feliciter Cæsar, hostesque suos brevi in fugam convertit, adegitque, ut gratiam Imperatoriam supplices implorarent. Commodum fortassis Frisingæ accidit, quod Fridericus Palatinus in Heterodoxorum exercitu esset. Sperari enim poterat, non commissurum Fridericum, ut fratri suo, Administratori nostro Henrico, damnum aut periculum accederet. Sane Ipse Fridericus eodem anno Cæsari reconciliatus est: annoque proximo, Christi 1547. Carolus totam pene Germaniam Victor subegit, & nova Comitia Augustam indixit, in quibus postea etiam Protestantes condixere, se morem gesturos Tridentino Concilio. Porro ipsum Concilium ob morbos Tridenti grassantes eodem adhuc anno Bono-

Bellum Cæsari denunciant Heterodoxi.

Fortiter reprimit.

Translatio Tridentini Concilii.

niam translatum est, ubi etiam continuatæ fuêre sessiones die 2. mensis Junii, & 14. mensis Septembris: quo tempore prorogatum fuit ipsum Concilium usque ad annum Christi 1550. Tridenti deinceps reassumendum.

Elector Coloniensis exautoratur. Hermannus, inter Colonienses Antistites eo nomine quintus, cum jam ab anno 1530. Heterodoxis palam addictum sese monstrasset, à Pontifice Romano & Carolo Cæsare ad summas angustias redactus, & è Sede sua pulsus est anno, quem præ manibus habemus, Christi 1547. quo Henricus Angliæ Rex, qui olim edito adversus Lutherum Scripto defensor religionis appellari meritus fuerat, posthac in schismate firmatus animam efflavit. Hermanno in Sede Coloniensi Adolphus de Schauenburg suffectus est, qui deinceps rem Catholicam fortissime propugnavit.

§. II.

Reliqua ejus temporis, atque Henrici Acta, hujusque mors.

Evocaverat ad finem anni supradicti Imperator Augustam Vindelicorum Imperii Ordines, ubi etiam deinceps multa præclare fuere tractata, fide & Clero in eam urbem reductis, & Senatu Urbis exauctorato. Illud tamen Carolus peccavit, quod certos fidei Articulos, in unum libellum contractos proposuerit, Libellus *Interim.* qui servandi essent, donec Concilium aliter statueret: qui libellus idcirco *Interim* fuit appellatus. Certe absque Pontificis auctoritate id Carolo non licebat. Cæterum apud Heterodoxos nihil eo statuto effecit Imperator, quippe ejusmodi libellos præfracte respuebant, suisque potius imaginationibus morem unice gerebant. Efficacius Religioni Orthodoxæ prospexit Wilhelmus Bojariæ Dux, qui anno 1549. Patres Soc. Jesu incipiunt docere Ingolstadii. Ingolstadiensi Universitati novos è Societate Jesu Theologos imposuit, à Pontifice & S. Ignatio missos. Ut Academia illa instaurari, & Collegium Patribus illis erigere posset idem Dux, Sancta Sedes ei ad triennium omnes Proventuum Ecclesiasticorum decimas concessit. Synodus Salisburgi. Salisburgensis quoque Archiepiscopus diligentissime invigilavit, ne quid perversæ doctrinæ inter suos obreperet; eumque in finem eodem anno die 18. Febr. Synodum Provincialem indixit. Comparuere itaque Salisburgi ipse Archiepiscopus: Episcopi Ratisbonensis, Pataviensis, Chiemensis, Seccoviensis & Lavantinus. Henricus Administrator noster, & Brixinensis Episcopus Oratores miserunt. Et quidem ex hac Frisingensi Diœcesi nomine Henrici Administratoris Synodo præsentes se stitere

D. Antonius de Albendorff Decanus & J. U. Doctor.

Nomine Collegii Cathedralis
Mauritius à Sandizell.
Georgius Wirtemberger J. U. Lic.

Nomine Collegiatarum.
M. Michael Graiser Decanus S. Viti extra muros.

Nomine Prælatorum.
Benedictus Abbas Rotensis
Ord. S. Bened.

No-

Nomine Decanorum Ruralium
totiusque Cleri.

*D. Michael Zerrer Decanus in
Nider-Rot.
D. Wolffgangus Dinckl Decanus in Dorffen.*

Aliorum, qui Synodo intervenete, nomina Hundius tecenfet: inter quos etiam Hilarium Perger Canonicum S. Viti Frisingæ Lector reperiet. Extat in Rotensi nostro Monasterio Instrumentum, ex quo Lector fortassis nomina quædam eorum, qui Salisburgum missi fuere, castigatius reperiet, ibique pleniorem notitiam hauriet. Illud sic habet. *T. I. à p. 89.*

*Henricus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Administrator Wormatiensis & Frisingensis Ecclesiarum, Præpositus Elbac. Comes Palatinus Rheni & Bavariæ Dux &c. Universis & singulis Abbatibus, Præpositis, ac tam Collegiatarum, quam Ruralium Ecclesiarum Decanis cæterisque præsbyteris per civitatem & Diœcesin nostram Frisingensem ubilibet constitutis salutem in Domino. Cum Reverendus in Christo Pater & Illustris Princeps Dominus Ernestus, confirmatus in Archiepiscopum Ecclesiæ Salzburgensis, Apostolicæ Sedis Legatus, Com. Pal. Rheni, Superioris & inferioris Bavariæ Dux &c. Dominus & consanguineus noster charissimus non longè retro acto tempore una cum ejus provinciæ Coepiscopis, nostrisque ac aliorum absentium Oratoribus & Nuntiis Capituli Metropolitici ac aliarum Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, insuper & Prælatorum & communis Cleri missis procuratoribus in civitate Salzburgensi Synodum provincialem celebraverit, ac Venerabilis nobis dilectus Benedictus Abbas in Roth sui ac aliorum Prælatorum, Magister Michael Grasser Decanus Collegiatæ Ecclesiæ S. Viti extra muros Frisingenses Collegiatarum nomine, ac Michael Zerrer in Niderrot, & Wolfgangus Trinckl in Dorffen Decani rurales suorum & aliorum Decanatorum ruralium & communis Cleri Diœcesis nostræ Frising. nominibus eandem Synodum provincialem visitarint, ac ita cum totis familiaribus & equis in præfata civitate Salzburgensi, in eundo & redeundo expensas fecerunt, quibus etiam nonnulla aliæ pro communi utilitate expensæ accedunt; Ne igitur præfatus Prælatus, ac alii procuratores & Syndici, qui absentium vices suppleverunt, ac eos à personali comparitione relevarunt, expensis per eos factis defraudentur, sed, ut par est, indemnes habeantur, ac eisdem hujusmodi expensæ restituantur, vobis omnibus & singulis, qui præsentibus requisiti fuerint, mandamus, ut Joanni Speisser Pedello, præsentium exhibitori hujusmodi expensis juxta taxam vobis in scriptis, & sub Secreto nostri Vicariatus designatam, realiter & cum effectu, ac absque omni mora persolvatis, & quilibet vestrûm persolvat, ut idem juxta mandatum nostrum præfatum Prælatò ac aliis procuratoribus & Syndicis easdem expensas restituere possit, alioquin tanquam * rebelles & contumaces ad debitas pœnas procedemus. De executione præsentium stabitur Relationi præfati Joannis Speisser Pedelli. Dat. Fris. die 21. mensis Novembris anno Domini 1549.*

Partitio sumptuum a Procuratoribus factorum.

* Supple, contra.

Rr 3 *Taxa*

Taxa

Expensionum per Prælatos Monasteriorum & Collegiatarum & Ruralium pariter Ecclesiarum Decanos nomine communis Cleri Diœcesis Frisf. ad Synodum provincialem Salzburgensem nuper celebratam constitutos & Deputatos factarum, & ab aliis absentibus Prælatis, Clericis in dictarum missionum relevationem imposita, sequitur, & est talis.

Prælatorum.

Tegernsee. *Ebersperg.* *Scheyrn.* *Roth.* *Ettal.* *Raittenbueh.* *Understorff.*	*Prælatus quilibet Flor. Ren.* 6.
Weibensteven. *Attl.* *Beyharting.* *Dietramcell.* *Weyern.* *Schlehdorff.* *Beylberg.* *Fyrstenfeld.* *Neustyfft.* *Scheftlarn.*	*Prælatus quilibet Flor. Ren.* 4.

Summa facit Flor. Ren. 82.

Collegiorum.

S. Andreæ Frising. *S. Viti Frising.* *B. Virg. Monacens.* *S. Castuli Mosburg.* *S. Zenonis in Isn.*	*Capitulum quodlibet Flor. Ren.* 7.

Facit in Summa 35. *fl.*

Ruralium Ecclesiarum.

Quilibet Decanus cum sui districtus Clero Flor. 6.

Hæc ibi.

Ram-

Ramsavienſe Monaſterium dicto anno 1549. vix non ultimum excidium fuit perpeſſum. Sigismundus Fraunbergius eo tempore Comitatum Haagenſem obtinuerat, qui primus ex Fraunbergiis Comitis titulum aſſumpſit. Hujus filius Ladislaus Fraunbergius, à fide orthodoxa totus alienus, dicto anno bilem omnem in innocuos Aſcetas convertit, tanta perſecutione in eos graſſatus, ut omnes è ſua illa ſede ejecerit, ſibique bona ac cenſus annuos uſurparit. Inde factum eſt, ut deinceps Monaſterium illud ab anno Chriſti 1550. usque ad annum 1593. non ſolum nullos Religioſos indigenas habuerit, verum etiam ea temporis intercapedine ultimam ruinam tolerare debuerit: quod ex faſtis Ramſavienſibus edocti ſuimus. De reſtauratione ſecuta agemus ſuo loco. Fata triſtia Monaſterii Ramſau.

Proepiſcopus Friſingenſis Oſwaldus Fiſcher Epiſcopus Darienſis eodem anno menſe Auguſto atas tres Eccleſiæ nuper in Cœmeterio Friſingenſi erectæ conſecravit. Paulus vero III. Summus Pontifex fatis conceſſit: poſt quem anno 1550. in Divi Petri Cathedram ſummis ſuis meritis ſublimatus eſt Joannes Maria Cardinalis de Monte, qui Pauli III. deceſſoris ſui loco hactenus Tridentino Concilio Præſes præfuerat. Eum in Pontificatu Julium III. dixere. Is eodem adhuc anno de reductione Concilii ad Tridentinam Urbem, & de abolendis religionis diſſidiis Bullam edidit: quæ etiam eodem anno in novis Auguſtanis Comitiis coram Cæſare & Ordinibus promulgata fuit. Ipſe Cæſar paulo poſt Tridentum Oratores ſuos miſit. Literas Ottonis Cardinalis Auguſtani eo tempore ad Henricum noſtrum datas ceu lectu digniſſimas in Parte II. exhibemus. Monachii eo tempore Wilhelmus Bojariæ Dux diem ſupremum clauſit: ſilioque ſuo Alberto Ducatum univerſum reliquit. Ibidem cum inter piſcatores Monacenſes ac Friſingenſes novæ tricæ ſubortæ eſſent, introſpectis legibus inter eos antiquitus latis litigatores inhærere juſſi ſunt. Paulo III. ſufficitur Julius III. PP. N. 390.

Floruit ea ætate Eberhardus ab Hitnhaim J. U. D. Canonicus primum, poſtea etiam Officialis Friſingenſis: qui tamen Canonici dignitatem poſtea Jacobo à Weſterſteten ceſſit, factus Præpoſitus & Archidiaconus Salisburgenſis, ac demum Epiſcopus Euſtettenſis. Apud clar. P. Bernardum Pezium legimus, Wolffgangum Sedelium ſupra laudatum Tegernſeenſem Aſcetam clariſſimum magnis precibus obtinuiſſe ab Abbate ſuo Auguſtino licentiam adverſus novos doctores ejus temporis, ubicunque opus eſſe videretur, ſacram doctrinam interpretandi, Evangelium prædicandi, aut etiam Profeſſoris Theologiæ munus ſuſcipiendi.* Tegernſeenſibus tamen literis edocti ſumus, eum paulo poſt ad Tridentinum Concilium fuiſſe miſſum. Magnum etiam eo tempore erat nomen Floriani Trefleri Aſcetæ Benedictoburani eruditiſſimi, qui zelo ſane ferventiſſimo ingentes fructus in vicinia illa ad ſalutem animarum retulit, ac poſtea vulgatis operibus ſuis, ſæpius recuſis, etiam in exteros doctrinam orthodoxam feliciter propagavit. Promotio Eberhardi Canonici Friſingenſis. *Anecdot. T. 3. Part. 3. col. 556.*

Dum anno 1551. mandante Julio III. Summo Pontifice rurſus Patres ad Sacra Comitia Tridenti conveniunt, Gallus rurſus Proteſtantibus ſeſe conjungit, & Cæſari bellum infert. Contulerat Carolus biennio abhinc filio ſuo Philippo Hiſpaniarum Regi Dominium Belgicarum Provinciarum, quarum amiſſionem tanto ægrius ferebat Gallus, quod illa olim fuerint dominii Gallici, unde etiam Gallia Belgica dictæ fuerant. Hinc ultionem parans, Cæſare aliis bellis & diſſidiis componendis implicito, celeberrimas munitiſſimasque Imperii Urbes, Metas, Virodunum, & Tullum aggreſſus, eas feliciter expugnavit, in hodiernum uſque diem nondum reſtitutas. Ulterius etiam progreſſis iris Mauritium Saxonem, in quem non ita pridem Carolus inſigni gratia Electoralem Saxoniæ dignitatem tranſtulerat, adverſus Cæſarem concitavit, qui etiam ejus monita ſecutus, arma corripuit, &, dictu mirabile! usque Oenipontum cum exercitu per Alpes penetravit. Tam inſperato nuncio exterriti Patres Tridentini, cum, uti triennio abhinc Gallus iterum arma conjungit Novatoribus.

Mors Henrici nostri. hinc à peste, ita modo à bello maximum periculum sibi timerent, Concilium rursus dissolverunt. Inter eas rerum ac periculorum asperrimas vicissitudines Henricus Administrator noster die ultima anni 1551. pie in Domino quievit, Lautenbergæ. * Ejus exuviæ postea Wormatiam translatæ, ibique conditæ fuere. Memorant recentiora duo Frisingensia Chronica. eum fuisse Principem erga universos perquam benignum, maxime tamen erga Clericos pauperes, quod idem Hundius restatur, asserens, Palatinis Principibus clementiam solere innasci. Cæterum constat, sub hoc Henrico complures fundationes antiquas ad numerum minorem fuisse redactas: quod plane mirum non est. Cum enim crescentibus temporum successu rerum pretiis antiquæ fundationes pecuniariæ congruum Sacerdotibus stipendium non amplius afferrent, opus erat plures conjungere, ut ministri servientes altari possent vivere de Altati, velut Sacris Literis cautum est, & nos jam alibi diffusius demonstravimus.

* *Forte Ladenburgi?* Laudes. *Tom. I. Metrop. p. 112.*

Canonici S. Joannis jubentur psallere in Cathedrali. Idem Henricus, cum perpenderet, exiguum numerum Canonicotum Collegiatæ Divi Joannis Ecclesiæ ad publicam psalmodiam non esse sufficientem, eos ad Chorum ipsius Ecclesiæ Cathedralis transtulit, ita tamen, ut certas quasdam functiones in sua Collegiata statis temporibus peragerent.

Mors itaque Henrici Administratoris nostri incidit in illud tempus, quo Carolus V. fasces Imperii adhuc gerebat, Ferdinandus vero Germaniæ Rex appellabatur. Thronum Apostolicum Julius III. obtinebat: Brixinensem, simulque Tridentinam Sedem maximis meritis illustrabat Christophorus Madrucius S. R. E. Cardinalis: Pataviensem Wolffgangus Comes Salmensis, doctrina ac Religione inclytus: Ratisbonensem Georgius Mareschallus à Pappenheim. Bojariæ vero dominabatur Albertus V. Sane qui Henrici obitum usque ad annum 1554. differunt, manifeste hallucinantur, uti ex sequentibus fiet manifestum.



CAPUT

CAPUT III.

Leo, Episcopus Frisingensis XLIX.

§. I.

Leonis Episcopi Acta priora, ubi etiam de Statu Ecclesiæ & Imperii.

LEonis Parens erat Augustinus Löſch de Hilckershausen, Bojariæ Ducum Cancellarius, de universa provincia adversus novatorum dogmata gloriose defensa optime meritus, cujus Majores è Franconia in Bojariam migraverant. Mater erat Anna, ex nobili familia de Thann prognata. Leo, cum ingentes in studiis progressus fecisset, tandem utriusque Juris supremam lauream est consecutus. Frisingenses postea Canonici, & mox etiam Patavienses eum socium honoris assumpsernnt. Accessere cum tempore etiam aliæ dignitates, nempe Scholastici, Præpositi Mospurgensis & Isanensis, demum etiam Frisingensis: quam tamen posteriorem Præposituram apud Hundium dicitur eessisse Vito de Fraunberg, jactura tanto minus pœnitenda, quanto majori dignitate mox auctus est, eum anno 1552. die 15. Febr. patrocinantibus non solum meritis propriis, sed etiam faventibus Bojariæ Principibus salutatus est Episcopus Frisingensis: qui etiam misso ad Urbem Henrico Schweicker electionis suæ confirmationem die 11. Maji facile impetravit. Erat Leo singularis cultor scientiarum, & linguarum etiam exterarum: quas cum optime calleret, magnis Principibus sese reddidit acceptissimum. Is, cum anno 1530. inter Canonicos locum jam haberet, aliquando in campo jaculatorio prope Ingolstadium metam, quam nunquam somniaverat, telo suo attigit. Tametsi enim ad dioptram & metam propositam collinearet, Sagitta tamen ipsius non scopum desideratum, sed hominem feriit retro asserem stantem, qui intra dies pauculos ex vulnere obiit. Id Leo acerbe doluit, tantumque flagitium se commisisse existimavit, ut absolutionem ab ipso Summo Pontifice expetendam censuerit. Eam etiam libenter Impendit Pontifex, data Christophoro Tengler Vicario Generali Frisingensi potestate, eum à censuris liberum pronunciandi, quod is etiam præstitit. Pie creditur, Deum in electione Leonis merita parentis ceu strenuissimi fidei orthodoxæ propugnatoris respexisse. Cæterum Leo factus Antistes Episcopale ærarium invenit fere exhaustum, idque ob gravissimas expensas ad Turcos, & heterodoxos reprimendos à decessore suo necessario factas: quæ eadem causa etiam fuit Leoni sumptus ingentes faciendi, maxime eum Gallus Imperium, Saxo etiam Comitatum Tyrolensem invasisset, ut supra diximus: qua Saxonis irruptione inclytum Monasterium Ettalense gravissimam direptionem passum est. Cæterum ne dubium relinquatur Lectori, an annum ele-

Prosapia Leonis.

Doctrina.

Dignitates. Tom. I. pag. 181.

Electio.

Infortunium.

Res arctæ Frisingæ.

ctionis Leonis bene assignaverimus, monemus, Romæ hæc annotata legi: *Anno 1552. die 11. May SS. D. N. approbavit electionem de persona Reverendissimi D. Leonis Electi Frisingensis in illius Episcopum per Capitulum dictæ Ecclesiæ Frisingensis, tum per obitum b. m. Henrici extra Romanam curiam defuncti vacantis celebratam.* &c. Ita ibi.

Pax Pataviensis infausta.

Rebus Cæsaris ob tot hostes ad arctas angustias prolapsis tandem eodem anno inter litigantes Lyncii institutum fuit colloquium, deinceps Patavium translatum non sine ingenti Catholicæ fidei detrimento. Sancita equidem pax fuit, verum nonnisi sequentibus conditionibus, quas ex Joanne Palatio exscribimus, nempe *ut intra dimidii anni spacium comitia haberentur, ubi sub præsidio Cæsaris pertractaretur, qua via, nimirum Generali, seu Nationali Concilio, aut colloquio, vel communi etiam Imperii Conventu Religionis sopiatur discordia? Decidentium par numerus esset ex utraque Religione delecti cum mandato deliberandi: & hoc absque Electorum Principum præjudicio. Interim non Cæsar, non Electores, non Sacri Imperii Status propter Religionem vi factove quempiam ex Augustanæ Confessionis Statibus bello petere, vel invadere, vel damnum inferre, vel contemnere possit, sed sua Religioni fideique quietè, & pacifice stare credereque sinant. Quidquid in Comitiis à Cæsare & Principibus ordinaria via statueretur, imposterum ab omnibus servaretur. Prætor Cameræ judicii, cæterique Judices omnibus, cujusnam sint Religionis, necessarias & legitimas ferant suppetias* &c. &c. Addit Palatius, iis omnibus à Ferdinando non sine gravi animi dolore subscriptis, Lutheranorum sectam refloruisse, sed in discordiam, quam in hunc usque diem experimur. Pontifex accepto super ea te nuncio gravissime urique ingemuit. Verum Ferdinandi Oratores demonstrarunt, Ferdinandum id non fecisse sponte, sed mera necessitate cogente: & maluisse concedere aliqua, quam omnia amittere.

Thomæ Abb. Weihensteph. subrogatur Christophorus.

Proximo anno, Christi 1553. Eberhardus ab Hirnheim, olim Canonicus Frisingensis in Sedem Eustettensem fuit sublimatus, ut jamjam supra monuimus. Obiit vero apud Weihenstephanenses tricesimo Regiminis anno Thomas Abbas, vir, ut fasti domestici produnt, *doctus & facundus, honestate vitæ ac morum integritate insignis, prudentia & rerum agendarum dexteritate adeo conspicuus, ut & Principi, & tribus Bavariæ Ordinibus insignis & celebris haberetur consiliarius & Commissarius:* dignus sane sereniori ævo, quam ea tempora ferebant, quibus tum ad Turcas cohibendos, tum ad hæreses coercendas assiduæ fere exactiones fiebant: è quibus aliisque calamitatibus Abbas demum, ast non prius, quam è vivis ereptus est. In defuncti locum successit Christophorus Abbas, qui & ipse ob temporum acerbitatem grandes ærumnas pertulit. Episcopus noster eo anno compluribus suis subditis antiqua privilegia rata esse voluit, eorumque jura prorexit. Proximo vero anno, Christi 1554. prævio cum Abbatibus Benedictoburano atque Ettallensi tractatu habito limites Werdenfelsensis Comitatus, & utriusque confinis territorii conscripsit: novosque Schwabingensium piscatorum insultus repressit.

Interim Ernestus Boicus, Salisburgensis designatus Archiepiscopus, Princeps doctrina, prudentia ac pietate conspicuus dignitate illa sese abdicavit, maxime qnia Pontifex nolebat ulterius circa sacrorum ordinum susceptionem dispensare. Vixit deinceps vitam privatam in Glassensi Bohemiæ Comitatu à se coëmpto, Sedemque Michaeli Küenburgico conscendendam reliquit: qui etiam in Festo Epiphaniæ anni sequentis consecrationem accepit. Martio mense Julius III. Romanam tiaram vitamque posuit. Sacrum postea triregnum impositum fuit Marcello II. Thusco, jam pluribus antehac mitris, & gravissimis Legationibus celebratissimo, qui non nisi grandia meditabatur ad Ecclesiæ exaltationem: verum consilia optima post 22. statim dies mors abrupit. Eo demortuo electus est Joannes Petrus Caraffa Neapolitanus, & ipse inter Cardinales maximis meritis insignis, Paulus IV. deinceps nuncupatus.

Ernesto Boico succedit Michael Salisburgi. Julio III. Marcellus II. Huic Paulus IV.

In-

Inter Præfectum dominii Ulmerfeldensis, & Cornelium Lopiz in Seisenegg, atque Emmerammum de Fraunberg occasione limitum, potestatis judiciariæ, venationum, piscationum ac similium discordiæ ab aliquo tempore irrepserant. Eæ fere hoc anno fuere compositæ, & tractatum Episcopus noster ratum habuit. Cæterum inter Bojariæ Episcopos jamjam convenerat, ut pro re Catholica sarta tecta servanda instituëretur Seminarium, in quo insignes Clerici alerentur, & disciplinis debitis instruerentur. Verum quia eodem anno jacta fuere fundamenta Collegii Soc. J. Ingolstadii, & ideo visum fuit eum virorum doctorum defectum exinde suppletum iri, Episcopi à suo proposito recessere. Porro super introducendis in Bojariam Patribus illis nomine omnium Cœnobiarcharum Bojariæ cum Duce tractarunt Abbates Benedictoburanus, & Steingadiensis. Literæ quædam ea super re in Benedictoburanis scriniis supersunt.

Augustæ eo anno Pacificatio Pataviensis fuit stabilita: Carolus vero Imperator, qui iis tractatibus nunquam subscripserat, eod:m tempore Imperii curas abjecit, & se in Monasterium abdidit, Philippo filio Hispanias, fratri vero Ferdinando Insignia Imperii relinquens. Ejus in fide constantiam aliqui haud immerito adscribunt Venerabilis nostri Abbatis Ludovici Blosii libellis contra Heterodoxos editis, quorum primus *Collyrii Hæreticorum* nomen tulit, alter *Facula illuminandis Hæreticis accommoda*, dictus est: quos, uti & alios Blosii nostri libellos ita charos familiaresque habuit Carolus, ut eosdem in sinu jugiter non secus, atque Magnus Alexander in Narthecio Homeri Iliadem gestarit, summoque cum animi solatio & fructu legerit, multo deinceps diligentius frequentiusque in Cœnobio meditaturus. Miramur, reperiri Scriptorem è Religiosa quadam Sodalitate, qui Ludovicum Blosium alteri Instituto, quam Benedictino, adversus manifestam veritatem adscribere non erubuit.

Carolus V. secessum petit.

P.Gabr.Bucel.inBened. Rediv.pag. 92. b.

§. II.

Anni reliqui Leonis Episcopi.

DUm Leonis Episcopi res gestas prosequi cupimus, deploramus, eas à nemine accurate chartis fuisse consignatas. Vixit tamen sub Leone Joachimus Haberstocchius, qui vitas omnium Pontificum Frisingensium carmine elegiaco complexus est. Is de Leone nostro sic cecinit:

Leonis Ep. praeconia.

Quanta tuæ, Leo, debentur præconia laudi,
Stipite qui gemino ducis equestre genus?
Leschus erat Bavaræ tibi Cancellarius Aulæ
Ex Hilchersbusa nobilitate Pater.
Nec minus & genitrix Germanis edita Francis
A prisca illustres Danne ferebat avos.
Et tua Te virtus rerumque exercitus usus,
Notaque collegis, Principibusque fides
Extulit evectum tanti ad fastigia Regni
Gloria, quo clari sanguinis aucta tui est.
Tu puer externas abiens proficisceris oras,
Et discis linguas, ingeniumque colis.
Nec patrio audiris tantum sermone disertus,
Romano atque Italo certius ore sonas.

Tum libet & tacitas rerum perdiscere causas,
Ceu nova ad officium semina jacta tuum.
Nec contentus iis: utriusque insignia Juris
Addis, & immenso parta labore refers.
O Dii, quanta fuit pietas in utrumque parentem
Usque sub extremum continuata diem!
Quanta in Te est rebus perspecta industria agendis,
Credita dum Ecclesia munia dexter obis?
Dumque Palatino consultas tuta Philippo,
Integraque studes intimus esse fide?
Et domi, & extremas legatus missus ad oras,
Imperiique sedens inter utrosque Status.
Denique quanta fuit Wilhelmi Principis in Te
Gratia tollendi semper in alta Tui?
Quam modo & Albertus Dux illustrissimus, olim
A Patre exortam continuare studet.
Hic Te vicinum sibi, Teque ex omnibus unum
*Sunt nisi * Ecclesia constituisse Ducem.* * deest aliquid.
Ergo suas tradit Tibi jam Respublica partes,
Te pius & concors eligit ordo Patrum.
Huc tua Te virtus, & rerum cognitus usus
Et favor, & factis extulit alta fides.
Macte Leo, tanta virtute, ter optime Princeps,
Cujus vix similem Theutona terra fovet.
O si barbaricas Turcarum extinguere turmas,
Aut liceat pacem composuisse ratam,
Quo repares totis exhausta æraria nummis
Atque obstricta gravi, vel semel ære leves.
Protinus Aonio mœstis in vertice Musis
Verus Mecænas, Scipio verus eris.
Expendesque tua largissima munera dextra
More tuo studiis ingeniisque favens.
Perge tamen, quousque ire datur, quantumque licebit
Divinas artes qui coluere, cole.
Sic Tibi concordes felici stamine Parcæ
Concedent Pylios exuperare dies.
Sic Tibi sit semper fortuna & vita beati,
Et precium vitæ cœlica Regna Tua.

Ita Haberstocchius Synchronus, ut ex carminis decursu manifestum est. Habuit sane Poëta causas ingentes, cur fatis sui temporis ingemisceret.

Defectio Palatini à fide orthodoxa.

Obiit die 26. Febr. an. Christi 1556. Fridericus Palatinus, Episcoporum, qui Leonem præcesserant, frater, at sine liberis. Ei successit Otto Henricus, ex Ruperto quondam Administratore Frisingensi Nepos infelix, quippe qui mox avitam Religionem e Palatinis ditionibus proscripsit.

Albertus Boicus ejusdem fidei tenax.

Eodem anno Ratisbonæ coacta fuerant nova Comitia, quibus Ferdinandi Regis nomine Albertus Boicus præerat. Ibi de communi Turcici jugi periculo arcendo actum est à mense Julio usque ad mensem Martium sequentis anni. Inter cætera etiam de eliminandis circa sacra dissensionibus, tollendisque monetæ corruptelis deliberatio instituta fuit. Cum postea Albertus Dux portionem pecuniariam, quæ Bojis in Ratisbonensi conventu fuerat imposita, à suis exigeret, Bojorum aliqui vicissim à Duce Eucharistiam sub utraque specie sibi permitti poposcerunt. Id ad tempus Albertus permisit. Verum cum Episcopi nostri vehemen-

menter sese opponerent, tandem eam permissionem iterum abrogavit, pœnis in transgressores constitutis.

Landspergæ eo tempore pro publica Patriæ tranquillitate fœdus coaluit: cui subscripsere Albertus Dux, Archiepiscopus Salisburgensis, Episcopi Frisingensis, Ratisbonensis, Patavienis, Aichstettensis & Otto Cardinalis Episcopus Augustanus: Episcopi item Herbipolensis & Bambergensis: ac denique etiam Augustana & Norimbergensis Respublicæ fœderi illi nomen dedere. Communi consilio sancitum fuit, ut fœderatorum quisque alteri suppetias ferret, quotiescunque à quovis alio bello peteretur. Fœdus illud à loco congressus dictum fuit Landsbergense. Episcopus noster eo anno Mittenwaldensi suo municipio annuas nundinas confirmavit. Salisburgensem Archiepiscopum Albertus Dux proximo anno salutavit in sua Metropoli, cui suæ Salisburgensi civitati Archipræsul sua erga egenos insigni liberalitate omnem abundantiam è cœlo accersivit. *Adelz.* Fœdus Landspergense.

Otto Truchsessius de Waldburg Episcopus & Cardinalis Augustanus Anno 1558. per legitimum suum procuratorem D. Conradum Heisler Canonicum S. Andreæ Frisingæ, cedente Hieronymo Buslidio possessionem Præpositurae ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ accepit. Carolus vero V. maximus olim Imperator post sceptrum etiam mortales exuvias religiosissime in suo secessu posuit. Et tum primum Electores Principes insignia Ferdinando contulere, quamvis refragaretur Pontifex Paulus, qui contendebat, ejus electionem esse irritam, quod ad eam admissi fuissent Electores Heterodoxi, & vel ideo ab Ecclesia Catholica proscripti, & jure eligendi destituti. Verum cum Paulus sequenti anno è vita migrasset, Pius IV. ejus successor electioni assensum præbuit, ac Ferdinandum honoribus atque favoribus impensè coluit. *Hierarch. August. part. I. pag. 349.* Vicissitudines in Ecclesia atque Imperio.

Monachii eo anno (Christi 1559.) fundamenta splendidissimi Collegii Soc. J. jacta fuere. Porro ipsi Patres Societatis, quorum numerus temporis lapsu augeri cœperat, interim in Monasterio RR. PP. Eremitarum S. Augustini Monachii diversorium reperere. Cum enim Congregatio Saxonica ejusdem Ordinis, quæ Monasterium illud Monacense eo tempore possidebat, ut alibi diximus, ex Novarorum injuriis gravissima damna à multis annis in ipsa Saxonia fuisset perpessa, minui tandem debuit Religiosorum numerositas, ut adeo etiam Monachii non multi numerarentur Augustiniani Ascetæ. Sane Patres Societatis in eo Asceterio cum Patribus Augustinianis perstitere ipsis triginta annis, nec nisi Ecclesia D. Michaelis, & amplissimo Collegio ad finem splendidum feliciter perductis inde recesserunt. Porro ipsum Augustinianorum Cœnobium posteris annis à Congregatione Saxonica rursus avulsum, & Ascetis Boicis fuit restitutum. Patres Soc. Jes. Monachii.

Episcopus noster eodem Anno 1559. 8. Aprilis oculos clausit, ut cælum, meliorem patriam, felicius videret. Tumulo illatus est prope aram S. Justini cum hoc epitaphio. *Anno Domini M D LVIIII. die VIII. mensis Aprilis obiit Reverendissimus in Christo Pater Dominus D. Leo Lösch, hujus Ecclesiæ Episcopus, cujus anima requiescat in pace.* Mors Episcopi nostri.

Dolendum sane, ut diximus, est, Acta Leonis non fuisse studiosius literis consignata. Paucula, quæ annotata legimus, sunt sequentia, nempe quod Inchingam & Enzerstorffium, quæ loca incendium passa fuerant, reparaverit, & in hac Episcopali aula plura triclinia refecerit: Sedilia quoque pro Ecclesia publici cœmeterii fabrefieri jusserit. Illud ex jam dictis constat, quod ob iniquitatem temporum ærarium reliquerit plane exhaustum, utut cæteroquin singulari industriæ laude commendatus fuerit. Quinam eo anno Ecclesiæ Romanæ, Imperio ac Bojariæ præsederint, mox supra indicavimus. In Salisburgensi Sede adhuc supererat Michael Küenburgius, in Ratisbonensi Georgius Marschalk de Pappenheim, in Brixinensi Christophorus Madrucius Cardinales, in Pataviensi Wolffgangus de Closen.

CAPUT IV.

Mauritius, Episcopus Frisingensis L.

§. I.

Genus & electio Mauritii, cum actis publicis ejus temporis.

Mauritii Natales. NAtus est Mauritius ex illustri familia de Sandizell, quæ hodieque feliciter superest, & inter Bojos egregie efflorescit. Inter Canonicos hujus Cathedralis Ecclesiæ adlectus, etiam Parochialem Divi Martini in Puech Ecclesiam regendam suscepit, quam tamen vicarii opera aliquanto tempore gubernavit, ac tandem Anno 1557. Martino Binder Presbytero cessit. Qua inter Canonicos Frisingenses rerum gerendarum dexteritate & scientiæ laude floruerit, exprimi commodius non potest, ac iis, quæ supra attulimus, dum nempe nomine Cathedralis hujus Collegii ad Synodum Salisburgensem Anno 1549. missum fuisse monstravimus. Electio. Ejus in Episcopum electio secuta est anno 1559. die 12. Junii majoribus votis, cum reliqua in Vitum de Fraunberg collimassent, cui tamen destinata erat Ratisbonensis Mitra, post aliquot annos ei imponenda. Mauritii Confirmatio. electio sequenti primum anno Romæ fuit confirmata ad preces per Joannem Pfister Doctorem porrectas. Ea confirmatio in Alma Urbe posterorum notitiæ annotata est iis verbis: *Anno 1560. die 26. Maji provisum fuit Ecclesiæ Frisingensi vacanti per obitum quondam Leonis Lesch, de persona R. D. Mauritii de Sandizell.* Ferdinandus electus Imperator paulo post jura temporalia Mauritio adjecit, quæ missis Viennam legatis Christophoro Stengel, & Casparo Anfang Præfecto in Enzerstorff idem Episcopus impetravit. N. 391. Literas in partem alteram transferimus.

Mors Archiepiscopi Salisb. Successor. Eodem anno cum Michael Küenburgius Salisburgensium Metropolitanus visitationis officium Alberto Bojariæ Duci impenderet, die 17. Nov. prope Geisenfeldensem Benedictini Ordinis Parthenonem morbo apoplectico sideratus terris valedixit: cujus Sedem posthac Joannes Kuen de Belasi, Salisburgensis Canonicus & Decanus Brixinensis è Collegii Metropolitici votis conscendit. Proximus mensis December fatalis fuit Ernesto, antehac ejusdem Sedis Salisburgensis Administratori, è Bojariæ Ducibus orto, qui in Comitatu suo Glassensi mortem oppetiit. Ejus exuviæ in Bojariam reductæ tumulum Monachii accepere. Porro recens electus Joannes Jacobus deinceps Pallium Archiepiscopale ex manibus Wolffgangi de Closen Pataviensis Episcopi suscepit.

Frementibus interim non solum in Germania, verum etiam in Anglia Heterodoxis, inter se non minus, quam cum Catholice sapientibus collisis, Pius IV. Sum-

Summus Hierarcha ad tollenda Schismata statuit interruptum bellorum motibus Tridentinum Concilium prosequi. Literæ Pontificiæ, quibus convocabantur tum Ecclesiastici tum prophani Principes, quorum intererat sacris illis Comitiis interesse, die 29. Nov. Anno Christi 1560. fuere exaratæ. Ad Tridentinum itaque Concilium continuandum ac feliciter terminandum Anno 1561. juxta Adelzreitterum à Bojariæ Duce Alberto Orator missus est Augustinus Baumgartnerus, cui adjungere placuit Joannem Covillonium è Soc. J. Theologum. Prosecutio Concilii Tridentini.

Narrat ad hunc annum Bucelinus noster, magnum Principum conventum Naumburgi fuisse celebratum, in quo etiam Legati Pontificii occurrerint, & Principes Tridentum invitaverint: qui ipsi tamen ab heterodoxis aliud non retulerint, quam illud: sibi cum Pontifice nihil esse negotii. Itaque literæ salvi conductus Germanis publica fide & in forma amplissima à Tridentinis Patribus exaratæ, ac missio Legatorum omni fructu caruere. Literæ illæ in Actis Concilii extant.

Mauritius Episcopus noster eo anno à Watmundo Widerspacher in Finsing, Archippocomo Frisingensi, & Anna Marzeilerin ejus Uxore, castrum, prædia, sylvas, fundos, jura piscandi & alia in Westach, quæ ii eousque fide clientelari à Frisingensi Ecclesia obtinuerant, dato pretio redemit. N. 392. 393.

Cum postea anno primum 1562. rursus Tridenti frequentandæ essent sacræ Sessiones, Salisburgensis Archiepiscopus Provinciæ suæ Episcopos, quos *Suffraganeos* vocant, convocavit. Comparuere itaque Episcopi Frisingensis, Ratisbonensis, Pataviensis, Brixinensis, cæterique: Legati item Alberti Ducis. In eo conventu deliberatum fuit, quinam ad Tridentinum Concilium Legati mittendi essent? Suffragia potiora convenere in Herculem Episcopum Lavantinum, & Felicianum Ninguardam ex ordine Prædicatorum, Archiepiscopi Theologum. Id mense Aprili accidisse Mezgerus noster in Salisburgensi sua Historia scribit. Vero simillimum est, eodem primum anno etiam Oratores Alberti Ducis Tridentum venisse. Synodus Salisburgi. *pag. 607.*

Episcopus noster eo anno extra urbis portam, quæ à lateribus nomen * habet, hortum spatiosum à Wilhelmo Leschio, defuncti Leonis Episcopi germano, dato pretio comparavit. * *Ziegl-thor.* N. 394.

Lutheri dogmata proximo anno in Haagensem Comitatum irrepserant. Accidit vero, ut illius ditionis Dominus absque hærede decederet. Itaque Albertus Bojariæ Dux dominium illud obtinuit, & novatores inde pro zelo orthodoxæ Religionis ejecit. Christophorus Weihenstephanensium Abbas eo anno ad conventum omnium Bojariæ Ordinum Ingolstadium evocatus, mense Martio ibidem mortales exuvias exuit, posthac ad Monasterium suum reductas, tumuloque illatas. Ei ex Asceris domesticis Casparus Frasius unanimi fratrum suffragio successor est datus, vir singulari memoria dignus, de quo infra recurrer mentio amplior. Haaga accedit Bojis.

Frisingensi Ecclesiæ non modicum detrimentum eo anno accidit ex incuria Georgii Deckeri, qui officium pulsandi campanas obtinuerat. Igne enim ex ejus negligentia materiam ligneam corripiente primaria turris exusta est, campanis omnibus, ipsoque etiam horologio ex æstu maximo diffluentibus. Incendium turris Ecclesiæ Frising.

Secuta est post dies pauculos mors Viri celebrarissimi Conradi Bruni de Kirchen nati ad Neccarum, J. U. D. qui raro exemplo Consiliarius fuerat septem Imperii Principum, Cancellarius Episcopi Augustani, Canonicus Ratisbonensis, Professor Tubinganus annis quindecim, Herbipolensis Consiliarius annis septem, Cameræ Imperialis Spirensis integro lustro Assessor, ac biennio Præses: Bojariæ Duci à consiliis septennio: postea Canonicus & Officialis Frisingensis: Theologus, Jurisconsultus, Philosophus, & Historicus, Græcæ æque ac Latinæ linguæ notitia nemini suo ævo secundus, veluti libri ab ipso editi manifestum faciunt. Obiit Monachii, cum Oeniponto, quo à Cæsare ob negotia Christianæ Religionis vo- Mors Conradi Bruni. *P. Khamm Hier. August. part. I. pag. 621.*

catus

catus fuerat, reditum domum maturaret. Ejus epitaphium, quod in ambitu Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ visitur, ex Carolo nostro Stengelio P. Corbinianus Khamm refert, quod sic habet.

Est hominis nasci primum: vixisse secundum:
Ultima post vitæ tempora mors sequitur.
Est fortunati bene nasci, vivere honeste
Justi hominis: felix est, bene qui moritur.
Ergo ego, qui natus, longo quoque tempore vixi,
Durum etiam mortis sustinui imperium.
Non fortunatus nimium, studiosus honesti,
Defunctus tandem Regna superna colo,
Conradus, patruo dictus cognomine Brunus,
Cujus in hac tumba molliter ossa cubant.

Hæc in laudem Viri celeberrimi, ceu Frisingensis Canonici inserere visum est. Ad eundem annum pertinet alterius Frisingensis Canonici, nempe Viti de Fraunberg, quem, ut supra monuimus, ante annos aliquot quidam Frisingenses Canonici, ad hanc Frisingensem Sedem, at pauciori suffragiorum numero, evehere studuerant, electio in Ratisbonensem Episcopum, quæ contigit mense Decembri. Eum Joannes Jacobus Archiepiscopus Salisburgensis deinceps Episcopum conse-
N. 395. cravit. Episcopus noster mense Augusto decimas quasdam prope Hachingam superiorem ex permutatione ob majorem loci commoditatem Ecclesiæ suæ acquisivit.

Concluditur Concilium Tridentinum. Tandem eodem anno finis impositus est Tridentino Oecumenico Concilio, in quo tum antiquorum tum novorum Sectariorum doctrinis tanta frena fuere opposita, ut non desint, qui opinentur, deinceps opus non esse, ut alia Synodus Oecumenica convocetur. Bojorum nobilium quibusdam adeo non arrisit, quod Albertus Dux Decreta Concilii comprobarit, ut etiam in ejus sive depressionem sive mortem gravissime conspirarint. Albertus ea super re clam informatus, tantum præstitit, quantum à Duce Catholico sperari unquam potuit. Poterat Albertus extremo supplicio reos addicere: verum prudenti clementia usus, novatorum dogmata eis extorsit. Qua de re Adelzreitterus consuli potest.

§. II.

Res gestæ reliquæ Mauritii, & ævi illius vicissitudines.

Statim mense Januario anni 1564. Pius IV. Summus Pontifex Decreta Tridenti Concilii facta ducentorum & quinquaginta Patrum subscriptione, Auctoritate Apostolica confirmavit. Constitutioni illi etiam calculum suum adjecere, qui in Urbe morabantur. Secuta est mense Majo mors Joannis Calvini, novæ Ecclesiæ callidi architecti. Eum horrendis morbis fuisse sublatum ex Beza ejus sodale scribit noster Bucelinus: & Hofmannus ex Morerio addit, tot illum morborum generibus fuisse cruciatum, ut sigillatim distributa facile numerosum Nosocomium instruere potuissent. Mitiora fata mense Julio habuit Ferdinandus Imperator, in ipso Divi Jacobi Festo, qui ex febri & aqua intercute lente consumptus sceptrum vitamque mortalem reliquit, Pragæ prope Annæ con-

Mors Calvini.

& Ferdinandi Imp.

conjugis monumentum regio cultu tumulatus. Ejus mortem Pius Pontifex in consessu Cardinalium verbis sequentibus nunciavit. *Ferdinandus*, inquit, *omnibus optimi Imperatoris editis signis summa lenitate, nullo animi angore, Sacramentis morientium ritè expiatus & munitus quasi agnus innocens in vitam meliorem demigravit.*

Mauritius Episcopus noster eo anno turrim Cathedralis Ecclesiæ, quæ superiori exusta fuerat, reparavit, & octo campanis, à Wolffgango Stegero Monachii fusis, instruxit. Universum pretium idem Episcopus, & Cathedrale Collegium contulere absque ullo gravamine aut collatitio nummo subditorum. Universum illud æs campanum superest in hodiernum diem: cui hac nostra ætate campana alia, quæ reliquas pondere ac majestate longissime excedit, ex munificentia regia Serenissimi Electoris Bojariæ Maximiliani Emmanuelis accessit, in turri altera suspensa, ut suo loco fusius memorabimus. Existimat Adelzreitterus, proximo anno, Christi 1565. Erneftum è Bojariæ Ducibus, suffectum fuisse Episcopo nostro ultro cedenti. Verum id ex mox dicendis convelletur. Alii ad eundem annum novam Salisburgensem Synodum revocant. At Mezgerus noster, scriptor domesticus, eum conventum rectius usque ad annum 1569. differt, ut infra patebit. Episcopus noster eo anno Molendinum quoddam à Schyrensi Monasterio coëmit. Mense Decembri Pius IV. Summus Pontifex adstante Sancto Carolo Borromæo, ex cujus manibus sacrum viaticum acceperat, pie exstinctus est inter eas felicissimi Senecionis Simeonis voces: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Qui sic moriuntur, vere ad meliorem transiisse dicendi sunt.

Reparatio turris Ecclesiæ Cathedr.

Mors Pii IV.

Pio IV. subrogatus est Pius V. nobili Gisleriorum familia Mediolanensi exortus, ex Ordine Prædicatorum summis meritis & vitæ sanctitate exigentibus in thronum Apostolicum cooptatus mense Januario 1566.

Cui Pius V. succedit.

Post mortem Ferdinandi I. Imperio præfuit Maximilianus II. filius. Is conventum Principum Anno 1566. Augustæ coëgit, ubi pacem, ut vocant, Religionis comprobavit, & subsidia adversus Turcas ab Imperii Ordinibus impetravit. Ea occasione Alberti Bojariæ Ducis optimi cura factum est, ut Fridericus Elector Palatinus Calvinianæ doctrinæ nuntium mitteret, seque Catholicorum partibus restitueret.

Ferdinando Imp. succedit filius Maximilianus.

Mauritius Episcopus noster cum corporis vires sentiret paulatim deficere, Episcopale onus die 18. mensis Octobris 1566. in manus Cathedralis Collegii sui consignavit, reservata tamen sibi, dum proviveret, pensione annua. Cum de successore postea ageretur, prodiit ex urna Ernestus Bojariæ Dux, de quo deinceps multa scribenda occurrent. Ratisbonæ mense Januario sequentis anni 1567. obiit Vitus Fraunbergius Ratisbonensis Episcopus, de quo supra semel & iterum mentionem fecimus. Canonici postea suffragiis suis in eam Cathedram sustulerunt Davidem Kölderer, Decanum suum, qui postea Salisburgum profectus, examen, quo se ad gerendum Episcopatum idoneum probaret, subiit, Catholicæ fidei professionem edidit, atque idcirco, non attentis aliorum conatibus, Romæ confirmationem electionis impetravit. Mauritius noster Episcopus eo anno, mense Februario, cessurus Ernesto Duci Successori suo decreverat hanc aulam incolendam permittere, & secessum in Urbe quærere. Cum vero pridie, quam id effectum daret, balneo in hoc eodem palatio usus esset, ibique morbo apoplectico præoccuparetur, vix reportatus in lectulum, animam cœlo transcripsit: supellectilem vero suam Successori & Collegio Cathedrali reliquit, quæ, si ipse supervixisset, in consanguineorum usus transiisset. Sepultus est ad aram Divi Justini, ubi sequens epitaphium conspicimus.

Mauritius Ep. cedit.

Ernestus Bojcus eligitur.

Ratisbonensis vicissitudo.

Mors Mauritii.

Mortis initium vitæ meæ principium.


Anno salutis humanæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, quarto Calendas Martii pie in Christo defunctus est Reverendissimus atque amplissimus Princeps ac Dominus, D. Mauritius de Sandicell, Frisingensis Ecclesiæ Episcopus, cujus piis semper in Christo victuris manibus frater Ortolphus monumentum pietatis ergo fieri curavit. Ecclesiæ feliciter præfuit annis octo: atque LII. annos vixit.

Ponè leguntur versus sequentes:

Mauritius, cui dat gens Sandicellia nomen,
Tam prudens, veræ quam pietatis amans.
Hac posuit summa Divinus in Æde Sacerdos
Exuvias animæ mortua membra suæ!
Sic tamen, ut melior pars certa nescia mortis
Vivat in æternum mens operosa Deo.

Optimi Oeconomi. Mauritium fuisse Oeconomum optimum, si cætera abessent, ex eo unico abunde demonstrari posset, quod triginta aureorum millia, quæ ejus decessores, necessitatibus publicis urgentibus, mutua acceperant, ipse feliciter restituerit, & sic Ecclesiam suam gravissimo ære alieno liberaverit. Alia Mauritii Acta ad manus nostras non pervenerunt.

Anno obitus Mauritii ex epitaphio annotato intelligimus, eum rebus humanis fuisse exemptum Pio V. Pontifice, Imperatore Maximiliano II. Joanne Jacobo Salisburgensi Metropolita, Episcopis Brixinensi Christophoro Madruccio Cardinale: Pataviensi Urbano Trenbachio, Ratisbonensi vero Davide Kölderer, de quo supra. Albertus Dux eo tempore adhuc rerum Bojariæ potiebatur, Princeps Catholicæ fidei strenuissimus defensor, Ernesti, de quo mox agemus, genitor.



CAPUT

CAPUT V.

Erneftus, Epifcopus Frifingenfis LI.

§. I.

Ernefti Confanguinitas, ætas, & Adminiftrationis initia.

PRimam lucem Erneftus afpexit anno Chrifti 1554. die 17. Decembris. Ejus Patrem mox fupra nominavimus: Mater erat Anna, Ferdinandi I. Imperatoris filia. Horum filius natu major Wilhelmus ab obitu parentis fuo tempore in Ducatu fucceffit: filius fecundo genitus erat Ferdinandus Dux, cujus pofteri Comites Wartenbergenfes poftea dicti funt. Soror eorum Maria Carolo Auftriæ Archiduci nupta eft. Erneftus teneram ætatem in Ingolftadienfi Univerfitate inter ftudia exegit. Electio ejus fecuta eft Anno 1566. ut fupra diximus, cum is primum annum ætatis decimum tertium nondum attigiffet. Obtenta Pontificia confirmatione, & Cæfarea in Principatu inftitutione, quam agentibus Viennæ Ottone Henrico Comite Schwarzenbergio, Wilhelmo Lefchio de Hilckershaufen, & Onuphrio Perbinger Jurium Doctore Anno 1567. die 4. Junii impetraverat, folemnem in hanc Urbem ingreffum inftituit Anno 1568. die 16. Aprilis, cum prius feftiviffimis fratris fui Wilhelmi cum Renata Lotharingica nuptiis Monachii inter quam plures Principes, Principumque ac Urbium Oratores menfe Februario interfuiffet, fponfamque regio comitatu Monachium introductam una cum Cardinale Auguftano, Archiepifcopo Salisburgenfi ac Clero ad portam principem Bafilicæ Divæ Virginis excepiffet. Frifingenfis poftea Ecclefiæ adminiftrationem nactus, primam, de qua conftet, gratiam Urbi Waidhovianæ largitus eft, dum civibus facultatem dedit Holenfteinii erigendi pontem novum fuper Ypfium amnem, quo commodius ea, quibus maxime opus habebant, advehi poffent. Werdenfelfenfibus poftea certa privilegia circa metalla perquirenda indulfit.

Genealogia Ernefti.

Electio.

N. 396.

Ingreffus in Urbem.

Favet urbi Waidhovianæ.

Tirinus in Indice Authorum ad illud tempus hæc habet: „ Georgius Ederus Frifingenfis Bavarus, Maximiliani II. Imperatoris Confiliarius, Oeconomiam „ Bibliorum, quæ eft vice Commentarii, malleum Hæreticorum edidit. Vixit „ anno 1568. Nos fatemur, eum librum ad manus noftras non veniffe. Gratulamur tamen Frifingæ, quod virum, Catholicæ Religionis adeo ftrennum affertorem ediderit.

Interim rem Catholico Principe indignam cenfuit Albertus fæpe laudatus Bojariæ Dux, dum Maximilianus Imperator Auftriacæ Nobilitati, liberum effe voluit,

Adelar.

Bojariæ Dux verè Catholicus. luit, ut ſeſe Auguſtanæ Confeſſioni addicere poſſet. Nihil igitur omiſit eorum, quæ Cæſari melius conſilium injicere poſſent. Ipſe Albertus ſuis Nobilibus, libertatem eandem petentibus, inexorabilem ſeſe exhibuit, & priſcæ fidei conſtantiſſimum cuſtodem demonſtravit. Magis arriſere Alberti Ducis votis, quæ Mezgero noſtro teſte, acta ſunt proximo anno Saliſburgi, ubi Joannes Jacobus Archiepiſcopus ſuis Concilium indixit.

Hiſtor. Salisb. pag. 610. Synodus Saliſburgi. „ Convenerant, inquit Scriptor ille, die 15. Martii Erneſtus Bavariæ Dux „ Adminiſtrator Epiſcopatus Friſingenſis, Urbanus Epiſcopus Paſſavienſis, item „ Brixinenſis, aliique Epiſcopi Suffraganei cum magno Abbatum & Prælatorum „ numero. Ibi acta, quæ ad Tridentini obſervationem, morum ac diſciplinæ „ obſervationem pertinent, ac deinceps tota Archidiæceſi per Auſtriam, Styriam, „ Carinthiam, Tirolim Decreta S. Synodi promulgata, atque executioni man„ data fuere.

Hæc ille.

Ambroſius Eiſenreich, Adminiſtratoris noſtri nomine Hollenburgenſi Territorio præfectus, comparatis ſibi ibidem quibusdam fundis menſe Julio ejusdem anni ſequentibus literis fidem ſuam Erneſto adſtrinxit.

Ich Ambroſi Eiſenreich, Pfleger zu Hollenburg bekenn für mich, und all meine Erben mit diſem brieff: Nachdem ich der zeit meiner Pflegsverwaltung allhie zu Hollenburg etlich Weingärten, und gründ, wie ſie namen haben möchten, an mich kaufflichen bracht, dieſelben auch in gewertter poſſeſſion, und im Grundbuch bis auf dato eingeſchriben befunden, die dem Hochwürdigen, Durchleichtigen Hochgebohrnen Fürſten und Herrn, Herrn Ernſten Adminiſtratorn des Stüffts Freyſing, Pfalzgrafen bey Rhein, Herzogen in Obern, und Nideren Bayrn &c. Meinem genedigen Fürſten und Herrn grund gebräuchig, und meine Gaben dieſelben inngehabt, underworffen, derſelben gründe aller, wie die nahmen haben, will ich in dergleichen maſſen in meines genedigen Fürſten und Herrn grundbuech, ſchuldiger gehorſamb, wie bis anhero beſchehen, verdienen, auch von alter her gelaiſter gehorſamb nachkhommen. Zueſag und verſprich auch meinem genedigen Fürſten und Herrn, wo ich, oder meine Erben diſer gründ einen, oder mehr, ietzo oder konfftig verkauffen, das ich, oder meine Erben dieſelben hochberührten meinem genedigen Fürſten und Herrn auſſer des, ſo ich ad pias cauſas *verordnen, für all ander umb den werth, ſo ichs kaufft, verkauffen und erfolgen laſſen ſolle, und will mich auch der ferreren ankauffung der gründ, dan meines genedigen Fürſten und Herrn genediger bewilligung und zuegebung enthalten. Alles treülichen ohne geverde. Des zu wahren vrkhund hab ich mein angebohrn Innſigl hieran gehangen. Geſchehen zu Freyſing den vierzehenten Monatstag Julii, nach Chriſti unſers lieben Herrn und Seeligmachers Geburth tauſend, fünffhundert, und im neün und ſebzigiſten Jahre.*

Menſe Novembri Gundakarus de Starenberg antiquam telonei in Aſchach libertatem Adminiſtratori noſtro firmavit ſequentibus literis:

Ich Cundakher Herr von Starenberg auf Peürbach &c. Röm. Kayſ. May. Rathe bekenn für mich ſelbſt, auch in namen, und anſtatt meiner lieben geſchwiſtrigen, und mitverwanten Schaumbergeriſchen Erben, deren ich mich in kraft unſerer gemachten Erbainigung vollmechtigs gewalts annimb, auch für all unſer Erben und nachkommen hiemit offentlich und thue kundt menniglichen, als verſchinner Jahren nach todtlichem abgang des hoch und wollgebornen Graffen, und Herrn, Herrn Wolfgangen Graffen zu Schaumberg obriſten Erbmarſchalchs in Oſterreich, und Steir &c. meines freundlichen lieben Herrn Vettern ſeeliger gedechtnus, als des leſtens des namens der Graffen von Schaumberg &c. neben andern Stukhen, und güettern von dem auch hoch und wollgebornen Graven und Herrn Herrn Johannſen Graffen zu Schaumberg &c. ſeliglich zu gedenkhen, herrüerent auch die halb Mauth zu Aſchach mit ihren rechten, und zugehörungen auf mich, und meine liebe geſchwiſtrigeth des namens Stahrenberg &c. durch ein

ein ordenlich wollgedachts Herrn Graff Johannsen &c. aufgerichtes Testament und geschäfft Erblich, und aigenthumblich gefallen, und anjezo kurz verrukter zeit durch todtliches ableiben obgedachts Herrn Graff Wolfgangen von Schaumberg &c. verlassenen Wittfrauen, Frauen Anna ainer gebornen Gräfin zu Ortenburg &c. &c. seligen mier, und andern meinen mittverwandtenSchaumbergerischenErben sambt anderenSchaumbergerischen guett mehr halbe mauth auch als ain aigenthumbliche Erbschafft ab intestato zuegestanden, also das nunmaln die ganz Mauth zu Aschach mit aller zuegehorung, Recht, und gerechtikait mein, und mergedachten meinen geschwistrigeten, und mitverwandten mit angedeitter unterschaidung frey ererbts guett und aigenthumb ist, das darauf der hochwürdig Durchleuchtig hochgeborn Fürst und Herr Herr Ernst Hertzog in Obern, und Nidern-Bayrn, Administrator des Hochstiffts Freysing &c. mein genediger Herr mir genediglich fürbringen und glaubliche unterrichtung geben lassen, wie hochgedachts Bistumb, und Stüffi Freysing an berüerter Mauth zu Aschach also befreüt, und fürsehen wäre, das Sy all ihr wein, getraidt, und alles anders, des ihnen iährlich von ihres Stüffts aigen gründten, güettern, Weingärten, oder Zehenten in Oesterreich erwächst, und gefehlt, herauf, wider wasser, darzu lähre fass, auch flefs, zimmerholz, und anders so sy zu fechsung ihrer wein, und frücht, auch erbauung, und besserung ihrer hoff, und güetter daniden bedürftig sein werden, an gemeldter Mauth zu Aschach gegen raichung des gebührlichen frey, und Weingelt ungemauth und ohn alles aufhalten gantz frey ungeirret fürfüren mögen. Dieweil sich dann nach angeregten beschehenen fall, und antrettung mein und meiner geschwistrigeth, und mitverwanthen aigenthumblichen Inhabens der gantzen Mauth zu Aschach hochernentem Bistumb, und Stüfft Freysing yber ermeldte ihre Freyhaiten neue Confirmation, und bestätt zenemben gebürte, liess hochgedachter Fürst im namen, und an statt mehrberürtes Bistumbs und Stüffts Freysing bey mir gnediglich und guetlich anlangen, und ersuchen, das ich denselben solch habend Freyhaiten zu bekrefftigen, zu verneuen, und zu bestättigen geruhen wolte, welches ersuechen auch solche Erbare, lang hergebrachte Freyhaiten ich angesehen, und vüllermeldtem Bistumb, und allen desselben nachkommen, die obgemeldt ihr Freyhait für mich selbst, und an statt meiner geschwistrigeth, und mitverwandten, bekreftigt, verneuth, confirmirt, und bestätt habe, bekreftige, verneue und bestätt ihnen die auch hiemit wissentlich in kraft diss briefs, also das Sy, und all ihr nachkommen bey solchen freyhaiten bleibn, und sich deren zu ewigen zeiten an unser Mauth zu Aschach gebrauchen, berüehmen, und geniessen sollen, ohn all hindernus, daran Sy, und all ihr nachkommen von uns unsern Erben und allermeniglichs von unser aller wegen nit geirrt, geschwecht, noch verhindert werden, in khain weiss noch weg, wie man des erdenckhen mecht, Alles treulich, und ohn geuerde. Des zu waren urkundt hab ich vorernanter Gundakher Herr von Stabremberg &c. für mich selbs, und in namen oftangezogner meiner mitverwandten dise confirmation und bestätt mit meinem aignen hier angehangenen Insigel besigelt. Geben zu Peuerbach am Sontag nach Martini von der Geburth Christi unsers Hailandts im funffzehen hundert und neun und sechzigisten Jahr.

(L.S.)

Hæc, quæ hactenus adduximus, erant optima Administratoris nostri primordia. Majora per decursum memorabimus.

§. II.

Acta publica ab Anno 1570. usque ad ann. 1582. ubi de novis Administratoris nostri sublimationibus.

STerile est in Fastis Frisingensibus sequens triennium, dum ad annos 1570. 1571. & 1572. nihil singulare fuisse annotatum hactenus reperimus. Ex actis vero Weyarensibus constat, eo tempore Monasterium illud in tantam rerum inopiam fuisse prolapsum, ut, cum nullus religiosus loci Asceta rerum administrationem in se suscipere vellet, demum opus fuerit accersere Joannem Eckardt, Parochum Aiblingensem; qui etiam oneri illi humeros submisit; quod tamen anno 1570. cum vita posuit: Successores duos nactus ex inclyto Monasterio Bernriedensi, Joannem scilicet, & Bernardum *Piscatores* cognomine dictos.

Selimus Turcarum Imperator anno 1570. Cyprum subegerat. Verum

Victoria ad Echinadas Insulas.

anno sequenti interveniente, Ea, quæ est *terribilis, ut castrorum acies ordinata*, Cæli Regina navali pugna ad Echinadas insulas ejus classis tanta clade affecta est, qualis à multis retro Sæculis audita non fuerat. Pius V. Summus Pontifex, cui

Mors Pii V.

absenti ea Victoria divinitus revelata fuerat, Anno 1572. ad cælos sanctissime abiit, in Sanctorum Album deinceps adscriptus. Post ejus obitum Purpurati Electores

Electio Gregorii XIII.

Hugonem Boncompagnum Bononiensem, virtutum ac doctrinæ meritis clarissimum Pontificem renunciarunt, Gregorium XIII. nuncupatum.

Ernestus ab Hildesiensibus eligitur in Administratorem. *Hier. Augu. pag. 610.*

Hildesiæ Ann. 1573. Episcopalis Sedes ex morte Burcardi ab Oberg vacaverat. Cum ecce Canonici postulant Ernestum Administratorem nostrum, nihil horum suspicantem. Augustani Canonici eodem anno, mortuo Cardinale & Episcopo Othone elegerunt Joannem Egolphum de Knöringen, quem R. P. Corbinianus Khamm alicubi Herbipolensem, Elvacensem & Frisingensem Canonicum appellat. Landishuti eo anno Wilhelmo Duci Bojariæ ex Renata natus est Maximilianus, futurus suo tempore primus Bojariæ Elector. Ernestus noster post cessionem Pauli Præpositi Undenstorffensis una cum Alexandro Barone Fuggero Præposito, Joanne ab Adelzhausen Decano, ac toto Collegio Cathedrali Monasterii illius administrationem die 25. Febr. detulit Alberto loci Decano, ut experimentum caperet, num suo tempore ad obtinendam Præposituram aptus esset?

Ernestus proficiscitur Romam.

Ipse Ernestus eo anno Romam cum multis suorum abiit, ubi posthac biennio moratus fuit eo fortassis proposito, ut rerum Episcopo scitu necessariarum experientiam nancisceretur. Ejus absentia brevi perquam gravis accidit Frisingensibus. Id ex literis à Christophoro de Pienzenau, summo hujus Aulæ præfecto,

Literas Frisinga accipit.

ad Eum Romam die 28. Septembris datis intelligimus, ubi inter alia hæc commemorat, se ex epistolis tum Romæ tum Tibure datis, Ernestum una cum suis commoda valetudine uti. Albertum Ducem (Ernesti Parentem) misisse Frisingam computum expensarum itineris, ex quo deprehensum fuerit, graves sumptus in Italia hactenus à dimidio anno factos esse: quæ liberalitas si ita continuaretur, Frisingense ærarium par non fore ei oneri ferendo. Exiguam summam superesse in eodem ærario, redditus deficere, frumenti copiam non suppetere, colonos vix medietatem censuum reddere, &, tametsi multa debeant, cogi eos non posse, ne prædia sua deserta relinquant. Itaque supplicare se Principi, ut parciores fierent expensæ, ac opera detur, ne itineris comites pecunias clam subducant, sciri vero possit, quænam expensæ singulis diebus fiant. Rogare se ulterius, ne hasce literas graviter ferat Princeps. Id unum sibi in votis esse, ut omnia recte gerantur, neque Cathedrale Collegium ansam habeat, querelas movendi. Hæc fere Pienzenaverus Ernesto Principi.

Cæte-

Cæterum eo anno die 23. Septembris Ferdinandus Archidux Ernesto nostro antiqua Privilegia vina ex Tyroli absque vectigalium solutione exportandi confirmavit. Eodem anno nova limitum inter Comitatum Hagensem, & Dominium Burgkrainense descriptio facta est, vel potius antiquorum stabilita. N. 397.

Annus Christi 1575. Romæ consuetum jubilæum, ut vocant, attulit, atque innumerabilem fidelium multitudinem in Urbem pertraxit.

In Germania nostra Ratisbonæ die 27. Octobris anno 1576. concordantibus Electorum suffragiis Rudolphus, Cæsaris filius, Rex Romanorum salutatur, post hac ibidem in Festo omnium Sanctorum coronatus anno suæ ætatis vicesimo quarto. Pauculis ante eam electionem diebus, nempe die 20. Octobris Maximilianus Imperator Typographiam à Quirino II. Tegernscensi Abbate in suo Monasterio institutam Cæsarea authoritate confirmavit: quo etiam anno Breviarium Monasticum, atque Officium B. M. V. iisdem typis ibi in lucem prodiit, veluti anno superiori ex eodem Typographeo in lucem publicam emerserant, & ab eodem Quirino Abbate dedicatæ fuerant Episcopo Augustano Joanni Egolpho *Sacrorum Sermonum Sylvulæ* Joannis Kekkii SS. Th. ac Decretorum Doctoris, Monachi Tegernseensis, de quo alibi dictum est. Nostra ætate Petrus loci Abbas, virtutum & doctrinæ gloria celebratissimus, nuper piissime defunctus, eidem Officinæ Typographicæ ingentem splendorem atque incrementum addidit.

Rudolphus fit Rex Romanorum.

Typographia Tegernseensis.

Weihenstephanii die 12. Aprilis ejusdem anni terris valedixit Casparus Frasius dignissimus Abbas, cujus res præclare gestæ in fastis ejus Monasterii plena manu describuntur. Mirum est, quod, licet anni Regiminis illius in asperrima tempora inciderint, Casparus tamen non solum omnia, & quidem gravia debita, ab antecessoribus contracta dissolvere, & nihilominus erga pauperes longe beneficentissimus esse potuerit. Verum quis Deum unquam non expertus est fidelem retributorem, qui in pauperes se munificum præbuit?

Mors & laus Caspari Abb. Weihensteph.

Eo anno Albertus Dux, filiusque ejus Ernestus Administrator noster raro sane exemplo Bojis suis ab Apostolica Sede trimestre integrum impetrarunt, infra quod qui præscripta pia opera persolverent, plenam omnium peccatorum gratiam impetrare possent. Ejus gratiæ eum certatim omnes sese cuperent reddere participes, dici non potest, quanta pietate ac zelo trimestre illud fuerit peractum. Aucta est Monacensium maxime pietas, cum eodem anno è Mysnia illuc advectæ fuere beatissimi Bennonis Episcopi lipsana; quæ primam quidem stationem in Aula Ducali consecuta; verum post aliquot annos in B. M. V. Basilicam translata sunt, ubi etiamnum magna religione coluntur, & fidelibus cælestes gratias dispensant.

Jubilæum per Dioecesin Frising.

S. Bennonis lipsana transferuntur Monachium.

Rudolphus, electus Imperator, eo tempore Ernesto Administratori nostro ea, quæ novi Imperatores solent, jura sæcularia ac temporalia renovavit. N. 398.

Gregorius XIII. Summus Pontifex decreverat Ernestum nostrum adjungere Salentino, ex comitibus Isenburgicis Archiepiscopo & Electori Coloniensi, generis sui propagationem meditanti, adjutorem. Unico tamen suffragio superior Gebhardus Truchsessius tunc prævaluit, infeliciter tamen, ut suo loco dicemus.

Bojariæ Annus Christi 1579. duorum Principum funera attulit. Mensis Augustus Davidem Ratisbonensem sustulit: October vero Albertum, Ernesti nostri parentem, Bojariæ Ducem, de re Catholica adversus heterodoxos semper fortissime propugnata meritissimum, tumulo intulit. In Joannis Jacobi Sedem evectus est Georgius à Küenburg, hactenus à sexennio Coadjutor. Ratisbonenses Canonici, ut afflictæ ab Heterodoxis Ecclesiæ atque Dioecesi suæ potentem defensionem accerserent, suffragia sua in Philippum, Guilielmi Bavariæ Ducis filium, quamvis nonnisi trimulum, contulere, votaque sua Guilielmo parenti & Alberto Avo suggessere. Hi quidem grato animo excepere Canonicorum preces, verum ob rei novitatem, & imparem filii ad arduum Episcopi officium ætatem, electionem admittendam non esse censebant. At posthac edocti, nihil aliud spe-

Duorum Principum mors. Successores.

ſpectari à Ratisbonenſibus niſi Religionis tutelam, & Eccleſiæ ſuæ augmentum, imo è contracto gravi alieno ære liberationem, tandem exoptatum aſſenſum præbuerunt. Cura deinceps Eccleſiæ adminiſtratorio nomine gerendæ Feliciano Scalenſi Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ Nuncio, & Viro nobili Wilhelmó Schliderer commiſſa eſt. Alberto Duci Wilhelmus filius, eo nomine Quintus ſucceſſit. Hic menſe Octobri anno 1580. ſequentes literas ad Erneſtum noſtrum exaravit.

Unſer Brüederliche lieb, und trew, freündtlich willig dienſt, und was wür allzeit liebs und guets vermogen zuvor, Erwürdiger in Gott, und hochgeborner Fürſt, freundtlicher lieber Brueder.

Euer lieb tragen freundliches wiſſen, was maſſen Sy uns aines puechs halb, uns daſſelb zu vberſchikhen, Bruederliche zuſag gethan. Seitemall uns aber daſſelb bisher noch nicht zuekommen, vermuetten wir, E. L. mcht es vülleicht in Ihrem aufbruch, und anderen wichtigen geſcheffien vergeſſen haben. Demnach unſer freundtlich bitt an E. L. Sy geruhen dero hinterlaſſnen Stattbalter, Regenten und Räthen zu befehlen, Sy uns berürt huech mit eheſten zu ordnen, daran beweiſen uns euer Lieb ein ſonder freundtlich gefallen, umb Sy hinwider Brüderlich, und in Treüen, wie wir Ir gannz wol geneigt, zu verdienen. Datum Niderhoven den 16. Octobris Anno 80.

Von Gottes genaden Vilhelm. Pfalzgraue bey Rhein, Herzog in Ober und Nidern Bayrn.

Wilhelm. m.p.

Inſcriptio.

Dem Erwirdigen in Gott, und hochgebornen Fürſten, unſerm freundtlichen lieben Bruedern, Herrn Ernnſten, Biſchoven zu Hildensheim, und Freiſing, Pfalzgrauen bey Rhein, Herzogen in Bayrn zu Sr. L. Hannden.

His literis ſibi redditis Cancellario ſuo ſcripſit literas ſequentes.

Von Gottes Genaden Ernſt Biſchove der Stifft Hildesheim und Freiſing, Pfalzgraue bey Rhein, Herzog in Obern und Nidern Bayren.

Unſern Grues zuuor hochgelehrter lieber getreuer. Was uns unſer geliebter brueder Herzog Wilhelm in Bayrn &c. aines buchs des alten Teſtament halben, freundtlich zugeſchriben, habt ihr aus dem einſchluſs zu vernemmen. Darauf befehlen wir euch, das ihr derentwegen alles vleiſſes ſo woll in der Liberei &c. und wo ihr vermeinet, nachſuechet, volgents Ihrer L. unverzogenlich zuſchikhet &c. wollen wür euch nit pergen, und ſein Eüer gnediger Herr. Datum Bamberg gleich im aufbruch den 22. Octobr. Anno 80.

Ernſt. m. p.

Das puech iſt Teutſch, und ainer alten ſchrifft geſchriben.

Extra.

Extra.

Dem Hochgelerten unserm Canzler zu Freising, Regenten, Rath, und lieben getreüen Ludwigen Römer, beeder Rechten Doctorn.

Hæ literæ agunt quidem de Codice Teſtamenti Veteris Theotiſco idiomate conſcripto. Verum ſuſpicamur, rem totam eſſe accipiendam de Codice Evangeliorum, qui rhythmico carmine & Theotiſco idiomate fuit exaratus ſub Waldone Epiſcopo, de quo nos alibi mentionem fecimus. *T. I. pag. 155.*

Ex iisdem epiſtolis luculentum fit, Erneſtum Adminiſtratorem noſtrum fuiſſe eo tempore in itinere conſtitutum. At quorſum? certe non alio, niſi Leodium, ubi Anno 1581. unanimi eligentium Canonicorum ſuffragio applaudente univerſo populo Epiſcopus fuit renunciatus, atque poſt aliquot menſes præſentibus pluribus Principibus inauguratus. Unde eum deinceps Epiſcopum vocabimus. Is ut rebus Leodienſibus conſuleret, paulo poſt Provinciæ Ordines ad Comitia convocavit, & quæ pro communi bono ſtatuenda videbantur, provide decrevit. Wilhelmus Dux eo anno tractatum inter Abbatem Attilenſem, cives que Waſſerburgenſes in cauſa proviſionis Parochiæ civicæ dudum initum cum conſenſu Friſingenſis Curiæ confirmavit. Literæ in chartario Attilenſi extant. *Erneſtus etiam cooptatur à Leodienſibus.*

§. III.

Erneſto noſtro etiam Colonienſis Mitra cum Electorali dignitate accedit: & mox etiam Epiſcopatus Monaſterienſis.

Cauſæ variæ graveſque Anno 1582. impulere Rudolphum Imperatorem, ut nova Comitia Augnſtam Vindelicorum conſcriberet. Inter has fuere prima, qnod Aquisgranenſes cives veneno novitatum imbuti adverſus Magiſtratnm orthodoxum identidem novos tumultus concitarent: Altera, quod Gebhardus Elector Colonienſis illiciis & laqueis Agnetis Mansfeldiæ irretitus cum Eccleſia Catholica divortio facto matrimonium carnale meditaretur. Hunc Pontifex atque Imperator, ut ab ea inſania ſibi temperaret, paternis admonitionibus cohortati ſunt: verum ille adeo non audiit pia conſilia, nt etiam Edictum publicum pro avtonomia, ſeu libera ſentiendi facultate ediderit. Tantis malis ut Imperator occurreret, Erneſto noſtro in mandatis dedit, nt qnamprimum turbas Aquisgranenſes compeſceret, ſimulqne curaret, ne res Colonienſes in pejus prolaberentur. Erneſtus itaque celerrime Coloniam venit, ibique Canonicorum conſilia ſecreto exploravit: quo facto ſtatim Auguſtam ſeſe recepit, Cæſarique rerum Colonienſium ſtatum expoſuit. Cæterum ad ea Comitia Summus Pontifex recens emendati Kalendarii exemplaria miſit; quæ licet nemo prudens erroris arguere potuerit, Proteſtantes tamen eo ſolo nomine repudiarunt, quod eſſet Pontificis opus. Vigore correctionis illius Catholici deinceps à die 4. Octobris prætermiſere dies decem, ita, ut quarta dies Octobris haberetur ac diceretur decima quarta ejusdem. Coloniæ interim Gebhardus Truchſeſſius nihil omiſit eorum, quæ ad ſervandam ſibi nna cum Agnete Mansfeldia Eccleſiam illam atque Electoralem dignitatem videbantur eſſe tum neceſſaria tum proficua. Superi! quam parata auxilia obtulere, qui Pontificis hoſtes ſeſe profitebantur? qnam friguere Catholicorum

Comitia Auguſtana, quare convocata?

Erneſtus noſter jubetur curam rei Catholicæ habere in Germania inferiori.

Kalendarium Gregorianum.

Turbæ Colonienſes.

rum quorumdam animi ad mandata Pontificia in executionem deducenda? Inter ipsos Ubiorum Ordines atque Collegium Metropoliticum non deerant, quibus cum Gebhardo delirare luberet. Itaque Pontifex Kalendis Januarii ad Guilielmum Bavarum literas dedit, eumque monuit, ut in tanto periculo Coloniensis Ecclesiæ avitam fidem cordi haberet. Neque votis Pontificis deerat ipse Imperator Rudolphus; qui, licet à Protestantibus impense rogaretur, ut Gebhardi votis annueret, nihilominus collatis cum Bavaro consiliis Ernestum nostrum hortatus est, ut Martio mense ad Ubios properaret. Gebhardo, ut diximus, auxiliares copias adpromisere Acatholici, à Casimiro Palatino in aciem educendas: Coloniensibus vero Catholicis Wilhelmus Dux noster suppetias offerebat. Ernestus interim per varia graviaque pericula ad Ubios delatus, Coloniam pervenit, cum maximis gaudiis à Catholicis Canonicis susceptus. Exspectabant illi duntaxat, ut Pontifex Gebhardum proscriberet, & novum Archiepiscopum deligendi facultatem impertiret, præsertim cum Ernestus maximam sibi gratiam suavibus alloquiis conciliasset. Votis Canonicorum satisfecit Pontifex ipsis Kalendis Aprilis, quo in secreto Cardinalium Senatu Gebhardum dignitate movit, utque novus Archiepiscopus eligeretur, decrevit. Eo nuncio Coloniam perlato novam electionem ad diem 22. May 1583. indixere Canonici. Ea illucescente omnes, qui convenerant, suffragiis suis Ernestum petebant, eumque Archiepiscopum salutabant, tametsi plurima sibi pericula à Protestantibus imminere probe intellexissent. Eam electionem Magistratus Coloniensis, & Provinciæ Ordines magno consensu collaudarunt.

Quibus Ernestus noster se opponit.

Fit Archiepiscopus & Elector Coloniensis.

Francofurti postea institutis Comitiis causa Ernesti & Gebhardi in controversiam deducta, potiora suffragia Ernestus tulit, ut adeo deinceps res arma spectaret. Ernesti copias, in quibus novem capitum millia numerabantur, Ferdinandus frater duxit. Pontifex, qui Ernesti Electionem comprobaverat, sexaginta aureorum millia in belli subsidium misit: Wilhelmus vero Dux fratri non nummos duntaxat, sed etiam milites destinavit. Neque defuere ex Hispanicis Belgicarum Urbium præsidiis suppetiæ, ut adeo Ernestus, si res postularet, arma armis opponere omnino posset. Gebhardus equidem sicarios octo constituerat, qui necem Ernesto inferrent: verum cum eorum unus detestaretur facinus, Ernesto illud detexit, & sic Gebhardi detestabilem machinationem elusit.

Liberatur ab insidiis.

Bonnæ, Urbi perquam munitæ, quæ ordinaria Archiepiscoporum Coloniensium sedes est, Gebhardus præsidiarios milites imposuerat, iisque Carolum, fratrem suum, præfecerat. Cum his igitur primo agendum erat Ernesto. Hic Ferdinando fratri suo justum è Bojis, Ubiis atque Hispanis exercitum commisit, quo fortalitium illud obsidione cingeret, & præsidiarios ad deditionem cogeret. Gebhardus intellecto suorum periculo, quoad fieri poterat, celerrime suppetias misit, quæ tamen à Ferdinandinis felici strage deletæ fuerunt. Gebhardus allato ad se ejus rei nuncio id unum curæ deinceps habuit, ut Carolum fratrem periculo subduceret. Misso igitur cum literis tabellario eum monuit, ut ex urbe sese proriperet, præsidiarios vero ad rem strenue agendam propositis variis (reipsa tamen inanibus) spebus animaret. Ast non diu præsidiarios latuit promissorum vanitas. Certe stipendiis, pane, aliisque necessariis destituti, sensim conqueri, cibum & alia postulare cœperunt. Cum vero justo militum murmuri Carolus satisfacere non posset, ipse à suis in vincula est conjectus. Deinceps cum Ferdinando tractarunt præsidiarii de urbe sub certis pactionibus tradenda. Secuta est paulo post tum Urbis tum Caroli traditio postrema die Februarii 1585. quo facto Ernestus ac Ferdinandus non sine pompa magnifica Urbem, festivissime acclamante populo, ingressi, solemnes Deo gratias dixere. Ferdinandus deinceps mense Martio Bedbergam aggressus, oppidum atque castrum ad deditionem coëgit. Postea in Westphaliam movens Henrici Brunsuicensis, Truchsessio addicti, copias propemo-

Bonnam obsidet.

& expugnat.

pemodum usque ad internecionem delevit, ipso etiam Henrico inter captivos numerato.

His aliisque feliciter gestis, parta rerum optime constitutarum gloria Ferdinandus in Bojariam rediit, atque Deo, Deiparæque Virgini in Æde Tuntenhusiana gratias dixit. Gebhardus vero ab omnibus fere derelictus in Hollandiam fugam arripuit, ubi ab Uraniæ Duce exceptus, reliquos vitæ annos more exulum cum Sacrilega Uxore exegit. Ernesto post finem bello tantisper impositum bene omnia, & ex animi sententia fluxere: quem etiam ex Cæsaris mandato die 24. Aug. 1584. Elector Trevirensis S.R.J. Electorum gremio aggregavit. Ipse rebus jam pacatioribus mox ad Heterodoxos ejiciendos, & Statuta salutaria condenda totum se convertit. Ita Coloniensis Electoratus Catholicus felicitatem suam post Deum, Pontificem ac Cæsarem potissimum Guilielmi, Ferdinandi, & Ernesti Bojorum religioni, sapientiæ ac magnanimitati debet. Ferdinando fratri Ernestus eo tempore indulsit, ut in ditione sua Burgkreinensi venationibus oblectare se posset. Truchsessius fugit.

Proximo anno, Christi 1585. Ernesto nostro, jam antehac quatuor Infulis, Frisingensi scilicet, Hildesiensi, Leodiensi & Coloniensi decorato, quintam, nempe Monasteriensem cætum adjecit. Cedente enim Joanne, Cliviæ, Juliæ ac Montium Principe, & à sacris ad profana transeunte, Monasterienses Canonici magnis Ecclesiæ suæ, inter Acatholicos mediæ, periculis melius prospici non posse existimarunt, quam si Ernesto nostro etiam Monasteriensem potentiam jungerent. Certe ea temporum acerbitas postulabat, ut pietati in Superos etiam sociaretur ferrum, quo Novatorum insolentia, rebus Ecclesiarum potissimum insidiari solita, compesceretur. Id optimo consilio factum esse, ex iis luculentum fiet, quæ suo loco adducemus. Ernestus fit etiam Episcopus Monasteriensis.

Scribit Paulus Zechentner à Zechentgrueb, Serenissimo Ferdinando Archiduci à Secretis, eo anno mense Junio Wilhelmum Bojariæ Ducem Landishuti in Basilica S. Martini pompa magnificentissima inter Aurei Velleris equites fuisse relatum. Regis Hispaniarum vices idem Ferdinandus Archi-Dux splendidissime obiit. Peractis iis cæremoniis Reverendissimus ac Perillustris D. Sbinco Berka, Ratisbonensis Diœceseos Administrator, sacris solemniter est operatus, cui adstitere mitrati duo Reverendissimi Præsules Quirinus Tegernseensis, & Benedictus Benedictoburanus. Deinceps triduum ibi inter varias delicias, magnis Principibus dignas, festivissime exactum fuit. Quarta vero die, quæ erat 22. Junii, placuit reditum instituere. Et ea quidem die prandium Isareckii: cœna vero hic Frisingæ sumpta fuit. Die sequenti prandium rursus Frisinga nostra Principibus, atque ingenti eorum comitatui præbuit: cœnam vero Monachium. Hæc scriptor laudatus. Wilhelmus Dux fit Eques Aurei Velleris.

§. IV.

Acta intermedia, & alia paulo post secuta usque ad Ann. 1590.

Anno 1583. Gregorius Pontifex voluit, ut omnes Bojariæ Episcopi Monachii convenirent, deliberaturi super negotiis Ecclesiasticæ disciplinæ atque immunitatis. Pontifex ipse misit Nuncium Felicianum Ninguardam Scalæ Episcopum. Non lego, ullum ex Bojariæ Episcopis præsentem Monachii fuisse. Oratores duntaxat miserunt; & quidem Episcopus noster illuc destinavit Bartho- Conventus Monacensis.

lomæum Schollium SS. Theologiæ Licentiatum, Episcopum Dariensem, Proepiscopum suum Frisingensem: & Ludovicum Schrenkium J. U. D. Vicarium Generalem, Officialem, & S. Andreæ Præpositum. Legatis Episcoporum Bojariæ Dux è suis Consiliariis plures adjunxit. In eo conventu actum fuit de Visitationibus & Juribus Dominorum Ordinariorum in Bojaria, de Electionibus & Confirmationibus Prælatorum, de personarum Ecclesiasticarum delictis & pœnis, de collatione beneficiorum Ecclesiasticorum, de personis & bonis Clericorum, de Testamentis Clericorum, & de causis Matrimonialibus. Concordatis postea articulis post Legatos Archiepiscopi primo loco subscripsere Oratores Frisingenses. Ea Concordata recenset Hundius. Adelzreitterus mentionem non facit de eo Tractatu; in quo Oratores Ducis videntur fuisse attentiores, quam cæteri. Fama est, Felicianum Nuncium, cum, quæ Monachii gesta fuerant, Pontifici exposuisset, laudem exiguam reportasse. Idem Pontifex postquam ingenribus laboribus & curis immortalem sibi famam pepererat, tandem Anno 1585. die 15. Aprilis cælis illatus est. Sixtum deinde Quintum è Monte Alto, Picenum, inter Divi Francisci Alumnos Felicem antehac dictum, Cardinales ad thronum Apostolicum subvexerunt, quem factis viro maximo dignis impleturus erat.

Materiæ deliberationum.

Metrop. T. I. pag. 93.

Sixtus V. post Gregorium eligitur.

Quirinus, eo nomine secundus Tegernseensium nostrorum Abbas, cum annum à nuncupatione votorum sacræ Religionis quinquagesimum ageret, Ernesto nostro *Rosetum*, seu Conciones de laudibus B. Virginis typis vulgatas dedicavit. Ipse vero Ernestus Joanni Benedicto, Abbati Benedictoburano obtulit liberam facultatem, quemcunque vellet, denominandi, quem inter Canonicos S. Viti recenseri proximè optaret. Literæ in Tabulario Benedictoburano extant.

Mors duorum Archipræsulum Salisb.

Salisburgi Anno 1586. Joannes Jacobus Archipræsul vicesimo sexto sui optimi Regiminis anno vitam clausit die 4. mensis May: quem in fastigio Archiepiscopali secutus est Georgius à Küenburg, ejusdem à sexennio *Coadjutor:* qui tamen cum nonnisi mensibus septem & diebus totidem præfuisset, Joannem Jacobum ad tumulum secutus est.

Novæ turbæ in Germania inferiori.

* *Nuys.*

Inter hæc in agro Coloniensi recruduit bellum, Truchsessianis partibus rursus caput extollentibus. Meursæ Comes astu militari usus Novesium * quatuor horarum itinere infra Coloniam situm fortalitium perquam munitum interceperat. Ernestus, cum adverteret, copias, quas eo tempore alebat, pares non fore urbi expugnandæ, Alexandrum Farnesium, copiarum Hispanicarum in Belgio Ducem, convenit, sibique ut suppetias ferret, rogavit. Annuit Alexander, & primo quidem ut Truchsessiani urbem dederent, propositis honestis conditionibus cum præsidiariis & civibus egit. Verum cum nihil proficeret, nec nisi insolentissimam repulsam passus esset, ad justam iram conversus, militaribus tormentis urbem quatere cœpit. In ejus castra Ernestus milites Germanos commodè adduxerat; quo facto denique Urbs assultu capta, direpta ac demum igni tradita & excisa fuit, præsidiariis fere omnibus, pluribusque civibus ferro interemptis.

Novus Archiepisc. Salisb.

In Bojaria quietiora fluebant tempora. Et Salisburgi quidem post obitum Georgii à Küenburg Archiepiscopalem dignitatem Wolffgangus Theodoricus à Raitenau consecutus est. Is cum confirmationem Pontificiam, consecrationem, ac Pallium accepisset, solemnissimo apparatu Urbem est ingressus, ubi inter nobilissimos, qui eum magno numero comitabantur, hospites primum utique locum Serenissimi Bojariæ Duces Wilhelmus & Ferdinandus obtinuere. Id die 19. Octobris Anno 1587. contigit. Alia nova festivitas postea Salisburgi secuta est in ipso Domini Natalitio Festo, quo novus Archiepiscopus primo Eucharisticam Hostiam Deo litavit.

Ernestus favet Collegio S. Andreæ.

Ernestus noster eo anno Collegio Canonicorum Divi Andreæ primam, ut vocant, *instantiam* In personas & bona Canonicorum & Vicariorum: Item jus describendi post eorum mortem bona relicta recognovit, ac insuper Collegiatæ Ecclesiæ primum locum præ cæteris hujus Diœcesis Collegiatis innovavit.

Extat

Extat autographum: quod tamen ob nimiam prolixitatem non potuit hisce inseri.

Cæterum quo minus in Bavaria moraretur Ernestus, inferioris Germaniæ conditio prohibuit. Jam à biennio nunquam Leodium venerat. Itaque ut ibi omnia melius agerentur, eo se contulit, convocatisque Eburorum Ordinibus frequentia colloquia instituit, lites varias composuit, circa disciplinam militarem & stipendia militum multa saluberrime ordinavit. Vicissim Ordines insignem ei pecuniæ collatitiæ vim condixete. Leodium se confert.

Videbatur interim pax fuisse oborta etiam Coloniensibus. Verum eam mox iterum turbavit militaris genius Martini Schenckii, qui relicto Hispanorum exercitu ad Truchsessii partes turpiter defecerat. Is admirabili ingenio Bonnam rursus ceperat, atque præsidio numeroso imposito, ad prædas agendas viam sibi straverat. Ernestus, qui nec ab Imperatore, alibi bellis distento, nec ab ipsis Bojariæ Ducibus præsentaneam opem sperare poterat, rursus ad Alexandrum Farnesium, copiarum Hispanicarum in Belgio Præfectum, confugit, atque auxilia flagitavit. Intererat Hispanorum, ne res Calvinistarum in inferiori Germania augerentur. Ea itaque interposita conditione, ne Hispani Regis sui nomine viderentur sese rebus Imperii miscere, sed Ernesti potius ære conducti militare, Farnesius copias selectas misit, qui agrum potissimum Bonnensem adversus rapinas & incendia tuerentur. His Ernestus ex suis provinciis junxit militem, qui Hispanis sociatus Bonnam nova obsidione cingere posset. Illud consilium tametsi magnis difficultatibus non careret, cessit tamen feliciter. Licet enim Truchsessiani nihil omitterent eorum, quæ ad Urbem propugnandam erant sive necessaria sive opportuna, Bonna tamen obsessoribus sese demum dedidit, & Principem suum, præsidiariis alio dimissis, rursus intra mœnia recepit. Schenckius postea Neomagum aggressus, tametsi rem strenue gereret, & urbe jamjam potitus esset, cedere tamen cum suis coactus, dum ad naves sese recipit, undis hauritur. Ejus cadaver inter alia repertum, in partes quatuor sectum, ante totidem urbis portas pependit. Ernestus noster deinceps rursus rebus Leodiensibus consulere non destitit. Ut vero magna erat rerum naturalium cognitione præditus, cum per Sylvam Arduennam, quæ partim ditionem Leodiensem, partim Ducatum Lucemburgensem attingit, & in Eyfaliam Regionem protenditur, iter instituerat, fossilium venas, majoribus eousque incognitas, feliciter detexit. Bonna rursus capitur à Truchsessianis. Rursus recipitur ab Ernesto.

In hac Frisingensi Diœcesi Quirinus Tegernseensium Abbas, supra jam laudatus, ceu Sacerdos quinquagenarius, Kalendis May Anno 1588. Eucharistium Sacrificium Deo obtulit accitis ad eam festivitatem quatuor suis præcipuis Officialibus, Mareschallo scilicet, Camerario, Magistro Coquinæ, & Pincerna, nempe illustribus Dominis de Thor, Pienzenau, Hochenkirchen, & Egling, qui etiam obsequiose comparuerunt, & sacræ illi festivitati inter multos alios honoratissimos hospites ingentem splendorem conciliarunt. Quirinus Abbas Tegernf. Sacerdos jubilæus.

Archiepiscopus Salisburgensis Wolffgangus Theodoricus eo tempore Romam, & Sixtum V. Pontificem accessit, ingentia tum pro Urbis majestate agenda, tum pro facinorosorum hominum protervia reprimenda molientem, imo executioni mandantem. Ipse Archiepiscopus, negotiis suis perfunctus, eodem anno domum reversus, morum inter suos reformandorum curam suscepit.

Guilielmus Dux anno 1589. post Festum Dominicæ Ascensionis votivæ peregrinationi ad sanctum montem nostrum Andecensem institutæ cum tribus filiis & Aulico famulitio interfuit. Ingentem devotionis affectum in omnium animis excitarunt tres illi Serenissimi Principes, qui penulis induti, pendentibus è collo precatoriis globulis pedites inter reliquos sodales incedebant. Ea supplicatione studebat piissimus Princeps afflictis passim Ecclesiæ rebus Divinam clementiam conciliare. Pietas Guilielmi Ducis.

Posthac mense Junio Jacobus Pirrich cum toto collegio Canonicorum Regularium Berchtoldsgadensium in furnrum suum successorem delegit Ferdinandum, Wilhelmi Dncis nostri filium tertio genitum. Instrumentum ejus postulationis in Metropoli Hundii exhibetur. Eundem Ferdinandum Ernestus noster ceu Coloniensis Archiepiscopus atque Elector sibi adjutorem cooptavit.

Tom. 2. pag. 196.

Gallia & Hispania diris fatis eo tempore fuere exagitatæ: illa amisso Rege, quem impius parricida interemerat: hæc disjecta ac mersa classe 130. ingentium navigiorum, quam ad Angliam subigendam Hispanus immensis sumptibus paraverat. Adeo bene Psalmista monuit: *& nunc Reges intelligite, servite Domino in timore.*

Eodem anno Sixtus V. Pontifex patratis rebus maximis die 27. Aug. vivendi finem fecit; de quo Ughellus hæc habet: „Si Sixti V. quinqne, quibus præfuit, „annos cum ingenti pecunia, quam in pnblicum ærarium congessit, conferre „volueris, plane senties id, quod res est, mortalium industriam quandoque ve„locitatem temporum, ubi res agitur acquirenda, prævertisse. Ita ille.

Urbanus VII. PP. post Sixtum V.

In Sixti locum substitutus postea fuit Joannes Baptista Castaneus, Cardinalis Presbyter S. Marcelli, dictus Urbanns VII. qui tamen nonnisi diebus duodecim provixit, &, antequam inauguraretur, morte sublatus est. Urbanum excepit Nicolaus Sfondratus, dictus Gregorius XIV. qui & ipse nonnisi mensibus decem, ac totidem dies sedit, & appositus est ad Patres suos.

Mox Gregorius XIV.

Ernestus noster die 30. Jun. Ann. 1590. P. Georgium Wackler Abbatem Rotensem, ex inclyto Monasterio Tegernseensi accitum, confirmavit.

§. V.

Turbæ Waidhovianæ circa illos annos.

Waidhoviensium petulantia.

Lutheri dogmata, superiori Inferiorique Austriæ jam dudum passim infusa, etiam Waidhovianam inferioris Austriæ Urbem, dominio Frisingensis Ecclesiæ dudum subjectam (prope quam ex cavernis montium ingens ferri copia eruitur) corripuerant, adeo ut loci Magistratus civicus non solum Parochialem Ecclesiam novæ Religionis doctoribus propria auctoritate concrediderit, verum etiam illius proventus, decimas, censusque annuos sibi pluribus annis violenter usurparit, in usus profanos illicitosque converterit, nullamque suæ administrationis rationem legitimo suo Principi reddiderit. Prætexebatur puritas Divini verbi, zelusque salutis animarum, quo nihil insulsius, nihil stolidius dici poterat. Eo demum dementiæ ventum est, ut doctrina Catholica jamjam in exilium propellenda videretur. Crevit lapsu temporis audacia, adeo, ut Magistratus ille civicus obsequia, Principi suo debita, palam exueret, pedibusque ac manibus subjectionem excuteret, ac civitatis dominium sibi arrogaret. Monitus non semel à Serenissimo Electore, Coloniensi Archiepiscopo, ceu Episcopo Frisingensi Waidhovianus Magistratus, ut juratam sibi fidem servaret, adeo non paruit mandatis, ut etiam causas popularium civium ac pupillorum suo duntaxat arbitrio judicaret, & crumenas suas ad vota farciret. Decretis Principis Waidhovium missis non solum mos non gerebatur, verum etiam nullum responsum reddebatur: &, quod Lector mirabitur, contemptus Principis modis variis palam explicabatur. Is nempe fructus erat prætensi puri verbi Divini.

Ut tantis malis, frequentibusque civium melius sentientinm querelis occurreret Reverendissimus & Serenissimus Princeps noster, anno 1586. non solum

folum è fuis Confiliariis Frifingenfibus delegit viros præftantiffimos, qui Waidhovienfium infolentes motus fedarent, verum etiam illud effecit, ut Sereniffimus Erneftus Archidux, qui tum vicaria Imperatoris poteftate Auftriam gubernabat, iisdem Legatos fuos, imo infuper proprium concionatorem Aulicum, & propriæ etiam confcientiæ arbitrum, è Societate J. virum præclarum, adjungeret. Obfiftit Erneftus Elector: & Erneftus Archidux.

Waidhovium dicti tum Cæfatei tum Electorales Commiffarii pacifice ingreffi funt die 12. Nov. dicti anni 1586. & fequenti ftatim die convocato Magiftratui civico primum: poftea etiam tribunis feu curionibus plebis * ea, quæ fibi commiffa fuerant, expofuerunt. Prima cura erat DD. Commiffariorum, ut ii ex Urbe Waidboviana dimoverentur, quibus præfentibus nihil boni fperari poterat. Itaque tum Auguftiffimi Imperatoris, tum Reverendiffimi & Sereniffimi Principis noftri nomine ftatim die fequenti 13. Nov. monuerunt convocatum Magiftratum primo, ut novæ doctrinæ præcones advenas ea ipfa adhuc die ante folis occafum ex urbe, urbisque territorio exigerentur. 2. neque deinceps amplius admitterentur. 3. ne impofterum ullum exercitium Heterodoxæ doctrinæ palam, vel etiam clam admitteretur interpofita tum Cæfareæ tum Electoralis indignationis comminatione. 4. ut cives oftiatim monerentur pacem colere, & quietem cuftodire. 5. ut R. P. Georgium Scherer Soc. J., fupra laudatum, benevole audirent, ejusque monita obfervarent. Quod totum nifi exactè obfervaturi effent cives, culpam omnem in Magiftratum civicum effe redundaturam. * Rathmaifter. Propofitiones DD. Commiffariorum.

Ubi ifta audivit Magiftratus civicus, fupplicavit ftatim DD. Commiffariis, ut, quæ voce viva fuiffent Cæfaris, & Electoris noftri nomine propofita, fibi etiam fcripto mandarentur, eo fine, ut mox in æde Senatoria communi confilio decerni poffet, quid in arduo illo negotio agendum foret? At vero nihil his permoti Domini Commiffarii negarunt, opus effe, ut ea, quæ ipfi omnes tam diftinctè coram audiiffent, etiam fcripto infinuarentur. Nihilominus ut mandata fupra recenfita adhuc magis eorum animis inculcarentur, placuit ea adhuc voce repetere, & executionem urgere.

Tum vero primipilus refractariorum, nomine Wolffgangus Ebenpergerus, vir verfutiffimus, refpondit, gravem debere accidere Magiftratui denegationem omnis moræ, qua in re tam ardua, quid refpondendum effet, deliberari poffet. Conftare eidem Magiftratui, fe vera Religione effe imbutum. Præterea eidem Magiftratui civico jam alias fuiffe prohibitum, ne in caufa Religionis cum civibus negotium haberet. Hæc & plura alia difputans Ebenpergerus demum Magiftratus nomine declaravit, fe, citra læfionem fuæ confcientiæ, præcones & exercitium fuæ Religionis ex urbe profcribere non poffe: potius fe omnes paratos effe etiam cum omnium rerum fuarum difpendio folum vertere. Refponfa Magiftratus.

Verum hæc nihil valuere apud DD. Commiffarios, & heterodoxi Paftores urbe excedere juffi funt.

Cum eum in modum nihil eorum, quæ optaverat, Magiftratus impetraffet, illud fibi deinceps concedi petiit, ut fuæ Religionis exercitia faltem in Ecclefia Xenodochii frequentare liceret. Verum fruftra erant inobedientium preces. Hinc demum ad callidas artes converfi fuavibus fermonibus perfuadere conati funt Dominis Commiffariis, curaturos fefe, ut in Urbe tranquilla effent omnia, dummodo DD. Commiffarii omnem in eorum promiffionibus fiduciam ponerent. Id toties tantaque facundia congeminarunt eloquentes illi DD. Senatores, ut denique Legati Cæfarei atque Electorales fidem iis adhibere cœperint. Verum die 15. Nov. fraus innotuit, cum curiones fupra dicti, qui meliori confilio ad obediendum proniores erant, ad DD. Commiffarios detulerunt, fe ante biduum in Curia, feu æde Senatoria ab Ebenpergero fuiffe incufatos, quafi ipfi caufa fuiffent, ut præcones verbi (fcilicet) Divini urbem delerere compulfi fint. Melius utiliusque futurum fuiffe, fi & ipfi Magiftratui arctiffimè cohæfiffent. Id plebi Eorundem callidæ artes. Deteguntur.

re-

reliquæ haud dubiè graviter diſplicere, eamque facto illo fuiſſe graviter irritatam. Hæc D. D. Commiſſariis dicti Curiones.

Cedunt quadantenus Senatores.

Nihilominus tamen eadem adhuc die Senatus Waidhovienſis claves quidem Eccleſiæ Parochialis obtulit Commiſſariis, verum claves Eccleſiæ Xenodochii ſibi ſervavit: quo tempore Archigrammatæus urbis Georgius Platelius quibusdam verborum formulis talibus uſus eſt, quæ merito caſtigandæ fuiſſent, niſi conſultius duxiſſent DD. Commiſſarii omnia, quam diu res pateretur, moderate agere. Interim in Magiſtratu periculoſiſſima conſilia foveri, eadem adhuc die patuit. Nam hora 5. pomeridiana, nocte jamjam ingruente, in domum Senatoriam vocati fuere quinque Curiones una cum quibusdam de plebe ſociis, quibus Magiſtratus inſinuavit, cupere ſe iis quædam in aurem concredere, ſi parati eſſent rem omnem cauto ſilentio premere. Verum quidquid moliri demum voluerit Magiſtratus, totum fruſtra fuit, cum reſponderent Curiones, nolle ſe ejuſmodi ſecreti eſſe participes.

At nonniſi in ſpeciem.

Factum illud non poterat latere Cæſareos atque Electorales Commiſſarios. Hinc Senatores mox convocati, ac ſingillatim fuere examinati, qualenam ſecretum Senatus voluerit dictis Curionibus manifeſtare? Super: in quam diverſas reſponſiones abiere, qui viritim interrogati, ſub jurisjurandi fide veritatem edicere juſſi fuerant: Reponebant juniores, non conſtare ſibi, quid eo facto Seniores intenderint. Alii aſſerebant, nil aliud Magiſtratum voluiſſe per Curiones innuere univerſæ civitati, quam quod DD. Commiſſarii Cæſarei atque Electorales non tantum claves Eccleſiæ Parochialis, verum etiam Noſocomii repopoſciſſent. Ebenpergerus denique, qua erat verſutia, affirmavit, de repetitione clavium Eccleſiæ Xenodochii nullam eo tempore Senatui fuiſſe curam: verum ideo convocatos fuiſſe Curiones, ut iis ſignificaretur, Archigrammatæum Urbis à DD. Commiſſariis male fuiſſe habitum. Hæc erant reſponſa Senatorum, *& non erant convenientia teſtimonia eorum.* Itaque ex iis omnibus, & aliis, quæ Ebenpergerus mox molitus eſt, facile intelligebant DD. Commiſſarii, magis arduum eſſe negotium ſuſceptum, quam antehac indicari poterat.

Seditio in Urbe.

Id amplius patuit, quando die 16. Novembris, quæ erat Dominica, fæx quædam populi arcem Epiſcopalem, quam Cæſarei atque Electorales Commiſſarii incolebant, lapidum violenta jactatione impetiit, & impudentibus calumniis Catholicos homines integro fere horæ ſpatio provocavit. Non deerant tamen in Urbe viri quidam prudentes, qui primores Magiſtratus commonerent, ut ſeditionem compeſcerent. Verum ii adeo tepide ſeditioſis obſtitere, ut nemo non intellexerit, ſeditionem potius ad Magiſtratum, quam ad plebem pertinere. Infinitus propemodum ſim, ſi omnes, quæ impoſterum VVaidhovii ſecutæ ſunt, nequitias referre velim. Idcirco juverit ſolum prima rei geſtæ capita compendio recenſere, quæ ex octo juſtis voluminibus, ſuper ea re operoſiſſimè & accuratisſimè conſcriptis delibare viſum eſt. Ebenpergerus interrogatus, quid tumultus ille portenderet? reſpondit, adeo ſe ab ejusmodi plebis inſolentiis abhorrere, ut etiam paratus ſit diu noctuque conſtituere excubias ad omnem ulteriorem ſeditionem præfocandam. Spopondit inſuper, curaturum ſeſe, ut Armamentarium Urbis nemini eſſet pervium: & ut arma neceſſaria DD. Commiſſariis inde extraderentur. Verum hæc ſpecioſè promittendo aliud non egit, quam ut Commiſſariorum conſilia eluderet, ſeditionem diligentiſſime foveret, & Cæſaris atque Electoris miniſtros majori in horas ſingulas metu percelleret, veluti deinceps ſtatim ex octogiunta juratorum teſtium aſſertionibus innotuit: dum interim eo proterviæ Magiſtratus civicus prolapſus eſt, ut quidam omnis generis armis accincti palam comparerent, Catholicis inſultarent, præcones ſuos heterodoxos magnis vociferationibus repeterent: quorum exemplum etiam væſanæ quædam mulieres viriliter ſcilicet ſecutæ ſunt. Et tamen inter hæc venere eorum alii iterum ad DD. Commiſſarios ejulando, ob plebis ſeditionem ſeipſos non amplius ſecure vivere poſſe.

Ebenpergeri aſtutia.

& Sociorum.

posse. Ebenpergerus eo tempore armatam plebem, extra Curiam collectam, totius Magistratus nomine ob zelum Divini verbi palam laudavit: nequissime vero addidit, tumultum non esse viam aptam ad veram religionem tuendam. Quæ ipsa tamen verba mox pessimè corrupit fequentibus: *Wan aber die Gemain zu einem Rath steben, umb das Wortt Gottes leib, gut und bluet aufzusezen gedacht, wollte solches ein Rath gleichfalls thun, und hierauf zu denen Herrn Comissarien sich nochmahl verfiegen, und fleis ankhehren, das Sie zum wenigsten die Spitall-Kirchen zu ihrem Exercitio erhalten möchten.* id est: Quodsi vero tota communitas Magistratui sese conjungere, & pro verbo Dei corpus, bona, ac sanguinem exponere cogitaret, idem etiam Senatum præstaturum, DD. Commissarios iterum aditurum, eoque omnem diligentiam adhibiturum esse, ut saltem Ecclesiam Xenodochii pro suæ Religionis exercitio impetrare valeant. Sane quid Ebenpergero ad hæc tumultuantes responderint, non invenio. Illud vero diligenter annotatum fuit, Ebenpergerum cum suis rursus accessisse Commissarios, & dictam Ecclesiam in suos usus postulasse: crescente vero tumultu Cæsareos atque Electorales Commissarios metu præsentissimi periculi re infecta tantisper Waidhovio Ulmerfeldam (quæ est municipium Frisingensis itidem juris, nonnisi 4. horarum itinere Waidhovio distans) secessisse, & inde tum quidem domum rediisse. Id totum anno 1586. contigit. Discedunt DD. Commissarii.

Cæsarea atque Electorali auctoritatibus eum in modum ab insolentia Magistratus Waidhoviani gravissime contemptis imposterum deliberandum erat de severioribus mediis adversus seditiosos adhibendis.

Itaque proximo anno, Christi 1587. Reverendissimus & Serenissimus Elector noster, ceu Frisingensis Episcopus & Princeps laudatos hactenus Commissarios suos Viennam misit, qui Ernesti Archiducis, Austriæ gubernatoris ulteriorem opem implorarent, & cum ejus Ministris de compescenda Magistratus illius audacia consilia caperent. Neque defuit Archidux Electoris nostri votis, sed novos è suis Commissarios Electoralibus adjunxit, necessaria instructione & auctoritate præditos. Redeunt sequenti anno.

Visum est, nullibi commodius, quam Ulmerfeldæ negotio primam manum admoveri posse. Itaque priores Ulmerfeldam mense Augusto venere Commissarii Electorales: qui statim Præfectum Waidhoviensem Christophorum Muerhamerum, qui vice Electoris nostri ditioni Waidhovianæ præerat, ad se vocarunt, eidemque in mandatis dederunt, ut quantocyus Magistratum civicum, nec non curiones ad se in arcem Episcopalem convocaret, eosque præmoneret, adesse Ulmerfeldæ Electorales Ministros, iisque propediem accessuros esse etiam Cæsareos, tum civilia gravamina, tum causam seditionis examinaturos, ac fine debito terminaturos. Paruit jussis Præfectus & mandata Magistratui curionibusque exposuit, ac monuit, ut semper parati essent Ulmerfeldam venire, si eo evocandi essent. Cæsareis Ministris postea die Divo Bartholomæo sacra Ulmerfeldam delatis, die proxima literæ tum ad Magistratum, tum ad curiones fuere expeditæ, quibus ii omnes utraque Cæsaris & Electoris auctoritate Ulmerfeldam fuere accersiti. Waidhoviani evocantur Ulmerfeldam.

Paruere equidem Curiones: at è Magistratu nemo unus comparuit: & licet statim novis literis idem Magistratus citatus fuerit, iterum Senatorum nullus eo se contulit. Literas duntaxat Ulmerfeldam scripsere, vanissimis excusationibus plenas, & tum Imperatori tum Electori eorumque Commissariis injuriosas. Non paret Magistratus solus.

Cum eum in modum nihil proficerent DD. Commissarii, tandem jussus est Præfectus, ut, si qua ratione fieri posset, Magistratum universum ubi ubi concluderet, conclusumque necessariis custodiis adhibitis cautè detineret. Id ut commodius Præfectus exequi posset, DD. Commissarii quasdam literas, ab Ernesto Archiduce ad Magistratum scriptas ei commiserunt, eidem Magistratui exhibendas. Præfectus Ulmerfelda Waidhovium reversus mox intra Arcem, nemine con- Industria Præfecti Waidhoviensis.

conscio, omnia in rem necessaria ita disposuit, ut, si Magistratus eo veniret, facile captivus detineri posset. His cautissimè dispositis mox Judicem civicum ad se venire jussit. Paruit ille, & in arcem venit. Præfectus venienti exposuit, accepisse se à DD. Commissariis Cæsareis duplicem epistolam, unam quidem collecto Magistratui: alteram curionibus quantocyus consignandam: cumque hæc exponeret, Judici civico duas epistolas signatas exhibuit, quarum unam Ulmerfeldæ acceperat, alteram vero sibi è suo chartario domestico prudenti astutia deprompserat. Priorem etiam Judici civico in manus consignavit, ut dictis suis majorem fidem, & legenti majorem fucum faceret.

Illudit Prætori Urbis.

Cum eum in modum feliciter illusisset Præfectus Prætori urbis, facile deinceps etiam eidem persuasit, ut hora secunda pomeridiana universum Magistratum, uti etiam curiones plebis in arcem venire, quantum posset, juberet. Interim Præfectus fidissimos civium monuit, quid facto opus esset, si Magistratus ad se veniret.

Magistratus cautela.

Prætore jussa exequente hora destinata Curiones quidem comparuere; è Magistratu tamen nonnisi Platelius cum quinque Senatoribus adfuit. Hi nunciarunt Præfecto, missos sese fuisse à Magistratu in Arcem Episcopalem, ut Mandatum Cæsareum, quod ille attulisset, cum debita reverentia exciperent, & collecto Magistratui quantocyus exhiberent. Reposuit Præfectus, se tempore antemeridiano Prætorem urbis distinctè monuisse, se non delectis quibusdam è Magistratu, verum ipsi collecto Magistratui epistolam exhibere & consignare jussum esse. Monuit itaque, ut Platelius cum adjunctis sibi sociis confestim in Curiam civicam se conferret, ibique collectum Magistratum in Arcem venire suo nomine mandaret.

Ad hæc delecti illi multa equidem opponebant, quæ opponi posse visa sunt. Verum cum nihil proficerent, Platelius quidem cum uno è sociis ad Curiam se contulit, cæteri vero astuto consilio in ponte, Ypsio amni imposito, quo in castrum itur, & sub vicina turrita porta ponti adjuncta perstiterunt, cauteque attenderunt, an nihil cum collectis Curionibus, ibidem itidem epistolam ab Archiduce ad se datam expectantibus clam molitetur Præfectus? Interea cum Platelius in Æde Senatoria repetitas Præfecti jussiones exponeret, Magistratus rursus unum è suis misit, qui eidem nunciaret, se jam ad ipsos Cæsareos & Electorales Commissarios literas dedisse, ac spopondisse, se Cæsareis mandatis parituros.

Præfecti artes.

His minime contentus Præfectus Magistratum juratæ fidei acriter commonere jussit, gravissimam Cæsaris atque Electoris vindictam comminando, nî Magistratus extemplo in Arce se sisteret. Verum cum ne sic quidem quidquam proficeret, tandem epistolas manu tenens, & adstantibus exhibens, Deum, ac præsentes omnes in testimonium vocavit, se munere suo fideliter fuisse perfunctum. Curiones etiam ad mandatum Cæsareum excipiendum sedulo convenisse: solum vero Magistratum Supremorum Principum mandata pertinaciter vilipendere, contemnere, & contumaciter aspernari. Compelli sese denique, ut ocyus equis cursoriis ad DD. Commissarios rediret, & solius Magistratus contumaciam accusaret. Quo dicto stabulariis suis elata voce imperavit, ut equos citissimè sternerent.

Tum denique gravi illo clamore perculsi, qui è Magistratu aderant, rogare cœperunt Præfectum, ut saltem brevem adhuc morulam sibi indulgeret: curaturos sese, ut universus Magistratus mox compareat. Præfectus nihilominus iram simulare non desinens, arma in itinere adhiberi solita sibi, confestim dari identidem præcepit, iisque, quos conscios sibique fidos constituerat, clam insinuavit, ut sibi, è castro abeunti, semper præsto essent, idque eo animo, ut, si Magistratus fortè comparere in castro nollet, eundem in Curia congregatum vi opprimeret, atque captivum concluderet.

Venit

Venit inter hæc è Magistratu alius, nuncians Præfecto, paratos esse Senatores omnes quamprimum in castro comparere. Vereri duntaxat, ne collecto ibi collegio suo reditus intercluderetur. Cæterum si Præfectus fide sua nobili vellet testari, Magistratum ibi neutiquam detentum iri, mox omnes esse reverenter comparituros.

Reposuit ilico & breviter Præfectus, se nil simile in mandatis habere.

Tum Mutschegradius (id enim erat Viro ad Præfectum destinato cognomen) ergo mox, inquit, omnes comparebunt. Id spopondit Mutschegradius, existimans, Præfectum non habere mandatum Senatores Urbis captivos detinendi. Verum Mutschegradius feliciter deceptus est. Neque enim dixerat Præfectus, se non habere mandatum, Senatores detinendi; sed: se non habere mandatum, fide sua nobili interposita illud Magistratui adpromittendi. Eodem errore feliciter inducti cæteri Senatores una cum Ebenpergero suo ocyus fuere præsentes, qui quidem in Urbe præsentes erant, omnes. *Feliciter imponunt Magistratui.*

Vix per portam exteriorem, per pontem, ac portam interiorem arcem ingressi erant Domini Senatores, ecce! dato signo clausa est porta interior, cautè tamen, & ita, ut nemo è Magistratu id tum quidem adverteret. Præfectus interim hospites illos suos in paratum triclinium vocavit, addens, se ilico venturum, & mandatis Cæsareis satisfacturum. Interim dato novo signo triginta viri, ad id constituti, in arcem fuere intromissi atque ingressi, nullis tamen, quantum videri poterat, armis instructi. His in arcem, nemine aliquid sinistri subodorante, receptis clausa est porta utraque. *Præfecti curæ ulteriores.*

His ita velociter constitutis Præfectus una cum Curionibus, qui jam diu exspectaverant, triclinium est ingressus, & clausum adhuc Cæsaris mandatum Magistratui exhibuit recludendum, & se adhuc præsente legendum. Vehementer vero Ebenpergerus cum suis restitit Præfecto, asserens, non esse eum locum, ubi Magistratus literas Cæsareas aperiret, sed id ad ædem Senatoriam pertinere. Verum cum acriter insisteret, & insuper claudi januas præciperet, tandem Magistratus literas Cæsaris aperuit, legitque. *Irrita Magistratus effugia.*

Interim, quousque Domini Senatores literas expenderent, Præfectus Curionibus præcepit, ut suo, totiusque communitatis nomine data dextera fidem Cæsari atque Electori iterum spoponderent: quod illi continuo præstiterunt. *Ingenium Præfecti felix.*

Verum dum hæc ita fiunt, Ebenpergerus suspicatus id, quod erat, asseruit Præfecto, Cæsaris literas nullam facere mentionem de Magistratu in custodiam compingendo. Præterea Præfectum promissis minime stare, quippe qui paulo ante asseverasset, se nullum simile mandatum habere: ast nunc verbis suis fidem nullam facere, cum Magistratum custodiæ videretur velle mancipare.

Verum Præfectus nihil ista moratus breviſſimè demonstravit, à Mutschegradio verba sua non fuisse prudenter expensa. Ita post clamores quosdam obortos die jamjam in noctem vergente Magistratus civicus obducta sera valida, ad id studiose parata, triclinio inclusus mansit, excubiis sufficientibus fidisque additis, ne quis elabi posset. Ipse vero Præfectus cum cæteris civibus portas Urbis, una excepta, cui validas vigilias imposuit, occlusit. Postea in domum Senatoriam ingressus, claves sibi tradi poposcit; quibus sibi redditis januas omnes & chartaria sigillo suo muniit. Mox etiam claves armamentarii dari sibi postulavit, & accepit: totius vero stratagematis seriem DD. Commissariis eadem adhuc die, quæ erat secunda Septembris Anno 1587. nunciavit. *Captivum tenet Magistratum. Cautelas optimas adhibet.*

Ulmerfeldæ proxima die DD. Commissarii atque Electorales audita totius rebellis Magistratus captivitate, cæterorum vero civium fidelitate statuerunt Waidhovium sese conferre, ut futuris inquisitionibus essent propinquiores. Venerunt itaque Waidhovium die 4. Septembris hora prima pomeridiana, à Deputatis communis civitatis cum omni submissione excepti, & per suburbium primum, mox per Urbem in castrum adjuncto insigni bellè armatorum civium manipulo deducti. *Commissarii veniunt iterum Waidhovium.*

Et rem prudenter agunt.

Placuit postea DD. Commissariis primo junctis sibi Curionibus accedere Urbis armamentarium, ibique validas excubias adhibere, civibus universis ad quævis obsequia paratos se offerentibus. Posthac iisdem Civibus Capitaneus datus est Præfectus Ulmerfeldensis, quem ii etiam gratanter admiserunt.

Fit inquisitio in seditiosos.

Deinceps visum est primo statim loco in auctores seditionis accurate inquirere. Auditi itaque fuere è civibus, & junioribus opificibus perquam multi, & ii quidem ipsi, qui jam antehac à Magistratu spe favoris sibi conciliandi nequiter fuerant ad examen vocati. Ex horum juratis testimoniis statim apparuit, neminem alium tumultum illum excitasse, nisi primores Magistratus. Hinc DD. Commissarii juniores, quorum culpa erat levior, sub certis conditionibus è custodia dimiserunt: paulo post vero rebus omnibus diligentissime discussis, tandem Magistratum universum dato & publicato Decreto exautorarunt, officiisque omnibus, & administrationibus Cæsarea atque Electorali potestate exuerunt: cæteris vero civibus ob fidelitatem semper eousque exhibitam, liberam concesserunt facultatem nominandi & deligendi è sua communitate triginta duos fideles & idoneos viros, è quibus novus Magistratus deinceps constitui, & officia distribui possent. Hos cum cives postea proposuissent, delecti illi sub certis articulis juratis Magistratum gerere, & officia consueta suscipere jussi sunt.

Magistratus exautoratur.

Instituitur novus.

Instituto eum in modum novo Magistratu plerosque è Magistratu veteri captivos DD. Commissarii è custodia certis pactis dimiserunt: Ebenpergerum vero cum tribus aliis, qui gravius deliquerant, in arce custodiri jusserunt.

Gaudium civium.

Exprimi verbis non potest, quantum inde gaudium communitas civium ex prudentissima illa DD. Commissariorum dispositione conceperit, eo quod eum in modum intolerabili servituti atque tyrannidi Ebenpergeri, sociorumque tandem aliquando subtracta fuerit. Cæterum res eousque Waidhovii feliciter gestas die 29. & 30. Septembris Reverendissimo ac Serenissimo D. Electori nostro, nec non etiam Wilhelmo Bojariæ Duci DD. Commissarii datis literis significarunt, & ab iis summam laudem rei provide peractæ retulerunt.

Commissariorum cauta consilia.

Tentati postea fuere civium nova religione seductorum animi, num forte rationibus adduci possent, ut Catholica potius dogmata, antehac à majoribus suis observata reciperent? Verum cum mox variæ mussitationes passim audirentur, consultum non videbatur rem in præsens urgere, sed satis erat cives adigere ad ea, ad quæ aliarum Austriæ urbium cives ab Imperatore fuerant eo tempore adstricti: Novi tamen Senatores Waidhoviani die 5. Octobris in viginti octo articulos à Cancellario Frisingensi Ludovico Römer, viro prudentissimo, & ex editis libris clarissimo, ad conservandam deinceps tranquillitatem, & tollendas antiquas injustitias conceptos lubentes jurarunt.

Septima postea die Octobris DD. Commissarii in Parochiali Urbis Ecclesia Sacro de Spiritu Sancto interfuerunt, eoque finito in ædem Senatoriam concesserunt, novumque Magistratum publicarunt, atque in possessionem miserunt. Porro novis Senatoribus Cancellarius insigni allocutione salubertima quædam monita suggessit: & inter cætera eos hortatus est, ut Spiritus S. gratiam sedulo invocarent, lumenque è cælo flagitarent ad eam religionem amplectendam, quæ sola beatos reddere potest. Non desore doctos Ecclesiastes, qui eos veritatem docturi, errotesque ex eorum mentibus proscripturi essent. Atque his omnibus tum Senatus novus, tum cæteri præsentes reverenter annuerunt. His ita feliciter peractis DD. Commissarii una cum novo Magistratu & multa plebe è Curia in Ecclesiam Parochialem sese receperunt, ubi hymno Ambrosiano debitæ Deo laudes fuere persolutæ.

Novus Actuarius constituitur.

Vacabat adhuc Actuarii civici officium. Id die sequenti, 8. Octobr. authore potissimum D. Lindeggio Cæsareo Commissario ad preces ipsius novi Magistratus commissum fuit Michaeli Biblio, hactenus Ypsiensis Urbis Actuario, viro probè exercitato, quem facile admiserunt etiam cæteri DD. Commissarii, quia erat vir

vir verè Catholicus. Is etiam officium illud præstito juramento in se suscepit.

Deinceps in gravamina reliqua civium nec non in chartarium Ebenpergeri diligentissime fuit inquisitum; qua occasione quamplurimæ Ebenpergeri nequitiæ fuere feliciter deprehensæ; ut adeo DD. Commissarii jamjam deliberare ac statuere potuerint, quanam pœna tum in Ebenpergerum, tum in alios primores socios animadvertendum esset. Verum quia id tum quidem exequi non poterant, nisi prius Serenissimus Archidux fuisset præmonitus, è Commissariis duo, Cancellario in via gravi morbo correpto, die 23. Octobris Viennam venere, ubi etiam conceptam DD. Commissariorum sententiam Archidux ratam habuit, tametsi uxores captivorum gravissimis querelis mentem illius distrahere conatæ fuerint. Verum quia ulterius etiam desiderabatur ratihabitio ipsius Imperatoris, Pragæ tum commorantis, unus ex iis, Doctor König, Pragam se contulit, ubi etiam Imperator sententiam DD. Commissariorum comprobavit. *Nequitiæ Ebenpergeri amplius patescunt. Supplicia decernuntur, sed caute exequenda.*

Rebus cum in modum rectè peractis DD. Commissarii tam Cæsarei quam Frisingenses anno 1588. rursus Waidhovii comparuere, à civibus iterum congruis honoribus usque ad arcem deducti. Ibi deinceps Cancellarius Frisingensis cumprimis processum publicationis sententiæ formavit. Data deinde fuit opera, ut publicatio absque novis turbis securè peragi posset. Sane convocati cives, juratæ fidei suæ commoniti, promptè responderunt, curaturos se diligentissimè, ut omnia essent tranquilla, neque ullus tumultus sub sententiæ publicatione exoreretur.

Tria erant pœnarum genera, ad quæ exautorati Senatores pro mensura delictorum suorum fuerant condemnati. Aliqui ad mulctam duntaxat pecuniariam erant damnandi: alii præter mulctam pecuniariam etiam in exilium, & ex omnibus terris Cæsari atque Electori subjectis in perpetuum migraturi erant: Ebenpergero carcer perpetuus erat subeundus. Itaque extra & prope Arcem Waidhovianam septum quoddam fuit exstructum, & in eo tria loca fuere distincta, ubi Rei sententiam audirent. Pro Ebenpergero singulare ibi pegma cum quatuor gradibus fuit erectum, ut commodius ab omnibus spectari posset. Tum in Æstiva, quæ erat pars Arcis elevatior, DD. Commissarii cum novo Actuario comparuerunt. Senatus novus Urbis inferius constitit. Prope septum in sonipedibus suis sublimes aderant Præfecti Waidhovianus, & Ulmerfeldensis; item Petrus de Holz, nomine Serenissimi Electoris deinceps semper interfuturus conventibus Magistratus, una cum famulis suis armatis, aliisque custodibus à novo Magistratu institutis. Confluxerat populus numerosus, Cæsaris, Electoris atque Archiducis sententiam excepturus. *Genera pœnarum.*

Rebus ita dispositis Michael Biblius, novus Urbis Actuarius, jussus est clara voce ea prælegere populo, quæ videbantur necessario præmittenda, ut sciret universa communitas, quibus urgentibus rationibus adacta fuerit Cæsarea Majestas, Serenissimus Elector, uti etiam Serenissimus Austriæ gubernator in Magistratum exautoratum animadvertendi. Publicabantur itaque longo ordine reorum facinora universa, perfidia, superbia, protervia, contemptus Divinæ atque Cæsareæ Majestatis, abusus proventuum Ecclesiasticorum, oppressio viduarum, pupillorum, aliorumque civium, Mandatorum Electoralium neglectus constans, jactata adversus Principem scommata, arrogatum à pluribus annis supremum Urbis dominium, imposturæ etiam Principibus factæ, concitata seditio, illusiones & insidiæ adversus DD. Commissarios structæ, perjuria, mendacia, totius Rei publicæ afflictio, & alia quam plurima: quæ omnia vivis coloribus erant gravissimè conscripta. *Publicatur sententia.*

His ita populo prælectis Præfectus Urbis reos è custodia in septum supra dictum inter armatos custodes produxit. Ebenpergerus grandi catena pedibus illigata, qua ipse proprium corpus involverat, cinctus comparuit, & in præparato

ad id pegmate solus, ut jussus fuerat, stetit: cæteri intra septum, humiliori tamen loco, juxta delictorum quantitatem fuere spectabiles.

Tum Biblius Actuarius sententiæ Cæsareæ atque Electoralis tenorem, de quo jam supra dictum est, legere jussus fuit: quod ille cum decenti gravitate executus est.

Ebenpergerum neque intentata pecuniaria mulcta neque proscriptio quidquam movebat. Verum ubi Actuario altius vocem elevante audire debuit, se etiam ad perpetuos carceres amandari, tandem scilicet gemere, & manu manui innectere didicit.

Pronunciata eum in modum sententia Ebenpergerus statim iterum in carcerem compactus est: ubi temporis lapsu deinceps contabuit. Cæteri mitioribus in locis fuere detenti. Tanta gravitate tota illa tragœdia peracta est, ut ipsi etiam Judices fassi fuerint, proprios animos inde fuisse vehementer commotos. Mulcta pecuniaria, reis imposita, erat triginta duorum millium Dalerorum seu Philippæorum, ad quam summam pendendam deinceps fuere adacti, ut longo ordine legimus in supra recensitis octo Tomis, super toto eventu exactè conscriptis: ubi tamen suspicamur, non defuisse aliquem, à Waidhoviensibus corruptum, qui aliquot folia ex dictis codicibus tum eruerit, tum exsciderit. Id enim vestigia videntur prodere.

Ulteriores DD. Commissariorum curæ. DD. Commissarii posthac rursus ad tollenda civilia gravamina curas suas converterunt, atque, quid deinceps in Templis Scholisque agendum esset Waidhovii, ordinarunt. Atque his potissimum modis, at nonnisi plurium annorum tractu, & instituto pro RR. PP. Capucinis Conventu, Waidhovium tranquillitati, & Ecclesiæ Catholicæ fuit restitutum: quæ omnia prolixius prosequi non vacat, nec Lectori fortassis gratum accideret. Redimus ad filum Historiæ nostræ.

§. VI.

Novæ rerum vicissitudines ab Anno Christi 1591. usque 1600.

Mors matris Ernesti nostri Episcopi. QUæ supra §. IV. enarravimus funera, Anno 1591. secuta est Anna Austriaca, Alberti V. Ducis nostri Uxor lectissima, & Ernesti nostri Mater. Egerat eo tempore Ernestus noster Elector apud Eburones, cum nuncium de morte Matris accepit. Is, ut dignè parentaret, universos Leodiensis Provinciæ Præsules, nobilesque convocavit, qui justa funebria celebranti sibi assisterent, & sacras cæremonias condecorarent. Guilielmus Dux haud absimilia Monachii præstitit. Ea in Matrem pietate maximam sibi laudem filius uterque promeritus est.

Chrysopœi supplicium. Auxit vero Guilielmi encomia justum supplicium, quod de Bragadino Chrysopœo, pessimo impostore sumpsit, eumque multiplicis doli accusarum convictumque gladio feriri jussit. Dolendum sanè, quod jam pluribus Sæculis ejusmodi farinæ homines Bojaria, imo totus fere orbis, sibi illudere toties permiserit, & etiamnum permittat cum ingentibus & assiduis ærariorum detrimentis. De his bene monens Adelzreitterus asserit, gentem Chrysopœorum difflandis, non conflandis opibus esse natam. Dicti veritatem nunquam interrupta experientia docet.

Gre-

Gregorium XIV. undecimo sui Pontificatus mense mortalibus ac Petri solio valedixisse, supra jam monuimus. Ea mors hoc eodem anno Idibus Octobris contigit. Sede posthac diebus quatuordecim vacante Antonius Facchinettus Bononiensis, eousque Cardinalis SS. quatuor Coronatorum Apostolica Cathedra potitus est, qui Innocentii IX. nomen sibi tribui voluit. Verum ne hic quidem Pontifex diutius, quam duobus mensibus, & diebus decem Ecclesiæ gubernacula tenuit: post cujus obitum secuto 30. dierum Inter-Pontificio ad summum Pontificatum mense Januario Anno 1592. ascendit Hippolytus Aldobrandinus Florentinus S. Pancratii Cardinalis, Clemens VIII. posthac nuncupatus. Innocentius IX. PP. Clemens VIII.

Sub eo Pontifice eodem anno Philippus & Ferdinandus, Bojariæ Duces, hic Adjutor Coloniensis & Berchtoldsgadensis, ille electus Ratisbonensis, qui eousque Ingolstadii sublimioribus studiis operam dederant, Romam à Serenissimo Parente fuere missi, ut ibi eorum experientiam caperent, quæ futuros tantos Præsules decerent. Iis in via comitem inter cæteros Guilielmus adjunxit Joannem Benedictum, Monasterii Benedictoburani Abbatem, virum in Bojaria perquam celebrem, qualem sese etiam Clementi Pontifici probavit. Perstitere diutius Romæ Serenissimi Principes: Abbas vero paulo post domum remeavit, cum eum tum curæ domesticæ, tum Provinciæ publica negotia revocassent. Duo Bojariæ Duces Romam petunt.

Mirabitur interea Lector, quod, dum Frisingensem Historiam scribere nos profitemur, in recensendis rebus Frisingensibus ejus temporis tam parci simus? Verum respondere cogimur, absente, & apud Ubios atque Eburones distento Ernesto nihil singulari mentione dignum fuisse gestum, aut certè ab ejus ætatis hominibus non esse in literas redactum: certè ad nos nihil eorum pervenisse.

Ad annum vero Christi 1594. sequentia potuere à nobis conscribi. Rudolphus Imperator Imperii Principes & Ordines Ratisbonam evocaverat, rursus subsidia adversus Turcas expetiturus. Aderat inter alios Electores ac Principes Ernestus noster, eaque occasione novam inaugurarionem Electoralem Septemviralem à Cæsare petiit: cujus precibus Imperator facile annuit. Ferunt, Clementem Pontificem ea de re, deque insignibus Ernesti meritis à suis edoctum, Eidem fuisse amplissimè gratulatum. Porro feliciter absolutis Comitiis Ernestus noster Imperatorem Pragam secutus, ad transigenda quædam gravia inter Principes negotia fuit adhibitus. Comitia Ratisbonæ.

Inter hæc in Belgio tumultuabantur Hispani milites, quod ex multo jam tempore nulla stipendia ab Archiduce Ernesto, Belgii Hispanici gubernatore, acceptissent. Ut itaque Hispanos placaret Archidux, jussit iis stipendia distribui, ratus, eos deinceps promptos fore ad sopiendas turbas, ab Italis militibus, Hispano ære conductis, excitatas. Id ut eo certius obtineret, rogavit Ernestum Electorem, ut eum in finem & ipse arma sua jungeret. Præsto fuit Ernestus Elector, & mille ducentos è suis Archiduci misit. Verum Itali, cum se Electorem nactos hostem intelligerent, furorem in Leodiensem agrum nocte intempesta converterunt, cædes varias intulerunt, & rapinas ingentes egerunt. Tanta mala ut à suis Elector arceret, quindecim tandem florenorum millia Italis numeravit. Ex Frisingensibus tabulariis discimus, Ernestum Electorem eo tempore à Collegio Cathedrali Frisingensi accepisse mutuos quindecies mille & octingentos florenos, reditibus Burgkrainensis Dominii cum certa restrictione in pignus futuræ restitutionis oblatis. Novæ difficultates in inferiori Germania.

Diximus in superioribus, Monasterium Ramsaviense RR. Patrum Eremitarum S. Augustini usque ad annum Christi 1593. ruinis suis incubuisse. Inter hæc tamen officiis suis non deerant Patres illius Ordinis Monacenses, qui illud saltem apud Legatum Pontificium, & Ernestum nostrum effecerunt, ut Anno 1580. bona ac prædia quædam Ramsaviensis quondam Monasterii Cœnobio Monacensi adjungerentur, cujus rei documenta supersunt. At vero, cum deinceps Comitatus Haagensis defuncto Ladislao Fraunbergio Bojariæ Ducibus accessisset, Restauratur Monasterium Ramsaviense.

Ferdi-

Ferdinandns Dux rerum ejus Comitatus potitus, Anno 1593. Monasterium illud resuscitare cœpit, ac primo quidem duos ex Ordine illo Patres, Albanum Bader, & Alexium Haidenhofer eidem præfecit: ex quo tempore usque in Præsens RR. PP. Eremitæ locum illum etiam numero ad justi Conventus rationem aucto feliciter obtinent, tametsi nondum omnia primævæ fundationis prædia recuperarint. Augmentum numeri largitati Bojariæ Ducum, & assensui Viti Adami in acceptis ferunt. Ejus rei Documenta diffusiora sunt, quam ut operi nostro inseri valeant.

Pontificis cura pro Monasteriis. * *Pistoia.*

Clemens VIII. Pontifex, qui, Ughello teste, Religiosorum Ordinum puritatem unicè adamavit, Anno Christi 1594. ad Instranda Utriusque Germaniæ Monasteria Benedictina ex Italia misit Petrum Paulum de Benallis, Congregationis Casinensis, tunc Abbatem S. Baronti in Pistoriensi * Diœcesi. Abbas in Germaniam delatus exhibitis Episcopo Augustano Pontificii mandati literis, visitare deinceps Apostolica authoritate cœpit Monasteria ejus Diœcesis, in quibus etiam ea, quæ sananda videbantur, sanavit: ubi vero nulla emendatione opus erat, Ascetatum religionem datis literis collaudavit. Hæc intra Augustanæ Diœcesis limites evenere feliciter. Cum vero postea in interiorem Bojariam progressurus esset, percipere debuir, aditum ad ea Monasteria non fore pervium, eo quod domestici Visitatores præ extraneis probarentur. Nihil simile exspectaverat Abbas, mirabaturque, Reformationem ubique optari, sed Reformatorem Apostolicum non admitti. Capto itaque in arena consilio, scripsit cæteris Bojariæ Abbatibus, ut, cum extraneus Visitator non admitteretur, ipsi ex se unum deligerent, quem præ aliis idoneum judicarent: curaturum se, ut electus eadem, qua ipse, auctoritate Apostolica visitationis negotium prosequi posset.

Placuit consilium Abbatibus. qui cum probe intelligerent, Joannem Benedictum Abbatem Benedictoburanum, nuper Roma reversum, Clementi Pontifici præ aliis probatum iri, Principibus etiam fore acceptum, unanimia in eum suffragia contulerunt. Id totum deinceps Petrus Paulus Abbas Pontifici retulit: qui exhilaratus Joannis Benedicti electione mox ad eum mandatum Apostolicum misit, eique omnium per Bojariam Monasteriorum lustrationem commisit, seque super iis, quæ agerentur, erudiri voluit.

Recepto Mandato Apostolico facilè prævidit Benedictoburanus Abbas, se per Concordata Bavariæ, non multis abhinc annis inita, nihil effecturum, nisi Principes præmonerentur, & Mandatum Apostolicum examinarent. Itaque Pontificias literas misit ad illum Principem, cujus authoritatem sibi maximè esse necessariam facilè prævideras. Viso autem Mandato Apostolico fuere inter Aulicos aliqui, qui suadebant Principi, ut Abbas Benedictoburanus juberetur excusare se Pontifici, causasque, è quibus ejusmodi visitationis negotium difficulter suscipi posset, exponere. Eæ causæ, quæ ab Abbate scribendæ essent, ipsi Abbati fuere scripto consignatæ. Itaque non obstante Pontificis mandato etiam Visitator domesticus, qualis prius prætendebatur, actum egit, dum nihil agere permissus est.

Eberspergaavellitur ab Ordine S.B.

Mysterium latens sequenti anno Bojariæ innotuit, dum celeberrimum Monasterium Eberspergense, sex horarum spatio Monachio dissitum, Romæ præter nostrorum, omniumque exspectationem Apostolica authoritate Patribus Societatis Monacensibus, eousque congrua fundatione destitutis, datum fuit. Porro ut tantum vulnus Benedictini patientius ferrent, Andecensi nostro Monasterio adjectum fuit Monasteriolum Paringense, quod olim Canonicorum Regularium fuerat, tum autem desertum jacebat potius, quam stabat. P. Cyriaco Empel, ultimo Benedictino Administratori ac Professo Eberspergensi viro sanè docto, mitra Weltenburgensis fuit imposita: cæteri Religiosi per varia vicina Monasteria fuere distributi. Chorales libri, qui nulli deinceps usui apud Eberspergenses futuri erant, Monasterio Mallerstorffensi cessere.

Sero

Sero illud negotium etiam Frisingensi Ecclesiastico Regimini innotuit: cumque urgente Bulla Pontificia Ebersperga aliis incolis tradenda esset, opposuere quidem DD. Consiliarii Frisingenses, quod ea re Episcopatus Frisingensis jurisdictio, variaque emolumenta & jura, una cum dignitate Abbatiali, quæ in Synodis Diœcesanis, sæpeque alias, multum tum ornamenti tum etiam utilitatis afferre ex more poterat, diminuerentur: Verum exauditi non fuere. Ernestus tamen ea super re à suis monitus, consensit quidem, ut Pontificis jussui, & Guilielmo Fratri morem gererent: Addidit tamen in literis ad Pontificem datis: *facere non possum, quin Sanctitatem V. enixe rogem & obtester, ne imposterum me, & Capitulo Frisingensi inaudito super ejusmodi Diœcesis Beneficiis, Collegiis & Monasteriis ullis precibus annuat.* Hæc Pontifici Antistes noster. Ebersperga itaque die ultimo Octobris 1596. cessit Patribus Societatis per Bullam Suppressionis, seu Translationis, quam Hundius in Metropoli exhibet, ubi eam Lector reperiet. Tom. 2. pag. 285.

Vidi ego, & dum hæc scribo, præ manibus habeo autographum literarum P. Christophori Mariani S. J. Collegii Monacensis Rectoris, datum 2. April. 1597. quo graviter testatur, Societati Jesu difficillimum fuisse Monasterium illud acceptare, eo quod facile præviderint Patres, eam translationem multorum crises esse excitaturam. Verum de his satis.

Paulo ante mutationem Ebersperg ensem accidit translatio Collegii Canonicorum Divi Castuli ex oppido Mosspurgensi ad Basilicam S. Martini Landshutanam. Ad Divum Castulum Mospurgi primitus exstitisse amplissimum Monasterium sub Divi Benedicti Regula, alibi dudum monstravimus. Pontificias super ea Translatione literas iterum Metropolis Salisburgensis exhibet. Translatio Canonicorum Mosburgensium. T. I. part. I. pag. 71. 145. &c.

Inter eas translationes Guilielmus Dux humanarum rerum pertæsus etiam se ipsum, relictis Maximiliano filio utriusque Bavariæ fascibus, sese ad vitam solitariam sensim transferre ac componere cœpit. Scribit tamen Adelzreitterus, Guilielmum magni fecisse Clementis VIII. beneficium, quo Philippum filium, Ratisbonensem Administratorem ad Vaticani Senatus Purpuram evexit. Forte etiam non minus gratum accidit eidem Guilielmo, dum idem Pontifex Ferdinandum filium, jam antehac, ut supra diximus, in adjutorem atque Successorem Ernesti Electoris Coloniensis designatum, confirmationis Apostolicæ gratia prosecutus est. Sane Ernestus noster eo tempore eos, quos in Leodiensi Diocesi ex neglecta Sacramentorum perceptione Acatholicos esse cognoverat, solum vertere jussit. T. 2. à pag. 598. Guilielmus Dux ad vitam solitariam aspirat.

Sacram, de qua diximus, Purpuram Philippus ritu magnificentissimo accepit Monachii anno 1597. die Purificatæ Deiparæ sacra. Secuta est Monachii mense Julio alia grandis festivitas, quando Basilica Divi Michaelis munificentissimè exornata atque dotata, à Frisingensi Proepiscopo Bartholomæo Schollio præsentibus Ferdinando Archiduce, futuro Imperatore, totaque fere Serenissima Domo Bavarica factis cæremoniis fuit inaugurata. Hæc & alia liberali manu scripta Adelzreitterus typis commisit. Dedicatio Templi S. Michaelis Monachii.

Extant in scriniis Frisingensibus literæ permutationis, qua Ernestus noster, ceu Frisingensis Episcopus & Princeps eodem anno Guilielmo Duci, fratri suo, villam Schleissheimensem * cum decimis Veldmochensibus cessit, & justam in vicem decimas & prædia quædam in Viecht, Pach, & Humel recepit ea conditione interposita, ut, quemadmodum Villa Schleissheimensis cum decimis ac prædictis prædiis ab ære collatitio Bavaricæ Domui solvendo fuisset libera, ita etiam decimæ ac prædia recepta semper forent æque immunia. Extant ea super re literæ tum Anno 1597. tum 98. exaratæ. * Klein Schleisheim. N. 399. 400.

Philippo Cardinali, annum ætatis vicesimum secundum agenti, florente utique juventa mors vitam Purpuramque sustulit Anno 1598. die 18. mensis May, cui ceu summæ exspectationis Principi nemo bonus non optasset Nestoris annos. Eum in Ratisbonensi Cathedra secutus est Sigismundus Fridericus ex Baronibus Fuggerianis progenitus, Ratisbonensis, Salisburgensis & Pataviensis Canonicus. Mors Ducis Philippi Cardinalis.

Incendium Basilicæ Salisb.

Salisburgi eo anno Basilica Metropolitana ingens incendium passa est, tegulis plumbeis defluentibus, & turribus quinque, ut Dükerus scribit, flamma consumptis, servato tamen inferioris templi ædificio. In Bojaria nostra (non minus quam Romæ Tiberis) Salsa, Oenus atque Danubius vicinos agros mire inundarunt, ac damna gravissima intulerunt iis ædificiis, quæ ad ripas dictorum fluminum eousque consederant.

Inundationes.

Sperabant nihilominus Salisburgenses cives, Metropolitanæ Basilicæ ruinas brevi esse farciendas. Verum Wolffgangus Theodoricus Archi-Episcopus spem eorum destituit, dum Anno Christi 1599. die 18. Jan. templi illius solo æquandi initium fecit, quæ ædificii plane regii destructio sex omnino annos postulabat. Die 22. Junii ejusdem anni 1599. secuta est apertio sepulchri S. Virgilii Salisburgensis quondam Episcopi, in quo reperta sunt ejusdem Sancti Præsulis ossa, stanneo sarcophago inclusa: cum quibus inter alia notatu digna repertus est funiculus precatorius, è pluribus parvis eburneis annulis contextus. quæ res argumentum præbuit, morem, quo hodieque ex precatoriis globulis Divam Virginem salutamus, esse Sæculo XII. antiquiorem.

Inventio S. Virgilii Ep.

Histor. Salisb.

Eo anno ex languore potius animi, quam corporis infirmitate obiit Weihenstephanensium Abbas Benedictus, eo nomine secundus; qui cum à viro magni nominis monitus esset, instare Monasterio suo, aliisque duobus eadem fata, quæ nuper Eberspergensi acciderant, monuit Ernestum Coloniensium Electorem & Ordinarium suum, rogavitque, ut periculum imminens avertere dignaretur. Id facile annuit Serenissimus Elector, & Monasteriorum sibi subjectorum curam cordi habuit. Verum cum Aula Boica ex ea Abbatis adhibita cautela gravissimè fuisset offensa, isque eum, à quo monitus fuerat, prodere nollet, sed duntaxat rumorem communem, quo urgente cautelam adhibendam esse censuisset, allegaret, gravia deinceps pati coactus, sed tamen post annum elapsum in gratiam receptus est. Mors Benedicti Abbatis contigit die 5. mensis Decembris: cui ex fratrum suffragiis die 15. Januarii anni 1600. successit R. P. Sixtus Feichtmayr Monacensis, loci Prior, vir omni literatura excultus, & Verbi Dei etiam in hac Cathedrali Ecclesia Præco eximius.

Mors Benedicti II. Abbatis Weihenstephanensis.

Monachii eodem anno Serenissimus Bojariæ Dux Maximilianus insigni pietate erigere cœpit ædificium Conventus RR. Patrum Minorum Capucinorum in honorem S. Francisci sacris stigmatibus gloriosi. Templum post biennium dedicavit Reverendissimus D. Bartholomæus Schollius Frisingensis Proëpiscopus, semel iterumque laudatus. Auxit pietatis avitæ opera idem Serenissimus Dux Maximilianus, quando eodem anno ad impetrandas Jubilæi, ut vocamus, gratias Romam adiit: habitu incognito ibi hospitatus.

PP. Capucini Monachii.

Ferdinandus Archi-Dux, futurus Imperator, eodem anno Mariam Annam, Maximiliani Ducis sororem, principem lectissimam, sibi matrimonio junxit. Ernesto vero Episcopo nostro confirmavit privilegium, vigore cujus à Senatu Urbis Lacopolitanæ ad Præfectum seu Capitaneum loci & ditionis vicinæ appellari posset.

N. 401.

In peristylio RR. PP. S. Francisci Monachii parieti inhæret lapis sepulchralis prope altare, sequentia continens.

Anno MDC. VII. Junii obiit V. P. Joannes Christophorus Minich olim Canonicus Frisingensis, cum post Canonicatus sui resignationem in nostra Religione vixisset annos quinque.

Hæc ibi. Nos suo loco monebimus, virum illum Canonicatum suum cessisse Vito Adamo Geebeckio, futuro Frisingensi Episcopo. cæterum dum asseritur, eum in Religione vixisse annis quinque, id Lector accipiet de annis quinque nondum completis, ut suo loco apparebit.

§. VII.

§. VII.

Anni ultimi Ernesti Electoris, & Episcopi Frisingensis.

CUm ad Ecclesiam B. V. Mariæ in excelso monte, cui Peissenberg vocabulum, dudum erectam ingens indies peregrinantium numerus confluеret, adeo, ut perpetuis Sacerdotibus, qui sacra administrarent, ibi opus esset, Reverendissimus ac Serenissimus Antistes noster eandem Ecclesiam die 17. Octobr. Anno 1601. ad propagandum Marianum cultum inclyto Monasterio Canonicorum Regularium Raitenbuechensi univit, ubi etiam in hodiernum diem non solum ipsa Ecclesia exquisito cultu fulget, verum etiam à dictis Regularibus Canonicis religiosa pietate, doctissimaque industria administratur. Peissenbergensis Ecclesia tribuitur Monasterio Raitenbuchensi.

Haud absimilem Frisingensi Urbi, ac Cathedrali huic Ecclesiæ curam adhibuit Ernestus, dum virum apud Frisingenses hodieque celeberrimum P. Franciscum Ampherle ex Divi Francisci Ordine selegit, & suggestui ejusdem Cathedralis Basilicæ imposuit: quo ille officio deinceps annis omnino quadraginta quinque cum summa laude ac animarum fructu functus est, & pluribus Religionis suæ sodalibus aditum in hanc Urbem primis statim muneris sui annis aperuit. Prima habitatio huic R. P. Francisco Anno 1602. prope Ædes D. Decani Collegiatæ Ecclesiæ S. Viti fuit assignata, donec de alia commodiori ac viciniori assignanda deliberaretur. P. Franciscus Ampherle ex Ord. S. Francisci vocatur Frisingam.

Monachii Anno 1603. cultu singulari celebrata fuit festivitas sacratissimi Corporis Christi, ad quam etiam invitatus à Duce fuit ac comparuit Wolffgangus ab Hausen, eo nomine secundus Episcopus Ratisbonensis, rei Catholicæ promovendæ studiosissimus. Ratisbonensibus Comitiis eodem anno convocatis, Cæsaris, fratris sui nomine præsedit Matthias Archi-Dux, & ipse suo tempore futurus Imperator. Ibi de Turcis reprimendis, & turbis Belgicis Germanicisque sedandis deliberatum est. Comitia Ratisbonæ.

Proximo anno 1604. die 15. Junii aram principem Mospurgensis Ecclesiæ consecravit Bartholomæus Schollius Proepiscopus, & in ea sacra quædam Divorum Castuli & Gereonis lipsana reposuit. Frisingæ supra laudatus R. P. Franciscus Ampherle, ut Cathedrali Ecclesiæ esset vicinior, translatus est in eam ædem, quæ ex monte Frisingensi per portam orientalem descendentibus ad sinistram prima occurrit. Episcopo nostro Maximilianus Archidux, Provinciarum Austriacarum Gubernator anno insequenti 1605. immunitatem ab exactione teloneorum, quæ ob vina ex Athesina provincia advehenda præstari alias solent, novis literis ratam habuit.

Eodem anno die 3. Martii decessit Clemens VIII. Summus Pontifex: post quem Ecclesiæ Catholicæ Regimen suscepit Alexander Medicæus, antehac Archi-Episcopus Florentinus, dictus Leo XI. qui tamen nonnisi 26. diebus sedit, & die 26. Aprilis obiit. Is rogatus, ut Purpuram, qua ipse exornatus fuerat, in Octavianum, ex fratre nepotem transferret, pulcherrime respondit illud: *quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Deinceps Pontifex consalutatus est die 16. May ejusdem anni Camillus Burghesius, S. Chrysogoni Cardinalis, in Pontificatu Paulus V. nuncupatus. Post Clementem VIII. fit Pontifex Leo XI. Paulus V.

PP. Capucini Rosenhemii.

Prope Rosenhemium Anno 1606. cœpta fuit constructio Monasterii pro Fratribus Minoribus Capucinis in honorem S. Elisabethæ ex Hungariæ Regibus exortæ. Sumptus universos suppeditavit Papinus de Pissone oriundus, civis ejus celebris oppidi. Ecclesiam illius Monasterii Schollius Proepiscopus anno sequenti consuetis sacris ritibus initiavit.

Insolentia Donawerdanorum Acatholicorum.

Maturuerat à multis annis Donawerdanórum civium insolens protervia, postquam eam Urbem Lutheri dogmata afflaverant. Nemo magis intra muros sese tumultuantibus objecit, quam S. Crucis Ordinis nostri Abbas, qui, tametsi Lutherani adversus Imperatoris edicta etiam sacram Ædem Parochialem invasissent, nihilominus sese una cum Asceti suis immobilem præbuit, neque latum unguem à fidei orthodoxæ sacris, ritibusque dimoveri sese permisit. Aliquando explicatis sacris signis cum supplicantium cœtu pro more solemniter processerat: cum Lutherani correptis, quæcunque præ manibus erant, armis, factum agmen invaserunt, & discerptis tribus labaris, confractaque Crucifixi imagine supplicabundos disjecerunt. Impudentiam diutius ferre non valens Augustanus Episcopus rem omnem Cæsari ex ordine retulit, tantisque malis opportunum remedium expetiit. Non ignoraverat ex multo jam tempore Novatorum petulantiam Imperator, sed tempus exspectaverat, quo, ne ipsis quidem Acatholicis Principibus improbare valentibus, vindictam statuere posset. Moniti erant sæpe sæpius Novatores, ut sibi temperarent, neque leges pacis ulterius præfractè contemnerent. Verum frustra fuere omnia. Itaque tandem Imperator Maximiliano Bojariæ Duci, Catholicæ & avitæ Religionis zelotissimo, in mandatis dedit, ut rebellem civitatem ferro & armis revocaret ad obsequium. Fecit hoc Maximilianus Dux, modestè tamen, dum urbi arma ostentavit potius quam intulit. Tum vero demisere cornua superba capita, legesque Boji Principis fuere amplexa, quibus eorum posteri, ad meliorem frugem reducti, etiamnum cum laude, & animarum salute parent, novatorum doctrinis in exilium missis. Eam rem Adelzreitterus & alii plenius describunt. Inter leges quas Maximilianus Dux Cæsarea autoritate Donawerdanis præscripserat, erat etiam ea, ut seditiosi cives aut factæ expeditionis sumptus refunderent, aut imposterum Boico dominio obnoxii manerent. Id tam ægre tulerunt Principes Protestantes, ut cum anno sequenti rursus nova Comitia celebrarentur, ubi de avertendis assiduis Imperii periculis, turbinibus, atque incommodis deliberari Cæsar voluit, Status Aug. Conf. longe alia ac plura postulata proposuerint. Primum erat, ut Donawerda libertati restitueretur. Secundum, ut emendaretur Judicium Cameræ Imperialis. Tertium: ut Consilium Aulicum Imperiale tolleretur. Quartum: ut Assessores Judicii ex utraque Religione pari numero deligerentur. Quintum: ut Visitationes ordinariæ omitterentur. Sextum: ut Ecclesiastici Prælati in nullo Tribunali audirentur. Septimum: ut Episcopi à sessionibus & suffragiis ferendis in Romano Imperio arcerentur. Octavum, ut sepulchreta Catholicorum ac Protestantium essent communia. Nonum: ut Papæ auctoritas in Imperio esset nulla. Decimum: ut formula in recipiendis Imperii feudis corrigeretur. Undecimum: ut Recessus Imperii non ex suffragiorum pluralitate, sed votorum, quantumvis numero pauciorum, sed veriori sapientia instructorum pondere formarentur.

Compescitur.

Opponunt sese Acatholici Principes.

Sed frustra.

Cristas tam alte attollere ausi sunt Acatholici, quod spem maximam in armis Gallicis, Cæsari imminentibus, haberent repositam. Verum cum nihil horum admissum esset in Comitiis, novam inter se Unionem Aschusii inierunt, caputque sibi statuerunt Fridericum Palatinum Electorem. Tanto fœdere freti eo audaciæ progressi sunt, ut Cæsari Rudolpho intrepide significatint, quod, nisi iis, quæ Ratisbonæ postulaverant, satis fieret, mirari non debeat Imperator, si alio pacto rebus suis ipsi prospicerent. Verum cum Saxoniæ Elector, qui Imperatori fidem constanter servaverat, iniquitatem postulatorum detestaretur, nihil impetrarunt confœderati, quamquam posthac Halæ Suevicæ rursus congregati novam

Im-

Imperii formam iterum peticrint, Saxone rursus insolentiam improbante.

Eodem anno, Christi 1608. Anna, nata ex illustri familia de Pienzenan, nupta primum Joanni Baptistæ Guidobon Gavalchinio, Baroni de Liechtenberg, Carbanao & Sarzano, Serenissimorum Bojariæ Ducum Guilielmi & Maximiliani Camerario, Consiliario Intimo, Tölzensium Præfecto: post hujus vero mortem desponsata Joanni Jacobo Papafabio, Comiti de Carara & Aquilara, Domino in Reicherspeyrn & Saxenkam &c. in honorem B. M. Virginis Lauretanæ in monte Reittbergensi prima Ecclesiæ, & accessuri pro sororibus tertiæ Regulæ Divi Francisci Parthenonis fundamenta jecit. Ecclesiam suo tempore Stephanus Seiboltstorffius Episcopus consecraturus erat. Sorores illæ Abbatem Tegernseensem superiorem recognoscere jussæ sunt. Verum de iis deinceps ulterior mentio fiet suo loco. Initia Sancelli in Reitberg.

Angerenses Moniales nuper Romæ impetraverant, ut sua Divo Jacobo sacra Ecclesia, Lateranensi Ecclesiæ aggregaretur, & sacrarum gratiarum particeps fieret. Literas itaque Romanas obtulerunt Reverendissimo Ordinario nostro: qui etiam eas recognoscendo legitimas esse testatus est. Raitenbuechensibus vero Canonicis Regularibus concessionem Unionis Ecclesiæ Peissenbergensis Pontifex summus ratam habuit. Angerensis Ecclesia aggregatur Lateranensi.

Monachii Anno 1609. Maximilianus Dux, Leopoldus Austrius, Argentinensis atque Pataviensis Episcopus: Julius item Herbipolensis, Henricus Augustanus, & Wolffgangus Ratisbonenses Præsules: Abbas item Campidonensis, & Præpositus Elvacensis sacrum fœdus sanxere, cujus caput designatus est idem Dux Maximilianus. Suspicamur, Erneftum nostrum fœderi illi non accessisse, ne offenderet Novatores, quibus Episcopatus, quos in Germania inferiori possidebat, quaquaversum circumfusi erant. Fœdus Monacense.

Vacabat eo tempore ex morte Sebastiani Catanei Chiemensis Episcopatus. Eam itaque Sedem Archiepiscopus Salisburgensis Erenfrido Küenburgio, Salisburgensi Canonico, attribuit, eumque cooperantibus Frisingensi atque Ratisbonensi Pro-Episcopis, inunxit.

Cæsar eo anno Donawerdanis ignovit quidem: ratam tamen habuit legem, nempe ut civitas illa tamdiu Boici Ducis dominio maneret subjecta, donec sumptus factæ expeditionis restituerent.

Frisingæ in Cathedrali Ecclesia ad Aram B. V. præsentatæ eodem anno instituta est Sodalitas S. Francisci Seraphici, cui supra memoratæ gratiæ Lateranenses fuere concessæ. Sodalitas S. Francisci in Ecclesia Cathedrali.

Proximo anno 1610. Antistes noster sæpius laudatum P. Franciscum Ampherle supremum hujus Diœcesis Pœnitentiarium renunciavit, & in ea Urbis parte, quæ tum Thaber appellabatur, domicilium pro pluribus Seraphici Ordinis Sodalibus una cum Sacello erexit. Fratribus P. Franciscus præsidere jussus est. Serenissima vero Bojariæ Ducissa Anna Landishuti Patribus Capucinis in honorem Deiparæ Virginis erexit Monasterium cum Ecclesia, postea à Frisingensi Proepiscopo Schollio inaugurata. Incrementa Patrum S. Francisci Frisingæ. PP. Capucini Landishuti.

Sixtus, Weihenstephanensium Abbas, eo tempore ad colligendum ex Monasteriis & Collegiatis Ecclesiis Monacensis Eparchiæ æs collatitium fuerat deputatus. Et coaluerat sensim notabilis pecuniæ summa in ærario. Id latere non poterat Proceres quosdam Monacenses, quibus domi res arctæ erant. Itaque clam supplices facti sunt Abbati, ut ex iis pecuniis sibi portionem daret mutuam. Quidam ducentos, alii trecentos, alii mille sibi florenos expetebant. Abbas nullam fraudem suspicatus, eorum votis satisfecit. Summa eum in modum exposita ad viginti florenorum millia excreverat. Cum vero postea constitutis temporibus Abbas nummos repeteret, aliquos equidem recepit, minime vero omnes. Itaque cum plures debitores diversas excusationes opponerent, & varia identi- Monasterium Weihenst. ingens detrimentum patitur.

dem effugia quærerent, atque dilationem flagitarent, demortuo tandem Abbate innocuum Monaſterium plus quam octo florenorum millia ærario provinciali refundere debuit.

Non intepuere interim Novatorum ſtudia, qui res tum Imperii, tum Auſtriacarum atque Belgico-Hiſpanicarum provinciarum toto niſu turbare ſtuduerant. Opera tamen Principum quorundam (quibus Erneſtus noſter inter primos accenſendus eſt) turbæ illæ nonnihil quievere. Die 15. menſis Martii etiam inquies Waidhoviana (de qua in ſuperioribus plura) tandem deferbuit.

Menſe Junio Reverendiſſimo ac Sereniſſimo Ordinario noſtro reſtantia pecuniæ collatitiæ debita, quæ tamen jam à multis annis merito in dubium tracta fuerant, ob tot præſtita obſequia Cæſar liberaliter remiſit. Literæ ſic habent.

Der Röm. Kayſ. auch zu Hungern und Behaimb Kün. Maj. &c. vnnſerm allergenedigiſten Herrn, iſt gehorſamiſt referirt worden, was bey derſelben, der Hochwürdigiſt, Dhurbleuchtigiſt Furſt, Herr Ernſt, Ertzbiſchoff, und Churfurſt zu Coln &c. wegen nachlas ſeiner Churfurſtl. Durchl. Reichs- und Crays-Reſtannten, von dero ſtifft Freyſingen herruerent, angeſuecht und gebetten,

Obwol nun Ire Kayſ. May. &c. nach geſtalt deren, zumahl bey gegenwertigen ſachen, ſchwierig, und ſorglichen Leuffen, auffs euſſeriſt erſchopffſt- und abgematteten Cammerweſens, und demſelben obligenden ſchweren mercklichen ausgaben, zu deren ablegung dan, obgemeltes Stifft Freiſingen Reſtanten (wie ſeiner Churfurſtl. Durchl. villeucht nicht unbewuſst) ains thails alberait in ſpecie verwiſen worden, vilmehr vrſach haben, auff ernſtliche einmahn: und forderung, diſer und anderer, in nicht geringer Summa ausſtendiger Contributionen, als auff einichen nachlaſs, gedacht zu ſein, ſo wollen doch Ire Kayſ. May. &c. ſolches, gegen vorher genants Ertzbiſchouen zu Coln &c. Churfurſtl. Durchl. bei ſeits ſtellen, und derſelben gegen Irer Kayſ. May. in vil weeg erzaigten, und bevorab, bey gegenwärttiger occaſion und anſehnlichen albieigen Chur- und Furſtl. zuſamenkhunffs, zu ſonderbarem Lob und Rhuem, Irer Kayſ. May. &c. dem Heil. Reich, derſelben Hochloblichen Hauſs Oeſterreich, in der gantzen Chriſtenhait ins gemain zu nutz, hail, und wolfarth, im werkh erweiſenden, getreuen, auffrichtigen, wolmainenden eyfer, und beharrliche guethertzigen affection, welche Ire Kayſ. May. &c. gegen ſeiner Churfurſtl. Durchl. nicht wenig devincieren, der allgemein euſſerſten nott fuerziehen, und alſo gegen Sr. Churfurſtl. Durchl. den gebettenen nachlaſs, wie hart und ſchwer Ire May. &c. auch ankhombt, die auf obangeregte Freyſingiſche Reſtanten berait vor guetter zeit gethane ſpeciale aſſignation, von Irer May. &c. HofCamer, anderſt woher zu erſetzen, hiemit in gnaden bewilliget haben, alſo das der hierauff verwiſne Irer May. HofKriegsRath, der Wolgeborne Herr, Johann Baptiſta Pezzen Freiherr auff Altſpaur, und deſſen Haupt: und Beuelchshaber, Ire Bezahlung in andere weeg zu gewarten haben ſollen, Inmaſſen dan mehr hochſtgemelte Ire Kayſ. May. &c. hierüber nottürfftigen Beuelch und erinnerung ſowoll an Irer May. Kayſerl. Camergerichts Fiſcalen als auch wohin es weiter vonnotten ſein mechte, als gleich ausfertigen laſſen wollen,

Diſs haben mehr hochſtgenante Ire Kayſ. May. &c. Sr. Churfurſtl. Durchl. auf oberüertes Ir anſuechen, zu dero Reſolution zu uermelden beuolchen, die dann Seiner Churfurſtl. Durchl. mit beſtendiger Freundtſchafft, Kayſerl. gnaden, und allen guetten iederzeit vorters wol zuegethon und gewogen ſein und bleiben.

Signatum zu Prag, undter Irer Kayſ. May. auffgetrukten Kayſerlichen Secret Inſigel den anderten Junii Anno ſechzehenhundert und im zehenden.

J. R. Pucher. m. p.

Menſe

Mense Octobri immunitatis privilegium in Aschau à novo possessore loci Ernestus obtinuit. In literis renovati Privilegii Antistes noster etiam vocatur Metropolitanæ Ecclesiæ Magdeburgensis Præpositus. N. 402.

Salisburgi Anno Christi 1611. die 18. Aprilis jubente Wolffgango Archiepiscopo Salisburgensis Pro-Episcopus pro nova Metropolitana Basilica primum lapidem è rubro marmore posuit: ast, quo minus ædificium prosequi posset Metropolita, sequentia fata obstitere, quæ brevitatis studio ex Dükero atque Mezgero damus. *Mezg. pag. 670.* Impeditur ædificium Basilicæ Salisb.

Orto dudum inter Berchtoldsgadenses Regulares Canonicos occasione noviter electi Coadjutoris dissidio, cum tractu temporis eorum pars major non Ferdinando Duci, sed Archiepiscopo potius Salisburgensi adhæreret, Wolffgangus Theodoricus selecto suorum tum militum tum colonorum manipulo ditionem Berchtoldsgadensem invaserat, nemine resistere auso. Malè ea res Wolffgango cecidit. Cum enim Ferdinandi Boici Ducis in Berchtoldsgadensem Adjutorem assumptio jam antehac tam à Pontifice, quam ab Imperatore approbata fuisset, consentientibus tum ipso Imperatore Rudolpho, tum Imperii Electoribus Norimbergæ congregatis Maximilianus Dux, Ferdinandi frater, longe validiori manu ditionem Salisburgensem invasit. Titmoninga primum assultum experta est, quam Ernricus Schneweissius Præfectus Maximiliano Duci tradidit prima obsidionis die, cum obsidentium vix pauculi cecidissent. Laussinga postmodum, ipsaque Salisburgensis civitas, & munitissimum illius castrum ultro admisere eundem Ducem, qui dictam Urbem die 26. Octobr. 1611. cum peditibus mille, & equitibus ducentis ingressus est, Archiepiscopo ante triduum noctu cum famulis duntaxat quatuordecim inde dilapso. Dux cum festivo plausu Salisburgi exceptus, statim monitus est, ut è suis mitteret, qui gazam Ecclesiæ ablatam Archiepisco eriperet. Eventus vota superavit. Neque enim gaza duntaxat, verum etiam ipse Archiepiscopus ab insequentibus Bojis equitibus reductus est Salisburgum, cum proprius ipsius cursorum Magister in frænum sonipedis, quo Archiepiscopus in fuga utebatur, involasset. Wolffgangus deinceps in Castro Juvaviensi captivus sedit, & magistratu ultro sese abdicavit: exactoque inter pia exercitia quinquennio animam feliciter efflavit, inter plebis suæ funera in sepulchreto ad D. Sebastianum, uti vivus disposuerat, sepultus. Maximiliani Ducis expeditionem non tantum Cæsar, verum etiam summus Pontifex, ut Adelzreitterus prodit, comprobavit. Bertholdsgadium involvitur ingentibus turbis. Et Salisburgum. Archiepiscopus Salisb. captivus tenetur.

Interea insolentiam Novatorum fovebat tum ingens Cæsaris clementia, tum ejus dissidium cum Matthia fratre, qui ei jamjam cessionem Austriæ Hungariæque extorserat, Bohemiamque etiam eo anno obtinuerat. Dux Anhaltinus eo audaciæ prolapsus est, ut tecto capite Cæsarem alloqueretur, eique vix non insultaret. Cum rubore proferimus, quod apud Scriptores passim legimus, Cæsarem scilicet eo tempore Austriacis atque Bohemis libertatem circa fidem sentiendi indulsisse, tametsi id Nuncius Apostolicus atque Episcopi etiam atque etiam dissuasissent. Sereniorem faciem rebus Germaniæ Annus Christi 1612. adduxit, quo Rudolphus II. Imperator Januario mense obiit, eique in Francofurtensibus Comitiis subrogatus est frater illius Matthias, Electoribus omnibus, præter Brandenburgicum, suffragia in eum conferentibus. In eo Conventu etiam de compescendis Germaniæ turbis feliciter actum fuit, ipsaque Germania deinceps aliquantum respiravit. Progressus Novatorum.

Pace eum in modum reddita, cum Ernestus noster è Comitiis Francofurtensibus in Westphaliam sese contulisset, Arenbergæ die 7. Febr. vitam & mitras suas piissime posuit. Ejus exuviæ inde Coloniam reductæ, ibique ad aram trium Regum humatæ sunt. Præfuit Frisingensi Ecclesiæ annis 44. mensibus undecim, & diebus viginti duobus. Plurimum profuit Religioni orthodoxæ, præcipue quando Apostatam è Coloniensi Sede exturbavit. Cœpit eam hujus Aulæ partem, quæ meridiem respicit, novam construere, quam deinceps ejus successores perfecere. Mors Ernesti nostri. Ejus laudes.

cere. Raro tamen Frisingam venit: quo factum est, ut, cum proventus fere omnes mitti debuerint in inferiorem Germaniam, graves in hac Urbe, ac maxime in Collegio Cathedrali querelæ fuerint auditæ. Fassus est ipse datis ad Pontificem literis, Frisingam ad refrænandos Acatholicorum motus sibi vix non ultra vires succurrisse; quod solatio potest esse Frisingensibus, dum pecuniæ illæ saltem in bonum publicum Ecclesiæ fuere optime collocatæ. Debet ei Frisinga picturam illam famosissimam Aræ majoris in Ecclesia Cathedrali, quam celebratissimus Rubensius pinxit, Ernestus vero tribus florenorum millibus comparavit. Ea hodie triginta millibus neutiquam posset comparari. Ejus etiam opera Liturgia seu Liber Missalis Frisingensis Monacensibus typis in lucem prodiit.

Obiit itaque Præsul noster pacis amantissimus, & discordiarum Germaniæ compositor solertissimus Paulo V. Summo Pontifice, Matthia Imperatore, Maximiliano Bojariæ Duce. Ratisbonensem lituum eo tempore gestabat Wolffgangus de Hausen, Brixinensem Christophorus Andreas ex Baronibus à Spaur, Pataviensem Leopoldus ex Archiducibus Austriæ. Salisburgensis eo bimestri, Wolffgango Theodorico in custodiam dato videtur vacasse. Proximo tamen mense Martio Sacer Senatus Metropolitanus Archipræsulem dixit Marcum Sitticum Canonicum Salisburgensem ac Præpositum Constantiensem, è Comitiis Altaempsiis ortum: cujus Natales etiam mire exornavit proxima sanguinis cum Divo Carolo Borromæo conjunctio, quippe qui ex Sancti illius Cardinalis sorore Hortensia nepos fuit.

Marcus Sitticus fit Archiepiscopus Salisb.

De Ernesto nostro nonnemo Poëtarum sequens distichon cecinit:

Ernestus Bavarus certans gladioque pedoque
Restituit lesis vimque decusque sacris.

Ei in Cathedra Coloniensi successit Ferdinandus supra laudatus Wilhelmi V. Bojorum Ducis filius, & Ernesti nostri ex fratre nepos. De successore Frisingensi mox agemus.

CAPUT VI.

Stephanus, Episcopus Frisingensis LII.

§. Unicus.

Sexennium Stephani Episcopi.

Stephani prosapia.

Illustris ac pervetusta familia Seibolstorffia, quæ hodie inter Comites fulget, Stephanum progenuit, virum à singulari pietate morumque probitate in Frisingensibus fastis commendatum. Is Canonicatum consecutus, talem se omnibus probavit, ut mortuo Ernesto, tametsi primum ageret tricesimum secundum ætatis annum, unanimi tamen Cathedralis Collegii calculo in Sedem Frisingensem fuerit assumptus. Erat eo tempore Stephanus primum ad ordinem Diaconatûs promotus. Itaque ut ad Episcopalem consecrationem suscipiendam gradum face-

Electio.

faceret, à Pro-Episcopo Frisingensi Schollio Sacerdotio voluit initiari. De Confirmatione electionis hæc Roma perscripta fuere. *Anno* 1613. *feria secunda, die* 4. *Martii Romæ fuit Consistorium Secretum, in quo Reverendissimo D. Cardinale Burghesio, Protectore Germaniæ referente, Sanctitas sua Ecclesiæ Frisingensi vacanti per obitum ultimi illius Episcopi providit de Persona R. P. D. Stephani Seiboltsdorff, ejusdem Ecclesiæ Canonici, confirmando electionem illius factam à Canonicis & Capitulo dictæ Ecclesiæ juxta Concordata Nationis Germanicæ cum Sede Apostolica.* Nuncius de hac confirmatione in Divi Marci festivitate Frisingam perlatus est. Invitatus postea Henricus, eo nomine Quintus Augustanus Episcopus, è Knöringana perillustri familia natus, cooperantibus sibi Augustano & Frisingensi Proepiscopis, atque festivos ritus exornantibus Abbatibus Tegernseensi, Schyrensi atque Weihenstephanensi die Dominica ante Pentecosten proxima in Episcopum inunctus est. Subditi ea occasione consuetas pensiones eidem contulere. In fidem Principatus postea die 8. Octobris Stephanus à Matthia Imperatore in Comitiis Ratisbonensibus missis illuc Udalrico Hamerl, & Hieronymo Aurbach, Jurium Doctoribus, tabulas ex more recepit. Telonei per Tyrolim immunitatem Maximilianus Archidux Stephano confirmavit.

Sacerdotium. Confirmatio. Consecratio. N. 403. Institutio Cæsarea.

Obierat eo anno Ratisbonæ Wolffgangus Episcopus, supra à nobis laudatus. Ejus locum postea ex eligentium suffragiis consecutus est Albertus Baro de Töring, Stein, & Pertenstein, Canonicus Salisburgensis & Ratisbonensis, Princeps omni laude dignus; qui tametsi gravissima mala non in bonis tantum, verum etiam in corpore pertulerit, plura nihilominus bona Ecclesiæ suæ Cathedrali, viris Religiosis, & pauperibus præstitit. Ejus cumulatas laudes Lector in Mausolæo Divi Emmerammi reperiet.

Novus Episcopus Ratisbonensis.

Ad Serenissimæ Domus Bavaricæ laudem propriam semperque singularem pertinet, quod eo tempore Magdalena, Maximiliani Ducis soror, Wolffgango Wilhelmo Duci Neoburgico nupta, sponsum ad Romana sacra reduxerit, quantumcunque reluctatus fuerit Brandenburgicus, è Lutheri Schola ad Calvinum translatus.

Neoburgicus Dux ad Sacra Catholica redit.

Marcus Sitticus, Salisburgensium Archi-Præsul eo anno Basilicæ suæ Metropolitanæ fabricam non tam promovit, ut Mezgerus noster commemorat, quam recenter incepit, mutata penitus fundamentorum & situs descriptione, quam decessor illius Wolffgangus Theodericus destinaverat, ponendo primum lapidem die 14. Aprilis. Recens ædificatum Sacellum in Reittberg Anno Christi 1615. Episcopus noster Stephanus dedicavit, atque ut illuc introducerentur Sorores Tertiariæ S. Francisci, copiam petenti Fundatrici fecit. Auctæ sunt piæ Virgines ex Helvetia, & quidem ex Parthenone S. Mariæ Angelorum in Pfanenegg Domini Toggenburgensis, ac Principatus S. Galli: quarum prima moderatrix erat Anna Mogin.

pag. 670. Parthenon Raittbergensis.

Die 4. Nov. Wilhelmus Sixtus Kepser Generalis Vicarius Frisingensis Joannem Agricolam, antehac Priorem Schyrensem, postea à Rotensibus electum Abbatem, confirmavit.

Proximo anno, Christi 1616. fuere edita sapientissima Statuta Bavarica: quæ uti etiam apud extraneos omnem venerationem habent, ita nulla re alia indigent, quam ut à Tribunalibus ac subditis Serenissimi integerrime observentur.

Leges Statutariæ Boiorum.

Matthias Imperator, hærede destitutus, tametsi in vivis superessent duo germani fratres Maximilianus & Albertus Archiduces, qui tamen & ipsi ob provectam ætatem spe prolis carebant, adoptandum censuit Ferdinandum, Caroli ex Ferdinando I. filium, Styriæ, Carinthiæ & Carnioliæ Archi-Ducem. Id consilium probavit uterque frater, uti etiam Philippus Hispaniarum Rex, proximo sanguinis vinculo Austriacis junctus. Lutheri asseclæ, qui eo anno, Christi 1617. à cœpta sua ab Ecclesia Romana defectione centesimum annum agebant, Hailbrunæ conventum instituerunt, nova inter se fœdera inituri, quod Cæsar vitam diu pro-

Acta Austriacorum. Technæ novæ Novatorum.

trahere non posse videretur. Hortatus est equidem illos Imperator, ut Conventum dissolverent, neque nova consilia in perniciem Germaniæ procuderent; sed frustra fuit. Itaque ut sibi de Successore Catholico prospiceret, eumque Imperio adeundo habilem redderet, Pragæ comitia celebravit, effecitque feliciter, ut Ferdinandus Archi-Dux Bohemiæ Rex salutaretur. Ferdinandum postea fovebat Saxo, eumque Germaniæ Sceptro destinabat. Contra Fridericus Palatinus Elector exoptabat Maximilianum Bojariæ Ducem: quem ut ad prensandum Imperium animaret, Monachium usque contendit. Verum quamvis nihil eorum omiserit, quæ Maximilianum movere posse visa fuerant, nihil tamen obtinuit à Sapientissimo Principe, inter alia præcipue causante, nolle se Domum suam Boicam cum vicina Austriaca longe potentiori collidere. Itaque votis suis destitutus Palatinus re plane infecta domum rediit. De his plura inferius.

Studia pro Ferdinando Austriaco.

Scholarum Salisburgensium initium.

Marcus Sitticus Salisburgensis Archi-Episcopus eo tempore curas ingentes adhibuit, ut in Urbem suam literarum studia, & Professorum coloniam introduceret. Cum vero fores varias necqnicquam pulsasset, tandem consilio R. P. Sylvani Capucini Joachimum Buechauer, ex inclyto Monasterio Wessofontano ad Divi Petri mitram Salisburgensem evocatum, misit ad Ordinis nostri Monasteria potissimum Suevica, ut invitaret viros, qui Salisburgensem juventutem literis ac pietate imbuerent. Consilio optimo non defuit Deus. Solus Gregorius Ottoburanus Abbas sex è suis Ascetis Salisburgum misit, unum Abbas Ursinensis adjunxit. Facta deinceps fundatione in eam amplitudinem, temporis successu, Scholæ Salisburgenses benedicente Domino, excrevere, quam hodie nemo bonus non suspicit.

Stephanus Ep. visit. Sacram Ædem Lauretanam. moritur.

Stephanus Episcopus noster eo anno ad Sacram Ædem Lauretanam cum paucis suorum peregrinationem instituit, ibique sacris operatus est, & multa alia pietatis opera peregit. Domum deinde redux proximo anno, Christi 1618. die 18. mensis Januarii nondum quadragenarius vivendi finem fecit nondum absoluto Regiminis sui sexennio. De eo produnt domestica chronica, quod vixerit parce admodum, ita tamen, ut erga inopes, eosque, quibus casus tristes evenerant, profusus admodum fuerit. Ejus vita religiosa & casta commendatur, adeo, ut vere dici potuerit *forma factus gregis ex animo.* Ejus cadaver fuit curatum ad aram Divi Justini: anima, ut dubitare fas non est, in Deo quiescit. Raptus esse videtur, ne videret secutura Germaniæ mala. Hæc vero expetiri coacti sunt residui inter vivos Paulus V. Summus Pontifex, Matthias Imperator, Marcus Sitticus Metropolita Salisburgensis, Albertus IV. Ratisbonensis, Carolus ex Austriæ Archi-Ducibus Brixinensis & Uratislaviensis, & Leopoldus ex eadem Serenissima Domo Pataviensis Episcopus. Maximilianus Bojariæ Dux à Superis ad profligandos Ecclesiæ hostes servatus est.



CAPUT

CAPUT VII.

Vitus Adamus, Episcopus Frisingensis LIII.

§. I.

Genus Viti Adami cum primordiis Regiminis usque ad An. 1620.

PRimam lucem aspexit Vitus Adamus die 10. Aprilis Anno 1584. inter primam & secundam pomeridianam in signo Arietis. Parentes nactus est Adamum Geebeck in Arnbach, & Sibillam Murerin de Fraberzhalmb. Patrini munia delata fuere Alberto Eisenreich Canonicorum Regularium Undenstorffensium Præposito; cujus nomine Georgius Wolffgangus de Ezendorff Vitum Adamum è sacro fonte levavit. In Canonicorum Frisingensium numerum relatus est Anno 1596. die 28. Junii, cum eidem cognatus illius Joannes Christophorus Münch, Divi Francisci Ordinem ingressurus, locum fecisset. De Canonico illo jam alibi fecimus mentionem. Præter Canonicatum etiam beneficium *Primissarii* in Partenkirchen obtinuit. Tandem anno 1618. die 12. Febr. mitra Frisingensis ei delata est. Eam electionem Sedes Pontificia comprobavit, ut patet ex iis, quæ Roma fuere ex scriniis Pontificiis nunciata his verbis: *A. 1618. fer. 2. die 14. May Romæ in Consistorio Secreto Reverendissimo D. Cardinale Burghesio referente, Sanctitas sua Ecclesiæ Frisingensi vacanti per obitum Stephani, ultimi illius Episcopi extra Romanam curiam defuncti confirmavit electionem Viti Adami Gebecki presbyteri Juris Canonici periti, in Bavaria nati, Canonici ejusdem Ecclesiæ, in Episcopum ibidem ritè & Canonicè electi à Capitulo juxta Concordata Germaniæ cum hac Sede.* Hæc ibi. Viti Adami nativitas. Electio.

Posthac die 24. Junii ejusdem anni Henricus Augustanus Episcopus in hac Frisingensi Cathedrali Ecclesia concurrente magno nobilium numero, & maxima populi frequentia Vitum Adamum Episcopum festivè inunxit. Consecratio.

His feliciter peractis Vitus Adamus statim serias curas Ecclesiæ suæ adhibuit, ejusque commoda promovere, incommoda vero abolere pro virili studuit. Debebant eousque Frisingenses Episcopi singulis annis die Divo Martino sacra sole nondum orto ex proventibus Ulmerfeldensibus Illustri Domino Mattino Zakhlero in Perckof ad Heynstetten numerare florenos tres, & obolos septem probatissimæ, & quidem veteris Viennensis monetæ, idque sub pœna amissionis universi dominii Ulmerfeldensis. Id indecorum ratus Vitus Adamus egit cum Zacklero de ea obligatione imposterum tollenda. Nec difficilem se præbuit Zacklerus, pactaque pecuniæ summa sibi à Vito Adamo numerata, annuum illum canonem redimi passus est. Literas tum Zacklerus ipse, tum alii duo illustres Viri chiro- Vigilantia.

N. 404. graphis Sigillisque suis munierunt die Divo Bartholomæo sacra Anno 1618. Aliam
pensionem annuam ex horreo quodam ad pedem montis hujus sito præstan-
dam dispunxit persoluta Collegio Divi Andreæ certa pecuniæ quantitate die 26.
N. 405. Septembris ejusdem Anni. Literas in Parte secunda producimus.

Initia duarum Ecclesiarum in hac Diœcesi.

Eodem anno die 14. May Joannes Rorensium Abbas à Curia Ecclesiastica
Frisingensi jussus est Rosenhemii pro Ecclesia Xenodochii primum lapidem con-
suetis ritibus sacrare ac ponere. Idem Abbas die 24. sequentis Mensis Julii as-
sensum dedit, ut Eterndorffii (Schwabensis Præfecturæ vico) in fundo Rotensis Mo-
N. 406. nasterii Sacellum S. Francisci posset construi, cujus etiam postea primum funda-
N. 407. mentum ex mandato supra laudatæ Curiæ solemniter jecit. Nunc à privatis rebus
ad publica veniendum est.

Initium belli triginta annorum in Germania.

Nunquam alias magis, quam sequentibus triginta annis Germania nostra
motibus intestinis, odiis juratis, rapinis, incendiis cædibusque cruentis labora-
vit. Die 20. Martii An. 1619. Matthias Imperator sceptris atque coronis, rebus-
que mortalibus omnibus valedixerat, & Regnum Germaniæ viduum reliquerat.
Cum igitur de successore deligendo deliberandum esset, Joannes Schwicardus Mo-
guntinus Elector, seu Germanici Imperii Cancellarius, & Electoralis Collegii

Friderici Palatini studia irrita.

Decanus, Septemviros ad diem 20. Julii Francofurtum evocavit. Nihil magis
tum verebatur Fridericus Palatinus, Acatholicorum fœderatorum Archistrategus,
quam ne Ferdinandus Archi-Dux non rebus tantum Austriacis, verum etiam co-
ronis Bohemiæ, Hungariæque jam potitus, si ad Comitia, ferendumque suffra-
gium admitteretur, etiam Germaniæ diadema reportaret. Alium igitur, ut su-
pra jamjam dicere cœpimus, Fridericus, & quidem Maximilianum Bojum exop-
taverat Cæsarem, nempe ut collisis inter se orthodoxis Principibus Heterodoxo-
rum studia promoverentur, Catholicorum vero causa sub Imperatore minorum
virium in præcipitium ageretur. Verum votis Friderici cælum non annuit. Quan-
tumcunque enim Electores quosdam in partes suas trahere connisus est Frideri-

Ferdinandus fit Imperator, eo nomine II.

cus, effecit tamen nihil. Francofurti enim Ferdinandus die 19. Julii Principum
Electorum suffragiis Romanorum Rex proclamatus est, princeps, siquis alius,
religiosissimus. Ille, cum ex Austria Francofurtum iter institueret, Monachium
ad Maximilianum Ducem deflexerat, ea, qua par erat, lætitia, ac omnium civi-
um gratulatione exceptus. Imperator Francofurti renunciatus rursus in reditu Mo-
nachium venit, magnificentia, quæ Imperatorem decebat, maxima receptus.
Ibi Ferdinando Regi & Duci Maximiliano non otiosi fluebant dies. Cum enim
Fridericus Palatinus media illa tempestate, Ferdinando à Bohemis, diversarum

Palatinus in Regem cooptatur à Bohemis.

doctrinarum sectariis, abdicato, Rex salutatus esset, ejusque factioni August.
Conf. addicti per Germaniam omnes adhærerent, circumspiciendum scilicet erat
Catholicis Principibus, ne res orthodoxa ultimo periculo exponeretur. Con-
siliis Principum nostrorum Monachii Deus adfuit. In ea enim pacta convenere
novus Imperator & Maximilianus Dux, quæ salutem posthac attulere rebus Ca-

Maximilianus Bojus præficitur Exercitui Catholico.

tholicorum propemodum desperatis. Præcipuus totius tractatus finis fuit, ut Ma-
ximiliano Duci libera totius Catholici fœderati exercitus directio deferretur; quod
& factum est.

Principatus jura obtinet Vitus Adamus.

Ea occasione, qua summi illi Principes tractatum illum Monachii læti inie-
runt, optime usus Vitus Adamus Episcopus à novo Cæsare primum Principatum
Frisingensem fiduciario jure sub consuetis ritibus suscepit. Cum vero interim
Austriaci debita, olim anno 1610. Ernesto Electori Pragæ jam condonata, rursus
N. 408. ab Episcopo nostro repeterent, ulterius supplex factus est Cæsari, ut se ab ea qua-

Uti etiam aliam gratiam.

draginta millium florenorum exactione rursus liberum pronunciaret. Et fuit tam
facunda Episcopi nostri oratio, ut Imperator debitum illud clementissime iterum
N. 409. remiserit. Literas in Parte II. exhibemus.

His ita constitutis Ferdinandus Cæsar die 8. Octobris Monachio discessit, at-
que Viennam iter prosecutus est non via recta, sed fluxuosa, nempe per Salisbur-

gen-

jensem ditionem, ac Styriam. Sic enim tutius Viennam erat perveuturus. Maximilianus Bojariæ Dux eo tempore Friderico Palatiuo, qui ejus mentem missâ legatione exquisiverat, Bohemiæ coronam quanta poterat, argumeutorum vi dissuasit. Verum Palatinus exitiosos potius consultores secutus, die 4. Novembris eandem Pragæ ritu solemni suscepit. Neque deerant in variis extra Bohemiam partibus viri magni, qui studia Friderici etiam armis foverent.

Palatinus coronatur à Bohemis.

Augentur Acatholicorum vires.

Malorum cumulum anxit Austriacorum, in Lutheri Dogmata prolapsorum insolentia. His audaciam auxit Bethlem Gabor, celeber Waivoda Transylvaniæ, qui Acatholicorum fœderi junctus Hungariam cum octodecim millibus suorum invasit, Regiamque coronam speravit.

Bojus conducit militem.

Rebus Ferdinandi Cæsaris in statu tam ancipiti fluctuantibus pacatior erat Bavaria, ubi tamen Maximilianus Dux numerosum militem ex Regionibus variis scripsit, pro Deo, pro fide, pro Cæsare in aciem educendum.

Mors Archiepiscopi Salisb.

Salisburgi eo anno die 8. mensis Octobris Marcus Sitticus Archiepiscopus, Princeps nominatissimus, muris Mettopolitanæ Basilicæ usque ad tectum magnificè perductis cessavit ab universo opete, atque in pace pie obdormivit. In eam Sedem sequenti statim mense Novembri DD. Canonici sublimarunt Paridem Lodronium, Metropolirici Collegii Præpositum, de quo frequentior posthac mentio occurret. Frisingæ Episcopus noster eo anno variis tractatibus initis Ecclesiæ suæ provide consuluit.

Successor Paris Lodronius.

Memorabilis fuit manetque Aunus Christi 1620. quo Maximiliauus Dux nominis sui immortalem gloriam tebus fortissimè simulque felicissime gestis sibi in Catholico otbe pepetit.

Pericula rei Catholicæ.

Tristia ex omnibus ferme plagis nunciabantur. In Bohemia & vicinis Regionibus Moravia, Silesia, & Lusatia prævalebat Acatholicorum robur. His sese conjunxerant Hungari, qui Bethlemum Gabor sibi in Regem adoptaverant. Austriæ utriusque pars major & nnmerosior Cæsaris imperia detrectabat. Ex Suevia imminebant gravia pericula à conventu Acatholicorum Ulmæ instituto. His tamen omnibus nihil territus Maximilianus Dux Bojariæ, primo loco Ulmæ congregatos Acatholicos disjecit. Tum in Austriam superiorem movens, rebelles sapere docuit. Inferior Austria felicitate ac fortitudine Maximiliaui exterrita, pacem flagitavit, novumque Sacramentum Cæsari dixit. Inde Cæsareani, Hispani, Boji Maximiliano Duce in Bohemiam infusi, quamvis non paucos suorum in variis velitationibus desideraverint, Pragam usque progressi, Friderici exercitum, tametsi fottissimè dimicantem gloriose triumpharuut, Friderico ipso in fugam conjecto. Id accidit die octava Novembris, quæ erat eo anno Dominica, cujus Evangelium: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Pugilum nostrorum animis ad fortiter pugnandum stimulos ingentes addidit vir sanctimoniæ fama celebettimus P. Dominicus Arragonius è Discalceatorum Catmelitatum familla: qui, cum inter eversæ cujusdam domus tudera reperisset Deiparæ imaginem, cui oculus uterque à furentibus novatoribus fuerat erutus, eam una cum Crucifixi effigie pro vexillo primæ aciei felix signifer prætulit, Catholicumque militem ad ultionem provocavit, victotiam certam pollicitus. Hac felicitet à nostris parta, Ftidericus fugit Utatislaviam. Pragæ nemo etat, qui de triplici Urbe tutanda cogitaret. Itaque tota illa Ttipolis potestati Cæsaris se reddidit, novoque Sacramento unà cum omnibus Bohemiæ Ordinibus fidem juravit.

Bojus se acerrime opponit.

Profligatur Fridericus Palat.

Zelus P. Dominici Carmelitæ.

Praga recipitur.

Gloria Maximiliani Boji.

Maximilianus Bojus immensa gloria è Bohemia tepottata Monachium reversus omnem gratulantium pompam prohibuit, imo festinando prævenit, mox ad Basilicam Divæ Virginis properans, ubi Vitus Adamus Episcopus noster Hymnum Ambrosianum intonuit: quo persoluto iu Regiam itum est: in qua deinceps à præcipuis, imo summis etiam Principibus literas, gratulantium jubilis plenas, accepit. De Monasterio posthac pro RR. PP. Carmelitis Discalceatis Monachii in gratiarum actionem erecto, suo loco agemus.

Ædificia nova Viti Adami.

Vitus Adamus noster duas hujus Frisingensis Aulæ turres, & in una earum Sacellum Aulicum novum, quod hodieque spectamus, eo tempore construxit: & piam Sodalitatem S. Crucis in Forstenried authoritate ordinaria comprobavit.

Georgius Philippus Finckius, qui olim Vito Adamo à cubiculis fuit, ad eundem annum, Christi 1620. etiam refert constructionem novi horrei, officinæ cerevisiariæ, molendini proprii, & villæ extra muros: item horti aulici: alterius rursus officinæ cerevisiariæ in Burgkrein. Addit, eodem anno Episcopum quædam prædia à Staudingero, Pfettnero, Gözengrienio atque Schussio coëmisse, ac permutatis duodecim aliis prædiis ditionem Burgkrainianam ab exteriorum dominorum incommodis liberasse. Denique idem Finckius subjungit, Vitum Adamum eo anno etiam Frisingensium Ord. S. Francisci Patrum ac Fratrum numerum duodenarium in hanc urbem introduxisse, ut adeo ex eo tempore Seraphicus Ordo Conventum proprio vocabulo dictum Frisingæ possidere cœperit. Verum Augmentum numeri sui dicti admodum RR. Patres in iis, quæ nobiscum benigne communicarunt, ad annum sequentem differunt: ad quem etiam, & alios subsecutos annos alia quædam ex mox recensitis transferenda sunt, ut ex literis permutationum & contractuum constat. Cæterum eodem anno Ecclesia RR. PP. Augustinianorum Monachii in hanc, quam hodie cernimus formam Serenissimis Bojariæ Ducibus largam opem conferentibus assurrexit. Eam sequenti anno largissime dotarunt Perillustres Domini Fillii: Reverendissimus vero D. Bartholomæus Schollius Frisingensis Proëpiscopus sacris cæremoniis initiavit.

§. II.

Proximum Viti Adami quadriennium usque ad ann. 1624.

Pauli V. Successor Gregorius XV.

ANnus Christi 1621. terris eripuit Paulum V. Pontificem Maximum die Januarii vicesima octava. Die vero nona sequentis mensis Februarii Alexandrum Ludovisium Archiepiscopum Bononiensem in Sedem Pontificiam evexit, dictum Gregorium XV.

Parthenon S. Crucis Landishuti.

Landishuti jam Sæculo XIII. & XIV. sese adunaverant Sorores quædam, quales devotas, aut etiam *devotarias* nuncupamus. His circa annum 1480. præcepit Georgius Dux, ut norma quadam regulari cohabitarent. Huic contubernio Anno 1508. sese cum filia sua junxit Domina Amalia de Tannberg, & commune dormitorium construxit. Anno deinceps 1621. cœtus ille in formam veri Conventus coiit. Ultimam manum demum Anno 1696. impositura erat Venerabilis Mater D. Joanna Cœcilia Seiboltstorffia, quæ Parthenonem, qualis hodie cernitur, exædificavit. Ædem Sacram deinceps ritibus præscriptis Anno 1699. die 27. Septembris Reverendissimus & Celsissimus Episcopus & Princeps Joannes Franciscus venerationi Sanctæ Crucis dedicavit. Quæ omnia statim hic referre visum est, ne de eadem re sæpius mentionem facere cogeremur.

Bojus Palatinatum superiorem subigit.

Rebus Acatholicorum Superiori anno graviter attritis plures Provinciæ paruere Cæsari. Maximilianus Dux posthac victricia signa per Palatinatum superiorem circumtulit, atque ipsam Ambergam, provinciæ caput, ad deditionem coëgit.

Epi-

Episcopi nostri cura fuit, ut limites intra ditionem suam Lacopolitanam, & Mortschachium, Thomæ Labacensis Episcopi præfecturam, juste describerentur, ac piscandi jura sarta tecta conservarentur. Et quia aliæ quoque controversiæ Eidem in Austria cum suis subditis erant obortæ, supplicavit Cæsari, ut ea Instrumenta literaria Frisingensia, quæ majoris securitatis ergo in Cæsareis scriniis fuerant reposita, sibi restituerentur. Annuit votis Imperator, negotiumque Joanni Henrico Salburgio, & Joanni Jacobo Kufstainio Baronibus: nec non Jacobo Bertoldo Jurium Doctori, Imperatoriæ Cameræ Consiliariis, commisit. Deinceps vero Episcopus noster Clingenfelsium, inferioris Carnioliæ castrum eodem anno trigesies novies mille octingentis & sex florenis vendidit: ubi tamen monendus est Lector, eo tempore æstimationem probæ monetæ ad valorem plus quam quintuplicem ascendisse, ita ut Daletus valuerit florenos decem. Sane quod cum in modum decesserat Frisingensi Ecclesiæ eminus, Episcopus noster proximo anno cumulatissime in vicinia supplevit, quando castrum Eisenhovianum una cum amplissimis juribus plurimisque prædiis à Joanne & Bonaventura Furtenbachiis centies & quadragesies mille florenis Ecclesiæ suæ comparavit, ubi reipsa tamen nonnisi tredecies mille Imperiales (quos Daleros appellamus) expendit, ut in libris censuum illius opulenti castri annotatum legimus.

Vitus Adamus prospicit Rebus Ecclesiæ suæ.

Vendit Clingenfelsium.

Eisenhovium emit.

Eodem fere tempore Vitus Adamus Cathedralem Basilicam, antehac ex more veterum satis obscuram, intromissa copiosiori luce, & parietibus recens dealbatis: ara primaria, cæterisque novo & artificioso opere constructis, & copiosa auratura exornatis: suggestu novo perquam sumptuosi operis & multo auro illito: novo item organo pnevmatico, ad mulcendas aures scitissime fabrefacto, reddidit longe illustriorem. Neque intra hæc duntaxat constitere Episcopi curæ. Plura enim etiam alia prædia comparavit. Jus etiam cudendi monetas resuscitavit. Reperiuntur etiamnum monetæ quædam, in quarum una parte exprimuntur Insignia Imperatoris, nempe Aquila, in cujus medio cifræ duæ, nempe 24. cum inscriptione: *Ferdinandus II. Rom. Imp. sem. Aug.* Ex parte vero altera Æthiops Frisingensis cum hac inscriptione: *Mon. no. Epatus Frisingen.* 1622.

Mire liberalis in Ecclesiæ Cath. decorem.

Monetam cudit.

Cæterum media illa tempestate Ferdinandus Cæsar, & Maximilianus Dux complures novas victorias ex hostium reliquiis reportarunt, provinciasque subegerunt. Ferdinandus etiam præcones Acatholicos omnes ex universo Bohemiæ Regno proscripsit: Ratisbonam vero ad diem 25. Novembris comitia indixit, seque una cum Eleonora Augusta illuc contulit, ubi postea de turbis Imperii sedandis, & Electorali Dignitate in Maximilianum Bojum transferenda deliberatum est.

Acta Imperii.

Hæc agebantur Ratisbonæ, dum interea nulla armorum interstitia res patiebatur. Itum est in diversas sententias in causa Maximiliani Ducis: quidemum prævaluit, & in Septemvirale collegium, exautorato Friderico Palatino, ritu festivissimo adlectus est.

Maximilianus Bojus fit Elector.

Inter hæc Wilhelmus Bojus Dux, Maximiliani Parens, absolverat ædificium Ecclesiæ Divi Caroli Borromæi in Augia, Monacensi trans Isaram suburbio, quod Divino Numini ritibus consuetis inaugurari optabat. Igitur ad Vitum Adamum Episcopum nostrum dedit literas sequentis tenoris.

Ecclesia S. Caroli Borromæi in suburbio Monacensi.

Unser Freundtschafft zuvor, Ehrwürdiger in Gott Vatter, besonder lieber Freundt. Nachdeme wür St. Caroli Borromei Kürchenbau nunmehr glückhlich (Gott lob) zu endt gebracht, Als seint Wür gedacht, die consecration unnd Weyhung derselben Kürchen fürnemmen zelassen. Weil dann Eür Fr. sich vor disem albereit solche Kürchen selbs Persohnlich, mit aignen handten zu weichen guetwillig anerbotten, welches uns sonders erfreuet, Als thuen dieselb Wür hiemit freundtlich einladen, unnd bitten, Sy wollen sich, sambt dem WeichBischoff auf Sambstag den 28ten zuvor unbeschwert alher nach München verfiegen, und dero Einkher in unsers freundtlichen geliebten Sohn Herzogen

Maxi-

Maximilian in Bayrn, Churfürstens &c. Neuen vest albie nemmen, alsdann volgenten Sontag den löblichen Act der consecration verrichten, unns auch bey disem Potben wissen lassen, wie frue Sy albie zu seyngedenkhen, unnd daneben ein verzaichnus, was Sy für geistlich, unnd weltliche Persohnen bey sich haben werden, yberschikhen, daran thuen Sy unns ein sonder angenemmes gefallen, Welches umb dieselbe wür anderwarz nach vermögen zu beschulden erbiettig verbleiben, daneben auch allzeit deroselben mit freundtlich guetten willen vorders beygethan. Datum München den 20. Octob. Anno 1623.

Von Gottes genaden Wilhelm, Pfalzgraf bey Rhein, Herzog in Obern und Nidern Bayrn &c.

Wilhelm.

Votis Serenissimi Ducis annuisse Episcopum, dubium nemini suboriri potest. Optassemus tamen ea super re plenius instrui ab iis, quos requisivimus.

Idem Episcopus noster eo tempore à Beurbergensibus Canonicis Regularibus interpellatus, ut obligationes quasdam in celebrandis pluribus anniversariis officiis suo Monasterio pensione neutiquam amplius pari olim impositas moderaretur, & ad minorem numerum restringeret, libenter annuit, eorumque votis in præsens satisfecit; proximo tamen anno ad numerum adhuc arctiorem eas obligationes deduxit.

Vitus Adamus favet Beurbergensibus.

Ad annum Christi 1623. pertinent etiam initia Sacelli Lauretani Landishuti, quod Perillustris Dominus Fridericus Ekher de Käpfing, Serenissimi Archi-Ducis Leopoldi, Passaviensis & Argentinensis Episcopi Consiliarius & Camerarius construxit. Id intelligimus ex inscriptione lapidis ibidem positi, quæ sic habet:

Sacellum Lauretanum Landishuti conditur à Frid. Eckhero.

Magnæ Matri, Perpetuæ Virgini
Sacrum
Sacellum hocce, Lauretano
simillimum
Fridericus Ekher à Kepfing
Serenissimo A. Archi-Du. Leopoldo
à Consiliis & Cubiculis
F. C.
Anno C. M D C XXIII.

Huic Sacello post annos pauculos Perillustris Domina Elisabetha Thumerin de Prukberg, nata ex Baronibus de Salburg in Falkenstein, annuentibus Episcopo nostro, & Serenissimo Bojariæ Electore Parthenonem adjunxit dotavitque. Plura docet lapis sepulchralis Dominæ Fundatricis: cujus hæc est epigraphe:

Ei adjungitur Sacer Parthenon.

D. O. M.

Hic dormit Elisabetha Thumerin de Prukhberg Oriund. ex illustri Famil. Baronum de Salburg, verè vidua bonis operibus plena, ceu altera Tabitha, & pientiss. Fundat. novi hujus Monasterii Sacrar. fœminar. Tertiæ Regulæ S. Francisci: quam & ipsa raro exem-

*exemplo tum quinquagenaria in Ann. Salut. MDCXXIX. die XXI. Nov. omnium prima animo & habitu solen. professa, novoque nom. Maria Angela exinde baptizata, * ac demum laudatissima Præfecta seu Mater hujus Conventus vixit Anno MDCXXXIV. die XV. Septemb. cujus memoria in benedictione est.* * i.e. appellata.

Porro prædictus Perill. D. Fridericus Ekher, cum RR. PP. Capucinis Landishutanis annuam vini quantitatem è bonis suis assignasset, postea nomen suum eidem sacro PP. Capucinorum Instituto dedit, dictus P. Honorius; qui postea in sacro illo Ordine pie obiit in Franconia. Recitamus in II. parte hujus Operis amplas literas, quarum autographum est penes Celsissimum Principem nostrum Joannem Franciscum, è quibus Lector totam illius Parthenonis fundationem longe plenius conspiciet. Hierosolymitanum Friderici Eckheri iter, quod anno 1625. suscepit, conscripsit D. Carolus de Griming, ejus ex Sorore nepos, quem itineris socium adhibuit. N. 410.

Salisburgi eo anno Paris Lodronius Archiepiscopus Gymnasium, à Marco Sittico decessore suo cœptum fundatumque adjecto amplo pensionum auctario adstipulantibus Pontifice atque Imperatore ad dignitatem Universitatis provexit, illamque Ordini Divi Benedicti stabilivit. Initia Universitatis Salisb.

Ea Universitas hodieque adeo celebris habetur, ut, si parem per Germaniam habet, nominatiorem tamen certe non inveniet: gloria penes Lodroniam illustrissimam vetustissimamque Familiam perennatura.

Stupescimus interim Scriptoris cujusdam Boici hac nostra ætate sive oscitantiam sive æmulationem, qui cum de omnibus Germaniæ Universitatibus & Academiis, etiam Acatholicis, scripserit, de Salisburgensi tamen nullam mentionem facere dignatus est, & fortassis etiam extraneos ac recentiores quosdam Scriptores in errorem induxit.

Ipsis Kalendis Januarii Anni 1624. Vitus Adamus Episcopus noster Aram majorem Ecclesiæ Cathedralis recens iterum erectam, assistentibus sibi quinque Abbatibus, Divino Numini, ac Deiparæ Virgini dedicavit, atque in ea easdem Sanctorum reliquias, quas olim Anno Christi 1274. Fridericus Salisburgensis Archiepiscopus mensæ ejusdem aræ incluserat, ibidem reposuit. Vitus Ad. consecrat aram principem Eccl. Cathedr.

Eodem anno novus Serenissimus S. R. J. Elector Maximilianus, & Vitus Adamus Episcopus noster interpellarunt Paulum Tegernseensem Abbatem, ut in fundo extra pontem Isaræ prope Tollentiacum *, qui ad Ecclesiam Parochialem S. Laurentii in Egern, Tegernseensis juris, pertinebat, pateretur erigi Monasterium pro RR. Patribus Alumnis S. Francisci, qui populosi illius municipii animabus imposternm servirent. Id etiam idem Abbas lubentissime permisit. Id vero Orco gravissime displicuit. Hinc cum muri jamjam in altum surgerent, exortus ventus horribilis pontes pensiles, asseres trabesque per aërem tam mirabili impetu sursum deorsum in gyrum rapuit, ut nemo non intelligeret, id non nisi aëreis potestatibus, dæmonibus scilicet, adscribi posse aut debere. Verum frustra fuere orcinæ iræ: & sacrum illud domicilium feliciter fuit ad finem perductum. Porro immissis in illud Patribus primus Guardianus datus est R. P. Josephus à Scalvo Italus, vir fama virtutum inclytus. Porro campanæ Ecclesiæ prædictorum Patrum sequenti anno idem Abbas permittente Episcopo nostro solemnem benedictionem adhibuit. PP. Ord. S. Francisci Telzii. *Tölz. Orco nequicquam repugnante.

Provincia Bav. S. Antonii.

Crescente eum in modum per Bojariam Contuberniorum ejusdem Regulæ numero instituta est Provincia sub patrocinio S. Antonii de Padua, quam Bavaricam appellamus, in annos singulos pro Dei gloria & copiosissimo animarum fructu magis magisque efflorescentem.

Statua B.V. apud PP. Augustinianos Monachii claret beneficiis.

Ecclesiæ RR. PP. Augustinianorum eo anno præcipuus thesaurus accessit, imago scilicet thaumaturga B.V. ex Tegernsee allata, quæ mox beneficiis ingentibus inclarescere cœpit, adeo, ut posthac Vitus Adamus Episcopus noster adhibita accuratissima inquisitione res miras ibi supra humanas vires & artes patratas omnino comprobarit, eandemque statuam publicæ venerationi exponi permiserit.



HISTO-

HISTORIÆ FRISINGENSIS SÆCULUM DECIMUM,

Ab anno Chriſti MDCXXIV. usque ad annum MDCCXXIV.

Sive

LIBER DECIMUS

De Epiſcopis Friſingenſibus.

CAPUT I.

Proſecutio Regiminis Viti Adami.

§. I.

Acta publica ac privata, uſque ad ann. Chriſti 1629. ubi de erectione Conventus RR. PP. Minimorum prope Monachium.



ANno Chriſti 1625. Anglia, Dania, Gallia in diverſas Germaniæ provincias arma ſtringebant. Maximilianus vero Elector noſter Saxoniam inferiorem continuit, Regi Daniæ obſtitit, Fridericum Ducem Saxoniæ Altenburgicum inter cæſos in acie numeravit, & orthodoxam religionem in Palatinatu ſuperiori inſtauravit. *Nova bella in Germania.*

Bethlemus Gabor ſuperiori anno Turcarum auxilia adverſus Ferdinandum Cæſarem evocaverat: cui etiam Turcarum Imperator octoginta millia ſuorum ſuppetias miſit. Aſt cum poſtea idem Imperator de Bethlemi in Ferdinandum turpiſſima perfidia plenius edoctus fuiſſet, *Bethlemus pacem petit.*

statim suos revocavit. Cum Bethlemus postea etiam Hungaris reddidisset sese exosissimum, tandem, vellet, nollet, Ferdinandi gratiam ambivit, & ab Imperatore mitissimo facile impetravit. Itaque pacatis Hungariæ rebus Ferdinandus Hungaris filium suum cognominem futurum Regem dedit, cui etiam Hungari die 18. Sept. hujus anni Regium S. Stephani diadema imposuerunt.

Mors Guilielmi Ducis. Proximo anno Guilielmus Bojariæ Dux, Maximiliani Electoris parens ad Superos migravit, sepultus in Basilica Divi Michaelis Monachii, quam regiis sumptibus olim Patribus S. J. condiderat. Ejus Principis virtutes apud Adelzreitterum plena manu prædicantur. Vito Adamo Episcopo semper curæ eo tempore fuit, ut plurium prædiorum emptione res Ecclesiæ suæ pro viribus augeret.

Maximilianus Elector deinceps victorias continuavit Archistratego Tillio Comite, qui plures munitas civitates in Cæsaris potestatem redegit, ac Daniæ Regem fortissime repressit. Domi idem Maximilianus Dux Elector pro instructione puellarum Scholam virtutum, & eorum, quæ sexui illi sancte educando proficere possent, perdiscendorum in Urbe sua Monacensi aperuit vocatis illuc Virginibus, ut vocant, Anglicanis, Institutum sub Deiparæ invocatione sequentibus: quibus etiam ædes congruas, & alia necessaria munifice assignavit. Insignis ille Parthenon temporis successu ingentia incrementa sumpsit, ut oculis conspicimus.

Virgines, dictæ Anglicanæ, Monachii.

Mulhusii eodem anno 1627. Catholici fœderis Principes convenere, deliberaturi, quo pacto bellis finis imponi posset? sed incassum.

Obitus Guil. Sixti Kepfer Canonici Frising. Incidit in eum annum Frisingæ mors viri hodieque nominatissimi Guilielmi Sixti Kepfer, cujus laudes & merita exhibet illius Epitaphium, in Sacello Cathedralis Ecclesiæ, ubi SS. Eucharistia asservari solet, spectabile, quod sic habet:

D. O. M. S.

Anno Domini MDCXXIII.
Sacellum istud noviter erexit
atque dotavit,
Sanctiss. Crucis particula, & plurium
Sanctorum reliquiis ornavit,
Calicibus, ampullis, lampade, aliisque vasis
Argenteis locupletavit,
Binas in ipso hebdomadales Missas ac Litanias
Lauretanas, singulis Dominicis figuraliter
Decantandas, nec non lumen Sabbatinum
fundavit
Guilielmus Sixtus Kepfer, Th. D. Proton.
Aplicus, Com. Later. Mil. aur. Cathedr. hujus
Ecclesiæ Canonicus,
Quondam Ernesti, Stephani, Viti Adami
Episcoporum Frisingen. Consiliarius, Vicarius & Custos,
Quem precibus tuis, Viator, juvas, ut te olim juvari
voles.

Proximo anno Maximiliano Electori Palatinatus Superior in præmium tot laborum & sumptuum à Cæsare adjudicatus, & dignitas Electoralis ejus posteris stabilita fuit.

Mona-

Monachii eo anno Divi Ignatii patrocinio puer, cujus nervi circa poplitum flexutas erant constricti, integræ sanitati fuit restitutus. Vitus Adamus Episcopus noster præmissa accurata inquisitione veritatem prodigiosæ curationis Ordinaria potestate recognovit, publiceque testatam fecit.

Interfuit etiam idem Episcopus noster inter multos alios Principes festivissimæ Dedicationi Basilicæ Metropolitanæ Salisburgensis, cujus structuram, à Marco Sitico cœptam, Paris Lodronius magnificentissimè absolverat. Habuit Episcopus noster in suo comitatu Joannem Georgium Puechetum in Valkerseich, Thann, & Ittensteten, Cathedralis Collegii Decanum, Consilii Ecclesiastici Præsidem, & Præpositum Madronensem: Joannem Sigismundum in Greiffenfeld & Ernhaus Canonicum Frisingensem: Andream Puecherum in Walkerseich & Thann, Canonicum Brixinensem: Georgium Fridericum de Stauding in Affing, Köpflsburg & Hauzendorff, Consilii Aulici Frisingensis Præsidem, Aulæ Præfectum, feudorum Præpositum, & Dynastam in Burgkrain: Joannem Georgium Probstium, Jurium Doctorem, & Cancellarium Aulicum: Rudolphum Geebeck de, & in Atnbach, Consiliarium & Præfectum Massenhusianæ ditionis: Joannem Fridericum Morhatd Offenwangium in Rameck, itidem Consiliarium; & Joachimum Wilhelmum Neuchingerum, Supremum rei venatoriæ Præfectum. Reliquum famulitium enarrare supersedemus.

Düker. Vitus Adamus interest Dedicationi Basilicæ Salisb.

Eodem anno Episcopus noster pensiones ex Decimis Gachenbacensibus & Westerheimbensibus eousque debitas ab Imperiali Monasterio SS. Udalrici & Afræ Vindelicorum bis mille & septingentis florenis redemit.

Funestus Germaniæ fuit Annus Christi 1629. Quamvis enim Cæsar cum Dano pacem pepigisset, succrevere tamen brevi pericula longe graviora. Cum enim Cæsareani, ceu plenè confectis rebus, & hostibus omnibus debellatis fetventius agerent, ac ipse Cæsar Edictum de restituendis Ecclesiis per Imperium publicasset, Protestantes quasi desperatis rebus suis ad Gustavum Sueciæ Regem convolarunt, eumque vix non adjurarunt, ut, cum bello satis attrita essent Cæsaris arma, utut cæteroquin victricia, ea occasione uteretur, & Acatholicorum spes erigeret. Nihil avidius excepit Rex, laudis ac gloriæ cupidissimus. Proponebant etiam Acatholici eum causas habere, ob quas arma in Cæsarem stringere posset, nempe quod ejus Legatus ad tractatum super concordia Cæsarem inter & Danum initia non fuisset admissus: quod Regis literæ fuissent à Cæsareanis interceptæ: quod Cæsareani Megapolitanos Duces oppressissent, atque auxilia Polonis in Borussiam misissent; quibus etiam plures aliæ querelæ fuere adjectæ, quæ excelsum Regis animum facillime poterant ad vindictam allicere. Præterea Galliæ, & Angliæ Regum, aliorumque Principum Oratores assiduis cohortationibus animabant Gustavum, ut Germanicæ libertatis vindex esse, atque Europæo orbi pacem accersere vellet, immensa gloria per omne ævum duratura cumulandus. Hæc fere erant, quæ Stockholmiæ agebantur: dum interea etiam in Italia novæ turbæ fuere concitatæ.

Nimis nostrorum præsidentia.

Suecum provocat in Germaniam.

Mantuæ Duci ante biennium mortuo sanguinis jure proximus successerat Carolus Gonzaga Dux Nivernensis * Gallus, cujus eum honorem tum Cæsar ipse, tum Rex Hispaniarum gratulati sunt primum: postea vero, cum is jura Imperatoris violasset, bellum eidem Anno 1629. intulerunt tempore sanę non opportuno. Tametsi enim jamjam eo essent depressæ Acatholicorum vires, ut bello finis gloriosus fere impositus esse dici posset: magna tamen Cæsarei exercitus parte in Italiam traducta spatium ulciscendi seseque recolligendi nacti sunt Novatores: quibus etiam illud commodum acciderat, quod Rex Galliæ turbis illis Italicis irritatus exercitum illuc miserit, pro Nivernensi militaturum. Ipse etiam Summus Pontifex novo illo bello Italico graviter offensus est, & reliqui Italiæ Principes rem indigne ferebant. Itaque cum tot hostes nactus esset Cæsar, Germaniæ ultimum excidium instare nemo non agnovit.

* *Nevers.* Turbæ novæ in Italia.

Obitus Bartholomæi Schollii Proepiscopi.

Inter hæc ad Superos transiit Reverendissimus Dominus Bartholomæus Schollius Episcopus Dariensis, Pro-Episcopus Frisingensis, Collegiatæ S. Andreæ Canonicus, Consilii Ecclesiastici Director, multis ad varios Principes legationibus Serenissimi ac Reverendissimi Ernesti nostri clarissimus, in eodem Divi Andreæ templo tumulatus. Ejus viri jam in superioribus passim mentionem fecimus.

N. 411. N. 412.

Episcopus noster eo anno Privilegiorum, quibus Frisingensis Aula hactenus per Tyrolin gavisa fuerat, novam confirmationem obtinuit, & cum Ministris Cæsareo- Tyrolensibus lites super limitibus inter Comitatus Tyrolensem & Werdenfelsensem composuit.

Sodales S. Francisci de Paula prope Monachium.

Maximilianus Elector eo anno, 1629. Ecclesiæ S. Caroli Borromæi in Augia prope Monachium à Serenissimo Parente Wilhelmo erectæ ac dotatæ Sodales S. Francisci de Paula, dictos *Minimos*, constructo elegantissimo Monasterio adjunxit, iisque de novis proventibus prospexit. Damus fundationis illius novæ literas, quas nobiscum Patres illi benevole communicarunt, in quibus etiam Lector plura alia intelliget, quæ alias in Historia nostra exprimere oporteret. Sic itaque habent literæ Serenissimi atque piissimi Electoris.

NOS MAXIMILIANUS DEI GRATIA Comes Palatinus Rheni, Utriusque Bavariæ Dux S. R. I. Archidapifer, & Princeps Elector, præsentium tenore, nostro Heredumque nostrorum Successorum Bavariæ Ducum nomine, notum facimus singulis & universis præsentes nostras litteras visuris & lecturis, Quod cum Serenissimus & pientissimus quondam Princeps Guilielmus, Comes Palatinus Rheni, Utriusque Bavariæ Dux, Dominus Parens noster colend. felicissimæ Memoriæ pro singulari suo in S. Carolum Borromæum affectu & pietate sollicitus sæpe esset, quanam potissimum ratione & modo suam in eundem Sanctum devotionem exprimere, eaque beneficia, quibus S. Serenitas tum se, tum & nos, nostramque Domum ac Familiam, quasi universam indubitato Sancti Illius Viri patrocinio dotatam credidit, aliquali saltem voluntatis suæ testimonio demereri posset, in animum induxerit, ad Omnipotentis Dei nec non Immaculatæ semper Virginis Deiparæ sempiternam laudem post in honorem ejusdem S. Caroli Borromæi Ecclesiam in Suburbio nostro prope Metropolim & Sedem nostram Monachiensem sito, Augia vulgariter nuncupato, ædificare, prout eandem ex fundamentis novam cum adjuncta habitatione exstruxit, & ne Divino Cultu destituta maneret, sed in Christiani populi utilitatem & fidelium animarum salutem cederet, Censibus quibusdam annuis juxta Instrumenta desuper sigillatim confecta dotavit & locupletavit. Cumque animadvertisset Suburbani istiboc populi ibidem in dies accrescentis frequentia & multitudine in tantum augeri, ut Parochus & Rector Pogenhusanus, sub cujus cura Pastorali hactenus Incolæ isti constituti fuerant, cum unico suo Cooperaratore Ecclesiasticis Sacramentis administrandis & Cultui Divino illic propagando non sufficiant, adeoque periculum imminere censuerit, ne multarum animarum salus ob penuriam Pastoris periclitaretur, nisi salutare rebus hisce remedium quantocyus adhiberetur, proinde S. Serenitas omni, quo potuit conatu allaboravit, ut incolæ isti ab ordinaria, cui hactenus suppositi fuerunt, Rectoris Pogenhusani cura eximerentur, econtra vero Ecclesia illa S. Caroli Borromæi noviter exstructa ad commodiorem Incolarum usum & provisionem in Parochianam erigeretur. Verumtamen cum Parochia illa Pogenhusana ad Capitulum & Ecclesiam Collegiatam S. Viti Frisingensis pertineret, illudque Capitulum rationes suas & difficultates complures afferret, ob quas, separationem & dismembrationem illam dictæ Parochiæ minus consultum arbitraretur. Hæc demum causa Serenissimo Parenti nostro obstitit, quo minus id pium & laudabile suum juvandarum animarum propositum effectui tradere morte interea præventus ipse potuerit: eamque ob rem sua Serenitas ultimo suo Elogio efficaciter & paterne nos requisivit, ut totum hoc negotium in nos peragendum susciperemus, omnibusque modis conniti vellemus, quatenus non modo periclitanti multarum animarum saluti per erectionem Parochiæ istius propriæ consuleretur, sed erectio ista atque Fundatio una cum cultu Divino istic loci instituendo, eam, quam sua Serenitas tanto cum desiderio expetiit firmitatem, stabilitatemque perpetuam nancisceretur. Nos itaque piis Domini Paren-

Parentis nostri desideriis plenissime obtemperare volentes, cultumque Divinum isthic loci perenniter inducere & Patrocinium S. Caroli etiam pro parte nostra amplius adhuc demereri cupientes, Provinciam hanc nobis delatam libenter & serio suscepimus, & quia ob separationem & dismembrationem Parochiæ Pogenhusanæ per Capitulum S. Viti difficultas inciderat, negotium hoc totum interposita Authoritate Domini Ordinarii cum dicto Capitulo plene transegimus, moxque ad Parochiam istam erigendam cum loci hujus Ordinario per nostros itidem super ejus consensu desuper impertiendo tractari curavimus. Quem cum votis & nostris & Paternis promptissimè annuentem reperissemus. prout ejus instrumentum & fidem authenticam ab eodem Domino Ordinario nobis desuper datam ad manum habemus: Inde tandem ad modum cultus Divini in Ecclesia ista Parochiali pereniter instituendum animum nostrum adjecimus, ubi quidem Divina Mysteria & Sacramenta aliquandiu per Parochum Laicum & duos ipsi Cooperatores adjunctos peragenda statuimus. Verum cum hic modus suas itidem difficultates ostenderet, Interea vero frequens & celebris rumor & fama de singulari Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula vita austeritate, Sanctimonia & exemplo ad nos pervenisset, unaque sponderet, eorumque receptionem modum ex cæteris omnibus firmissimum ac præsentissimum fore per quem & periclitantium animarum salus in Augiis salubriter promoveri & Cultus Dei Sanctorumque notabiliter propagari & Serenissimi insuper Parentis nostri uti Fundatoris primarii & in hac una re procuranda mire solliciti Zelus & desiderium acquiescere tuto posset, Inde animum tandem nostrum ad Patrum illorum receptionem totum adjecimus: cumque Eos ad hanc Provinciam subeundam non promptos modo & faciles reperissemus, sed in hanc rem insuper etiam à Reverendo Patre Fratre Francisco Richardo, eiusdem Sacri Ordinis per Germaniam & Bohemiam Vicario generali coram, ultro ac specialiter interpellati rogatique essemus, quatenus prædictam S. Caroli Borromæi Ecclesiam in dicti Ordinis sui exercitium & usum spiritualem una cum attinentiis & pertinentiis suis omnibus & singulis de benignitate nostra concedere, dare & assignare vellemus. Inde tandem ulterius cunctandum non censuimus, quin id, quod Parens noster optimus, vivus ardenter expetiit horum fidei, curæ & sollicitudini penitus committeremus. Quam ob rem de omnipotentis Dei misericordia confisi, & Deiparæ insuper Virginis ut & S. Caroli Borromæi Ecclesiæ & Loci hujus Patroni felici patrocinio subnixi, demum & prædicto Serenissimi Parentis nostri laudabili proposito tenaciter inhærentes, iisdem Fratribus S. Francisci de Paula minimis eandem Ecclesiam una cum adibus, cœmiterio, hortis, aliisque suis pertinentiis, prout eas Dominus Parens noster Ecclesiæ vivus adjunxit, & Nos quoque postquam adauximus cum toto & omni eo Jure, quo potuimus, libere dedimus, cessimus, & donavimus, Harumque tenore actualiter & realiter Illis tradimus, cedimus, atque donamus, iisque una redditus etiam illos, quibus prædictam Ecclesiam Parens noster Serenissimus vigore peculiaris cujusdam Instrumenti desuper specialiter erecti, adhuc vivus dotatam voluit, huic nostræ Donationi & Traditioni in perpetuum valitura, omnes & singulos inditos & annexos volumus, prout eos hisce prædictæ traditioni optima & firmissima Juris ratione, qua possumus, annectimus & incorporamus, Ex quibus tametsi eos sustentationem ad Munia ea Parochialia subeunda quæ Serenissimus Parens noster isthic loci fieri desiderat, congruam habituros esse non dubitamus, considerato & attento, maximè quod non nisi ad sedecim Religiosorum Deo isthic perenniter servientium numerum, perpetuo tenendum, eos adstrictos volumus, ut tamen hi Patres una quoque benevolentiam & liberalitatem etiam nostram ulterius experiantur, Nos cum Dilectissima nostra Conjuge Serenissima Principe Domina Elisabetha &c. nata Lotharingiæ Ducissa Paternis utrinque vestigiis & exemplis inhærentes, in partem quoque Fundationis hujus concurrere voluimus: Et proinde quoque pro tanto commodiori sedecim istorum Patrum & Fratrum sustentatione & alimento paternæ dotationi & Nos quoque censum annuum de proventibus nostris cameralibus in perpetuum posthac solvendum superaddimus, prout eo nomine Patribus illis Fundationis hujus Conjugis & nostra instrumentum peculiare consignari jussimus, Et ut hæc Serenissimi Parentis & nostra Conjugisque nostræ liberalitate tam ipsi quam Successores eorum ordi-

Ordinis hujus Patres & Fratres Ecclesiam istam possidentes & onera eidem annexa obeuntes perpetuo fruantur, plene providimus. A quibus tamen vicissim exigimus, ut in officiis suis ac Mysteriis Divinis istbic loci peragendis perpetuam nostri omnium memoriam agere, & tam Paternæ quam nostræ intentionis rationem illam habere velint, prout ex sequentibus eam specialius intelligent. Cumprimis enim & ante omnia curabunt, ut cum hac nostra Ecclesia consensu & authoritate Ordinarii in Parochianam erecta sit, Parochianos illi suos, ut & alios eo confluentes omnis generis Sacramentis à Parochis in genere administrari solitis, sollicite, libenter & expedite provideant, Juventutem illam sacra Catechesi aliisque fidei nostræ articulis ad æternam salutem scitu necessariis quovis die Dominico hora quadam pomeridiana certa diligenter erudiant, antemeridiano vero tempore die quovis sive Dominico sive alio festo tamen Conciones ad populum instruendum intra solemne Missæ Officium semper habeant, sacrum itidem Missæ Sacrificium Omnipotenti Deo quotidie bis ad minimum offerant: ubi tamen circa Sacrum primum legendum temporis hyemalis & æstivi differentiam & rationem illam inibunt, ut Incolæ loci cum operarii plerique sint & ad operas suas summo mane hinc inde diffluant, antequam ad operas diurnas accedant, Sacri prius audiendi tempus & occasionem habeant. Circa intentionem autem in sacris illis duobus legendis habendam ex sensu & mente Fundatorum hebdomatim septem sacra pro tota Parochiæ suæ communitate pro Fundatoribus Ecclesiæ hujus tam vivis quam defunctis: Denique pro Nobis & Conjuge nostra ut & pro subsequentibus Bavariæ Ducibus regnantibus applicabunt: Reliqua vero pro legentis cujusque pio arbitrio & affectu dispensare poterunt. Cumque ex usu & consuetudine Regionis hactenus observatum sit, ut quævis Parochia certas quotannis processiones ad vicina quædam templa instituat, cujusmodi usum etiam hic loci tanquam ex Parochia observare opus omnino & necessarium fuerit: proinde prædicti Patres posthac singulis annis in festo S. Marci Evangelistæ Processionem unam ad S. Crucem in Giesing, in diebus Rogationum autem unam in Pogenhausen, alteram ad B. V. in Rämmerstorff, tertiam porro ad S. Bennonem civitatis & Patriæ hujus Patronum instituent: quod si tamen præter istas processiones adhuc alias, emergentium temporum necessitas aut Domini Episcopi Frisingensis, ut Ordinarii Authoritas indixerit, ad eas itidem obeundas, sicuti ex sacro Concilio Tridentino ipso Jure tenentur, vigore præsentium etiam admonentur. Denique cum Serenissimus Dominus Parens noster hujus Ecclesiæ & fundationis, qua nunc Patres isti fruentur, primus Motor & Author exstiterit, proinde in vicem debitæ gratitudinis Anniversarium Eidem, ut Fundatori primario perpetuum, recitatis mortuorum vigiliis longioribus, ut & sacro Missæ Sacrificio, stato anni tempore idque ad 7. Februarii diem, quæ Serenissimo Parenti nostro fatalis extitit, pro anima suæ Serenitatis sæpius offerendo celebrare: & si quandoque Deo volente, & Nos & Conjugem nostram è vivis excedere contigerit, in annuis hisce suffragiis peragendis etiam utriusque nostrum, tamquam Confundatorum suorum memoriam agere & pro animarum quoque nostrarum salute Deum precari Patres ii non gravabuntur: De reliquis sacræ Devotionis, pietatis, aliarumque virtutum exercitiis, quibus & Ordo & Institutum eorum suapte Regula scatet, ad communem subditorum nostrorum ædificationem, atque salutem frequentandis eos monere pluribus supervacaneum fuerit: cum optimus eorum zelus & fervor nos aliud ab iis præsumere aut sperare non sinat. Quamobrem sicuti in omnibus his expediendis, fidem, observantiam & Devotionem Patrum istorum præ aliis omnibus elegimus, ita nunc hæredes & Successores nostros Bavariæ Duces tenore præsentium firmissime obligamus & obstringimus, ut hanc Serenissimi Parentis nostri donationem nostramque desuper ex jussu & voluntate suæ Serenitatis dispositionem, nec non nostram cum sæpe dicta Conjuge nostra fundationem Patribus hisce factam, & ipsi fideliter, & stricte manuteneant, & serio curent, ut hæc omnia desideratum à nobis effectum, & executionem perpetuam: prædicti vero Patres eo nomine, ut & in omnibus Ducatibus nostris protectionem, in quam eos & laudabilem ipsorum Ordinem scientes, volentes recepimus, & vigore præsentium receptos volumus, atque recipimus, firmissimam semper habeant, & consequantur, Universis & singulis autem præsentibus, & futu-

futuris officialibus nostris, superioribus & inferioribus, caterisque subditis, ac fidelibus nostris per Ducatus nostros omnes ubilibet constitutis, cujuscunque status, gradus, conditionis, seu praeminentia extiterint, vigore prasentium serio pracipimus atque mandamus, ne sepe dictos Patres in possessione memorata Ecclesia, censuum, & aliarum pertinentiarum ad eam spectantium, sive in personis, sive in rebus molestare prasumant, nec à quoquam alio super his omnibus turbari, aut quacunque ratione via & modo inquietari permittant, sed juxta hanc nostram Fundationem, dispositionem & confirmationem nomine & respectu nostro efficaciter tueantur, & conservent, sub gravissima animadversione, & coercitione, iis omnibus, & singulis à Nobis, & Successoribus nostris inevitabili irroganda, qui hanc nostram à Conjugis Serenissimique Parentis voluntatem ex quacunque ratione & pratextu impugnare, Patribusque iis in templo bonis, & rebus ad id spectantibus ullatenus molesti esse prasumpserint. In quorum omnium firmissimum & perenne robur & testimonium Diploma hoc nostrum manus nostra subscriptione, sigilloque nostri Electoralis majoris appensione munitum super his omnibus fieri, & pradictis Fratribus consignari jussimus. Datum in Civitate nostra Monachio vigesimo quarto Mensis Februarii. Anno à Christo incarnato Millesimo sexcentesimo vigesimo nono.

Maximilianus.

Porro cum postea fuisset compertum, nihil præter labores, decessurum esse Collegio S. Viti, si decimæ Eidem manerent intactæ, nulla alia compensatio fuit redhibita. Ex eo tempore Religiosissimi illi Ascetæ in Angiensi illo suburbio animarum curæ semper cum insigni zelo invigilarunt, & invigilare pergunt. N. 413.

§. II.

Fundatio RR. PP. Carmelitarum Discalceatorum Monachii.

MOnuimus in Superioribus, Maximilianum Ducem Anno 1620. gloriosam ex Friderico Palatino victoriam retulisse, idque potissimum ope R. P. Dominici Arragonii Carmelitæ Discalceati. Eo igitur tempore etiam Religione voti de condendo Monachii pro eo Sacro Ordine Asceterio se adstrinxit, si Deus victoriam advetsus Religionis orthodoxæ potentissimos hostes concedere vellet. Hac feliciſſime potitus neutiquam defuit contractæ obligationi, sed statim ab Ordinis Superioribus viros idoneos ad opus inchoandum sibi mitti petiit. Cum vero simillimum opus etiam Viennæ moliretur Ferdinandus Imperator, qui & ipse summum Dei beneficium in prædicta Pragensi Victoria agnoverat, petitioni Maximiliani, tunc jam ad Electoralem dignitatem evecti, satisfieri tam prompte non poterat. Postquam vero Viennensi Carmelo ultima manus fuit imposita, superiores prædicti Ordinis quatuor Viros Religiosos è Conventu Pragensi desti-

Patres Carmelitæ veniunt Monachium.

narunt Monachium, ut ibidem tum materiali fabricæ principium darent, tum spiritualis etiam ædificii solida fundamenta jacerent. Fuere illi RR. Patres Felicianus à S. Bartholomæo, Dominicus à S. Nicolao, Angelus à S. Hilarione, & F. Valentinus à S. Agatha. Dies, qua memorati qnatuor Ascetæ Anno Domini 1629. terminum suum feliciter attigerunt, erat prima Novembris, Omnium Sanctorum honoribus sacra. Religiosos advenas tot votis expetitos mox in Palatio Serenissimi Ducis Guilielmi recipi voluit, quod jam antehac pro viris illis Religiosissimis competenti supellectili instructum fuerat. Proxime secuta die iidem RR. Patres ad alloquium Serenissimi Electoris admissi, & cum gaudio fuere clementissime excepti, oblatis omnibus gratiis, quæ ad opus secuturum requiri poterant. Die postea tertia clementissimus Elector via secretiori ad ipsos Religiosos viros se conferre dignatus est, tum ut eos benignissime resalutaret, tum ut oculis conspiceret, num omnia, quæ jusserat, essent rite pro iis disposita? Viso postea, omnia eousque ex animi sententia fuisse peracta, non modo suppellectilem universam, verum etiam domum amplam pro ædificio futuro illis clementissime assignavit. Viti Adami Episcopi nostri assensu jam prius impetrato, literis sequentem in modum expeditis:

Nos Vitus Adamus Dei gratia Episcopus Frisingensis nostris hisce litteris universis ac singulis testatum intimatumque volumus. Postquam Serenissimo Principi Domino Domino Maximiliano, Comiti Palatino Rheni, Utriusque qua superioris, qua inferioris Bavariæ Duci, S. R. J. ArchiDapifero & Electori &c. Patres Carmelitas Discalceatos Monachium in Electoralem suam Metropolim introducere, eosque ibidem firma locare sede, ratum, fixumque stet animo, ac eum in finem de facto præfatis Patribus S. Nicolai Sacellum juxta Serenissimi sanctæ memoriæ Guilielmi Ducis relictum eidem Sacello contiguum Palatium inhabitandum offerat. Cum autem à Nobis, utpote Ordinario loci illius supradicti Patres facultatem seu consensum ibidem secundum leges ac statuta sui Ordinis, exercitiorum spiritualium colendorum demississime efflagitarent, quod opus nos Deo ter Opt. Max. gratissimum ultro promoturi nullatenus interpellandum duximus. Verumtamen certo certius Nobis persuademus, eos eam recolligendarum eleemosynarum, reliquarumque ad vitam fovendam, sustentandamque necessitatum perquirendarum rationem servaturos, ut cæteri eodem loco degentes seniores mendicantium Ordines se gravari, aut molestari ne persentiant. Cæterum virtute hujus nostri litteris expressi consensus sæpius tactis Patribus Carmelitis actus communitatis instituere, tenoreque sacrarum suarum Constitutionum, prout aliis in locis sancte agere consueverunt, absque ullius impedimento, aut contradictione Divina Officia persolvere imposterum liberum, integrumque erit. Indubitati testimonii causa, solidiorisque confirmationis gratia patentes hasce Consensus litteras propriis subarravimus manibus, pendulumque Cancellariæ nostræ Sigillum annecti mandavimus. Actum in Episcopali nostra Civitate Frisingensi ipso S. Corbiniani Festo die, Anno Partus Virginei 1629.

Literæ vero fundationis sic habent:

Von

Von Gottes Genaden Wür Maximilian Pfalz-Graf bey Rhein Herzog in Ober- und Nidern Bayrn &c. des Heyligen Römischen Reichs Erz-Trukhses und Churfürst &c.

Bekennen, als ainiger regierender Fürst für vns, vnsere Erben vnd nachkommen regierende Fürsten, vnd thuen kund mäniglich mit disem ofnen brief, das wür die zeit vnseres lebens, insonderheit aber vnserer von Gott anbefohlenen Lands-Fürstl. Regierung ganz eifrig vnd vnaufherlich betrachtet, vnd zu gemieth gefiebret die grosse villfältige gnaden, gaben, seegen, vnd vätterliche wohlthatten, welche der barmherzige Gott aus seiner vnermessenen güte vnd allmacht nit allein vnseren in Gott ruehenden hochstgeehrten vorforderen vnd Elteren vnd ganzen vnserem hochlobl. Haus bewisen, insonderheit aber, indeme ermelt vnsere geliebste VorElteren von der zeit an, als sie durch Gottl. Seegen zu dem liecht, vnd rechter wahren Erkanntnus des Christlichen glaubens kommen, ie vnd allzeit bey der vhralten von Christo vnd den lieben Apostlen gepflanzten wahren Catholischen Römischen vnd allein seeligmachenden Religion beständig vnd beharrlich geblieben vnd darin gestorben, sonder auch vns gleich von übernam vnd antrettung vnserer Lands-Fürstl. Regierung reichlich erwisen, indeme sein Göttl. Allmacht vnsere land vnd leuth in gutem fried, ruehe, vnd einigkeit vor schwereren zueständen erhalten, auch die Jahr hero, als die gefährliche, ofne, vnd langwirige Kriegs-empörungen, Rebellionen, vnd aufständ der widerwärtigen vncatholischen fast das ganze Römische Reich ergriffen, vil Fürstenthumb vnd land höchstens beschädiget, etliche auch in zimbliche Ruin vnd verderben gestürzt, vor dergleichen eüsersten Ruin, schaden, vnd verderben genädig und gleichsam wunderbarlich bishero beschizt und errettet. So dan vnsere in Gott ruehende Hochgeehrte Vorelteren seel. angedenkhens zu schuldigister Dankhsagung der empfangenen gnaden vnd wohlthatten bewogen worden, ihnen nichts mehrers vnd inbrünstigers angelegen seyn lassen, als das die Catholische Religion, so das hochste Kleinod, darauf der Seelen hayl bestehet nach dem willen Gottes vnd seiner Heyl. Romischen Catholischen Christl. Kirchen Lehr vnverlezt, vnd in allen articuln ganz vnd vnverfälscht erhalten, auch ie länger ie weiter so wohl in vnseren als anderen Landen gepflanzt, ausgebreittet, vnd der namen vnd Ehr Gottes desto mehr geprisen werde, zu welchem ende, vnd dessen mehrere beförderung sie dan (wie Gott lob vor augen) zu der Ehr des allerhöchstens vill herrliche ansehnliche Stufft, Kloster, Gotts-Hauser, vnd Kürchen mit grossen vnkosten erbauet, von neüem erhebt, vnd reichlich dotiert haben.

Als haben wür vns ganz wohlbedächtig, mit zeitigem rath aus aigner bewegnus, freüen willen, vnd Lands-Fürstl. macht, von niemands darzue beredet, gezwungen, noch getrungen eigentlich, vnd vnwiderrueflich entschlossen, zu lob, Ehr, vnd preis der allerheiligsten, vntheilbaren Dreyfaltigkheit, vnd einigen allmächtigen Gott, dan der heiligisten vnd glorwürdigisten Jungfrauen vnd Himmel-Konigin Maria, folgends allen lieben Heyligen vnd ganzen himlisch Heer in Kürchen vnd Gotts-Haus in der Ehr vnd Patrocinio des heyligen Bischoff Nicolai, sambt einem Closter oder wohnung fur die würdige vätter der reformierten Carmeliten negst vor vnser Haubt-Statt München zwischen dem Schifer-vnd AngerThor von neuem aufzurichten, zu stifften zu erheben, vnd zu bauen, wie folgt.

Anfänglichen ist vnser will, meinung, vnd befelch, das am erst gemelten Orth auf den herzu erkisten grund allda anhero vnser Truchses Hans Sigmund Aheimber, vnd Friederich Ligsalz Burgermaister allhier ihre Gärten gehebt, obgedachte Gottes vnd S.

Nicolai Kürchen sambt dem Closter und zimern auf unseren Kösten erbauet, und ihnen den Patribus Carmelitanis mit und neben deme daran stossenden Grund, den wür vom Spitahl des Heyligen Geists allhier erhandlen lassen, zu einem Garten eingeantwortet, geeignet, und übergeben werde. Dieweillen wür aber bey neben nit unzeitig und billicher ursachen halben zu gemieth fiehren, und betrachten, dass der sterbliche Mensch ihme selbst oft vil proponieret, und fürnimbt, welches durch eintring- und übereilung des zeitlichen Todts (dessen zukunft niemand wissen, vill weniger verhinderen kan) eintweder gar nit, oder vill anderst, als mans disponiert, und virnimbt, effectuiert und gericht thuet werden, welchen und allen anderen villfältigen irrungen, sorgen, und hinderungen allerdings zufürkommen, und alle hierzue dienliche ertheilligkheit zu beforderen, auch dis unser Stiftung umb sovillmehr zu versichern. So thuen wür uns hiemit erklären, ordnen, wollen, und befehlen, das, im fall der allmächtige Gott, welches in seinen göttlichen willen stehet, uns durch zeitliches ableiben von disem Jammerthal zu seinen ewigen freüden genädig und vätterlich erforderen wurde, und oberzehltes alles noch nit vollendet werde, das einen als anderen weg dise unsere verordnung, übergab, und Stifftung, mit den bawcosten, sovil nun derselb erfoderen würd, und allen andern, was zu einer solchen Kürchen, Closter, und Stüfftung gehort, steif, vest, unverendert, und unzebrochen ohne allen aufzug, hinderung, und wider-red von unseren Erben solle gehalten, und strakhs vollzogen werden, in gestalten wür dan bemelten auf uns genomenen bawcosten, und was darzue nothig ist, den würdigen Vätteren der Carmeliter frey, aigenthomblich verordnet, verschafft, und geschenkht haben, verordnen und verschaffen, auch schenkhen iezt bemeldten Patribus der Carmelitern in krafft dises briefs für uns unsere Erben und nachkomen in bester und beständigster Form und weis, als dieselbige und ein iede solche Fürstl. und unwiderrufliche Donation ad pias causas in allen rechten zum kräfftigisten erdacht, und gestelt werden kan, soll, oder mag, wie das alles aniezo ist, und nach vollendtem baw werden solle, mit allen ihren Ehren, Rechten, gerechtigkheiten, privilegien, Immuniteten, Exemptionen, Freyheiten, Würden, und Gnaden, wie es andere dergleichen Gotts-Häuser, Geistl. Hoffstätt, Häuser und Gebeu haben konten, und mogen, dermassen und gestalt, dass sie aniezo, und hinfiro zu ewigen zeiten solche Kürchen, und gebäw zu lob des Allmächtigen auch ihren gewohnlichen Gottsdienst, Ceremonien, und andacht, nit weniger auch das Closter zu ihrer Wohnung, und underkommen, als ihr aigenthumb, frey geschenkhtes Gueth, nuzen, niessen, und ohne mänigliches verhinderung, oder anfechtung gebrauchen sollen und mogen.

Ferner, und über das alles, damit bemelte Patres der Carmeliter deren iederzeit mit Priestern und Ley brüederen zum minsten weniger nit als 20. seyn sollen, ihr gebührende sustentation, nahrung, und unterhaltung, mit essen, trinkhen, kleiden, bücher, hausfahrnus haben, dann auch die Kürchen mit Ornaten, beleüchtung, und anderer nothdurfft nit weniger die ganze fabric unterhalten mogen, so wollen würs ihnen hiemit auftragen und befelhen, mehr bemelten Patribus der Carmeliter von allen und ieden unseren Cammer- und Renth- gefallen nichts darvon gesondert noch ausgenommen vor hierunder folgenden dato an, Jährlich und iedes Jahr doch zu Quartal eingetheillet durch einen ieden iezig und künfftigen Hoff Zallmaister zu München raichen, geben, und bezalen lassen drey tausend, drey hundert Gulden ganz gangbarer guter Landswehrung. Weiter so ist unser Will, meinung und befelch, wollen uns auch zu unseren Erben und nachkommen also versehen, sie werden mehrgedachte Vätter der Carmeliter in dero gnädigen vätterlichen Schuz und Schirm iederzeit erhalten, mit keinerley Bürden, Fürstl. Mauthen, oder zolls entrichtungen, Steüren, oder anlagen, oder anderen beschwerden weder von der Landschafft, noch durch burgerliche Jurisdictionen betrieben lassen, auch damit sie an ihrem Gotts dienst und andacht, geistl. übungen und dergleichen nit gehinderet werden, ist unser will, und sollen unsere mehrgemelte Erben und nachkommen Sie alles einschaffens und beherberung frembder Gäst auch nur auf ein einzigen tag oder nacht überheben und befreyen, in ihrer Kürchen aber von andern

geist-

geist- vnd weltlichen Personen oder derselben Gotts dienst, sie seynd was stand vnd Ordens sie wollen, keines weegs wider ihren willen vnd Consens molestieren oder beladen lassen.

Damit auch dise vnsere stifft vnd verordnung desto mehr krafft und versicherung auch nach vnserem absterben, vnsere Erben, vnd nachkomen sich vnserem endlichen Willen gemeß zu verhalten haben, so wöllen vnd befehlen Wür vnsern obbemelten Erben und nachkomen in Krafft dises Fundation- vnd Stüfft- Briefs oder Donation (welche nit weniger würkhung, Krafft, vnd ansehens bey ihnen haben, auch nit minder in allen rechten gelten solle, als ein ziehrlich reehtmässiges Testament oder Codicill mit allen seinen requisiten vnd solemniteten gelten kan, soll, oder mag) das bey verpfändung aller Ihrer Haab vnd Güter ligend vnd fahrender nichts darvon ausgenommen, auck bey verliehrund verwirkhung omnium Beneficiorum & amissionis totius bereditatis dis vnsere Stüfft vnd verordnung in allen articuln vnd punčten strakhs vnd vnverbrochen vollziehen, und völlig ins werkh richten sollen.

Wider welchen vnsren befelch vnd angehenkhte straf sie vnsere Erben keine geistliche noch weltliche Rechten, Bäbstliche Rescripta, Decreta, Indulta, Dispensationes, Absolutiones, Privilegia, Regalia, Jurisdičtio, superioritates, Immunitates, inhibitiones, exceptiones, Jura, Statuta, indemnitates, Constitutiones, aut consuetudines, schuzen vnd schirmen, fürtragen, oder einige ausflucht vnd entschuldigung geberen können, mogen, noch sollen, auf keinerley weis, wie dis mit Menschen Sinn erdacht, oder erhalten werden kan.

In gestalt wür dann hochgedachte vnsere Erben vnd nachkomen, da hieran einiger mangel, saumsal, oder hinterung (welches wir nit verhoffen) fürubergeben, vnd von Ihnen wider solche vnsere Stifftung, Donation, vnd Verordnung im wenigsten gehandlet werden solte, an dem Jungsten tag vor dem gerechten Richterstuel Christi zu redstellen, vnd sie derhalben vor dem ganzen himmlischen Heer vnd ausserwohlten, als die vnserem ernstlichen Christl. willen, meinung, vnd befelch, welcher zu der Ehr Gottes, vnd vnserer auch ihrer Seelen Hayl, vnd vnseren vndershanen zum gueten vnd nuzen vermeint worden, nit nachkomen, streng anklagen, vnd solches aus ihren händen erforderen wöllen, darvor sie sich dann billich verhüeten, vnser vnder der Erden verschonen, vnd den schweren zorn Gottes nit uber sich erwekhen, sonder mit gerechter vollziehung vnsers lezten willen ihnen (wie andere ihre VorElteren Christ seeligister gedechtnus) machen sollen.

Dargegen aber sollen mehrgedachte Patres Carmeliter verpflicht vnd schuldig sein, vnser, vnserer geliebten Ehegemahlin, nit weniger vnser Brüder, auch vnserer lieben Elteren, vnd vorfahrern Christseeligister gedächtnus, vnd des ganzen Löbl. Haus Bayrn in ihrem gebet vnd Gottsdiensten embsiglich vnd andächtig ingedenkh zu seyn, auch für deren, die im leben seyn, heylsame zeitlich- vnd ewige Wohlfarth, glükhliche Regierung, Frid vnd einigkheit, erhaltung wahrer Religion, göttlichen Seegen vnd Benedeyung, für die abgestorbne aber, daß ihnen der allmächtige Gott die ewige ruehe vnd Seeligkeit verleihen wolle, inbrunstiglich zu bitten; Auch sollen sie schuldig seyn, iederzeit in dem Closter die anzahl der 20. Personen auf das wenigist, vnd darunder gelehrte, vnd geschickhte Patres erhalten. Sie sollen auch sich im Predigen, Beichthören, vnd besuchung der Krankhen (darzue sie gleichwol wider ihren willen vnd Regel nit verbunden seyn sollen) dermassen gutwillig, embsig, vnd gehorsamblich erzeigen, damit man ihr dankhbarkheit, vnd erzeblte begnadung (daran wir gleichwohl ohne das nit zweiflen) in werkh verspüren könte, doch alles vnd iedes obvermeltes nach ihrer der Patrum Constitution, Regel, Sazung, vnd ordnung.

Treulich, vnd ohn geuerde. *Zu mehrer bekräfftigung haben Wir disem Fundation- Stifft- oder Donations brief mit aignen handen vnderschriben, vnd mit vnserem gewohnlichen grossen Secret verfertiget. Geschehen in vnseren Haupt- Statt Munchen den ersten Monats-Tag Julii in ain Tausend sechs hundert ain vnd dreyssigsten Jahr &c.*

De sacro hoc Asceterio infra suis locis amplior recurret mentio.

§. III.

Belli Suecici initia, & Acta Viti Adami usque ad annum 1632.

Cæfareani Mantuam capiunt.

CUm in Germania noftra Proteftantes Edicto Cæfareo de reftituendis facris fpollis graviffime offenfi nil nifi arma ac bella fpirarent, Cæfareani in Italia aftu aufuque felici præter omnem exfpectationem Mantuam expugnarunt. Inde factum eft, ut inter Principes de Ducatu illo, atque altero Montisferrati certantes pax celerius componi poffet. Itaque cum Galliæ Orator in Comitiis Ratisbonenfibus Regis fui nomine per Septemviros apud Cæfarem ageret, initæ tandem fuere conditiones, quas non refpuerat Galliæ Rex. Inter eas prima ac præcipua fuit, ut Dux Nivernenfis Cæfari fe fubmitteret, & fic ditionum, quas prætendebat, dominio inveftiretur. Permovit utique Imperatorem imminens à Proteftantibus, & maxime à Sueco tempeftas, quæ in Ratisbonenfibus Comitiis fubmoveri non poterat, cum ea, quæ poftulabant Proteftantes, concedere nec vellet, nec poffet.

& bello Italico finem imponunt.

Mezger. Abbates Benedictini de fervandis fuis Monafteriis foliciti.

Convenerant eodem Anno itidem Ratisbonæ, impetrata conveniendi tum à Summo Pontifice tum à Cæfare facultate, præcipui utriusque Germaniæ Abbates & Monafteriorum Procuratores, de Ordinis noftri rebus confilia inituri. Cum enim perpenderent, quanta damna, quantæque calamitates ex bellis affiduis Monafteriis per tot provincias difperfis fuiffent illata, quanta infuper pericula ex rapacibus lupis imminerent; quam mifere item Sodales noftri maximo numero ob immanem Monafticæ vitæ perfecutionem de civitate in civitatem propellerentur, plures etiam, Acatholicorum ferro cecidiffent, ferio deliberandum cenfuere, qua ratione tantis ruinis occurri poffet? Vifum eft, melius profpici calamitatibus illis non poffe, quam fi omnia Ordinis per Germaniam Monafteria in unum corpus fub uno capite coirent. Neque enim minimam ruinarum partem pepererat Monafteriorum divifio: quippe ex qua factum eft, ut Monafteria expilata facile fuerint obnoxia harpyis, cum deeffent viri fubfidiarii, & media fefe opponendi, & rebus afflictis remedium afferendi: quæ, fi vires Ordinis fuiffent unitæ, fperari omnino poterant. Conclufa jamjam videbatur unio. Verum aliorum, etiam Catholicorum, ferio ftudio factum eft, ut negotium faluberrimum vix cæptum abrumpi debuerit. Ita Ordo ille, qui Septentrionalibus plagis Chrifti fidem primus invexit, non folum ex immanitate Acatholicorum, verum etiam ex malevolentia quorumdam Catholicorum, amiffo maximo Monafteriorum numero, exulare compulfus eft, quanto, boni fuperi! tum ipfius Ordinis, tum Ecclefiæ Catholicæ difpendio!

Sed confilia fufflaminantur.

Videmus, ad hunc annum referri fingularem titulum, quo Cardinales impofterum dicendi effent *Eminentiffimi.* In ejus tamen tituli communionem etiam venere tres Electores Ecclefiaftici Germaniæ, & magnus Melitenfium Equitum Magifter.

Vitus Adamus Epifcopus nofter, eo anno Sacellum PP. Francifcanorum Frifingæ ampliavit: quo ipfo tempore Patres Bavari ejusdem Seraphici Ordinis ab Argentinenfibus fuere feparati. Idem Vitus Adamus eodem anno rurfus utiles quosdam contractus pro Ecclefiæ fuæ commodo iniit.

Quid inter hæc præftiterint Proteftantes, partim damns, partim repetimus verbis Gabrielis Bucelini noftri, qui ad annum Chrifti 1630. hæc fcribit „Unum „ deeffe Proteftantibus videbatur, plerisque Ducum è tot acceptarum cladium „ me-

memoria trepidantibus, caput scilicet fortunæ deinceps ad libitum fingendæ; „ pro quo ipsum se obtulit Gustavus Adolphus Sueciæ Rex, prosperrimis quam- „ primum successibus in Imperium, Germaniam scilicet, movens: quem dela- „ tum in Pomeraniam patentibus ilico portis Stetinenses excepere, ridentibus „ ad fortunam nostram Italis, Gallis, Danis, Hollandis, Rhætis, Acatholicis „ universis, cum sibi interea de expugnata Mantua nostri brevem admodum plau- „ sum fecissent. Ita vir sane doctus & synchronus. Qui bene subjungit, pro- ximo anno, Christi 1631. ex comitiis Lipsiensibus, quæ à Protestantibus cele- brata fuere, datas fuisse ad Cæsarem & Catholicos Septemviros literas, querelis gravissimis refertas, nec nisi libertatem Germanici Imperii personantes: quibus tamen tum Cæsar ipse, tum Catholici Electores facile responderint. Idipsum Adelzteitterus affirmat. Verum Protestantes, de ope Suecica certi, deinceps nil nisi arma, neces, & exitium rei Catholicæ intentabant, maxime cum Cæsareani Mag- deburgum (civitatem Imperatori infestissimam) subegissent, cujus tum cives tum præsidiarii tanta pertinacia sese Victoribus opposuere, ut rebus suis jam luculen- ter desperatis è tectorum summitatibus lapidum imbres in grassantem per plateas militem grandinarent, ne sine vindicta perirent. Secutum est civitatis incendi- um. quod, num Cæsareano militi, an potius exulceratis civibus tribuendum sit, merito dubitatur. Certe Tillii Archistrategi Boici omnino intererat servare ci- vitatem, ex qua imposterum adversus hostes suos plurimum commodi sibi pro- mittere poterat. Ferunt, triginta fere hominum millia tum ferro tum igne Mag- deburgi periisse.

SuecusGermaniam ingreditur.

Inde Novatorum animositas.

Fata Urbis Magdeburgensis.

Infelicius posthac prope Lipsiam pugnarunt Catholici, ubi octo lectissimo- rum militum millia cecidere. Secutæ sunt aliæ nostrorum clades. Illud vero malorum facile caput erat, quod Saxo, hactenus Cæsari fidelis, Bohemiam, ejus- que Metropolin Pragam expugnaverit. Gallus quoque, ut Imperium, & vires ma- xime Austriacas pessumdaret, eo anno fœdus cum Sueco pepigit, cujus articulos qui è Catholicis describunt, Galliæ Regem non sine animi amaritudine *Christia- nissimum* appellare videntur. Traxerat aliquando Rex ille in retia sua Maximilia- num Electorem nostrum. Ast Maximilianus fraudem brevi edoctus, facile se ab ejus societate retraxit.

Bella invalescunt.

Inter hæc Vir nobilis Scipio Gadtmayr, Præfectus Dynastiæ Crantspergensis, Divini cultus stimulo ductus, in honorem Divi Jodoci in prato, cui Glonfeld no- men, Crantspergam inter & Allershusium novum Sacellum erexerat, vel potius antiquum instauraverat, illudque ornamentis necessariis decoraverat. Rogatus postea Episcopus noster sacellum illud Dei, & sancti illius Patroni honoribus cæ- remoniis consuetis dedicavit. Quoniam vero sacellum illud intra limites Pa- rochiæ Allershusianæ situm erat, quæ Parochia ex Neocellensi Præmonstratensium Monasterio sacrum Curionem semper habet, supra laudatus illustris Dominus Sci- pio jus omne, quod sibi ex sacello recens instaurato competebat, in Præpositum & Conventum Neocellensem, eorumque successores una cum omnibus proven- tibus transtulit, ea tamen conditione adjecta, ut imposterum idem sacellum ex proventibus & oblationibus sartum rectum perpetuis temporibus servaretur, con- dignis ornamentis decoraretur, æditus congruum stipendium reciperet, suique anniversaria memoria ibi fieret, & aliis quibusdam per annum festis diebus Di- vina peragerentur. Acceptavit Præpositus eas conditiones, & ab Episcopo nostro totius tractatus confirmationem petiit, & impetravit. Id Anno 1631. contigit: quo eodem Anno Episcopus noster Monasterio Weyarensi Lacum modicum, di- ctum Ostersee cessit, & vicissim prædium in Schlachtheim recepit.

Sacellum S. Jodoci prope Allershusium

§. IV.

§. IV.

Suecus venit in Bojariam: fugit Vitus Adamus.

Invalescit Suecus.

GUftavus, Suecorum Rex, Proteftantium fpes propemodum unica, emenfus mare in Germaniæ terris patentibus ubique portis receptus, tanta velocitate in vaftiffimæ Regionis vifcera victor penetravit, ut jam ad anni 1632. initium, Francofurti à Principibus, Romanæ Ecclefiæ ac Cæfaris hoftibus falutatus, de rebus provinciisque alienis, quidquid lubebat, quafi pro poteftate ftatuerit. Inter civitates alias etiam Ulma ac Norimberga illius poteftati fefe cum maximo tripudio permifere. Norimberga progreffus cum ingenti exercitu Donawerdam in deditionem accepit. Inde ad Lycum delatus Bojariæ propius imminebat. Equidem Maximilianus Elector ripas fluminis citeriores cum fuo exercitu infederat, adeo, ut tam facile Guftavo non effet in Boicam trajicere: verum cum exercitus uterque eminus tormentis curulibus fefe vehementer impeteret, accidit, ut Tillius, copiarum Boicarum fummus Præfectus, fæculi fui Judas Machabæus dictus, lethali vulnere fauciaretur. Par infortunium etiam Aldringero, fupremo rei tormentariæ Præfecto, obtigit: quæ res adeo Bojorum animos perculit, ut reliqui copiarum Præfecti Maximiliano receptum fuaderent. Itaque Maximilianus nocte intempefta cum fuis Ingolftadium fe contulit: Guftavus vero Auguftam in deditionem accepit factis promiffionibus amplis: fed quibus eventus neutiquam refpondit. Memminga deinceps & Nordlinga ad Suecum defecere: non item Ingolftadium: cui cum Guftavus obfidionem admoviffet, adeo exceptus eft à Boicis præfidiariis, ut Regis ipfius fonipes, cui infederat, ictu globi tormentarii conciderit. Scribunt, Guftavum ibi tria fuorum millia defideraffe: certè tandem de expugnando Ingolftadio fpem omnem abjecit.

Venit in Bojariam.

Soluta eum in modum obfidione, cum Maximilianus Bojus Ratisbonam occupaffet, Suecus ad prædas agendas Landishutum movit, ubi facile admiffus grandem pecuniæ fummam extorfit. Frifinga poftea Eidem triginta millia numerare debuit, tametfi miles Suecicus vinum omne, quatuor fcilicet urnarum millia: aliquot etiam fcapharum millia omnis generis frumentorum, cerevifiamque omnem tum abfumpferit, tum effuderit, etiam aula hac direpta, & rebus omnibus, quantumque profunde defoffis, fpoliata. Memorant Frifingenfes chartæ, commode ex ara majori Bafilicæ Cathedralis fuiffe præreptam Matris Apocalypticæ effigiem, quam manu celebratiffimi Rubenfii pictam fuiffe alibi retulimus. Nullum enim nobilius fpolium Frifingæ fperabat Guftavus. Verum fpes eum fefellit. Epifcopus nofter Vitus Adamus jam antehac, fuadente Electore Bavaro, etiam feipfum fubduxerat Innchingam, Frifingenfe in Tyroli municipium, de quo oppido alias fæpius hactenus actum eft.

Frifingam fpoliat.

Poftquam Vitus Adamus in Tyrolin fugit.

Orator Gallicus pro Monachio folicitus.

Cum hic Frifingæ Guftavus ageret, Regis Galliæ Orator, haud ignorans tempeftatem, quæ à Sueco Monacenfi Metropoli immineret, facunda fuada adeo Regem demulfit, ut Is promiferit, fi Monacenfes ultro fefe dederent, nullam Urbis ruinam effe paffuros. Id celeri nuncio Monacenfes commonuit Gallus. Itaque Monachii, ubi nulla fpes erat vicini auxilii, decretum fuit mittere ad Regem, qui urbem offerrent, pacta tamen ejus incolumitate. Decreverat equidem Guftavus ex Principum Acatholicorum confiliis, in ea Urbe exemplum edere Magdeburgenfis excidii, maxime cum non nefciret, quam acria adverfus Lutheri doctrinam confilia in ea Urbe fuiffent hactenus procufa: Verum ftare maluit promiffis, quæ Ora-

Gustavus venit Monachium.

Cui utcunque pepercit.

Oratori Gallo fecerat. Itaque Legatis Monacensibus sponte Urbem offerentibus illuc venit, & suorum furorem coërcuit. Vidit ibi una cum Principibus, quos in comitatu plures numeravit, præclara Urbis decora: demiratus est templorum majestatem ac nitorem, aulæ potissimum Electoralis augustum splendorem. Ritus interim nullos in Ecclesiis turbari passus est: Monasteriis omnibus securitatis tutores milites deputavit. Equidem conclavia ingentia Electoralis Aulæ & Bibliothecæ pretiosis tum thesauris tum codicibus fuere spoliatæ: creditum tamen fuit, id Rege inscio fuisse à Suecis tentatum. Illud vero non ignoravit Rex, æreas machinas centum quadraginta, à Monacensibus absque curulium necessario apparatu in terra improvide defossas, à suis fuisse detectas: quas proinde Augustam avehi jussit.

Deppulatio Provinciæ.

Monachium cogitur lytrum solvere, & obsides dare. Obsidum nomina.

Ruri interim pagi quasi absque numero, & inter hos etiam castrum Eisenhovianum, multique vici Frisingensis juris ad castrum illud pertinentes: in vicinia hac nostra Eutinga, plurimorum prædiorum pagus: Zollinga quoque, Marzlinga, Humbla utraque, Pipinhusium, Burgkhusium, Schlipsa, Engelschalkinga, plurimaque prædia arsere, colonis partim interfectis, partim ob rerum omnium inopiam in nemora fugatis, ubi accedentibus etiam aëris injuriis quam plurimi periere. Monacensibus Gustavus lytrum imposuit ter centum millium Imperialium, quos Daleros vocamus. Octoginta millia numerari debebant præsenti. Pro reliquæ summæ securitate quadraginta obsides Rex accepit ex omnibus Urbis Ordinibus tum Ecclesiasticis, tum Laicis. Obsidum nomina in *Mausoleo Divi Emmerammi* recensentur hoc ordine. D. Antonius Mändl SS. Th. D. & Parochus ad Divam Virginem. P. Georgius Agricola Canonicus Regularis Undenstorffensis. Patres Michael Strobl, & Georgius Graff Firstenfeldenses. Patres Benedictus Hagn, Vincentius Gößler, Liberatus Höcher, & Fulgentius Kirchmair Ordinis Eremitarum S. Augustini. PP. Paulus Albl, Caspar Mayr, Franciscus Sigl Ordinis S. Francisci reformatorum. P. Claudius, Eusebius, Geminianus, & Philibertus Capucini. E Societate Jesu PP. Joannes Lanz, Joachimus Gothard, Andreas Brunner, Christophorus Clezlin, Christophorus Widman, & Adamus Schiferl. Ex Laicis D. Wolffgangus Jacobus Pronner à Pranthausen è Secretiori Urbis Consilio: Paulus Parstorffer, Joannes Rapp, Hartmannus Reischl, & Georgius Perhamer ex reliquo Urbis Magistratu. E civibus Albertus Inderstorffer, Joannes Geyersperger, Melchior Camerloher, Georgius Egetter, Martinus Bücher, Georgius Vogt, Joannes Jacobus Koch, Joannes Aindorffer, Georgius Starenberger, Joannes Hueber, Joannes Stoberl, Ludovicus & Michael Reitter, & Wilhelmus Mayr: qui omnes Augustam perducti deinceps durissima quæque perpessi sunt, cum totius Urbis Monacensis æraria iis redimendis paria non fuerint. Placuit Virorum illorum pro patria tantas calamitates perpessorum nomina hic exprimere, & æviternitati consecrare.

Daniæ Regis consilium irritum.

Cæsareani jungunt se Bojis.

Pugna ad Luzam.

Gustavus cadit.

Cæterum Legatus Daniæ Regis, à quo auxilia Gustavus petierat, Monachii eundem reperit, nunciavitque, Regi suo integrum non esse suppetias Suecis mittere, cum id Lubeccensi tractatui, cum Cæsare inito, adversaretur. Addidit tamen, offerre Regem suum consilia ad pacem cum Cæsare componendam. Verum Gustavus secundissimo rerum suarum cursu fretus nihil horum in animum suum admisit. Cæsareani interim in Bohemia, Saxonia inferiori, Westphalia & Hassia rem præclare gesserunt, tandemque sese Boico exercitui sociarunt. Ea res Comitatui Tyrolensi salutem attulit. Cum enim Succi Ehrnbergensi castro jam-jam imminerent, eorum ductor à Rege jussus est cum suis Norimbergam celerrime regredi, prope quam Urbem Rex copias suas in castra convocaverat. Ex eo tempore per varias provincias multæ velitares pugnæ fuere commissæ, donec tandem uterque exercitus venit in Saxoniam, ubi ad Luzam Mense Novembri acerrimus conflictus fuit secutus. Nox sævissimum prælium diremit. Gustavum tamen ante pugnam nescitur à quo Cæsareano glande plumbea interfectum Sueci ami-

amifere: Cæfareani vero intra prælium interemptum doluere Pappenheminm Ducem, Germanicæ nobilitatis gloriam fempiternam; qui cum de nece Regis Suecorum edoctus fuiffet, gaudio plenus gloriofam animam cælo lubens tranfcripfit. Hujus cladis defcriptionem nonnemo fequenti epiphonemate concludit. *Cafi hac die novies mille referuntur. Abbas Fuldenfis fuit ex eorum numero, fed pugnæ innoxius fpectator.* Ita ille, fed parum honorifice. Non peccaffet hic fcriptor, fi ingenue fuiffet faffus, Bernardum Abbatem ac Principem Fuldenfem, eum crucem pie in *Hift. Salb. pag. 751* hoftem prætuliffet, præter alios multos illuftres pro fide occubuiffe, ut longe fidelius & modeftius Mezgerus nofter tradit.

Vitus Adamus Epifcopus nofter, qui ex confilio Maximiliani Electoris tri- *Redit Vitus Adam.* ftibus cafibus fefe prudenter fubtraxerat, menfe Octobri illius Anni Inchinga domum regreffus eft, ut luctum fuorum præfentia fua, quoad fieri quidem poffet, paterne mitigaret.

Ochenftirniu Regis vices affumi. Guftavo Rege eum in modum è vivis fublato Ochfenftirnius, Sueciei Regni Cancellarius, fummum imperium in fuas ac fœderatas legiones fufcepit. Poterat is facile è Germania fugari, nifi Fridlandus, Cæfarei exercitus fupremus Dux eum Sueeis collufiffet: quæ ipfa caufa fuit, cur Maximilianus Elector Bojariæ rebus melius profpicere non potuerit: unde graviffima mala Bojis incubuere. Superi! quid non eft paffus Ratisbonenfis & Auguftanus Clerus à Succico furore? Auguftanis Catholicis civibus illud folatii Deus reliquit, quod foli faltem noftri Benedictini Afcetæ SS. Udalrici & Afræ ex urbe cum toto reliquo Clero egredi non fuerint compulfi, tametfi loco aliquando cedere, & in Collegium Societatis *Hierarch. Auguft. a pag. 425.* Jefu migrare debuerint. Refert plena manu vir clarifs. P. Corbinianus Khamm Udalricanus, quantis fudoribus fodales fui fuccurrerint eo tempore orthodoxis in ea urbe rebus, de quibus conclamatum fuerat, nifi Deus providentia fua faltem Monachos ibidem fervaffet.

Sereniffima ArchiDuciffa Claudia eo anno in fundo Scarantienfi inter anguftas alpium fauces aggerem erexit, qui hodieque inter præcipua Comitatus Tyrolenfis fortalitia locum meretur. Portam Clandiam hodie vocamus, Germanice *Scharniz.* Epifcopo noftro ea fuper re datæ fuere fequentes literæ:

Wir Claudia von Gottes Genaden verwittibte Ertz-Herzogin zu Oefterreich, Herzogin zu Burgundt, Gräfin zu Tyrol, Landgräfin in Elfafs, geborne Princeffin von Tofcana &c. Als von der Röm. Kay. May. geuolmechtigte Gewaltragerin, und MitVormunderin, bekhennen hiemit offentlich und thuen khundt menigclich, demnach bey denn iezigen emporgehenden feindts-gefahren wir unlengften auf befchechne conditionirte einwilligung des Ehrwürdigen Fürften Herren Veith Adamen Bifchoffen zu Freifingen unfers befonders lieben freundt, eine neue fchantz, auf S. L. grundt und boden in dero Siffts Freyfing aigenthumblichen vnmitlbaren Reichs Graffchafft Werdenfels, nechft an der Schärnitz Pruggen, zu verbiettung des der endts beforgendten feindts einfahl, machen, und S. L. vertröften laffen, deswegen gnuegfame Reverfales von uns zu geben, als wöllen wir hiemit uns offentlich dahin erkhlert haben, das folche aufgrab- oder Schantzbauung dero und befagt ihrem anuertrauten Stifft, an alda habender oberherligkhait, Jurisdiction, noch Grundt und Poden, oder andern juribus zu khainer zeit, den wenigiften einnhalt, præjudiz, oder nachthailliger verfang geben, oder gehehren, noch auch den Werdenfelfifchen Underthonen zu Mittenwalt anhergebrachten Albentrib, und Bluembbefuech, Holzfchlag, oder andern nuzungen, vnfchmerlerlich oder fchedlich

lieb sein solle, Geben zu Ynsprugg under unserm Erzfürstlichen Insigl den Neün und zwaintzigisten Octobris. Anno Sechzehenhundert drey und dreyssig.

Claudia.

Joannes Lintner, m. p.

Ad mandatum Serenissimæ Dominæ Archiducissæ proprium.

J. Arbeisl. m. p.

Subsecuta fuere postea inter pauculos dies aliæ literæ, in hunc modum scriptæ:

Unsern Gruefs und was Wir liebs und guets vermögen zuvor Ehrwürdiger Fürst besonders lieber Freundt. Auf Eur L. mehrmalige begeren undt anhalten wegen der aufgeworfnen Schanzen in der Schärnitz, ainen Revers verfertigen undt zu khomen zu lassen, haben Wür berüerten Revers undter unserer Signatur und Insigl nit alein verfertigt, sonder auch solicher E. L. hiebey geschlosner zukhomen lassen wollen, verhoffente Eur L. sich mit dessen inhalt contentiren, undt desswegen einichen præjudicii zu befahren haben werdten; dero Wür beynebens mit freundtlicher gueten affection wol beygethon verbleiben. Geben zu Ynsprug. den 3. Novembris Anno 1633.

Claudia von Gottes Gnaden verwittibte Erzherzogin zu Oesterreich, Herzogin zu Burgundt, Grävin zu Tyrol, Landgräfin in Elsas. geborne Princessin von Toscana, als von der Röm. Kay. May. bevollmechtigte Gewalttragerin, und MitVormunderin.

Claudia.

§. V.

Ulteriora fata Germaniæ; nova Viti Adami fuga.

Fridlandi infidelitas. WAllensteinius seu Fridlandus cum tam amplis conditionibus receperat supremum in Cæsareanas copias imperium, ut ipse Ferdinandus Cæsar ei sese subjecisse videri potuerit. Militia tamen victoriisque clarus tandem eo prolapsus est, ut jam Cæsareum militem non solum adversus Acatholicos non educeret in aciem, sed etiam hostibus conjungere, & Cæsarem invadere proposuerit, præmium spetare ausus Bohemiæ Regnum. Et jam in societatem præcipuos quosdam Præfectos traxerat, cum tandem ab aliis, consilia illius detestantibus, res tota Cæsari detecta fuit. Ferdinandus itaque Imperator, ut cito præfocaretur meditatum scelus, fidelibus illis copiarum Præfectis Edictum super Fridlandi proscriptione transmisit, ea adjecta facultate, ut cuilibet militum impune esset, si Fridlandum interficeret. Hac obtenta facultate Butlerus, Gordonus, ac Leslæus, copiarum Cæsarearum Præfecti, cum in mora esset vicinissimum periculum, adversus impium Fridlandum in obsequium Cæsaris conjurarunt. Res ita deinceps contigit. Gordonus quatuor Fridlandianæ conjurationis socios ad cœnam invitavit: qui nihil sinistri suspicati comparuerunt. Inter pocula dum læte vivitur, etiam pro salute Fridlandi, ceu absoluti domini, magnis acclamationi-Acriter punitur. bus bibitur. At vero sex ad facinus delecti milites subito in tricliniun illapsi, imo, inquiunt, *vivat Ferdinandus!* Ad eas voces mox etiam alii, quibus id impetatum fuerat, strictis gladiis convivantes hospites aggressi quasi momento interfecerunt. Hæc extra, sed tamen prope Urbem Egrensem die 25. Martii anno 1634. circa mediam septimam pomeridianam gesta fuere. Fridlandus in Urbe morabatur, & in somno nullum periculum somniabat. Interea tamen dum diversorium ipsius militibus undique cingitur, miles quidam Cæsareanus, natione Hibernus, cum sex aliis in Fridlandi cubiculum irruit, eumque solo indusio tectum, & per fenestras prospectantem impacta in pectus hasta prostravit. Hic finis Interficitur. Fridlandi fuit: post quem etiam alii perduellionis socii extremo supplicio fuere affecti: aliis vitæ gratiam Cæsar fecit.

Sublato eum in modum Fridlando summum militare imperium Cæsaris filius cognominis Ferdinandus, Bohemiæ Hungariæque Rex feliciter adiit, faustissimis acclamationibus à militibus salutatus. Is statim exercitum Cæsareum è Bohemia eduxit, cum Boico sociandum.

Landishuti furunt Sueci. Interim Bernardus Weinmarius varia clade nostris; varia etiam à Joanne Werthio nostro sibi illata, per Frisingam in Bojariæ interiora redux, Landishutum convolavit, ut Catholicorum Principum, qui arcta obsidione Ratisbonam premebant, consilia tantisper eluderet. Ea irruptio Urbi illi vix non ultimum exitium attulit. Weinmariani enim mœnibus potiti ita in Landishutanos desævierunt, ut, ex Adelzreitteri opinione, effigiem calamitatis nullus stylus possit æquare. Poterat propugnari urbs illa, cui Maximilianus duodecim militum millia suppetias miserat. Sed motosior fuit eorum ductor, ut adeo Urbs nobilis dirissimis satis Vitus Adamus iterum fugit. fuerit obnoxia. Vitus Adamus Episcopus noster, de Weinmarii itineribus matre edoctus, Titmoningam, Salisburgensis ditionis urbem, fugam acceleravit.

Urbs Frisingensis, jam nuper gravissime sauciata, rursus quinque florenorum millia Weinmario transeunti pendere debuit. Ejus copiæ omnem, quæ Frisingæ supererat, annonam absumpserunt, & spolia nova extorserunt. Frisingæ iterum vexatur.

Felicius res Catholicorum gestæ sunt prope Ratisbonam, quæ urbs post semestrem obsidionem dedere sese coacta est. Secuta fuit paulo post Weinmarii ad Nordlingam clades maxima, ipsiusque urbis deditio. Et vix non actum erat de Suecicis molitionibus, nisi Rex Galliæ Suecorum animos erexisset. Ratisbona à nostris recipitur. Weinmarius cæditur.

Cæterum Bavariam nostram eo anno (Christi 1634.) pestis gravissima invasit, ex fame oborta. Cum enim Sueci jam antehac pagos sine numero diripuissent, & incendiis vastassent, non erat in Bavaria, unde vitam sustentare possent, qui ex cædibus & ærumnis supererant. Scribit supra laudatus Finckius testis oculatus, eo anno vix fuisse in pagis numeratas personas viginti residuas, ubi antehac quadringentæ recensebantur: ac deficientibus eum in modum colonis prædium, quod ante hac bis mille florenis vendi poterat, eo anno septuaginta, aut summum octuaginta florenis comparari potuisse. Addunt alii, quod facile credimus, agros cœpisse silvescere: idque plura per Bojariam chartaria, imo & vestigia testantur. Pestis in Bavaria.

Præcipuum in eadem nostra Bojaria funus fuit Mechtildis, Alberti Ducis conjux, Alberti Sigismundi, futuri Administratoris Frisingensis Mater, quæ Laufsingæ, Salisburgensis ditionis urbe, quo se pestis vitandæ causa contulerat, piissime fatis concessit, ad aram B. V. Oetingæ tumulata. Vitus Adamus Episcopus noster ob metum pestis, Titmoningæ perstitit. Urbs Monacensis eo anno quindecies mille funera extulit.

Serenissima Bojariæ Electrix Elisabetha declinandæ contagionis causa ad Ranshoviense Monasterium una cum Serenissimo Marito Maximiliano Electore confugerat: mortem tamen non effugit, die 4. mensis Januarii Anno 1635. defuncta. Ejus exuviæ mense Aprili Monachium fuere reductæ, & in hypogæo Templi S. Michaelis reconditæ.

Pacem cum Imperatore jam dudum exoptaverat Serenissimus Saxoniæ Elector, cum optime perspectum haberet, ex Germaniæ ruinis nonnisi Gallorum atque Suecorum fortunas crescere. Ea pax demum Pragæ die 28. Jun. Anni 1635. conclusa est, cui etiam Urbes Norimberga, Erfordia, Francofurtum ad Mœnum aliæque plures, & quidam etiam ex Principibus adhæserunt. Augusta, cui commeatum annonæ Maximilianus Elector intercluserat, atrocissima fame urgente Cæsari se permisit, longe honestiores, quam sperare poterat, conditiones deditionis consecuta. Pax cum Saxone.

Non defuere interim alii Protestantes Principes, qui paci bellum præferrent, & caput Imperii Cæsarem ulterius lacessere cuperent. Fomitem improbo ardori Sueci ac Galli præbuere. Unde eodem adhuc anno passim quamplures pugnæ fuere commissæ varia fortuna, cum aliquoties Sueci, aliquoties etiam Cæsareani prævalerent. Maximilianus Elector noster eodem anno Viennam profectus Mariam Annam, Ferdinandi Cæsaris filiam plaudente Augustissima Aula in thorum suum adscivit, atque in Bojariam traduxit. Alibi nulla pacis consilia. Nuptiæ Maximiliani Electoris.

Episcopus noster eo anno quamdam bonorum commutationem cum Collegio Cathedrali fecit. Literas in partem alteram differimus. Joanni Rotensi Abbati Episcopus mandavit, ut pro recens erigendo S. Sebastiani Sacello prope Rosenhemium primum lapidem juxta Pontificias leges collocaret. N. 414. N. 415.

Pestilentia, de qua supra diximus, inter alia loca etiam duplicem viculum, unius horæ spatio Tolzio distantem, dictum superiorem & inferiorem Puechaugiam, vehementer corripuerat. Mortuorum cadavera tum ob multitudinem, tum ob distantiam à Parochiali Ecclesia Königsdorffensi ad ordinarium cœmeterium commode portari non poterant: quæ idcirco omnia in agro quodam vicino condita Novum Sacellum in Puechau, districtus Benedictoburani.

dita fuere. Qui superfuere coloni, suorum funeribus pie parentaturi, accessere Episcopum nostrum, eidemque supplicarunt, ut facultatem sibi indulgeret super dicto tumulo in honorem B. Virginis Deiparæ Sacellum construendi, & congruis proventibus dotandi. Id equidem concedere Episcopus paratus erat; sed quia monitus fuerat, proprietatem fundi illius tumuli non ad ipsos colonos, sed ad Monasterium Benedictoburanum pertinere, ita ut Abbatis etiam consensus esset necessarius, præcipue cum etiam judiciaria in locum potestas ad eundem spectaret, jussi sunt Puechavienses consensum ab eo petere. Hunc ut citius impetrarent, supplicarunt Episcopo, ut negotium suum Abbati (Waldramus is erat, eo no-
N. 416. mine secundus) commendaret. Rursus annuit Episcopus, & eidem Cœnobiarchæ Rusticorum vota exposuit. Hic etiam lubens preces subditorum exaudivit. Extat etiamnum dictum pervenustum Sacellum non sine singulari commodo atque solatio tum Puechaugiensium tum adjacentium colonorum, quippe qui antehac ab omnibus aliis Ecclesiis remotiores fuerant, nunc vero sæpius Divina domi percipere possunt & solent. Id contigit Anno Christi 1636.

Varii belli eventus. Sueci eo anno Saxonem, Cæsari conciliatum, omnibus viribus conati sunt evertere: verum, tametsi varias ei clades intulerint, non tamen sine cladibus ipsi fuere. Cæterum eodem anno rursus victoriæ quædam penes Gallo-Suecos, aliæ penes Cæsareanos stetere.

Nativitas Ferdinandi Mariæ. In comitiis Ratisbonensibus Maximiliano Electori nostro in Festo Divi Wolffgangi ad summam non Serenissimorum Parentum modo, verum etiam ipsius Augustissimi Imperatoris, ceu avi materni, lætitiam natus est Serenissimus Ferdinandus Maria Franciscus Ignatius Wolffgangus, futurus in Electoratu Boico Successor, quem sacris undis Vitus Adamus Episcopus noster ritu festivissimo tinxit. Auctarium ingens Cæsareo solatio addidit Ferdinandi filii in Romanorum Regem electio & coronatio, quæ mense Decembri contigere. *Eligitur Ferdinandus III.*

Vitus Adamus Episcopus, tametsi ærarium pene esset exhaustum, agros nihilominus quosdam prope Gunzenhusium pagum comparavit. Salisburgi pestis tertiam indigenarum partem eo anno absumpsit.

§. VI.

Acta publica ac privata ab anno 1637. usque ad 1640.

FErdinando Rege, ejus nominis tertio, jam nuper Ratisbonæ coronato, etiam ejusdem conjugi Mariæ, Philippi III. Hispaniarum Regis filiæ, Ratisbonæ in Ecclesia Cathedrali die 7. mensis Januarii 1637. corona Regia cum omnium applausu fuit imposita. Interfuit ei festivitati Cæsar ipse, qui tamen eodem adhuc mense paulatim male habere cœpit. Quod ubi advertit, mox Viennam contendit, ubi etiam die 15. proximi mensis Februarii sanctè in Domino quievit, Princeps pietate incomparabili. Regni habenas post eum filius, Ferdinandus III. capessivit. *Mors Ferdinandi II.*

Sueci fugantur usque ad mare. Interim Moguntinus Elector, ceu S. R. J. Archicancellarius omnem lapidem movit, ut Sueciæ Cancellario pacem persuadere posset, verum irrito conatu. Adeo enim Suecis Germaniæ spolia sapiebant, ut nonnisi de bello instaurando consilia agitarent. Sed parum feliciter militarunt, circa finem anni usque ad mare Balticum à nostris rejecti. Episcopus noster eo anno varias suorum tum Laco-

poli-

politanorum tum Waidhovensium civium controversias sustulit, & quæstiones decidit.

Deinceps Anno Christi 1638. rursus Cæsar Viennæ, Sueci Stockholmiæ, alii Francofurti ad Mœnum, Lipsiæ, Vratislaviæ, Norimbergæ de restituenda pace consultarunt. Verum calores Suecorum, qui fœderatis Gallorum armis toti nitebantur, nondum deferbuerant. Hinc rursus prælia nova magno ardore fuere conserta non sine jactura Cæsareanorum, maxime postquam etiam Brisacum fuit expugnatum. Gallorum ope redeunt.

Maximilianus Elector naves, annona pro milite refertas, adverso Danubio ad superiores partes vehi jusserat. Verum adversos sensit Ratisbonenses cives, qui ad pontem suum, ingenti artificio è saxis constructum, navigiis sese objecerunt, ut militi Catholico victum adimerent. Verum egregie sese desipuisse brevi edocti sunt. Maximilianus enim adhibitis nonnisi quinque equitibus omnem commeatum urbi circumquaque interdixit & sustulit. Inde statim ingens in Urbe annonæ exorta caritas cives adegit, ut maluerint conciliari Maximiliano, quam cum quinque illis excubitoribus bellum gerere. Ratisbonenses lepide castigantur.

Bojariæ Episcopi eo anno hortante Maximiliano Electore decreverunt, ut dies Præsentationis ac Visitationis B. M. V. deinceps omissis operibus servilibus festive celebrarentur. Eidem Principi Electori Serenissima conjux Maximilianum Philippum, filium secundo genitum, feliciter enixa est.

Quæstiones novæ super juribus venandi, ac limitibus inter Serenissimam Domum Bavaricam & Episcopum nostrum ab aliquot annis agitatæ, eo anno finem sortitæ sunt. Tractatus ille in literas fuit relatus.

Annus Christi 1639. die 17. Aprilis Vito Adamo concordantibus Cathedralis Collegii suffragiis Adjutorem dedit Albertum Sigismundum, ex Serenissima Domo Boica, Patre Alberto, Avo Wilhelmo V. Matre Mechtilde, Leuchtenbergensis Landgraviatus hærede, progenitum. De Electionis confirmatione Apostolica suo loco dicemus. Albertus Sigismundus fit Adjutor Viti Adami.

Vitus Adamus mense Majo à novo Imperatore missis Viennam Henrico Wilhelmo Halweil Barone Leonrodio, & Vito Sartorio, J. U. D. sæcularia hujus Principatus jura in fidem accepit. Literis nomen suum ipse Imperator apposuit. Episcopus noster eodem anno Sacellum S. Nicolai in Dürnhart Monasterio Rotensi univit. N. 417.

Bernardus Dux Weinmarius tot hactenus victoriis clarus die 18. mensis Julii bellare desiit, in tumulum lapsus. Catholici eum merito flagellum Germaniæ dixerunt. Ejus copiæ militares postea Gallorum castra & imperia secutæ sunt. Mors Weinmarii.

Vitus Adamus eo anno iterum cum Bojariæ Electore, nec non cum Regimine Oenipontano controversias quasdam super limitibus Comitatus Werdenfelsensis feliciter absolvit.

Fervebant etiam anno Christi 1640. Cæsareanos inter & Suecos, eorumque fœderatos prælia varia, dum rursus alibi de pace restituenda deliberabatur. Cum vero rursus spes concordiæ nulla appareret, Cæsar Ratisbonam ad nova comitia Imperii Ordines convocavit. Institit etiam apud Summum Pontificem Urbanum VIII. ut Galliarum Regem ad saniora pacis consilia flecteret: apud Regem vero Daniæ, ut Suecis pacem suaderet. Electorum quoque Imperii studia non deerant ad restaurandam concordiam. Verum omnes ii conatus nihil profecerunt. Galli, ac Sueci, in turbido alieni soli piscari dudum edocti, & quidam etiam Germaniæ Principes iis tenacissime juncti non solum Catholicorum amicitiam non ambierunt, sed rursus correptis armis insolenter etiam postularunt, ut sibi, ceu Germanicæ libertatis egregiis vindicibus à Cæsare satisfieret. Hæc in Suecis non miramur; miramur tamen in Gallis Catholicis; magis vero in Germanis ipsis, qui toties icti nolebant sapere, sed malebant spes suas externis fulcris imponere, Irrita pacis studia.

&

& ut in Germaniam atrocibus hoſtibus ſemper aditus pateret, ultro ſua ſtudia conferre, cum, ſi firmus fuiſſet inter Imperii Ordines nexus, ipſa Germania ſummo ſuo bono facile ſeſe omnibus Europæ populis opponere, & victorias bellicoſiſſima gente dignas ſperare potuiſſet. Bohemiam eo anno Cæſareani à metu Bannerii, Suecici Archiſtrategi, feliciter liberarunt. Intra Bojariam noſtram, à Suecis deſolatam, eo tempore tempeſtas ſerenior tantiſper illuxit. Nihil enim turbarum in citeriori Danubii parte exortum eſt. Epiſcopus noſter anno Chriſti 1640. Monaſterio Cellæ Dietrami inſigni clementia ſequentem gratiam contulit datis literis, quas ſtatim hic inſerimus, prout à Reverendiſſimo D. Petro Præpoſito fuere nobiſcum communicatæ, è quibus non modo Monaſterii illius, verum etiam viciniæ ſtatus aliquantum dilucidari poteſt. Sic itaque habent:

Von Gottes genaden Wür Veith Adam Biſchoue zue Freiſingen &c. Bekennen hiemit und thuen kundt Jedermeniglichen, Demnach uns der wirdig in Gott andechtige unſer lieber getreuer Georgius Probſte des Gottshaus und Cloſters DietrambsZell ſeines ernant anvertrautten Cloſterls gar ſchlechtes Järliches einkommen: Item wie das wegen ſeiner, durch Khriegs-und Sterbs ruin, verbrent und verderbter grundundterthonen, das Einkommen noch mehrer geſchmelert, das Cleſterl ſelbſt von Freind, und Feind uf das march zu underſchidlich mahlen ruiniert, vber das ſelbiges vor drey Jahren, unwiſſent woher ſambt zween Mayrhöfen, deren ainer aus hauſelikheit zu poden geſahlen, mit anſehlich ſchöner Bibliothec, Veſtiario, und all anderer Haus-Nottdurfft in drey viertl Stundten in die aſchen gelegt, und in dem er angezognes Cloſter in etwas undter das tach gebracht, in groſſen ſchulden-laſt, wegen der handwerkhsleith, diener und Ehehalten, der zeit als zu hoch geſpanten lohns, eingeſiehrt worden, und weillen dem Cleſterl von der angehorigen Pfarr Tankirchen iährlichen nur ain dritthail zehent eingehe, hab es iedoch an dennen vorm gebirg herumligenten rauhen orthen viller ſich begebenter ſchaur, langwirig Regenwetters, und heiffig habendter Schnee halber, und in dem Winter gar nichts kan gebaut werden, offtermahl gar wenig zu genieſſen, dahingegen mieſſe man bey geregter eingehoriger Pfarr, und denen darzue gehorigen Filialen ſtetts vill labores, aber darvon gar wenig einkommens oder cecompens zugewartten haben, mit mehrerem demietigiſt zu erkennen geben, underthenigiſt gehorſambiſt bittent, umb das wür ihme Probſten und ernantem ſeinen abgebronnenen Cleſterl und Gotteshaus, ſelbiges widerumb in etwas wenigs aufzuerbauen und in ſein eſſe zu bringen, des Cleſterl eingehörige Pfarr als Tankirchen, und deren eingehörigen Filialen, welche lauth bey handen habenten Prieſterlichen Urkundten, als Bullæ Papalis Pauli ſecundi, de dato octavo Calendas Julii aintauſent vierhundert ain und ſibenzig Incorporationis factæ ab Alberto Epiſcopo Friſingenſi proxima feria poſt Feſtum Chriſti Anno aintauſend dreyhundert und achte tam in temporalibus quam in ſpiritualibus, dem Cleſterl ohne das immediate incorporiert iährliche geföhl ad fabricas gewidmetes einkhommen, zehent, gietter, und underthonen, damit alles dem Cleſterl appliciert, und zu deſſen nutz angewent wurde gnedigiſt conſentiren wolten, auf das er ſowoll die bedeute Pfarr ſambt deren eingehörigen Filial-Kirchen, gleich als ſein ernantes Cleſterl und Gottshaus in etwas erſchwingen, und ewig darvon erhalten: item die ehr und dienſt Gottes befordern, das Convent ſtorkhen: auch Monaſticam Diſciplinam darbey fortpflanzen möchte: wie er Probſt dan darbey verſprochen, der mehr ernanthen Pfarr- und Filial-Kirchen, an allen nothwendigen dingen genugſamb vorſehung zuthuen, dariber auch das ienige, was dan uns und unſerm Biſtumb, von alters Recht, brauch und gewohnheit herr zuſtendig, gehorſambiſt auszurichten, und zu laiſten. Wan Wür dan in anſeh-und erwegung ſeines Cloſters und Gottshaus armuthei, und vbl beſtelten weeſen, darneben aber ſein groſſe begierd und verlangen demſelben wiederumb ufzuhelffen, auch die Ehr und dienſt Gottes mehrers zu befirderen, ihme ſolches ſein zu Ehr, und dienſt Gottes, auch des Cleſterls haill, wolfarth und aufnemmen geraichtes vorhaben gnedigiſt und gern befirdert ſechen, und vergohnen wolten. Hierauf verleichen, conſen-

sentiren, und wöllen Wür hiemit und in crafft dis unser Consens-brieffs, so vill uns als Ordinarien Loci zu thuen zustehet (doch salvis omnibus & singulis Juribus Episcopalibus) das nemblich ernantem Probsten, seinen anvertrautten Gottshaus, und Closter, wie auch allen seinen Nachkhommen mehrernanter Pfarr Tankirchen und deren Filialn all und iede derselben iährliche Kirchengefohl ad fabricas gewidmetes einkhommen, zehent, gietter, und vnderthonen, auch was sonsten diser Pfarr von Rechtswegen zueständig, solchergestalten appliciert sein, das er und seine nachkhommen nun hinfüran zu ewigen zeiten, mit allen ernanten Kirchengefohlen, Einkommen, Zechenten, Gietter, und vndertkonen, und alle andere zugehör, der mehrbesagten Pfarr- und Filial-Kirchen auch seinem Closter und Gottshaus, zu mehrer beförderung derselben Wollfarth, aufnemen, auch der Ehr und dienst Gottes, der Gebihr und schuldigkheit nach disponiren, handlen, thuen und lassen soll und mag, als mit anderen seines Closters aigenthumblichen Giettern und vnderthonen, ohn unser oder meniglich von unsertwegen, wer der imer sein mag, irrung, hindernus, und eintrag, und nachdeme vorhero seinem versprechen nach, der Pfarr und derselbig eingehörigen FilialKhirchen, in ainem, so andern, aller nothwendig versechung ohn allen abgang werde beschehen sein, als dan die eribwrigte gefohl und einkhommen, zu dess Closters und Gottshaus DietramsZell zu forderist des nothwendigen Paus, und anderer derselben nothdurfft, dan dessen Wollfarth und aufnemmen, zu Ehr und dienst Gottes verwenten soll und mag. Dess zu wahremvhrkund haben wir disen Consens-brief mit aiguen handten underschriben, und unser zu denen geistlichen sachen verorduete Canzley-Secrete hier anzehangen bevolchen. Geben in unser Bischöflichen ResidenzStatt zu Freising den dritten Monaths-tag Februarii, als man zelt im ain dausent sechshundert vierzigisten Jahr.

Veit Adam.

§. VII.

Tumultuum publicorum, & Actorum domesticorum continuatio usque 1644.

AD initium anni 1641. Ferdinandus Imperator una cum Principibus, Principumque Legatis adhuc Ratisbonæ morabatur, ubi curas omnes impendit, ut pristinam tranquillitatem in Imperium reduceret: cum ecce! Bannerius supremus militiæ Suecicæ Præfectus magnis itineribus per Thuringiam & Misniam in Palatinatum superiorem contendens, occupato Chamo *, Glattavia, Sulzbaco aliisque locis ad ipsa Ratisbonæ mœnia die 21. Januarii penetrat, Cæsarem congregatosque pacis studio Principes aut intercepturus, aut disturbaturus, Boicamque rursus vastaturus, ad quam aditum sibi ex glacie, qua Danubius obductus erat, sperare poterat. Verum eventus minime respondit jactabundis votis. Cum enim interea Cæsar Urbi longe validius præsidium imposuisset, ipse Bannerius Chamum: Schlangius vero, alter Suecorum ductor, cum suis ad Neoburgum ad Sylvam Bohemicam se recepit. Prope erat, ut Bannerius cum suis

Bannerii Sueci consilia.

* Kamm.

Frustratur.

Chami opprimeretur à Cæfareo & Boico milite, qui clam congregatus jamjam Chamo imminebat: fed Bannerius tandem unica ante militum adventum hora rem edoctus, fpatium habuit fe fubducendi. Id vero fata non permifere Schlangio, qui à noftris circumfeffus tametfi aliquantifper fortiter pugnaret, tandem tamen fefe cum fuis omnibus dedere coactus eft. Schlangius ipfe, ac reliqui Præfecti militum omnes Ratisbonam in triumphum fuere abducti, ut viderent Cæfarem, cui tam animofe infultaffent. Bannerius ferrum equidem eo anno tandem effugit, non item mortis imperium, cui die 20. May ejus anni fuccubuit.

Conventus Ratisbonenfis. Ratisbonæ poft dimota feliciter pericula præcipue deliberabatur de *Amneftia*, feu generali oblivione & condonatione omnium injuriarum damnorumque mutuo illatorum. Hanc maxime urgebant ii Principes, qui Cæfarem præfractius laceffiverant. Iis oppofuit Saxoniæ Elector, cur fidelibus Imperii Statibus cuperent æquiparari, qui tamen junctis cum Imperii hoftibus armis Cæfarem acerrime provocaffent?

Inutilis. Ejusdem mentis præcipue erat Imperator. Hinc equidem die 20. menfis Augufti publicata fuit *Amneftia* cum certis reftrictionibus, quinam, & quanam ratione ea gaudere poffent. Cum vero eæ reftrictiones non arriderent omnibus, quorum intererat, & exigua fpes pacis appareret, folutis Comitiis de bello inftaurando Principes pro fuo quisque ftudio domi confilia iniere.

Cæfar divertit Monachium. Durantibus Comitiis tum Cæfar ipfe una cum Augufta conjuge, tum Leopoldus Archidux, Cæfaris frater, ad levanda tantifper rerum tractandarum faftidia Maximilianum Electorem noftrum inviferunt Monachii, ubi dies aliquot pofitis curis, animos relaxarunt, fplendidiffime ab Electore habiti, ac demum, univerfa Aula Boica comitante, Dachavium ufque in difceffu deducti.

Triftis is annus Hifpaniæ fuit ex feceffione membrorum à capite. Catalauni cum à Præfecto Hifpano impotentius regerentur, ad Galliæ Regem defecerunt: Lufitani Bragantinum Ducem Regem fuum dixerunt: qua occafione deinceps odia ac bella acerrima invaluerunt.

Frifingæ eo anno Epifcopus nofter Ecclefiam RR. PP. Reformatorum Ordinis S. Francifci fecit ampliorem, cum id populi ex vicinis etiam pagis confluentis frequentia poftularet.

Alberti Sigismundi confirmatio. Ad annum Chrifti 1642. Romæ hæc fuere annotata. *Anno 1642. fer. II. die 10. Martii Roma in Confiftorio Secreto Referente Reverendiffimo Cardinale Sabello SS. D. N. admifit electionem factam à Capitulo Ecclefiæ Frifingenfis in Coadjutorem cum futura fucceffione in perfonam R. D. Alberti Sigismundi ex Ducibus Bavariæ, Canonici ejusdem Ecclefiæ Frifingenfis in decimo octavo fuæ ætatis anno conftituti, & antea, dum in decimo fexto anno effet, per eandem Sanctitatem fuam ad Ecclefias Epifcopales & Archiepifcopales fuper eodem defectu ætatis difpenfati ad ipfam Ecclefiam Frifingenfem ex perfona moderni Epifcopi quovis modo vacaturam, fupplendo juxta petita dicti Capituli quoscunque defectus, fi qui in electione præfata quomodolibet intervenerint, & attenta electione præfata indulgendo eidem R. D. Alberto Sigismundo, ut Domino moderno Epifcopo cedente, decedente, aut alias dictæ Ecclefiæ quomodolibet præeffe definente, ad ipfam Ecclefiam acceffum libere habere poffit, cum decreto, quod vivente Epifcopo, vel etiam fecuta quomodolibet vacatione dicti Epifcopatus adminiftrationem fpiritualem ante annum ætatis trigefimum exercere non valeat, nec temporalem, nifi poft completum vigefimum quintum, juxta formam Decreti Congregationis Rerum Confiftorialium defuper emanati die 5. Sept. 1640. in cedula inferendum, quod in omnibus fervari voluit, & mandavit, abfolvens &c. cum claufulis &c.* Hæc ibi.

Cæterum idem annus Cæfari & Catholicis Principibus perquam infauftus fuit, quando nihil fere nifi de cladibus noftrorum, & quidem gravibus: nec non de expugnatis ab hofte præcipuis fortalitiis ac provinciis nunciabatur. Bojaria tamen noftra domi nihil admodum paffa eft. Gratulari tamen fibi debuit electionem Ma-

Maximiliani Henrici, & Alberto Patre, & Wilhelmo V. Avo Ducis Bavariæ, Alberti Sigismundi fratris, à Metropolitano Collegio Coloniensi factam, qua is Ferdinando Archiepiscopo & Electori datus est adjutor, eidem in sacra illa Sede successurus.

Ferdinandus Imperator gratiam, olim Anno 1610. 2. Junii Ernesto nostro merito concessam: & anno 1619. 6. Octobr. ipsi Vito Adamo nostro confirmatam, eidem rursus asseruit.

Idem annus duo præcipua funera vidit, nempe Mariæ Medicææ Galliarum Reginæ, quæ odio Richeliani ministerii exul Coloniæ è vita migravit: & ipsius Armandi Cardinalis Richelii, qui hodiernæ potentiæ Gallicæ fundamenta jecit. Hos statim sequenti anno Christi 1643. ad tumulum secutus est Rex ipse Ludovicus, qui mense Majo, eadem die, qua ante annos 33. patrem sicarius interemerat, mortuus est.

Idem annus Catholicæ rei faustis infausta miscuit. Infeliciter pugnarunt in Saxonia Cæsareani, felicissime Boji prope Dutlingam, ubi victoriam è Gallis completissimam, & quidem incruentam, die 24. & 25. Novembr. una cum prædis selectissimis, omnibusque belli instrumentis cum immensa gloria reportarunt.

Vitus Adamus eo anno renovationem quorundam in Austria jurium obtinuit: N. 418. cum Duce Electore vero Bavariæ rursus exactam limitum Comitatus sui Werdenfelsensis descriptionem fecit: quam plures etiam fundos Marzlingenses, Zollingenses, Burkhusianos & Pippenhusianos, colonis atque emphyteutis ob pestem & bella destitutos desolatosque in suos usus tantisper convertit. Facultatem denique eos, N. 419. qui à novatoribus seducti à Religione Catholica defecerant, communioni Ecclesiæ Catholicæ restituendi Roma impetravit.

Mirum sane est, potuisse funesto illo tempore à Valentino, Weyarensis Monasterii Præposito vigilantissimo, erigi Seminarium pro juventute bonis literis ac moribus probe excolenda. Institutionem illam Vitus Adamus Episcopus noster anno 1643. laudavit, confirmavitque: neque defuere, qui ad opus laudabile liberalem opem conferrent.

§. VIII.

Nova Viti Adami fuga & reditus. Finis belli Suecici.

DUm acerrimis odiis Sueci & Galli in Catholicos desæviunt, non defuere, qui pacis consilia diffidentibus proponerent. Illud vero nemo alius partibus efficacius persuasit, quam populorum ex bellis acerrimis tamque diuturnis oborta summa calamitas. Urbes itaque Westphalicæ Monasteriensis, atque Osnabrugensis delectæ fuere, in quibus de restauranda tranquillitate & revocanda veteri amicitia ageretur. Itaque sub initium anni 1644. convenere Monasterii tum Imperatoris, tum Hispaniæ atque Galliæ, ipsiusque Sedis Pontificiæ, atque Reipublicæ Venetæ Oratores: quos tardius secuti sunt legati Catholicorum Electorum, & inter hos missi à Serenissimo Bojatiæ Duce Baro Haslangius & Doctor Krebsius. Acatholici vero Oratores Osnabrugum, octo milliaribus Germanicis Monasterio distantem Urbem sibi elegerunt, ubi de conditionibus pacis deliberarent. Porro cum eo anno nonnisi lenta consilia inirentur, aliud effici non potuit,

Deliberatur de pace.

ruit, quam ut mutua partium postulata proponerentur. Cæterum cum dissidentium pars utraque conditiones pacis honestissimas sibi exoptaret, quas nonnisi ferro impetrari posse certum erat, acerbum bellum iterum recruduit: & Galli quidem in Suevia instaurarunt prælia, quibus insignes clades, quamquam minime incruentas, Boji intulere. Sueci vero, qui Daniæ Regem Imperatori justo æquiorem censebant, Daniam præter omnium exspectationem invaserunt, stragesque ediderunt ingentes. Cæsareani ea occasione strenue usi urbes multas, quas in Germania Sueci occupaverant, receperunt. Verum ne Danis potentem opem ferre possent, excitatus à Suecis Transylvaniæ Princeps Ragozius obstitit, qui sub obtentu læsæ Hungariæ libertatis septuaginta militum millia in aciem adversus Cæsarem eduxit. Et ejus quidem impetum Comes Puchenius, numero licet militum longe inferior, egregie sustinuit: interea tamen divisis Cæsaris armis Sueci rursus in Germaniam irrumpentes Cæsareas Galassii copias fortiter obtriverunt, & in fugam conjecerunt. Non desunt tamen, qui existiment, Bellonam eo anno magis favisse Catholicis, quam juratis eorum hostibus Suecis, eorumque Sociis fœderatis.

Bellum tamen continuatur.

Die 29. mensis Julii obiit Urbanus VIII. Pontifex Maximus, annis 21. clavum Ecclesiæ tanta prudentia moderatus, ut magna Europæ pars, Italia potissimum cruentis bellis non involveretur. Ei post spatium 46. dierum successor datus est è Pamphilia gente Joannes Baptista Cardinalis S. Eusebii, qui Innocentii X. nomen sibi adoptavit.

Urbani VIII. obitus.

Electio Innocentii X.

In Frisingensibus rebus ad eum annum nihil reperio, quam quod Episcopus noster cum Neocellensi Præposito aliqua prædia permutaverit.

Anno 1645. dum pacis consilia apud Westphalos tarde procedunt, Præfecti militum utriusque partis belli consilia acerrime exacuerunt. Sueci rebus cum Dano compositis in Bohemiam progressi notabili clade prope Jankaviam affecerunt Cæsareanos: qui, cum victoria jamjam potiti essent, prædis intenti spatium hosti dederunt, ut suos in ordinem redigeret, & palabundos prosternere posset. Neque segniter victoria usus Suecus miles transcursa subito Moravia Crembsium usque & Steinam penetravit, & urbi utrique ingentes calamitates attulit. Feliciora iterum prælia conseruere cum Gallis Boji nostri, maxime prope Herbsthusium, ubi Gallorum exercitum tanta virtute profligarunt, ut nonnisi pauci ferro sese subduxerint, quam plurimi vero, etiam præcipui tribuni cum spoliis ingentibus in Boicam potestatem venerint. Pugna nova cum Gallis secuta est ad Allershemium, ubi victoria utique rursus penes Bojos stetit, ast Mercio, Bojorum Archistratego, palmis plurimis celebratissimo plane cruenta. Ajunt, Gallos magis de morte fortissimi Herois sibi gratulatos, quam de clade suorum fuisse solicitos.

Cæsareani profligantur a Suecis.

Galli à Bojis.

Secutus est annus Christi 1646. quo Galli ac Sueci in loco comitiorum tam dura, Catholicisque, ac maxime Cæsareæ Majestati tam iniqua postularunt, quæ iis concedi nullis modis poterant. Præcipue (ut rei summam compendio dicamus) urgebant, ut in Romano Imperio omnia ad eum statum revocarentur, in quo ad belli initium, scil. anno Christi 1618. fuerant constituta. Equidem Orator Cæsareus complura annuerat, quæ Catholicis intolerabilia videbantur. Verum cum Protestantes & Galli semper majora ac majora urgerent, tandem nihil actum est.

Insolentia Gallorum.

Sueci eo anno rursus in Sueviam usque perruperunt, & Nordlingam atque Donawerdam, aliaque ad Danubium loca interceperunt. Rhainam progressi fortalitium illud ad deditionem coëgerunt. Episcopus noster rursus fugere compulsus, Titmoningam iterum se contulit: quo se feliciter ærumnis subducente Frisinga nostra iterum Suecorum direptioni patuit, qui ne quidem in ipsa Cathedrali Basilica humano sanguini pepercerunt. Tristem illam catastrophen etiamnum sentit Collegiata Divi Andreæ Ecclesia, multis chartarii sui instrumentis spoliata,

Iterum fugit Episcopus noster.

Frisinga rursus diripitur.

uti

uti nobis à viris gravibus relatum fuit. Tristissima sane per Bojariam rerum facies in parte hac Cis-Isarana erat, ubi residui pauci coloni metu hostium sedibus suis desertis trans Isaram: quidam etiam ultra Oenum profugerunt, etiam armentis secum abductis. Monachium institutis ad Deum publicis precationibus, & profusa in fugitivos colonos liberalitate servatum est.

Suecicus miles deinceps Augustæ imminebat. Sed fortiter rejectus à Boico præsidio obsidionem solvit, iramque Fridbergam transtulit, quam Urbem in oculis Augustanorum positam una cum pagis quibusdam vicinis incendio delerunt. Interim Leopoldus Archidux superato prope Straubingam cum copiis suis Danubio Landishutum, Mospurgum, & Frisingam venit, Fridbergam contendens, quam etiamnum ex incendio fumantem conspexit. Sueci interim Landspergam & Weilhemium, vicinosque vicos & Monasteria diripuerunt. Campidonam postea contendentes, ibi à Bojis cladem equidem insignem passi sunt, nec tamen præliis atque rapinis modum posuerunt tam felici armorum progressu, ut anno Christi 1647. etiam Brigantium, munitissimum natura & arte oppidum, in quo omnes propemodum Sueviæ thesauri erant reconditi, brevi tempore subegerint: hyberna etiam in ea vicinia nacti. Bohemi eo anno Ferdinandum IV. Regem consalutarunt. Ulterior Suecorum furor.

Eo tempore cum Maximilianus Elector Bojariæ Cæsari generales inducias persuadere non posset, ipse cum Protestantibus particulares iniit. Causas in Boicæ Gentis Annalibus legimus. Cum vero postea Sueci, Galli, cæterique fœderati Maximiliano pacta minime servassent, imo etiam Electoralem dignitatem magna ex parte abrogare conarentur, Maximilianus rursus Cæsari arma sociavit. Hinc Bojaria nostra non solum Cis-Isarana, sed etiam Cis-Oenana tota anno 1648. Suecorum atque Gallorum invasioni fuit obnoxia, qui usque ad Oenum progressi cædibus & incendiis ultimam propemodum internecionem provinciæ, ac nominatim Frisingæ nostræ attulerunt, Episcopo nostro jam quartum in fugam acto, & in Arce Risensi prope Salisburgum dimorato. Vrangelius tamen, novus militum Suecorum supremus Præfectus, cum prope Dachavium venationi esset intentus, à Cæsareanis Boicisque copiis subito circumventus accepta notabili clade è Bojaria excessit.

Multa alia adhuc moliebantur armati exercitus, cum ecce! è Monasteriensibus & Osnabrugensibus comitiis affertur nuncius de pace inter dissidentes hactenus Principes die 24. Octobris conclusa: quæ res quasi temporis momento instrumenta Martis in plausum & gratulationes convertit. Articulos pacis, jam toties publicis typis editos huc afferre non vacat. De iis tamen, quæ Bojariam propius respiciunt, agemus in sequentibus. Pax Westphalica.

§. IX.

Anni ultimi Viti Adami Episcopi.

Mors Romani Abbatis Weihensteph. Die 8. Februarii Anno 1649. *in pace* demum quievit Romanus, Weihenstephanensium Abbas; qui quanta belli tempore perpessus fuerit, facile intelliget Lector ex eo, quod in Monasterio suo diebus undecim hospites habuerit Tureninm Gallorum, & Vrangelium Suecorum Duces primarios, Bojariæ depopulationi intentos, castris ad pedem montis Weihenstephanensis locatis. Si cætera damna Monasterio illi illata temporum successu oblivioni tradi potuere, illud tamen sarciri non potest, quo ejus loci complura Documenta, & antiqua monumenta fuerunt direpta. Tardior fere ad fugam fuit hic Abbas; & hinc ferocientinm militum manus vix ægre evasit. Mortuus est Monachii ex phtisi apud RR. PP. Augustinianos, ibidem tumulo conditus. Ei concordibus Ascetarum suffragiis successor datus est Gregorius, eo nomine primus, qui ne unicum quidem obolum in Monasterii ærario reperit. Postea tamen forte fortuito conspexit aureum unum, intra pulpitum quoddam, nescitur à quo? affixum. Et hic erat, quo ad comparandam annonam, cujus erat eo tempore maxima caritas, & ad sarcienda Monasterii damna initium erat faciendum.

Damna illi Monasterio illata.

Executio pacis Westphalicæ. Norimbergæ eo anno nova fuere instituta comitia, ubi de articulis pacis executioni mandandis tractabatur. Maximiliano Electori nostro jus reformandi Superiorem Palatinatum fuit in eo conventu, uti prius in Monasteriensi, adjudicatum: quo ille diligentissime usus Romana Sacra ibidem restituit. Cæterum mense Majo ipse ex omnibus Imperii Principibus primus numerosum militem dimisit, ut sumptibus, patriæque desolatæ parceret. Aliam vero cælestem opem Bojariæ intulit, exuvias scilicet Divorum Cosmæ & Damiani, Brema Monachium adductas, & in Basilica Patrum S. J. deinceps honorificentissime collocatas.

Eodem Electore agente Bojariæ Ordines ejus filio Ferdinando Mariæ fidem jurarunt. Hic Adelhaidem Sabaudiæ Ducis filiam in thorum suum cooptavit.

Falsa delatio PP. Capucinorum Monachii. Venerabiles Patres Capucini Monacenses eo anno à Clerico quodam Monacensi delati fuere Sedi Pontificiæ, quasi multi inter eos abusus irrepsissent. Re percepta Pontifex in mandatis dedit Episcopo nostro, ut super delatione accuratum examen institueret. Paruit Episcopus, & in rei veritatem diligenter inquisivit. Detegitur. Comperta postea optimorum Patrum innocentia Monachium misit Joannem Georgium Puecher, Cathedralis Ecclesiæ Decanum, & Consilii Ecclesiastici Frisingensis Præsidem (cujus viri nomen ob præstita belli tempore summa beneficia apud Frisingenses in æterna benedictione esse debet) ut è suggestu publico denunciaret populo, Ingentem injuriam à delatore Patribus illis fuisse illatam. Ita factum est, ut deinceps illis Patribus longe major, ac alias, æstimatio ac veneratio accesserit, & fidelium in eos liberalitas incrementa insignia acceperit.

Nativitas Joannis Francisci, futuri Episcopi nostri. Die 16. mensis Octobris, Divo Gallo sacra, in castro Trainensi, duarum horarum spatio Abensperga distante, ex illustribus parentibus Joanne Christophoro Ecker de Kapfing in Train: & Maria Salome de Kading in Schonhering & Haslbach felicissime primam lucem aspexit Reverendissimus ac Celsissimus Episcopus & Princeps Dominus noster clementissimus JOANNES FRANCISCUS, de cujus summis

mis meritis ac laudibus tum in Epistola hujus Operis Dedicatoria Tomo I. tum etiam in Chronico Frisingensi, Germanico idiomate à nobis conscripto, jamjam plura delibavimus, suo vero loco tum eadem juxta annorum seriem in hoc Tomo II. repetemus, tum plura adjiciemus.

Vitus Adamus Episcopus noster Anno 1650. una cum Canonicis, Aulicis & civibus suis solemnem peregrinationem Ebersbergam ad D. Sebastianum instituit, ubi sacris ritu Pontificio operatus gratias retulit Deo, Divoque illi Tutelari, cujus beneficio Aula sua cum urbe hac universa à peste nuper undequaque grassata præservata fuit. Episcopus Vitus Adamus votum D. Sebastiano persolvit.

Obiit eo anno Ferdinandus Archiepiscopus & Elector Coloniensis, de quo supra egimus. Successorem nactus est Maximilianum Henricum, Alberti Sigismundi fratrem, de quibus itidem supra.

Norimbergæ eo anno omnia, quæ ad consummationem pacis adhuc desiderabantur, ad finem fuere perducta, sicque Ordinum conventus solutus est, postquam Regum, Principum, aliorumque Statuum Oratores splendidissimum convivium inter festivissimos applausus instituerunt.

Vitum Adamum Episcopum nostrum, & Marchionem Brandenburgo-Culmbacensem Cæsar delegit, ut ea, quæ vigore pacis Westphalicæ circa Urbem Ratisbonam constituta fuerant, ad executionem deducerent. Ad illud negotium Vitus Adamus è suis destinavit Joannem Georgium Puecher, Cathedralis Ecclesiæ Decanum, virum illum nunquam ahsque singulari veneratione nominandum, de quo jam supra. Marchio vero illuc misit Georgium Rittershusium, Jurium Doctorem ac consiliarium suum: qui duo viri officio suo optime functi pacem denique urbi illi intulerunt. Extant in Frisingensibus chartariis copiosissima acta, è quibus totius rei series hauriri, illudque disci potest, quam grata obsequia Reverendissimus Puecherus noster Serenissimæ Domui Bavaricæ exhibuerit. Res Ratisbonenses componit.

Romæ eo anno *Jubilæum* ex more celebratum, quo finito sequenti an. 1651. idem jubilus ad Boios quoque transiit. Ejus Pontificiæ gratiæ Bullam cum Vitus Adamus promulgasset, sacræ illi festivitati die 24. Junii apud Frisingenses datum est initium.

Septembri mense Maximilianus Bojariæ Elector supremum spiritum Ingolstadii pie emisit. Ejus exuviæ inde Monachium reductæ in Basilica S. Michaelis PP. S. J. tumbam repererunt. Episcopus noster funebria ritu Episcopali persolvit assistentibus sibi tribus mitratis Abbatibus Udalrico Tegernseensi, Martino Firstenfeldensi, & Corbiniano Schyrensi, quibus accessere Præpositi tres, Athanasius Garsensis Archidiaconus, Antherus Pollinganus, & Joannes Bernriedensis. Porro ad vota Episcopi nostri prædictus Tegernseensium Abbas Udalricus directionem Monialium Reittbergensium Patribus Reformatis S. Francisci ultro cessit. Mors Maximiliani Electoris.

Idem Episcopus noster postea rebus caducis valedixit die 8. Decembris, Deiparæ absque originaria labe conceptæ sacra, tumulo illatus in Cathedrali Ecclesia ad aram ejusdem Cælorum Reginæ in Sacello, quod ipse magnis sumptibus splendide exornaverat. Præfuit Ecclesiæ suæ annis triginta tribus, mensibus novem, quo tempore quantas ærumnas perpessus fuerit, Lector ex iis, quæ hactenus enarravimus, æstimabit. Nihilominus tamen, cum bonis omnia cooperentur in bonum, acerbissimis illis temporibus plurimum auxit proventus Ecclesiæ suæ granariis Episcopalibus noviter constructis, Officinis cerevisiariis Frisingæ & Burgkreinii noviter erectis, ampliato etiam moderni horti Aulici spatio, prædiis multis coëmptis, aut pro majori utilitate provide permutatis. Crucem etiam Argenteam, calicem pretiosum, & candelabra argentea sex: tres item mitras margaritis plurimis fulgentes Ecclesiæ suæ intulit. Processionem hebdomadatim feria quinta cum Venerabili Sacramento per Basilicam Cathedralem faciendam ex ærario proprio fundavit, & ut Antiphona *Tenebræ* singulis sextis feriis ad pulsum Ago- & Viti Adami Episcopi. Ejus merita.

Agoniæ Domini ibidem cantaretur, inftituit. Ritus Ecclefiafticos in Eadem Bafilica ad normam Romæ ufitatam reduxit. Aulam hanc Epifcopalem duabus turribus, quæ etiamnum funt confpicuæ, condecoravit. Ædes Frifingenfes peramplas, quæ Viennæ extant, refecit. Multa bona in pignus elocata redemit. Reditus annuos Ecclefiæ aliquot millibus florenorum Lacopoli potiffimum & Burgkreinii auxit. Munificus quoque fuit erga Parochialem S. Georgii in hac Urbe Ecclefiam. Cum Eberfpergam, ut fupra retulimus, veniffet, Cafulam pretiofam Divo Sebaftiano ceu donum euchariftícum pro fervata inter contagiones urbe Frifingenfi obtulit, & leges Sodalitatis fub invocatione ejusdem Divi Tutelaris erectæ, ordinaria poteftate ratas habuit. Nobili familiæ fuæ arcem Ambacenfem exftruxit, & alia quædam bona adjecit. Et tamen Epifcopale ærarium minime exhauftum reliquit.

Tempore, quo Vitus Adamus, primis de hac Sede bene meritis Epifcopis omnino accenfendus, ad fuperos tranfiit, Innocentius X. Ecclefiæ, Ferdinandus III. Imperii, Ferdinandus Maria Bojariæ habenas direxit, Paride Lodronio Archipræfule Salisburgenfem, Francifco Wilhelmo Comite Wartenbergio Ratisbonenfem, Leopoldo Wilhelmo Archi-Duce Patavienfem, & Antonio Crufino Brixinenfem lituum geftantibus:

Epitaphium. Epitaphium Viti Adami fic habet:

Vitus Adamus

Frifingenfis quondam Epifcopus
poft longas XXXIV. annorum
In munere Epifcopali vigilias
Hoc in lectulo,
Quem fibi memor mortis
vivus ftraverat,
longum dormit.
Nonnifi
Ultima illa tuba
ad recipiendum à piiffimo
Patre Familias promiffum
denarium excitandus.
Vixit annos LXVIII.
Mortuus eft A. C. MDCLI.
DIE VIII.
DECEMB.



CAPUT

CAPUT VIII.

Albertus Sigismundus LIV. Episcopus Frisingensis.

§. I.

Albertus Sigismundus obtinet Episcopatum. Ejus vigilantia pro Ecclesia sua. Initia Monasterii in Taxa.

Retulimus hactenus, Albertum Sigismundum, die 5. Augusti A. 1623. è Serenissima Domo Bavarica natum, decimo sexto ætatis suæ anno fuisse à Cathedrali Collegio in partem curarum Viti Adami vocatum: confirmationem vero Pontificiam electionis suæ anno vitæ decimo octavo fuisse consecutum. Sane Vito Adamo ad Superos translato intra bimestre, nempe Anno 1651. die 25. Februarii Regimen hujus Ecclesiæ feliciter adiit: ac die 13. May Principatus jura clientelari fide à Ferdinando III. Imp. misso Viennam Joanne Georgio Barone de Puech, Cathedralis Ecclesiæ Decano, accepit. Præter Frisingensem Episcopatum etiam Ratisbonensem administravit, fuitque insuper Cathedralis Constantiensis, & Collegiatæ Oetinganæ Ecclesiarum Præpositus. Cæterum eodem anno Serenissimæ Adelhaidi, Regiæ Principi Sabaudiæ, Serenissimo Duci Electori Bavariæ desponsatæ, Wasserburgum delatæ, occurrerunt tum ipse sponsus Elector, tum Serenissimus Dux Albertus, Serenissimus item Dux Maximilianus: & cum his noster Serenissimus Albertus Sigismundus Princeps & Episcopus, uti Adelzreitterus tradit.

Albertus Sigismundus adit Regimen.

N. 420.

Aliæ illius dignitates.

Totum Regiminis Alberti Sigismundi tempus fluxit tranquille. Anno enim statim sequenti 1653. cum Ratisbonæ Principes congregati Imperatori Ferdinando III. animorum suorum propensa studia, fidemque sinceram redderent testatam, Albertus Sigismundus patrocinantibus Serenissimis S. R. I. Electoribus ab Imperatore tandem obtinuit notabilem moderationem contributionum, quæ eousque à Camera Episcopali Frisingensi exigebantur. Literæ sic habent:

Ejus curæ pro sua hac Ecclesia.

Ferdinandt der dritte von Gottes gnaden, Erwöhlter Römischer Kaiser, zu allen zeitten Mehrer des Reichs &c.

Ehrwürdiger Durchleuchtiger Hochgeborner Lieber Vetter und Fürst, Wir haben uns gehorsambist referiren lassen, was dein And. und L. noch bey unserer anwesenheit zu München, wegen der Ihrem Stifft Freising vor disem ertheilten moderation des von ihren Vorfahren iederzeit geklagten alzuhohen anschlags, gehorsambist angesucht und gebetten hat.

Nun erinneren Wir uns guter massen, was dises alzuhohen anschlags halben Dr. A. und L. negst abgelebter: sowol als andere dero Antecessores bey unss und unsern Vorfahren am Reich bey denen gehaltenen Reichstägen vielfältig angebracht und gebetten haben, Welchergestalt auch dieselbe sich wider die in Anno fünffzehenhundert sechs und siebenzig, auf ein drittel erhaltene moderation gleichwol beschwerth befunden, und Ihnen dahero nit allein von vorigen Romischen Kaisern zu underschiedlich mahlen, austruckliche vertröstung wircklicher moderation geschehen, souder auch Wir selbst auf eines Churfürstlichen Collegis under dato Regenspurg den dreissigisten Septembris anno sechzehen hundert ain und viertzig bey uns eingewendte intercession, gedachten Stiffs Freysingen auf ein drittl des Speyerischen auschlags de anno fünffzehenhundert sechs und siebenzig, dergestalt moderiert, das er hinfüro für einen Monat siebenzehen zu fues und zwey drittel, dan zwey zu pferdt und zwey drittel, thut in geld ainhundert und drey gulden sechs Kreutzer zween pfenning hergeben und reichen solle.

Allermassen Wir es dan nochmals bey dieser unserer Dr. A. und L. Vorfahren ertheilten moderation allergnedigist verbleiben lassen; Als haben Wir an unsere Kaiserliche Hof-Cammer gnedigste erinner- und verordnung dahin ergehen lassen, das Sy solche moderation nit allein ihres orts fürmerckhe und ad notam nehme, sondern auch dem Reichspfenningmaister Bleyman gemessenen Befelch zukomen lasse, das Er dise unsere Kaiserliche Resolution bey seinem Ambt nit weniger ordentlich registriren, und sich hinfüro auch seines orts darnach richten solle.

Wolten Wir Dr. A. und L. zu dero nachricht und versicherung hiemit anfüegen, und verbleiben deroselben benebenst mit vetterlichen willen Kaiserlichen gnaden und allem guten wolgewogen, Geben in unserer, und des heyligen Reichs Statt Regenspurg, den sechszehenden Octobris, Anno sechzehenhundert drey und funffzig, unserer Reiche, des Romischen im siebenzehenden, des Hungarischen im acht und zwantzigisten, und des Bohaimbischen im sechs und zwantzigisten.

Ferdinandt.

Vt
Ferdinand Graff
Kurtz.

Ad Mandatum Sac. Cæs.
Majestatis proprium.

Wilhelmb Schröder, manu propria.

Dem Ehrwürdigen Duchleuchtigen Hochgebornen Albrecht Sigmundt Bischofen zu Freysing Hertzogen in ober und nider Bayern, unserm lieben Vetter Fürsten und Andächtigen.

Rebus

Rebus pacis Ratisbonæ stabilitis, Comitiisque Augustam translatis, seu potius noviter ibidem institutis Electores Imperii in nostro Divorum Udalrici & Afræ Monasterio filium Cæsaris Ferdinandum IV. unanimi voto Romanorum Regem consalutarunt; qui postea Ratisbonam reversus, in Cathedrali Ecclesia ab Electore Moguntino coronam suscepit. Salisburgi magnus ille Archiepiscopus Paris Lodronius, cujus summas laudes in Salisburgensi Historia Lector reperiet, ad superos. & laborum suorum capessenda præmia pie migravit: cui ex Illustrissimis Comitibus de Thun Guidobaldus suffectus est. Ferdinandus IV. Rex Romanorum.

In hac nostra Bojaria, ac Diœcesi Frisingensi sita est Ecclesia, quam illustris Comitum Hundiorum Familia in honorem Deiparæ Virginis antehac condiderat, eo quod ibi gallina quædam ovum pepererit, in cujus testa imago ejusdem Beatissimæ Virginis haud obscure erat conspicua. Rei novitas accolarum animos in admirationem primum, ac postea in venerationem etiam traxit, maxime postquam secuta fuere in ea vicinia etiam alia quædam è Gallinis ova varie picta, in quorum uno imago Deiparæ, parvulum filium brachio gestantis, adhuc luculentius apparebat. *Taxa* vocatur locus, ad Gelonum amnem in Præfectura Dachaviensi situs, ubi ab illustribus Hundiis dicta Ecclesia erecta est: cui deinceps etiam à remotioribus plebibus singularis veneratio accessit. Taxensis Ecclesiæ origo.

Erat vero Vir quidam Religiosus ex ordine RR. PP. Augustinianorum Discalceatorum, qui ex Austria in Bojariam nostram venerat, cognatos & notos salaturus. Hic novitate rei permotus, *Taxam* iter instituit, ibidem Deiparam, quæ in ovo illo effigiem suam mirabili naturæ, vel potius Dei artificio fabrefactam apparere voluerat.

Dum iter agit Religiosus Asceta, obvium habuit sacrum aliquem curionem, sibi antehac minime notum, qui eum Patrem ex nomine salutavit, eidemque nunciavit, fore, ut Taxensis Ecclesia Ordini ipsius committatur. Dum iter prosequitur Religiosus viator, rursus occurrit vir, cujus habitus eum agricolam esse prodebat. Hic idem occinebat Religioso Ascetæ: *Pater, Pater*, inquiens, *Taxensis Ecclesia erit vestra.*

Id non sine numine Divum accidisse Vir Religiosus existimans, tametsi Ordo ille eousque Bojariæ nostræ nondum innotuisset, minus vero locum illum sibi committi aliquando petiisset, annuentibus suis Superioribus egit apud eos, quorum assensus erat potissimum necessarius, ut Ordini suo locus concederetur. Præprimis vero interpellavit Reverendissimum & Serenissimum Ordinarium Albertum Sigismundum nostrum, ut Ecclesiam illam pateretur ab instituti sui Religiosis viris imposterum administrari. Et hem! die 5. May Anno 1654. annuit clementissimus Princeps, misitque è Cathedralis Ecclesiæ suæ Canonicis Jacobum Gassner, ac Ferdinandum Grembs, SS. Th. Doctores, qui locum & Ecclesiam Patribus illis traderent: quod quidem illi non absque singulari animi sui solatio fideliter fuere executi. Floret hodieque ibidem Monasterium dicti Ordinis, ubi Deipara Virgo gratias multas dispensat, & à fideli populo magna pietate colitur. Prima loci fundatio merito Illustrissimæ familiæ Hundiorum (hodie Comitum) tribuitur: ampliatio multis aliis piis benefactoribus. Hæc desumpsimus ex libello, cui à glocitantibus Gallinis nomen fuit inditum *Gäkh Gäkh &c.* ab Authore R. P. Abrahamo à S. Clara, ejus Instituti Sodale & Concionatore famoso. Libellum illum Prior & Conventus ejus loci Reverendissimo & Serenissimo nostro Ordinario Alberto Sigismundo, debitæ gratitudinis ergo, inscripserunt. Traditur PP. Augustinianis Discalceatis.

Eodem mense & anno Joannes Fridericus Baro de Pienzenau, Dominus in Wildenholzen, Hartmansperg, Nider-Pöring, Pogenhofen, & Schacha, Principatus hujus Frisingensis Mareschallus hæreditarius &c. Alberto Sigismundo Administratori nostro vendidit dominium utile cujusdam domus, in superiori parte hujus Urbis sitæ, tempore vero belli præcedentis ferme collapsæ, quod eousque ad hæ-

reditarii Marefchalli officium pertinuerat. Extant venditionis literæ, quas alibi exhibemus. N. 421.

Mors Ferd. IV. Rom. R. Menfe Julio Ferdinandus IV. Romanorum, Germaniæ, Hungariæ & Bohemiæ Rex incredibili totius Chriftiani orbis luctu terris ereptus eft, Parente Imperatore Ferdinando III. adhuc inter vivos fuperftite.

Poft Innocentium X. eligitur Alexander VII. Annus Chrifti 1655. ftatim die feptima Januarii fuftulit Innocentium X. fummum Pontificem: poft cujus obitum Sedes vacavit menfibus tribus. Et die 7. Aprilis Fabius Chifius, Cardinalis S. Mariæ de Populo, patria Senenfis, ad Summi Pontificatus apicem evectus eft, dictus Alexander VII.

Ifanenfe Canonicorum Collegium eo anno Præpofitum habebat Joannem Baptiftam Barfottum de Puccinis: qui qualis fuerit, docemur ex epiftola Joannis Baptiftæ Mari Romani, S. Angeli in foro Pifcium Canonici, ad eum exarata: N. 422. quam in partem Inftrumentariam differimus, defumptam ex Tomo VI. Scriptorum Rerum Italicarum *pag*. 4. Porro Reverendiffimum Barfottum deinceps factum fuiffe Epifcopum Rofanenfem, & Proëpifcopum Pragenfem, Ifanenfibus literis edocti fuimus.

Initia modernæ Ecclefiæ PP. Carmelit. Monachii. Sereniffimus Bojatiæ Elector Ferdinandus Maria eo anno die 22. Julii, Divæ Mariæ Magdalenæ facro, pro ædificio modernæ Ecclefiæ RR. PP. Carmelitarum Difcalceatorum præfente tota Sereniffima Domo Boica primum lapidem propria manu Monachii pofuit.

Albertus Sigismundus nofter eo anno prata quædam extra hujus Urbis portam Monacenfem fita, à Catharina Neuchingerin Vidua coëmit. Sequenti vero N. 423. anno Dynaftiæ fuæ in Rottenfels alio emptionis contractu poteftatem Judiciariam in Stubenberg una cum jure venandi adjecit: alia itidem bona prope Frifingam Ecclefiæ fuæ comparavit.

Moritur Ferdinandus III. Imp. Secuta eft anno Chrifti 1657. die 2. Aprilis mors Ferdinandi III. Imperatoris, à nemine non deplorata, quippe qui fuerat *Pater pauperum*, *Curator pupillorum*, *& Viduarum tutor*: in profperis & adverfis femper fibi fimillimus, pacis reftaurator feliciffimus. Cum poftea ab ejus obitu vacaffet Imperium, proximo anno ei ab Electoribus fuffectus eft filius Leopoldus, cum ageret annum ætatis decimum octavum: de quo deinceps quam plura dicenda occurrent.

N. 424. Albertus Sigismundus eo fere tempore à Ferdinando Comite Harrachio immunitatem à teloneo prope Afchangiam rurfus obtinuit: cumque Ypfienfes portitores ab aliquot annis vectigal jufto majus à navigiis Frifingenfibus exegiffent ac recepiffent, effecit, ut deinceps tributum illud ad ftatum priftinum juxta Privilegia, ab Archiducibus Auftriæ conceffa, reduceretur, & quæ injufte fuerant exacta, fibi reftituerentur.

Celebre Monafterium Weyarenfe ab Anno Chrifti 1638. usque 1659. tum ab Epifcopis noftris, tum à Sereniffima Domo Bavarica magnis fuis meritis obtinuit Parochiales Ecclefias Neukirchen, Ofterwarngau, Ottendichel, Weichenlinden, & Feldkirchen: ut adeo tenuibus antehac cenfibus notabile auctarium accefferit.

§. II.

§. II.

Continuatio Actorum Alberti Sigismundi: ubi de origine Clericorum Regularium, vulgo Theatinorum Monachii.

A Leopoldo in Imperatorem Romanorum electo Albertus Sigismundus debebat novam Principatus investituram exquirere. Viennam igitur misit Joannem Rudolphum Baronem de Geebeck in Arnbach, cui Viennæ adjunxit Joannem Ferdinandum Steuberer, Serenissimæ Domus Bavaricæ in Aula Cæsarea procuratorem, qui vices suas apud Imperatorem agerent, & gratiam illam coram throno Cæsareo expeterent. Annuit justis votis Imperator Laxenburgi constitutus die 7. May Anno 1660. Literæ extant. **Nova Alberti Sigismundi Investitura.** **N. 425.**

Reverendissimus D. Joannes Firnhamer Episcopus Dariensis, Proëpiscopus Frisingensis eodem anno Ecclesiam RR. PP. Carmelitarum Discalceatorum Monachii in honorem Almæ Deiparentis, ac S. Nicolai Myrensis Episcopi recens exstructam solenni ritu dedicavit. Interim non defuere, qui cuperent Religiosis illis Ascetis prædicationis Officium interdici. Verum authoritate Reverendissimi ac Serenissimi Domini Ordinarii nostri concessum iis fuit horis pomeridianis libere ad populum verba sacra facere. **Dedicatio Ecclesiæ PP. Carmelit. Monachii.**

Proximo anno, Christi 1661. à Deputatis Statuum inferioris Austriæ exactiones quasdam super vino in eadem Austria colligi solito, numerata pecunia Episcopus noster redemit. **N. 426.**

Cum eodem anno die 26. Junii Ecclesia RR. PP. Franciscanorum una cum toto Monasterio Frisingæ in cineres subsedisset, nutu Reverendissimi & Serenissimi Ordinarii nostri statim die 4. Julii initium datum est novo ædificio, quod tanta celeritate consurrexit, ut ipso adhuc anno, mense Novembri, jam aliquot Patres illuc iterum potuerint introduci. Anno sequenti die 27. Martii reædificari cæpta est Patrum eorundem Ecclesia, quæ (demptis tamen aris & sedilibus) die 18. Novembris jam ad perfectionem perducta fuit, ita, ut die sequenti, præsente Reverendissimo ac Serenissimo Restauratore solemne in ea sacrificium celebrari potuerit. **Albert. Sigismundus restaurat Ecclesiam PP. S. Francisci Frisingæ.**

Monachii eo tempore longe angustiori ædificio manum adjecere Serenissimi Conjuges, Ferdinandus Maria scilicet, Bojariæ Elector, & Henrietta Adelhais, Regia Princeps Sabaudiæ. Ejus rei occasionem hic subjungere visum est.

Uti optimum Numen semper in Ecclesia sua nova solet instaurare exempla virtutum, ita etiam Eidem placuit Sæculo Christi XVI. inter alios suscitare Viros duos zelo animatum plenos, & maxime in Cleri reformationem intentos. Ii fuere Joannes Petrus Caraffa Episcopus Theatinus * natione Neapolitanus, & S. Cajetanus nobili Thienæa gente Vicentiæ ortus: qui duo Viri de restauranda collapsa Ecclesiastica disciplina sanctissima consilia contulere. Et Episcopus quidem cum Cajetano potissimum egit de reducendo apud Clerum suæ Diœcesis veteri Ecclesiarum, Rituum ac morum nitore: Cajetani vero animus insuper meditabatur condere sacram familiam, è Clericis Regularibus, certisque legibus ad Apostolicam formam adstringendis conflandam: cujus etiam operis Episcopus Theatinus adjutor eximius fuit. Quemadmodum vero S. Cajetanus erecto à se Instituto ob humilem de seipso sensum nunquam præesse voluit, Ita etiam noluit Ordinem à suo nomine nomenclationem capere: quem proinde passim vocitarunt Theatinorum, sive ab urbe sic dictum, in qua jacta fuere Instituti fundamenta, sive quod Joannes Ca- **Origo Clericorum Regularium.** *** Chieti, Metropolis Aprutii, seu *Abruzo.*** **Author.**

Caraffa loci Episcopus (futurus Cardinalis ac Summus Pontifex) majori, quam Cajetanus, Ecclesiastica dignitate fulgeret. Cæterum non Episcopum, sed Cajetanum primævum Instituti Authorem Clerici illi Regulares merito agnoscunt, ut ex hactenus narratis facile quisque intelliget: nec aliter unquam sensere Pontifices; & ipsa de causa in Officio S. Cajetani sic habetur: *collapsam Ecclesiasticorum disciplinam ad formam Apostolicæ vitæ instaurare desiderans, Ordinem Clericorum instituit:* &, ut Ordo ille ab aliis distingueretur, mox additur: *qui abdicata rerum omnium solicitudine nec redditus possiderent, nec vitæ subsidia à fidelibus peterent, sed solis eleemosynis sponte oblatis viverent.*

Probavit illud Institutum, soli Divinæ providentiæ innixum, Clemens VII. Summus Pontifex: quod deinceps per Italiam mirifice propagatum fuit. Bojariæ nostræ serius, & sequenti occasione innotuit.

S. Cajetanus Thaumaturgus. Quam plurimis Italis profuerat Divi Cajetani, jam dudum cælis illati, opem imploraffe. Prodigia passim edebantur tam luculenta, quæ inficiari nemo sanæ mentis poterat. Hinc ingens erga Divum fiducia plurimorum mentibus insedit. Inter hos fuit Serenissima Adelhais Bojariæ Electrix, Divo Cajetano dudum devotissima.

Hæc cum jam in annum octavum nullam Ferdinando Mariæ prolem progenuisset, tametsi nihil fuisset omissum eorum, quæ sive cælos visa fuerant posse flectere, vel alias naturalem opem conferre: tandem Serenissimo marito authot fuit, ut Divum Cajetanum in vota vocaret, seque voti religione adstringeret Sanctum illum publice colendi, sacramque in ejus honorem ædem erigendi. Audiit pium consilium Serenissimus Elector, votumque lubens edidit. & en! statim sequenti anno patuit, sterilitatem Adelhaidis fuisse sublatam, dum ea feliciter enixa est Mariam Annam; quæ posthac filio Galliarum Regis Ludovici XIV. nuptui tradita fuit, mater deinceps facta hodierni Hispaniarum Regis Philippi V. Avia veto hodierni Ludovici XV. Regis Galliarum.

Invocatur à Serenissima Domo Bavarica. Successu felici.

Partus ille totius quidem Bojariæ mentes mire exhilaraverat: ast non idcirco æquata fuere patriæ vota, qnippe quæ prolem masculam præoptaverat. Intellexere interim Serenissimi Principes, augendam esse erga Divum Evergetam suum Cajetanum liberalitatem ac pietatem. Ergo voto novo sese adstrinxerunt non solum Sacellum, qnod hactenus promiserant, sed magnificam in ejus honorem Basilicam construendi, ejusque Sodalibus congruam domum adjungendi, si exoptato hærede bearentur.

Augetur fiducia.

Tam feliciter ea res cecidit, ut Adelhais propediem concepisse sese adverterit, firmissimeque sibi persuaserit, se masculum fœtum utero gestare. Itaque exhilarati Serenissimi Conjuges, cum moræ essent pie impatientes, confestim à Supremo Ordinis Moderatore (qui tum erat Reverendissimus P. D. Augustinus Bozomus) petiere sibi mitti illius Instituti viros quosdam, & inter hos R. P. D. Stephannm Pepe, cujus virtutes, spiritum, & regendorum animorum peritiam non tantùm ipsa Serenissima Electrix, etiamnum Taurini morata, & sub ejusdem spirituali directione vivens optime noverat, verum etiam ipse quoque Serenissimus Elector satis perspexit, quando anno superiori in Aula Boica Ecclesiasten, ad omnium stuporem facundum, idem vir felicissime egit.

Clerici Regulares vocantur Monachium.

Clementissimo huic mandato morem prompte gesserunt delecti ad illnd opus Patres, atqne die 15. mensis Februarii anno 1662. contemptis Germaniæ frigoribus comparuere Monachii præter laudatnm P.D. Stephanum Pepe, P.D. Palma, futurus sequenti quadragesima Ecclesiastes aulicus, & P. D. Hieronymus Meazza cum tribus Conversis, seu fratribus Laicis, ad servitium domus, & Patrnm deputatis.

Consentiente Ordinario nostro. Ex his igitur Viris tertia statim ab adventu die posteriores dnos Patres (cum prior jam alias Alberto Sigismundo Ordinario satis innotuisset) adjuncto Consiliario Intimo Frisingam miserunt Serenissimi Electores adjunctis epistolis, quibus assen-

assensus Ordinarii juxta Canonum ac Tridentini Decreta, expetebantur, ut Monachium admitti possent viri prædicti, insertis iis omnibus, quæ sive propositum suadere, sive obstacula dimovere possent.

Sane non defuere, qui obicem sancto operi ponere studerent adeo, ut etiam Albertus Sigismundus noster nutare inciperet. Cum tamen adverteret Frisingensis Curia, è Religiosis contuberniis neminem sese opponere Virorum præstantissimorum admissioni, Albertus Sigismundus assensum cum gaudio præbuit datis die prima Junii litteris solemnibus, queis Clerici illi Regulares Monachii Domum Regularem erigere, & Institutum suum in futura perpetua tempora propagare, ac ea omnia, quæ Instituto essent propria, exequi possent. Imo stimulos Serenissimis Electoribus addidit Albertus Sigismundus, ut Patrum illorum introductio, quam fieri posset, cito fieret. Id etiam contigit die 11. mensis Junii, qua festivo apparatu in Divi Rochi Sacello Divina splendide peracta, Patresque illi in Monacensem Urbem fuere adscripti, tormentis curulibus festive applaudentibus.

Interim curæ fuit Serenissimis Principibus, ut Patribus illis de loco congruo, quo & Electoralis Aulæ, & futurorum illorum indigenarum commodo prospicerertur, idque maxime, cum mense statim sequente Serenissima Electrix ad plenum patriæ tripudium in lucem edidit partum exoptatissimum, Serenissimum nempe Maximilianum Emmanuelem, futurum deinceps in Electorali dignitate Parentis Ferdinandi Mariæ successorem: quem sacris undis abluit Reverendissimus D. Udalricus Tegernseensium Abbas, ita tamen, ut festivæ cæremoniæ Reverendissimo & Celsissimo Salisburgensium Archiepiscopo & Principi Guidobaldo fuerint reservatæ. Porro comparata magno ære perampla area, quo Basilica & Domus Patribus commode construi possent, die 29. Aprilis Serenissimi Fundatores posuere primum lapidem, quem, committente Alberto Sigismundo ceu Ordinario, sacris ritibus ex more Ecclesiæ initiaverat Andecensis nostri Monasterii Reverendissimus D. Abbas Cælestinus. Lapidi inclusa fuit lamina aurea, cum hac inscriptione:

Nascitur Maximilianus Emmanuel. & sacris undis expiatur.

Initium Domus Clericorum Regularium Monachii.

Auspice D. O. M.

In honorem S. Adelaidis Imperatricis
& Divi Cajetani Thienæi
Ferdinandus Maria Elector
Utr. Bav. Dux &c.
&
Henrietta Maria Adelais
Princeps Regalis Sabaudiæ
Ejus Uxor
Ex voto
Ecclesiam hanc cum adjuncta Domo
Patribus Clericis Regularibus
fundarunt,
Et primum lapidem posuerunt
Anno ab orbe redempto
M DC LXIII.
Die XXIX. Aprilis.

Hæc de initiis Clericorum Regularium Monachii usque huc. Cætera, cum rerum series monuerit, adjiciemus.

Eo-

Resuscitantur Privilegia Canonicorum S. Viti Frisingæ.

Eodem anno die 26. Novembris Reverendissimus ac Serenissimus Ordinarius noster Albertus Sigismundus Collegio DD. Canonicorum S. Viti jus primæ, ut vocant, *Instantiæ*, cujus usus à pluribus annis (credimus, ob turbas bellicas) fuerat interruptus, denuo confirmavit, adeo quidem, ut dictum Collegium jus illud in omnes Canonicos illius Ecclesiæ iterum posset libere exercere, & actus jurisdictionis, qui quidem ad Judicem *primæ Instantiæ* pertinere solent, in omnibus causis civilibus absque ullius contradictione exequi, salva tamen appellatione partium ad Curiam Episcopalem, si forte una partium in prima *instantia* læsam sese censeret. In eodem Confirmationis Instrumento eidem Collegio concessa fuit facultas demortuorum Canonicorum scrinia absque aliorum interventu obsignandi, reserandi, testamenta publicandi, eaque omnia peragendi, quæ à Judice primæ *Instantiæ* de jure vel consuetudine soleut exerceri.

Mors Pro-Episcopi Frising.

Fatis eo anno concessit Reverendissimus D. Joannes Füernhamer, Episcopus Dariensis, Proepiscopus Frisingensis, Consilii Ecclesiastici Director, & Collegii S. Andreæ Decanus, de quo illud inter cætera laudabiliter gesta produnt, quod Mitra donatus præclara sinceræ humilitatis specimina urbi ac Diœcesi universæ dederit. Obiit ætatis suæ anno LXXVI.

§. III.

Alberti Sigismundi oblectamenta innocua.

Albertus Sigismundus otii impatiens.

ERat Albertus Sigismundus otiositatis osor eximius. Et quoniam graviora negotia non omnes sibi horas postulabant, studuit horas succissivas ad animi relaxationem honestissimis laboribus impendere. Volupe illi erat ad celebriores Bojariæ Ecclesias excurrere, ibique sanctos locorum patronos, beatissimam potissimum Cæli Reginam oblaris etiam muneribus, Principe dignis, venerari. Alias tempus fefellit fundendo lapillos, seu gemmas factitias: qua in re tanta felicitate usus est, ut multi ejusmodi lapillos fusiles Alberti Sigismundi jam eo tempore magni fecerint, qui hodie adhuc longe majorem æstimationem habent. Sæpiuscule etiam ad campum jaculatorium delatus, tanta dexteritate ad metam globulos plumbeos direxit, ut inter peritissimos ejus artis locum invenerit. Non raro etiam venationi dedit operam. Hinc etiam eidem Rotenses nostri sua

N. 427. a. in Comitatu Haagensi venandi jura ad dies vitæ cessere, ita tamen, ut Princeps noster annis singulis Monasterio cervum unum, aut cervas duas redhiberet. Præ aliis tamen oblectamentis Alberto Sigismundo arridebat Toreutice, seu ars tornandi, qua ipse mire excelluit. Accidit aliquando, ut ei Archetypon quoddam typo æreo in ligno faberrime expressum dono offerretur. Id adeo affecit Serenissimi artificis animum, ut ingens eum incesserit cupido ejusmodi artefactum tornando, si qua ratione fieri posset, exprimendi. Itaque Christianum Mur, Opticum suum, & rei Sclopetariæ custodem (quem ceu virum miri ingenii in omnibus supradictis exercitationibus suis adjutorem adhibuerat) sciscitatus est, crederetne, votis suis damnari se posse? Respondit Christianus, sibi equidem non occurrere in præsens, qui id fieri posset? daturum se tamen operam, ut modum inveniat, quo votis suæ Serenitatis posset fieri satis. Dictu mirabile: acerrima ingenii vi tentatis variis modis tandem Christianus artem invenit, qua ejusmodi Archetypa tornando tum in lignis, tum in ebore felicissime effingi possent. Ea re summe exhilaratus Princeps, cum artificium ex Christiano perdidicisset, deinceps quam plurima ejusmodi Archetypa tornando faberrime effinxit, & ita quidem,

ut

ut effigies non solum in parte exteriori, sed etiam interiori compareret, sibique utrobique maneret simillima, præterquam quod in parte interiori imago esset concava, in exteriori vero prominerct, velut alias aurifabris, ejusmodi toreumata fingentibus, aliquo modo accidere solet. Instrumentum ferreum ad recens inventum artificium à Christiano feliciter repertum etiamnum superest apud ejusdem hæredes. In ejus una parte visuntur literæ sequentes: A.S.E.F.C.P.R. U.B.D.L.L. id est: *Albertus Sigismundus Episcopus Frisingensis, Comes Palatinus Rheni, Utriusque Bavariæ Dux, Landgravius Leuchtenbergæ.* In altera vero: *ist anno* 1668. *erfunden worden:* id est: *Inventum Anno* 1668. Vidi ego, & manibus contrectavi Instrumentum illud (quod inventori placuit appellare *den* Patron) uti etiam Scyphum nova illa arte ab Alberto Sigismundo artificiosissime fabrefactum; quæ artefacta tornatilia nemo sine admiratione conspicere potest.

Subjungimus hic aliud, quod, tametsi aliquot annis post contigerit, attamen huc revocandum videbatur.

Noverint multi, qui hæc lecturi sunt, vix alibi locorum perfectiora conspicilia tubosque opticos fabrefieri, quam hic Frisingæ, ex qua urbe etiam in remotissimas Regiones expeti solent magno, imo tanto numero, ut sæpe multorum desideriis satisfieri non possit. Quanam sane ratione hoc singulare artificium Frisingensis ille Artifex doctus fuerit, modo narrabimus.

Cum Reverendissimus ac Serenissimus Ordinarius noster Albertus Sigismundus circa annum Christi 1676. animi causa ad varia Superioris Bojariæ Monasteria sese contulisset, in famulitio suò ex more habuit supra laudatum D. Christianum Mur, quem semper inter famulos primæ admissionis numerabat. In eo itinere cum Sua Serenitas delata esset ad celeberrimum nostrum Monasterium Andecense, ibique pernoctasset, contigit, ut prædicto D. Christiano Mur in somno visendum se præberet Monachus quidam Benedictinus, qui eum idiomate Germanico-Belgico allocutus, illud diserte edocuit, quod is jam à multis annis necquicquam proficientibus speculationibus assequi studuerat, nempe artem præparandi Instrumenta, ad tubos Opticos expedite atque scitissime conficiendos opportunissima. Id totum cum satis percepisset Christianus, videri desiit Monachus: Ipse vero expergefactus, prope se dormientem Venatorem Georgium Empacher è somno excitavit, eumque rogavit, ut, cum è strato surrecturi essent, se admoneret Belgæ Monachi. Ea facta commonitione uterque rursus dormiit. Cum ecce! Belga Monachus iterum Christiano spectabilis adstitit, totumque, quod jam antehac exposuerat, ordine repetiit, ausamque dedit, ut, quæ minus expedite Christianus forte fuisset assecutus, sibi clarius explicari posceret: quod etiam Monachus libenter præstitit, ac rursus disparuit: ejus autem instructio vivæ Christiani memoriæ tenacissime inhæsit.

Domum postea reversus Christianus statim manum admovit operi, experturus, num reipsa vera essent, quæ sibi in somno Monachus exposuisset? Et ecce! omnia successere ad vota: asseveravitque deinceps sæpissime Christianus, uti etiam aliæ personæ eidem conjunctissimæ, filia scilicet Barbara, & gener Joannes Sterr, impossibile sibi videri reperire modum præparandi Instrumenta ad tubos Opticos exactissime perficiendos æque apta atque utilia. Et hinc pro ea arte quasi divinitus sibi revelata, ac augendis rebus domesticis, & sublevandis pauperibus summe proficua, gratias infinitas Deo, tum ipse D. Christianus ac filia retulerunt, & superstes hodieque D. Joannes Sterr pie refert: qui rem totam propria manu ante biennium exacte conscripsit, scriptumque sua manu ac sigillo firmavit: cui etiam Uxor Barbara (quæ tum adhuc in vivis erat) autographum suum apposuit. Eam fidelissimam descriptionem etiamnum præ manibus habemus, dignamque omnino censuimus, quæ Frisingensi Historiæ insereretur, maxime quia auctis deinceps virorum illorum fortunis Frisingense Orphanotrophium primordia sua sumpsit, de quo suo loco. N. 427. b.

§. IV.

Acta intercurrentia.

ANnus Christi 1664. Leopoldo Imperatori famosam illam in Hungaria ad Divum Gotthardum adversus Turcas victoriam pacemque attulit.

Moniales Salesianæ Monachii. Anno 1667. permittente Alexandro VII. Summo Pontifice, & assentiente Reverendissimo ac Serenissimo Ordinario nostro Alberto Sigismundo Serenissima Electrix Henrietta Adelais Moniales Ordinis Visitationis Beatæ Mariæ Virginis, à S. Francisco Salesio instituti (unde eas Salesianas nuncupamus) Vercellis ex Italia accitas, Monachium introduxit, iisque deinceps de perpetua congrua sustentatione providit, & sacrum Parthenonem excitavit, hodieque egregie florentem.

Alexander VII. fato fungitur. Eodem anno secuta est mors ejusdem Alexandri VII. Pontificis Maximi cujus illustre Regimen Christina Suecorum Regina nobilitavit: quæ, cum triplici sese corona Regia spoliasset, fidem orthodoxam amplexura ad Alexandri pedes procubuit, eo luculentius veræ Religionis testimonium datura, quo altiores omnium scientiarum latices hauserat, uti Ughellus commemorat. Post Alexandrum Julius Rospigliosus Senensis, Cardinalis S. Sixti Ecclesiæ clavum suscepit regendum, dictus Clemens IX. qui non integro triennio sedit, anno 1669. die 9. Decembris ad Superos translatus. Post eum die 23. Aprilis Anno 1670. Summus Pontifex creatus est Æmilius Alterius Romanus, qui Clementis X. nomen assumpsit.

Ital. Sacr. T. I. Successio Summor. Pontif.

Virgines Ursulinæ Landishuti. Interim Anno Christi 1668. Serenissimus Elector noster Ferdinandus Maria, cum perspexisset, ingentem fructum ex sacris Virginibus, quas à S. Ursula appellamus, in puellulas promanare, approbante etiam Reverendissimo ac Serenissimo Ordinario ac Duce nostro Alberto Sigismundo facultatem concessit cuidam ejus instituti Virgini, Messkirchio accersitæ, ut cum quibusdam suis sodalibus Landishuti ejusmodi sacrum Cœtum pro puellarum instructione instituere posset, coëmptis deinceps & ad futurum ædificium donatis quatuor ædibus, speque facta ulterioris dotis suo tempore adjiciendæ. Verum ulteriorem illam liberalitatem mors interim secuta abrupit: unde necessum fuit sacrum illum Parthenonem, Ecclesiam, Scholasque è dotibus potissimum earum Virginum, quæ posthac celebre illud Institutum ibidem fuere amplexæ, erigere. Ecclesiam ejus loci recens ædificatam jussu Reverendissimi Ordinarii nostri Alberti Sigismundi Reverendissimus D. Proëpiscopus Joannes Casparus Khüner ex Clericis sæcularibus in commune viventibus assumptus, die 20. Octobris 1682. honoribus S. Josephi consecravit. Cæterum licet nulli determinato fundatori suum illud Collegium Virgines illæ Ursulinæ adscribant, grato nihilominus animo fatentur, se non solum area sibi donata, verum etiam aliis quibusdam gratiis peculiaribus Electoralis Domus Bavaricæ perpetuo frui ac confoveri.

Cæterum supradicto anno 1668. ad Superos transiit Guidobaldus Comes de Thun, S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Salisburgensis, & Ratisbonensis Episcopus. Eum in throno Metropolitano secutus est Maximilianus Gandolphus Comes Khüenburgius, tertius è sua illustrissima familia Archiepiscopus Salisburgensis.

Novus Archiepiscopus Salisb.

Patres Societatis Jesu, qui jam ab anno 1629. ex munificentia Serenissimi Electoris Maximiliani domicilium aliquod Landishuti obtinuerunt, hoc eodem anno,

anno, Christi 1668. migrarunt in Collegium, variorum benefactorum liberalitate constructum.

Anno 1669. Serenissimus Elector Ferdinandus Maria una cum Serenissima conjuge Henrietta Adelhaide Clericis Regularibus D. Cajetani novam Domum deinceps construendam donavit dato solemni instrumento, cujus tenor hisce inferendus videbatur, qui talis est:

Ferdinandus Maria
&
Henrietta Adelhais
Regia Princeps Saubaudia

Dei gratia Utr. Bav. & Palatinatus Superioris Duces, Com. Palat. Rheni, S.R.J. Elect. Landgrav. Leuchtenb.

Quandoquidem omnibus melioribus formis perficere statuimus, cupimusque in hac Electorali Urbe Monacensi Fundationem RR. PP. Clericorum Regularium, vulgo Theatinorum, quos ex Italia efficacioribus epistolarum stimulis advocavimus, & venientes peculiaribus, atque amplioribus addictissimi animi ostensionibus excepimus, utpote dignos sacri illius Ordinis filios, qui tantum Catholica militia robur, Ecclesia Romana Decus, atque Religiosis familiis ornamentum per spectatos tum virtutis, cum sanguinis nobilitate viros mirum in modum quotidie auget; non minus scilicet fiduciam in Divinam Providentiam Heroico, singulari, & sanctissimo plane Instituto, quam animorum salutem, populorumque in Spiritualibus utilitatem, & quidem (quod sane caleste aliquid est) absque ullo penitus interesse insigniter, & felicissime promovendo. Idcirco cum mortales simus, & parati esse debeamus Domini Dei vocationi quovis tempore respondere, prasentes nostras literas nunc efformare Nobis placuit, eo vel magis, quod ad hoc urgentioribus titulis teneamur. Non uno quippe vinculo eorundem RR. PP. Patriarcha S. CAJETANO THIENÆO nostram ligatam esse libenter volumus libertatem: sed illo prasertim, quod optatam summopere Prolem à Deo Opt. Max. Nobis post conceptum Votum impetraverit, nec non Haredem masculum Maximilianum nempe Emmanuelem Principem Electoralem viventem in Nostrum, & subditarum Provinciarum solatium concesserit. Igitur notum quibusvis per istas manu nostra subscriptas sit:

Primo: ad stabiliendam pradictam Fundationem nostras obstrictas esse conscientias, atque ita Nos non tantum omnino velle, quam voti Sacramento obligari ad adificandam, ac pro more necessariis & opportunis quibuscunque, juxta confectum ab Architecto nostro Rectorali Augustino Borella Bononiensi modulum, exornandam sacram Ædem, jam ex parte extructam in vicinia Electoralis Residentia nostra, adeo, ut in ipsa Divinorum cultus apte & decenter fieri valeat.

Secundo: Pari obligatione esse Nos vinctos ad contiguum eidem Ecclesia Cœnobium, seu Religiosum respective & conveniens habitaculum, nostris item sumptibus totum à fundamentis, sicut & prafatam Ecclesiam totaliter erigendum, in quo memorati Patres cum omni Spiritus tranquillitate degere, Deoque inservire, ac spiritualia sua exercitia commode facileque peragere possint ad Instituti duntaxat proprii rationem.

Tertio: Nos antehac pradictis Patribus iterato donasse non solum totum illud spatium, in quo Ecclesia erigitur; sed etiam, quantum ad extruendum Cœnobium ipsum, ac congruum in ipso viridarium (cui rei & S. Patres sedulo prospicere visi sunt) aperiendum, amænitati, atque devota animorum recreationi sufficiens inventum fuerit. Totum nempe spatium, quod juxta omnem dimensionem, & secundum omnes terminos, tam in longitudine quam in latitudine, designat Delineatio per Architectum nostrum Henricum Zuccalli facta, à Nobis manuum subscriptione, & Sigillorum appositione firmata, ac roborata, & ad manus ipsorum Patrum Theatinorum remitti jussa.*

* hic aliquid deesse videtur.

Quarto. Quia Urbem hanc Electoralis Residentia nostra dilatare Deo favente decrevimus, in ea pracipue parte, in quam Ecclesia PP. nominata cedunt confinia; ideo expressum hic volumus tanquam deliberatum voluntatis nostra Decretum; Quod si Nobis placeret, prout ex parte meditamur, ad majus Civitatis beneficium Cœnobium Patribus versus mœnia, qua adhuc subsistunt, construere, hoc Nobis sit liberum, ac tantum teneri Nos in hoc casu aquale superius recensito, aut melius spatium, ibidem in sinistro Templi latere immediate, ipsismet Patribus prastare, in eoque Regulare claustrum complete adificare, ita, ut suo apto latoque sufficienter gaudeat interiori horto, ac singula forma, & commoditati vivendi eorundem Patrum ex asse respondeant, ne aliquid desiderari sancto operi, ac voti nostri debito, cui satisfacere accurate intendimus, videatur.

Tandem cum ex pramissis manifestata abunde fuerit irrevocabilis voluntas nostra, & quoad Templum, & quoad Domum Regularem, sape nominatis PP. Theatinis quavis are nostro Electorali ex integro conficienda, omnibusque & singulis oneribus, aut gabellis exempta tribuenda, ne ulla ipsis unquam obveniat molestia, aut à Divino Officio distractio, unicum adjungere necessarium duximus: id est: Quod, si D. O. M. liberet Nos ex hac vita suscipere, descripto hucusque pio opere imperfecto, illico, quidquid ad perficiendum remanserit, Haredes nostri in infinitum, quicunque Nobis, Nostrisque succedent, ex conscientia perfectioni consignare obligentur. Imperantes ex nunc quibusvis Ministris, ac Magistratibus, ut Donationem istam inter vivos factam, ac maturo consilio roboratam in suo valore non tantum relinquant, sed & adimpleri studeant. Non obstantibus cateris quibuscunque, ad hoc, ut Deo, Sanctisque, quibus ex corde VOVIMUS, ante omnia fiat satis.

In firmissimum & irretractabile hujus rei complementum Nos hic subscripsimus, nostroque Sigillo scripturam subsignari, nec non Patribus Theatinis praberi jussimus, quam Donationem etiam RR. PP. Theatini devoto animo susceperunt. Monachii Nona Aprilis Anno MDCLXIX.

Ferdinandus Maria Elector.	*H. M. Adelaide.*
Carolus Begnudellius.	*A. Lanterius Serenissima*
B. S.	*Ek^is Secret.*

Obitus Udalrici Abbatis Tegernf.

Monachii in Electorali Aula die 14. Martii Anno 1673. apoplexia sideratus Udalricus, celebratissimus Tegernseensium nostrorum Abbas, cum ex more Electorali prandio benediceret, subito mortuus concidit. Vir fuit de suo Monasterio summe meritus, Monacensi & Ænipotanæ Aulis acceptissimus, Ferdinando Mariæ ab intimis Consiliis: de quo illud posterorum memoriæ præcipue commendamus, quod is, eum ei Serenissimus Elector obtulisset, atque attribuere voluisset opulentam illam Waldsassensis Cistercienfium Monasterii Abbatiam, uti etiam præpinguem Præposituram Oetinganam, utramque admittere noluerit. Certè non omnes eo sunt animo, ut tam pingues bolos fastidiant. Ejus exuviæ domum reductæ, & ad aram S. Andreæ tumulatæ, usque ad annum Christi 1684. integræ & incorruptæ permanserunt: quo tempore ob restaurationem Ecclesiæ exhumatæ, deinceps sub novo sepulchrali lapide fuere depositæ non sine piis aspectantium lacrymis. Necrologium Tegernseense hæc de illo habet: *Reverendissimus & Amplissimus Dominus Udalricus hujus nominis tertius Abbas nostra Congregationis laudabilissimus, cujus virtus nullos titulos ambivit, omnes promerita. Prafuit annis triginta septem Fratribus ut mitis Pater, dominio in servos benignus, in subditos clemens, in pauperes largus, pietate erga Deum & Divos posteritati in exemplum.*

Udalrico Abbati eodem anno suffectus est Bernardus Wenzl, vir humilitate, benignitate, & scientiis clarus.

§. V.

§. V.

Residua Alberti Sigismundi, & ejus temporis publica Acta.

ANno Christi 1674. rursus portitores Austriæ plus æquo à vectoribus vini Frisingensis exegerant. Id Imperatori questus est Albertus Sigismundus, effecitque, ut vectigalium moderatio secuta sit.

N. 428.

Splendidissima Clericorum Regularium Theatinorum Monachii Basilica non poterat esse opus unius duntaxat, aut alterius anni, sed totos omnino duodecim requirebat. Quare ejus Dedicatio usque ad annum Christi 1675. dilata fuit: quo anno die 11. Mensis Julii (qua olim ex Divi Cajetani intercessione Maximilianus Emmanuel, tum Princeps, ut vocant, Electoralis, natus fuerat) Frisingensis Proepiscopus Joannes Casparus Khüner eam demum sacris ritibus initiavit. In eam, annuente Alberto Sigismundo Ordinario nostro Serenissima Electrix introduxit Sodalitatem nobilium tantum personarum, & quidem fœminei duntaxat sexus, quæ se mancipia gloriosissimæ Cæli Reginæ habitu proprio, catenulaque & obsequio profitentur. Ei Sodalitati deinceps etiam Imperatrices, Reginæ, Electrices, aliæque Principes fœminæ nomen dederunt.

Dedicatio Ecclesiæ Clericorum Regularium Monachii.

Sodalitas ibi erecta.

Agonizantes ex fundatione ejusdem Serenissimæ Electricis in eadem Basilica grande illud beneficium obtinent, ut, dum supremam luctam sive diurno sive nocturno tempore aggrediuntur, orationibus dictorum Patrum coram exposito Eucharistico Numine per dimidiam horam adjuventur; decedentes vero celebrato sacrificio suffragium habeant. Albertus Sigismundus Ordinarius noster Patribus illis vestes Sacrificales pretiosas donavit, longe vero plures & pretiosiores Ferdinandus Maria Elector contulit, & Ecclesiam illam inter Aulico-Electorales recensuit: in cujus rei signum semper cernitur pensile Aulæum holosericum in Oratorio Superiori prope aram majorem, ut spectatoribus semper innotescat, Ecclesiam illam communi cum aliis Sacellis Aulicis privilegio gaudere.

Alia fundatio in dicta Ecclesia.

Clemens X. Summus Pontifex die 22. Julii Anno Christi 1676. ad sidera evolavit. Post ejus obitum Ecclesia duorum mensium spatio Pastore viduata remansit. Die vero 21. Septembris ejusdem anni Benedictus Cardinalis, S. Onuphrii Odescalchus Novocomensis * ad Regimen Catholicæ Ecclesiæ vocatus est assumpto Innocentii XI. nomine.

ClemensX. subrogatur Innocentius XI.

* Como.

Anno posthac 1678. die 26. Julii Leopoldo Imperatori natus est Josephus Archi-Dux, lætitiæque tanto effusiori ansam dedit, quanto diuturniori exspectatione desideria Austriæ cælum suspenderat, uti in Historia Leopoldi Magni Cæsaris Augusti tradit P. Franciscus Wagner S. J. qui addit, partu isthoc portentosas multorum designationes fuisse præfocatas.

Nascitur Josephus I. postea Imp.

Sequenti anno pax Noviomagi conclusa & signata fuit, postquam Galli, qui ex seminatis inter Germaniæ Principes discordiis commoda sua referre dudum didicerant, provincias & Urbes trans Rhenum munitissimas diuturno bello ab Imperio avulserant: ut adeo nemo, qui quidem Germaniæ bonum spectabat, eidem gratulari aut voluerit aut potuerit. Ipse Leopoldus Imperator pacem illam non aliter quam calamitatem æstimavit, pro qua tamen ipsa gratias Deo agendas esse pie censuit.

Pax Noviomagensis.

Secuta est eodem anno mors Ferdinandi Mariæ Electoris, cujus pacificum Regimen, uti quidam exteri haud obscure criminantur, quod ruinis Imperii non succurrerit, ita Boji ad sidera extollunt, quod res suarum provinciarum sartas

Decedit Elector Ferdinandus Maria.

tectas servavit, & incommoda, qualia evenere belli Suecici tempore, à Bojaria averterit. Mortuo Ferdinando Maria curæ maximæ Austriacis Gallisque fuit, ut Maximilianum Emmanuelem hæredem partibus suis adjungerent. Missi fuerant Parisiis ac Vienna Oratores, viri præstantissimi, qui adolescentem Principem conciliarent rationibus Aularum suarum. Austriacis favebat Maximilianus Philippus, Principis Electoris tutor & patruus, cui è Consiliariis intimæ admissionis plures adhærebant, tametsi non deessent alii, qui Gallica consilia præferrent. Potentior Orator successit Leopoldus ipse Imperator, cum Lincio Oetingam veterem ad venerationem Deiparæ, eo in loco dudum propitiæ, se contulisset. Cum enim eo etiam venisset Maximilianus novus Elector, ut Cæsari, in hanc suam provinciam profecto, obsequium deferret, Leopoldus gladium pretii ingentis, & filiam suam Antoniam ei obtulit, ejusque animum hac arte mire sibi conjunxit.

Maximilianus Emm. succedit.

Partes Leopoldi Imp. amplectitur.

Pestis Viennæ.

Viennæ eo tempore atrocissima pestis desæviit, & ultra octoginta mortalium millia absumpsit. Galli eo anno Argentinam proditione ceperunt, maximo atque ferme incredibili Germaniæ malo. Casalis, Pedemontii ac totius Italiæ propugnaculum, simili fere ludo in Gallorum potestatem concessit.

Salisburgi celebratur annus jubilæus.

Albertus Sigismundus Episcopus noster eo anno grandi illi festivitati, quam sæcularem vocabant, Salisburgi interfuit. Canonicis Divi Andreæ eas in Ecclesia epomides, quibus hodieque utuntur, concessit.

Obsidio Viennensis solvitur.

Anno 1683. ab arctissima Turcarum obsidione Vienna liberata est plaudente toto Christiano orbe, nisi forte Aulam Gallicam nonnemo Scriptorum juste excipiat. Quis obsidionis modum Turcis præscripserit, nostrum non est commemorare.

Congregatio Benedictino-Bavarica.

In Bojaria nostra eo anno, agente Serenissimo Electore Maximiliano Emmanuele, pleraque Benedictini Ordinis Monasteria in unam Congregationem coiêrunt. Cum enim annis superioribus bellorum temporumque injuriis complura ejus Instituti Monasteria tum in Superiori Palatinatu, tum in ipsa Bojaria in peregrinas manus fuissent prolapsa, necesse erat fœdus jungere, ut facilius mutuis subsidiis nobis invicem succurrere imposterum possemus. Gratum id accidit Innocentio XI. Summo Pontifici, qui Opus illud omnino approbavit, & peculiaribus gratiis prosecutus est. Eam Congregationem cogitabant Abbates nostri sub invocatione S. Ruperti instituere, uti Galli nostri suam sub invocatione S. Mauri erexerant: sed obstitit Summus Pontifex: qui, cum cuperet cultum aliquem singularem Sanctis Angelis Custodibus exhibere, mandavit, ut Congregatio nostra nomen ac titulum haberet ab iisdem SS. Angelis, in quorum annua festivitate vota Religiosa quotannis nuncupare & renovare ab eodem Pontifice jussi sumus. Primus huic Congregationi Præses datus est Reverendissimus D. Cælestinus, Imperialis Monasterii S. Emmerammi Ratisbonæ Abbas, Autor Mausolæi ejusdem Divi Emmerammi, quod hactenus in nostros usus sæpissime adduximus. Fructus hujus unionis eximius secutus est, quando in quatuor Monasteria Superioris Palatinatus, Roma ac Monachio approbantibus, novos Abbates, novosque Conventus nostri introduxerunt. Accessere etiam alia incrementa, de quibus tamen hic disserendi locus non est.

Ea, quæ hoc anno Romæ de S. Nonnoso, singulari hujus Diœcesis Patro-
N. 429. no, Romæ fuere impressa, in parte altera damus: de S. Nonnoso inferius diffuse acturi.

Josephus Clemens fit Adjutor Alberti Sigismundi. Qui obit.

Albertus Sigismundus Episcopus noster uno fere ante mortem suam anno, (nempe eodem 1684.) die 27. Nov. cum assensu Cathedralis Collegii adjutorem sibi delegit Josephum Clementem, Serenissimi Electoris Maximiliani Emmanuelis fratrem germanum. Ipse Albertus, cum 33. annis, mensibus decem, diebus 26. Ecclesiis suis, ac præcipue Ratisbonensi (cujus gravia debita expunxit) utiliter præfuisset, vivendi atque regendi finem fecit die 4. Nov. An. 1685. ætatis suæ anno 63. insigni apparatu in Cathedrali Basilica ante gradus Chori conditus.

Eum

Eum ad immortalitatem præcessit Reverendissimus D. Joannes Casparus Khi-ner, Proepiscopus, Consilii Ecclesiastici Director, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Viti Decanus die 8. Julii ejusdem anni morte sublatus. De illo etiam in sequentibus mentionem faciemus. Post Proëpiscopum suum.

Ad Alberti Sigismundi Episcopi commendationem pertinet, quod porticum, qua è Palatio Episcopali ad Cathedralem Basilicam itur, prius admodum angustam, egregie ampliaverit. Horti Aulici, qui prope & extra muros Urbis situs est, primus author ipse fuit, uti etiam castri Erchingani, & hodierni Stabuli aulici. Controversiam, quæ occasione operarum apud Lacopolitanos agitabatur, ipse composuit. Reluit Castrum Oberwelsinm, quod jam à multis annis fuerat oppignoratum. Castrum Kopffpurgense cum pertinentibus suæ Ecclesiæ comparavit. Cathedralem hanc Ecclesiam coëmpta pretiosissima lampade, structoque marmoreo propylæo exornavit. Corpora SS. Prosperi & Felicis Parochiali Divi Georgii Ecclesiæ intulit. Visendam illam, atque sumptuosam B. V. M. statuam in medio Urbis foro erexit; anniversariam sui memoriam ingenti ære fundavit: ac plura alia ad insignem Ecclesiæ suæ utilitatem præstitit. Merita Alberti Sigismundi.

Ferunt, Eum, cum forte male ab aliis informatus, eos, qui delati fuerant, acrius reprehendisset, postea, comperta illorum innocentia, aliquoties ab iis veniam petiisse. Famulitio minime numeroso contentus vixit, & quamvis è Serenissima ac Ducali prosapia prognatus esset, à pompis tamen abhorruit. Hæc Alberti Sigismundi fuere decora.

Obiit Innocentio XI. Summo Pontifice: Imperatore Leopoldo: Electore Bojariæ Maximiliano Emmanuele, celeberrimis adversus Turcas victoriis clarissimo, & eodem anno Antoniam, Leopoldi Imperatoris filiam sibi desponsante. Archiepiscopo Salisburgensi Maximiliano Gandolpho, S. R. E. Cardinale, & Comite Küenburgio: Patavienfi Sebastiano, Comite Pöttingio, hæreditario Burggravio Lenntii. * Brixinensi Paulino. In Ratisbonensi æque, ut in Frisingensi Cathedra Josephus Clemens Alberto Sigismundo successit. *Lyntz.

CAPUT IX.

Josephus Clemens, LV. Episcopus Frisingensis.

§. Unicus.

Breve apud Frisingenses Josephi Clementis Regimen.

De Serenissima prosapia & Electione Josephi Clementis jamjam supra diximus. Ejus Electio die 6. Octobris Anno 1685. Romæ comprobata fuit. Investituram Imperialem Josephus Clemens misso Viennam Adamo Ferdinando Lampfridshaimio, Camerario & Consiliario suo, adjunctoque Jacobo Erne- Initia Josephi Clementis.

N. 430. Ernesto Pleknero Jurium Doctore, die 11. Aprilis Anno 1687. obtinuit. Cum vero eo tempore Serenissimus Josephus Clemens nondum attigisset annos, quibus Summi Pontifices solent Electis committere Episcopatuum Administrationem, ea Reverendissimo Illustrissimo & Excellentissimo D. D. Joanni Sigismundo Zeller, Domino de Leiberstorff & Gleinsteten, Cathedralis Ecclesiæ Præposito, Archi-Diacono & Canonico &c. fuit attributa.

Novus Archiepiscopus Salisb. Salisburgi eo anno Maximilianus Gandolphus Archiepiscopus mense Majo fatis pie concessit, & vacantem Sedem Joanni Ernesto è Comitibus de Thun, Guidobaldi Cardinalis quondam Archiepiscopi fratri, reliquit.

Josephus Clemens fit Archiepiscopus Coloniæ. Proximo anno, Christi 1688. mortuo Maximiliano Archiepiscopo & Electore Coloniensi favente Innocentio XI. & annnente Leopoldo Cæsare adversus Wilhelmum Fürstenbergium Argentinæ Episcopum, S. R. E. Cardinalem, & Archiepiscopi Coloniensis Adjutorem, Josephus Clemens Coloniæ electus, die 20. Septembris ejusdem anni confirmationem ab eodem Innocentio XI. Papa impetravit, ea tamen conditione adjecta, ut, quamprimum pacificam Coloniensis Sedis possessionem adiisset, Frisingensi atque Ratisbonensi Ecclesiis cederet.

Post Innocentium XI. Pontificatum adit Alexander VIII. Buda capitur. Porro ipse Pontifex Innocentius XI. ob virtutes singulares & sanctitatis famam ab ipsis etiam Acatholicis laudatus, expletis in Sede Petri annis 12. mensibus 10. & diebus 22. decessit anno sequenti 1689. die 12. mensis Augusti: cui post dies 55. suffectus est Petrus Ottobonus Venetus, S. Marci Cardinalis, qui Alexandri VIII. nomen deinceps sibi assumpsit. Inter hos annos Christianæ Reipublicæ felicissimus illuxit, qui à Christo Nato erat millesimus sexcentesimus octuagesimus sextus, quo post multa alia primæ notæ fortalitia etiam Buda, munitissima Civitas, & Hungariæ Caput, incomparabili nostrorum præsertim Serenissimi Max. Electoris Bavariæ fortitudini cessit.

Josephus fit Rex Rom. Armis Cæsareo-Christianis eum in modum gloriose per Hungariam invalescentibus censuit Leopoldus Imperator, tempus monere, quo successorem in Imperio sibi adsciseeret. Ea gloria Josephum filium respiciebat, Hungariæ Regem. Ejus itaque in Romanorum Regem electio, cui etiam Episcopus noster Josephus Clemens, ceu Elector Coloniensis, interfuit, contigit Anno 1690. die 24. Jan. in Sacrario Imperialis nostri Monasterii SS. Udalrici & Afræ Augustæ Vindelicorum: ubi deinceps tum ipse Electus, tum etiam Augusta Mater Eleonora coronas Regias accepere in Ecclesia Cathedrali.

Leopoldus Imp. venit Firstenfeldam. Cum Leopoldus Imperator rebus Augustæ ad vota peractis reditum per Bojariam institueret, Martinus Firstenfeldensium Abbas die 5. Februarii annum sui Abbatialis Regiminis quinquagesimum celebraturus erat. Et ecce! eo ipso tempore Imperator cum Augusta & filio Romanorum atque Hungarorum Rege Josepho, ac multo Principum ac præcipuorum Procerum Comitatu Firstenfeldam venit, ibique pernoctavit, ac die sequenti festivitati illi interfuit: quod utique in ingens Reverendissimo Senecioni solatium, atque universæ Firstenfeldæ jubilum, ac gloriam æternum memorabilem attulit. Hic est ille Martinus Abbas, qui adjuvante Bojariæ Electore amplissimum Monasterium Waldsassense, in Palatinatu Superiori situm, & antehac à Comitibus Palatinis, in Lutheri doctrinam prolapsis, Ordini subtractum, Cisterciensi Instituto restituit. Ipse eodem anno, Regiminis sui quinquagesimo primo, rebus sui Monasterii omnibus optime constitutis ad cælos migravit.

Innocentius XII. PP. Postero anno, Christi 1691. Alexander VIII. Summus Pontifex die 1. Febr. vitæ metam attigit. In Petri Sedem deinceps vocatus est Antonius Pignatellus Neapolitanus, Cardinalis S. Pancratii, & Neapolitanus Archiepiscopus, qui dici voluit Innocentius XII. osor nepotismi eximius.

Moritur Frisingensis Proepiscopus. Frisingæ eo anno diem supremum clausit Reverendissimus D. Simon Judas Thadæus Schmid, Tricalensis Episcopus, Proëpiscopus Frisingensis, Concilii Ecclesiæ

siæ

siastici Director, Decanus S. Andreæ, anno suæ ætatis nonnisi tricesimo septimo, præcoci fato abreptus.

Proximo anno, Christi 1692. die 7. Januarii Reverendissimus & Serenissimus Ordinarius noster ad repetitas humillimas preces Collegio DD. Canonicorum S. Viti jus primæ *instantiæ*, & facultatem obsignandi &c. rursus asseruit, easdemque facultates etiam in Clericos seu Capellanos ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ exercendas extendit, idque perpetua & irrevocabili lege. Vicissim Serenissimo Ordinario ejusque Celsissimis successoribus prædicti DD. Canonici cessere jus nominandi & instituendi Canonicos iis mensibus, quibus antehac illud jus ipsi Collegio competebat: ea tamen conditione adjecta, ut imposterum Reverendissimi DD. Ordinarii neminem nominarent aut instituerent, nisi qui nobilitate generis, aut SS. Theologiæ vel Jurium gradibus insignes essent. Hic tractatus deinceps An. 1695. Pontificia authoritate confirmatus fuit. Instrumenta in Archivo illius Ecclesiæ asservantur.

Josephus Clemens Episcopus noster, & Elector Coloniensis interim Anno 1694. adjutor datus est Hildesiensi Episcopatui: Leodienses vero eum sibi Episcopum elegere. Verum non alio pacto Sedes Pontificia probare voluit has electiones, quam ut Electus Frisingensi & Ratisbonensi Episcopatibus renunciaret. Vacantem tamen postea Ratisbonensem Cathedram rursus paulo post obtinuit. Frisingensis vero Sedes Episcopo destituta eo tempore remansit. *Vacare incipit Sedes Frisingensis.*

Eum in modum alio translatus est Josephus Clemens: qui tamen Frisingæ sui memoriam impressit erecta S. Michaelis Archangeli Sodalitate, cujus directionem Patribus Reformatis Ord. S. Francisci commisit. *Memorabilia Josephi Clementis Frisingæ.*

Instituit etiam Frisingæ septem illas sactas exhortationes, quæ ante Natalitias Christi ferias hodieque cum maximo animarum fructu & solatio fieri solent, subjuncta semper musicis modulis ea Antiphona, quæ ejusmodi feriæ officio respondet, ac vota & desideria Patrum Veterum, Christi adventum suspirantium, exprimit. Ejus reliquas laudes eximias à Coloniensibus aliisque inferioris Germaniæ Scriptoribus cum R. P. Gregorio Kolb S. J. exspectamus.

Sub Josepho Clemente Anno 1690. die 27. Decembris Frisingæ piissime obiit Reverendiss. & clar. D. Franciscus Kall, SS. Th. D. majoris Ecclesiæ Canonicus, Scholasticus, Officialis, & in Spiritualibus Administrator, qui Domum Gregorianam Monacensem, ubi Studiosi tenuioris census magno numero aluntur, atque ad virtutum & scientiarum cultum à RR. Patribus S. J. solicitè diriguntur, memorabilis legati hæredem scripsit, inter præcipuos illius dotatores merito numeratus. De Domo illa Gregoriana, cujus beneficiis etiam ego antehac feliciter gavisus sum, optime scribit V. C. Rev. P. Ignatius Agricola Soc. J. in sua *Historia Provinciæ S. J. Germaniæ Superioris pag.* 150.

Sub eodem Serenissimo Josepho Clemente comparatæ fuere ex ædes, quæ deinceps Seminario Alumnorum Episcopalium fuere destinatæ: quibus etiam hodiernum Episcopale Lycæum accrevit.

Monasterium Weyarense Anno 1692. jus mitræ, absque prævia benedictione gestandæ, & alia quædam insignia privilegia ab Innocentio XII. obtinuit.

CAPUT X.

Joannes Franciſcus Friſingenſis Epiſcopus LVI.

§. I.

Joannes Franciſcus ante Epiſcopatum.

IN primo hujus noſtri Operis Tomo, & quidem ejusdem nuncupatoria epiſtola, de Reverendiſſimo ac Celſiſſimo Epiſcopo & Principe noſtro ſuccinctè ac promiſcue, absque rerum geſtarum ordine delibavimus ea, quæ ante ejusdem Operis editionem nobis innotuerant. Nunc ea acta ad annorum ſeriem revocamus, &, quæ nunc ſuppleti à nobis poſſunt, poſteritati commendamus.

Joannes Franciſcus fit ephebus Alberti Sigismundi Ep.

Joannem Franciſcum Eckerum, Baronem à Kapfing & Liechteneck, Joannis Chriſtophori Eckeri, & Mariæ Salomes à Kading in Schenhering filium primogenitum, in Caſtro Trainenſi die 16. menſis Octobris 1649. mane intra tertiam & quartam horam, orbi illuxiſſe, ſupra loco ſuo monuimus. Cum poſtea prætextam poſuiſſet, & prima elementa perdidiciſſet, inter ephebos illuſtres Reverendiſſimi ac Sereniſſimi Epiſcopi, Ducis ac Principis Friſingenſis Alberti Sigismundi recenſitus eſt: quo tempore ad inferiorum Scholarum ſtudia adhibitus in Aula fuit; quæ poſtea Monachii proſecutus eſt. Primis illis ſuæ adoleſcentiæ annis amatorem ſeſe pictoriæ artis prodebat, cum identidem penicillum applicaret,

Amat Artem pictoriam, bono omine.

& (quod mirabitur Lector) plerumque Divi Corbiniani, primi Friſingenſis Epiſcopi, effigiem efformare conaretur. Omen id absque dubio erat, Joannem Franciſcum natum eſſe ad res, vitam, ac Epiſcopatum Divi Corbiniani illuſtrandos: quod eo quidem tempore à nemine fuit animadverſum: poſteri vero

Aliud omen.

anni luculenter prodiderunt. Accidit aliquando, ut Joannes Franciſcus Divi Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi in publico Aulæ Gymnaſticæ theatro agere juberetur. Id is tam exactè præſtitit, ut ejus Profeſſor, qui Comici operis Autor erat, aſſeruerit, Perſonam Epiſcopi optime congruere D. Eckero, & videri ſibi, eum, ſi etiam poſthac virtutibus ac ſtudiis ſeriam operam dare pergeret, Epiſcopum futurum. Ita ex eo tempore non ſolo penicillo, ſed etiam moribus Epiſcopum exprimere cœpit.

Monebat interea Joannem Franciſcum ætatis ratio, ut de vitæ ſtatu deligendo rationes iniret. Et is quidem magnopere propendebat ad antiquiſſimum Divi Benedicti Inſtitutum amplectendum: verum, cum is, quo utebatur conſcientiæ ſuæ arbitro, crederet, conſultius fore, honorique Dei cum tempore magis profuturum, ſi inter Canonicos Cathedralis cujusdam Eccleſiæ locum quæreret, pa-

Fit Canonicus Friſingenſis.

ruit monenti, &, ut ejusmodi dignitatem indipiſceretur, curæ habuit. Eam etiam conſecutus eſt anno Chriſti 1673. die 30. Junii, cum ei Joannes Baptiſta Plauen,

Do-

Doctor, Frisingensis & Constantiensis Canonicus Frisingensem Canonicatum ultro cessisset. Pro ejus nobilissimis Natalibus asserendis testes fuere adhibiti Perillustres Domini Joannes Jacobus de Echingen, Supremus Aulæ Frisingensis Præfectus, ejusdem cognatus, & Joannes Franciscus Spethius de Zwyfalten, ejusdem Aulæ Archippocomus seu supremus Stabuli præfectus. Certe Joannes Franciscus noster non ex quatuor tantum aut octo, sed longe pluribus generationibus continuis majorum suorum avitæ nobilitatis argumenta superabundantia poterat demonstrare.

Proximo anno Christi 1674. in Ecclesia S. Benedicti, Cathedrali contigua, Presbyter.
Sabbato Sancto Presbyterii Ordinem suscepit. At, quo minus primam Eucharisticam hostiam Deo statim litaret, interveniens infirmitas obstitit usque ad mensem Junium, cujus demum die 25. (quæ Dominica erat) in inclyto nosto Ettalensi Monasterio ad aram Thaumaturgæ Deiparæ novus mysta primum incruentum Neomysta.
sacrificium Deo obtulit.

Anno sequenti, 1675. die 24. Julii inter Canonicos, quos *Capitulares* vocamus, sedem obtinuit: crescentibus vero deinceps meritis anno 1684. die 24. Decanus.
Jul. in Decanum Cathedralis Collegii electus fuit.

Eam dignitatem consecutus, totus in eo erat, ut, quod is pridem optave- Rerum Ecclesiæ Cathedralis studiosissimus.
rat, functiones Ecclesiasticæ ritusque omnes in Cathedrali Ecclesia juxta præscriptas à Romana Ecclesia regulas exacte, & quidem statis horis absque omni mora interposita observarentur. Id cum feliciter & ex animi sententia successisset, deinceps antiqnissimas suæ Ecclesiæ membranas, à multis centenis ac propemodnm Antiquitatum amator.
mille annis cum blattis pugnantes, codicesque optimos pulveribus eousque obsitos exitio præripere, & luci restituere studuit. Labor ille saluberrimus utilissimusque rantum rerum antiquissimarum studium in Joanne Francisco accendit, ut non contentus innumeris, quæ Frisingæ repererat, monumentis, non sine ingentibus sumptibus etiam ad alia Bojariæ loca, imo etiam extra Bojariam se conferret, antiquitates excuteret, & lapidnm etiam sepulchralinm inscriptiones in suos usus colligeret. Interea tamen nihil omisit eorum, quæ officii sui ratio postulabat. Ejus rei argumentum insigne præber elegantissima atque magnifica turris Autor hodiernæ turris ad S. Georgium.
Parochialis Ecclesiæ Divi Georgii Frisingæ, quam Is, consentiente Cathedrali Collegio, maximis sumptibus (nihil attentis, quæ intervenerant, ingentibus difficultatibus) ædificavit, & ære campano largissime instruxit.

Insuper Xenodochium insigni ac faberrimo opere una oum adjuncta Ecclesia Reparator Xenodochii.
S. Spiritus de novo condidit, & ad finem feliciter perduxit. Prætereanti jam antehac ad reparandas, quas temporis successu inhabitaverat, Canonicorum Ædes ingentem pecuniæ vim adhibuerat, ita etiam auctus dignitate Decanatus, in ædes ei officio destinatas, nummos plurimos ex proprio ærario deprompsit. Præterea jurium suæ Ecclesiæ tnendorum semper studiosissimum sese exhibuit. Pauperum Hospes pauperum.
quoque Patrem sese omni tempore monstravit. Religiosi mendicantes, Frisingam in itinere delati, aliiqne permnlti semper in Ejus ædibus hospitium cnm mensa opipare instructa repererunt. Parentes etiam suos, senio graves, statim atque Pius erga parentes suos.
Decani dignitatem adiit, in easdem ædes suas Anno 1684. die 24. Octobris vocavit, ac deinceps pietate vere filiali confovit, quamquam eo beneficio non diu potuit frui Perillustris Dominus Parens, quippe qui statim die 6. Januarii insequentis anni 1685. ex pedis affectu septuagesimo septimo suæ ætatis anno pie in Domino quievit, sepultus in Ecclesia S. Benedicti ad Cornu, uti appellamus, Epistolæ: è quo tnmulo ejus exuviæ postea anno 1690. intra eandem Ecclesiam translatæ fuere ad aram S. Barbaræ, à Joanne Francisco erectam, ubi etiam Familiæ suæ nobile conditorinm excitavit: cujus etiam munificentia è regione surrexit ara S. Joannis Baptistæ intra eandem Divi Benedicti Ecclesiam. Mater vero illius piissima feliciter supervixit, donec majorem filio suo honorem congratulari posset.

Primæva Initia Parthenonis Montis Liliorum prope Monachium.

Medio illo tempore Prænobilis Dominus Joannes Maximilianus de Albertis, Eminentissimi ac Serenissimi Electoris Coloniensis Dapifer, Civitatis Monacensis Consul, & Statuum Provincialium ad pensiones solitas distribuendas deputatus una cum conjuge sua Maria Francisca, Excellentissimi D. Corbiniani Prielmayerii, Serenissimæ Domus Bavaricæ Consiliarii intimi ac Ministri filia, cum omni hærede necessario carerent, opnm suarum hæredem scripsere Deiparam, absque omni originaria labe conceptam. Eum in finem coëmerunt in subnrbio Monacensi, quod Augiam vocant, fundum, ubi antehac Sebastianus Gaisreitterus, hydraulicæ artis peritus, sacellum parvulum excitaverat, ibique construxerunt ædem, ubi duæ primnm: postea sex virgines, tribus votis, ut vocamus, simplicibus adstrictæ ad cultum Mariannm conservarentur. Primus lapis positus fuit die 14. Aprilis Anno 1693. Virginum illarnm directio commissa fuit viro Religiosissimo P. Ægidio Kibler Andecensi, qui antehac communis Tyrocinii Congregationis nostræ primus Magister fuerat: cujus & ego, qui hæc scribo, uti indignus discipulus fui, ita Deum flagrantibus desideriis imploro, ut ejus viri summas virtutes semper præ oculis habeam, & imitari studeam: Cæterum de cœpto illo Albertino opere deinceps frequentior mentio occurret.

§. II.

Joannes Franciscus fit Episcopus & S. R. J. Princeps Frisingensis.

CUm talem sese ferret Joannes Franciscus, qualem mox descripsimus, fieri aliter non potuit, quam ut omnium amores in se converteret, qui quidem justum virtuti pretium ponere noverant. Hinc cum anno Christi 1694. Frisingensis Sedes ex aliis Josephi Clementis promotionibus juxta Pontificium Decretum vacasset, mox ad initium sequentis anni 1695. die 29. Januarii plns quam duæ tertiæ votorum eum sibi Episcopum delegerunt: quæ res ingenti jubilo & applausu Urbem istam, imo Diœcesin universam implevit. Non defuere eqnidem, qui in Romana Curia adversus eam electionem strepitum excitare miris modis contenderent: sed frustra fuere. Rebus enim diligentissime, & adhibita etiam tnm Nuncii Apostolici Viennensis, tum Salisburgensis Archiepiscopi opera, disquisitis, die 30. Januarii sequentis anni Romæ electio comprobata fuit, adjectis etiam Joanni Francisco peculiaribus privilegiis & gratiis, quæ alias paucis Germaniæ Episcopis concedi solent. Et mirum sane erat, quod ea Confirmatio ipsa, qua Romæ contigit, die jam innotuerit Frisingæ. Cum enim Virgo quædam, rebns cælestibus addictissima, fortuito dixisset: *hodie Romæ res quadam feliciter acta est:* & is, qui erat Virginis in re Ascetica director, interrogasset, *qua?* respondit illa: *Electio confirmata est.* Sane id veritati fuisse consonum, post dies paucos literæ Romanæ prodiderunt.

Joannis Francisci electio in Episcopum.

Confirmatur.

Romana confirmatio innotescit mire.

Iraque ipsis Kalendis May Aulam hanc ritu solemni Joannes Franciscus ingressus est. Deinceps vero omnibus, quæ erant necessaria, diligentissime præordinatis, postquam Frisinga ab annis 45. nullum suum Antistitem mitratum viderat, à Reverendissimo & Celsissimo Episcopo Brixinensi Joanne Francisco, ex Illustrissimis Comitibus de Khuen in Belasy, S. R. J. Principe, veteri suo amico, & antehac inter Frisingenses Canonicos collega suo, assistentibus Augustano & Eustettensi Proepiscopis ritu festivissimo inter nobilium & ignobilium, maximo nu-

Aulam ingreditur.

Consecratur.

numero spectantium, sincerissimos applausus, sacram innnctionem, Mitram, & pastorale Pedum suscepit: Jura vero, ad Principatum Frisingensem attinentia, à Cæsare Leopoldo die 6. Julii impetravit, cum Viennam misisset Reverendissimum D. Andream Lenzer, SS. Th. Doctorem, Cathedralis Ecclesiæ Decanum, suum in ea dignitate successorem, Locumtenentem, & Consilii Aulici Præsidem, qui etiam antehac causam Joannis Francisci nostri in Aula Cæsarea propugnaverat, uti eandem in Romana Curia strenuissime defendit Reverendissimus D. Franciscus Antonius Begnudellius Bassus, Canonicus & Officialis Frisingensis, qui socium itineris habuit Illustrissimum D. Franciscum Sigismundum Antonium Baronem Eckherum à Kapfing & Liechteneck, Dominum Kallingæ, suæ Celsitudinis Nepotem dignissimum, qui deinceps, post rem Romæ summa dexteritate gestam, multa alia ingentia, & pene incredibilia obsequia inter varia præcipua officia Frisingensi Principatui collaturus erat. Instituitur à Cæsare.

Inter hæc anno 1695. die 13. Junii terris valedixit Reverendissimus D. Franciscus Jacobus Zadler, SS. Th. & J. U. D. Canonicus, Scholasticus, summus Custos, & Vicarius in spiritualibus generalis: qui augendæ Cathedralis Collegii Bibliothecæ florenos mille: item pro dote puellis pauperibus in matrimonium elocandis largienda itidem florenos mille: reliqua vero, quæ possederat, omnia sacris Cathedralis Ecclesiæ Ornamentis cumulandis assignavit. Mors Franc. Jacobi Zadleri Canonici.

Celsissimus Antistes noster eum, ut diximus, in modum charactere Episcopali insignitus, non diu distulit munia sublimi suo officio congruentia obire.

Statim enim quinta die Dominica post Pentecosten, & quidem extra consueta sacrarum Ordinationum tempora ex singulari privilegio sibi à Sede Apostolica concesso in hac Cathedrali sua Ecclesia Presbyteros quatuor ordinavit, & inter hos quidem primo loco venerandum Senecionem Perillustrem Dominum Joannem Fridericum de Widnmann in Rapperszell &c. Electoralis Cameræ Monacensis Directorem. Verum de ejusmodi zelo vigilantissimi Pastoris nostri in sequentibus dicenda occurrent quam plurima: dum interim aliam historiolam hic commemorare oportet. Prima ordinatio Joannis Francisci.

Consideraverat clementissimus Princeps, cives, colonosque dominiorum Frisingensium, in Styria, Carniolia, & Comitatu Tyrolensi sitorum, ab annis quam plurimis nunquam potuisse gaudere præsentia Frisingensis cujusdam Præsulis, cui tamen ipsi ingentem æris copiam quotannis fideliter numeraverant. Consultum etiam videbatur coram indagare, num ditionum illarum Præfecti munia sua rite ac ingenue explerent? num subditi in vera tranquillitate absque gravaminibus & querelis viverent? Constituit igitur sapientissimus Præsul, in partes illas ac provincias iter instituere, easque præsentia sua exhilarare. Iter itaque ingressus est cum insigni suorum comitatu mense Augusto Anno 1696. Salisburgum versus, ubi in itinere à Reverendiss. ac Celsiss. Joanne Ernesto, è Comitibus Thunianis dignissimo Archiepiscopo, prope Ampfingam cum tenerrimo gaudio festive exceptus, Salisburgum deductus, ibique triduo lautissime habitus est. Vidisses ibi, Lector, duos veros Ecclesiarum suarum Pastores mutuis alloquiis mire deliciari, consuetudine dulcissima recreari quidem, ast satiari non posse. Urgebat nihilominus modestia Joannis Francisci, ut iter urgeret, ne diuturniori sua præsentia hospiti suo majorum adhuc sumptuum causa esset. Et Ernestus quidem tandem annuit Francisco, ita tamen, ut Præsuli nostro è suis adjungeret, qui eum per totam ditionem Salisburgensem usque in Carinthiam comitarentur, obsequia ei præstarent, & in diversoriis singulis, ad quæ veniret, mensam Principe dignam instruerent, & id quidem totum Salisburgensibus impensis. Tantæ munificentiæ respondit Celsissimus Princeps noster, quando ad fines usque Salisburgenses perductus, Archiepiscopi Ministris, sibi in comitatu adjunctis, gratissimum sese exhibuit, nec nisi pinguibus donariis affectos à se dimisit. Cura pro subditis. Venit Salisburgum.

Periclitatur in ulteriori itinere.

Deinceps in Catinthiam progressus, cum aliquando, ad iter commodius prosequendum, sonipedem conscendisset, ingens discrimen prope Frisacum Urbem aditurus erat. Id vero Frisingæ virgo illa, quam supra laudavimus, sublimiori utique oculo prævidit: quæ proinde directorem conscientiæ suæ monuit, ut curaret pro Principe, velut in præsentaneo mortis periculo constituto, preces publicas fundi. Erat ea dies Dominica prima Septembris, Sanctis Anglis Custodibus sacrata. Itaque cum de veritate oraculi neutiquam dubitaretur, is, qui è suggestu Cathedralis Ecclesiæ ad populum verba fecerat, monuit auditores, ut precibus suis Joannem Franciscum Deo commendarent: & hem Lector! ea ipsa hora, qua pro Episcopo nostro oratio Frisingæ fiebat, sonipes, cui insidebat, è via communi ac trita paululum deflexit ad callem saxosum, qui sensim in tantas angustias coiit, ut Joanni Francisco integrum non fuerit, ex equo descendere, aut sonipedem retro dirigere, cum ex una quidem parte seps obsisteret, ex altera vero notabile præcipitium versus viam communem sese objiceret. Quid igitur consilii caperet Princeps? alias sane non occurrit, quam ut sonipedem versus præcipitium illud impelleret. Id cum factum fuisset, saluti Joannis Francisco fuit, quod à ruente equo ipse avulsus: & ita sonipes in unam, Princeps in alteram viæ partem prolapsus sit: secus enim fieri aliter non potuisset, quam ut sonipes Principem opprimeret. Accurebant equidem confestim famuli, ut è periculo ulteriori Episcopum eriperent: nemo vero erat, qui de ejus salute fere non desperasset. Verum Episcopus curæ fuit Superis. Statim enim compertum fuit, Joannem Franciscum è casu illo, tametsi periculis pleno, præter terrorem nihil gravius fuisse passum. Itaque cum nullum esset impedimentum, quo minus iter continuaretur, Princeps cum suis illud feliciter prosecutus est. Id tum bonis Angelis Custodibus, quorum festus dies agebatur, tum civium Frisingensium precibus, eadem hora pro Principe fusis, merito datum fuit. Sane cum quantis gaudiis, cum qua reverentia à suis subditis, maxime Lacopolitanis fuerit exceptus Celsissimus Princeps, paucis explicari non potest.

Mire liberatur.

Venit Lacnpolim.

Postea in Tyrolim.

Rebus in Carniolia ex animi sententia optime constitutis, in Tyrolensem Comitatum deinceps idem Celsissimus iter convertit, & feliciter ad Inchingenses suos devenit, paribus applausibus ab iisdem obsequiosissime susceptus. Cum illi quoque obsequiorum & obedientiæ promissionem Ei lætis animis fecissent, Brixinam ad Episcopum, veterem suum Collegam & Amicum, à quo ante trimestre Frisingæ inunctus fuerat, contendit, ibique dulcissimo complexu ab illo salutatus, & officiis tanto hospite dignis cumulatus est. Longo deinceps itinere ad suos Mittenwaldenses, Partenkirchenses, Garmicenses & Werdenfelsenses delatus, effusaque ubique locorum lætitia submississime salutatus, ad dilectum sibi Monasterium nostrum Ettalense venit, ubi Is, ut alibi diximus, olim primam Deo Eucharisticam Hostiam obtulerat. Exultantibus animis ab Ettalensibus susceptus, cum à Deipara Virgine, ibidem thaumaturga, opem pro felici Regimine devotissime implorasset, Abbatis rogatu quatuor Religiosos Monasterii Diaconos (inter quos modernus Reverendissimus D. Abbas Placidus numerabatur) Sacerdotio initiavit. Inde Frisingam prospero itinere redux eodem adhuc anno ordinationes quam plurimas fecit, & sacro chrismate novies mille quadraginta quatuor homines ad prælianda prælia Christi inunxit.

Brixinæ excipitur.

Comitatum Werdenfelsensem adit.

Pergit Ettalam.

Ibi 4. Presbyteros ordinat.

Cardinalis Sfondratus.

Eodem anno sibi gratulata est alma nostra Archiepiscopalis Universitas Salisburgensis, dum è Collegio Professorum suorum Cælestinum Sfondratum, illustrissimi Monasterii S. Galli apud Helvetos Abbatem & Principem, etiam Cardinalitia Purpura exornatum fuisse intellexit.

§. III.

§. III.

Continuantur labores Joannis Francisci Episcopi: ubi de fundatione Gymnasii Frisingæ.

Anno Christi 1697. Joannes Franciscus varias per suam Diœcesin sacras excursiones fecit mensibus Majo, Julio, Augusto, Septembri & Octobri: & Massenhusii, Frisingæ, Wasserburgi, Rosenhemii, Klainholzii, Mariasteinæ, Mariathalæ, in citeriori & ulteriori Thiersee, Elbachii, Niclasriedæ, Wilpartingæ, Irsembergæ, Dettendorffii, Willingæ, Aiblingæ, Westerhemii Ecclesias duodecim, aras quadraginta quatuor consecravit: inter quas numeramus sacellum domesticum Anglicanarum Virginum Monachii, die 28. Octobris in honorem Deiparæ, sine labe conceptæ dedicatum: item Ecclesiam RR. PP. Capucinorum Erdingæ, quam die 27. ejusdem mensis, in honorem S. Crucis sacris ritibus Episcopus noster initiavit. Ubi monemus Lectorem, eo primum tempore Erdingæ Monasterium eorundem Patrum ex variis fidelium eleemosynis consurrexisse, tam Reverendissimo Ordinario nostro, quam Serenissimo Principe Electore assensum præbentibus. Episcopus noster Ecclesias & aras consecrat. PP. Capucini Erdingæ.

Inter hæc longe alia cura vigilantissimi Pastoris nostri Joannis Francisci animum pulsabat. Frisinga olim dicebatur, & reapse erat *mons doctus*, veluti Tomo I. hujus Operis abunde demonstravimus. Decursu vero annorum eo prolapsæ fuere Frisingenses Musæ, ut, si capacia cæteroquin adolescentium Frisingensium ingenia ultra prima latinæ linguæ rudimenta eluctari vellent, magnis sumptibus solum vertere, & alio migrare debuerint, ingenti sane Urbis & publicæ ac privatæ rei dispendio. Præterea urgebant Decreta Conciliorum, ac maxime Tridentini, ut in civitatibus Episcopalibus instituerentur seminaria, in quibus juventus & Clerici bonis artibus ac scientiis imbuerentur, & ad curam animarum dextere gerendam aptarentur. Et summi quidem Pontifices idipsum apud Frisingenses urgebant ab annis fere centum, aut amplius: ast sine fructu, cum vel temporum injuriæ, vel etiam hominum incuriæ obstitissent. Ut huic malo remedium opponeret providentissimus Princeps noster, & Pontificiis mandatis morem gereret, hoc ipso anno, assentiente Reverendissimo Cathedrali Collegio Scholas erexit. Diu vero deliberatum fuit, quibus præceptoribus Scholarum illarum cura esset committenda? Gymnasium erigitur Frisingæ.

Erat eo tempore in hac Episcopali Aula R. P. Romualdus Haimblinger, in inclyto nostro Ettalensi professus, SS. Theologiæ & J. U. Doctor, quem ceu Virum de se optime meritum Celsissimus Princeps inter cæteros quidem Consiliarios Ecclesiasticos numeraverat, reipsa vero consiliis etiam arcanioribus sæpius adhibuerat. Hic clementissimo Principi autor denique fuit, ut Gymnasium Benedictinis hominibus concrederetur, sub quorum cura etiam Salisburgensis Universitas egregie effloresceret. Id consilium tanto promptius audivit Celsissimus Princeps, quanto certior erat, nullos præceptores congruentius evocati posse, nisi ex Divi Benedicti Ordine: cui Ordini etiam ipsa Episcopatus primordia in acceptis essent ferenda. Celsissimi mentem postea approbante Cathedrali Collegio, unanimi consensu decretum est, ut hac vice tres è Monasteriis nostris Patres advocarentur, qui recens suscitatis Scholis præessent, exemplo minimè inaudito, cum

eruditi

eruditi omnes perſpectiſſimum ſibi habeant, Benedictinorum hominum opera primas per Europam Academias Christianas conſurrexiſſe, & ab iis gubernatas fuiſſe.

Tres Profeſſores advocantur.

Itaque placuit Celſiſſimo Mecænati ex dilecto ſibi Ettalenſi Monaſterio evocare P. Carolum Bader, è Benedictoburano me indignum: è Monaſterio S. Viti ad Rotam prope Neoforum Bavariæ, P. Maurum Pfendtner, quorum primus Poëſin, ego Syntaxin, tertius Grammaticam explicaremus, & Friſingenſem juventutem etiam ſemitam ſalutis edoceremus. Rudimenta eo anno docendo proſequi juſſus eſt D. Caſparus Vischer, qui jam antehac provinciam illam diutius adminiſtraverat.

Clementiſſime excipiuntur.

Ut Friſingam pervenimus, dici non poteſt, quam clementi, quam placido, quam paterno affectu à Celſiſſimo Mecænate fuerimus ſuſcepti. Gratulabatur ſibi etiam civitas univerſa, quod tandem obtinuerit id, quod tot retro annis, imo ſæculis ſuſpiraverat, initium ſcilicet publicarum Scholarum hic loci reſtaurandarum, quæ non juventuti tantum, verum etiam civibus ipſis ingentia emolumenta allaturæ eſſe dudum prævidebantur. Itaque cives, qui eousque filiolos ſuos ſive ad Monacenſes, ſive Landishutanas, ſive alias Scholas ære, & incommodo ſuo miſerant, domi ſubſiſtere, & Friſingenſibus Magiſtris deinceps operam dare juſſerunt.

P. Romualdus fit Abbas Ettalenſis.

Inter hæc accidit, ut ſupra laudatus R. P. Romualdus Haimblinger Ettalenſis in demortui Reverendiſſimi D. Abbatis Romani locum à Sodalibus ſuis cooptaretur, & ex hac Aula domum evocaretur. Quam vero ægre tulit futuram ejus abſentiam Celſiſſimus Princeps, tam lubens promotionem capitis ſibi ſemper jucundiſſimi comprobavit. Cum poſtea idem Reverendiſſimus electus D. Romualdus Celſiſſimo Ordinario ſuo ſupplicaret, ut Mitram Ettalenſem ſibi ex more clementiſſime dignaretur imponere, rurſus cum gaudio plane ſingulari Epiſcopus annuit,

Benedictionem obtinet.

eidemque (aſſiſtentibus Reverendiſſimis DD. Gilberto Præpoſito Raitenbuchenſi, Archi-Diacono Nato, & Melchiore Abbate Scheffilarienſi) die 3. Novembris, quæ Dominica erat, in Cathedrali hac Eccleſia Pontificalia inſignia ritu feſtiviſſimo contulit. Id tanto etiam jucundius accidit Celſiſſimo, quanto dulcius erat primam mitram conferre Romualdo ſuo.

Gymnaſium feſtive creditur tribus illis Patribus.

Die illa inter feſtivos applauſus tranſacta, ut Friſingenſium civium gaudia fierent pleniora, placuit Celſiſſimo Principi, atque Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Cathedrali Collegio tribus ſupra dictis Patribus Friſingenſes Scholas, in urbis meditullio erectas, publice concredere. Comparuit inter buccinarum & tympanorum lætos applauſus ipſe Clementiſſimus Fundator cum univerſo famulitio Aulico, & è Cathedrali Collegio plerique Reverendiſſimi Domini Canonici, curribus ſpectabili ſerie advecti.

His acceſſere Reverendiſſimi tres Præſules, quos mox ſupra commemoravimus: item aliorum DD. Canonicorum, Clericorum, Religioſorum, civium ac plebis ingens multitudo, quæ, cum intra Gymnaſium admitti neutiquam poſſet, vicinum forum Urbis prope repleverat. Conſidentibus poſtea Principe, aliiſque Reverendiſſimis & Illuſtriſſimis DD. Spectatoribus, P. Carolus Ettalenſis in Schola eousque primaria è Cathedra elegantiſſimum ſermonem de Scholarum utilitate atque neceſſitate, deque optimo Principis & Cathedralis Collegii propoſito habuit. Eo finito Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus D. D. Franciſcus Antonius Begnudellius Baſſus, Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, & Vicarius Generalis, ceu ſummus Scholaſticus nomine tum Celſiſſimi Principis, tum totius Cathedralis Collegii tribus illis Patribus eorumque ſucceſſoribus Scholarum, & juventutis Studioſæ Friſingenſis curam doctiſſimo ſermone in perpetuum commendavit: Celſiſſimus vero Princeps in Patronum noviter erecti Gymnaſii Divum Corbinianum aſſignavit, Patribusque primum Præſidem Reverendiſſimum D. Romualdum deputavit. Patres vero illi ſuo & ſucceſſorum nomine tum Celſiſſimo Principi, tum Reverendiſſimo Capitulo fidem & obedientiam perpetuam humillime condixerunt.

Die

Die proxima convocati & notati fuere discipuli, qui exhibitis studiorum morumque legitimis testimoniis, aliunde reportatis, in Gymnasium admitti cupiebant. Deinceps Scholis nostris datum est initium, in quibus hactenus, benedicente Domino, multi tantum fructum retulerunt, ut hodie jam videamus mitratos Præsules, Reverendissimos Canonicos, Principum Ministros, & Consiliarios, & Dynastiarum Præfectos: Religiosos etiam per omnes fere generis Instituta plurimos: plurimos itidem Clericos, Parochos, Decanos, Virosque alios Doctoralibus gradibus, & Cathedris insignes, qui à dicto anno Christi 1697. Frisingenses Scholas frequentarunt. Quanta alia emolumenta civitati universæ ab eo tempore, occasione hujus Frisingensis Studii accesserint, prudenti Lectori arbitrandum relinquimus. Et quid unquam grandius Clementissimus Princeps cum Reverendissimo & Illustrissimo Cathedrali Collegio præstare Frisingensi urbi potuisset? Discipuli admittuntur.

Ipsis Kalendis Januarii Anni 1698. controversiæ quædam fuere Frisingæ sublatæ: qua occasione Celsissimus Princeps miram animi sui generositatem verbo factoque luculentissime testatam fecit.

In Scholis nostris die 16. ejusdem mensis primum Opus Comicum fuit exhibitum, & quidem cum singulari omnium spectatorum applausu: patuitque, sedulas curas à PP. Professoribus juventuti Frisingensi fuisse cousque adhibitas.

Mensibus Julio, Augusto & Septembri vigilantissimus animarum Pastor Joannes Franciscus rursus notabilem suæ Diœcesis partem peragravit, & in Aschaimb, Ottendichel, Granstorff, Niderlehren, Thallhaimb, Erding, Eutting, Reisen, Neukirchen, Papferting, Schwabersperg, Mazbach, Pietlbach, Kapfspurg, Eibach, Schwindau, ad S. Wolffgangum, in Dorffen, Eisenhoven, & hic Frisingæ Ecclesias octodecim, Altaria quinquaginta consuetis cæremoniis sacravit: sacro vero ceromate undecies mille, ducentorum & viginti octo fidelium frontes inunxit. Eodem tempore reparando, aut potius noviter, & quidem magnifice construendo Eisenhoviensi Castro initium dedit. Sacri labores Episcopi nostri.

Mense Octobri, cum medio illo tempore Scholæ Frisingenses fuissent ampliatæ, Celsissimus ad docendam etiam Rhetoricam advocavit P. Wolffgangum Rinswerger Tegernseensem, qui jam à multis annis apud Salisburgenses eandem cathedram cum laude tenuerat. Porro cedente D. Casparo Vischer P. Alphonsus Hueber itidem Tegernseensis, primus è nostris Rudimenta Frisingæ docere jussus est. Tribus Professoribus adjunguntur duo alii.

Die 18. ejusdem mensis Octobris Celsissimus Princeps duos recens electos Abbates Benedictinos Æmilianum Rotensem, & Josephum Attilensem mitris in Cathedrali Ecclesia exornavit. Adstitere novis DD. Abbatibus Reverendissimi DD. Præsules Benedictus Weihenstephanensis, & Cælestinus Schyrensis. Benedictio duorum Abbatum.

Die 21. mensis Novembris è vivis excessit Reverendissimus D. Andreas Lenzer, SS. Th. D. & Cathedralis Ecclesiæ Decanus, Consilii Ecclesiastici Præses, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Viti Præpositus, qui Xenodochium Frisingense bonorum suorum hæredem insigni munificentia instituit. Mors Reverendissimi D. Andreæ Lenzer Decani.

§. IV.

Acta Annorum 1699. 1700. & 1701.

Armistitium cum Turcis.

GLoriosus præprimis Catholicæ Ecclesiæ illuxit Annus Christi 1699. quo post universam propemodum Hungariam subactam, post ingentes multorum annorum victorias reportatas die 26. Jan. Carlovizii Leopoldus Imperator supplicibus Turcis demum 25. annorum inducias indulsit, & Germaniam Italiamque ad mille gratiarum actiones atque applausus provocavit.

Sacræ excursiones Episcopi nostri.

In Bojaria nostra Majus, September & October Menses Præsulem nostrum Reverendissimum Schyram inferiorem, Landishutum, & Anzingam evocarunt, queis in locis Ecclesias duas, aras vero undecim consecravit, Confirmationis vero Sacramentum septies mille trecentis quinque Christi fidelibus impertivit. Ut Mosburgi RR. PP. Capucinis hospitium pro majori animarum solatio erigeretur, clementissimum assensum præbuit.

PP. Capucini Mosburgi.

Pietas Reverendissimi D. Gugler Canonici. Frisingæ consulitur pauperibus.

Rebus humanis eo anno Frisingæ exemptus est Reverendissimus & Perillustris D. Joannes Antonius Gugler à Zeilhoven, Doctor, & Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, qui Cantoribus ejusdem Cathedralis Ecclesiæ summam capitalem, ut vocamus, mille florenorum assignavit. Aliquot etiam millia pauperibus urbis civibus, vel alias in gravi quadam necessitate constitutis eroganda reliquit: quæ largissima Viri pientissimi liberalitas ansam dedit, ut alii quoque exemplum imitarentur. Inde ortum traxit celeberrima illa unio seu Congregatio, ut vocant, * pro fovendis pauperibus Frisingæ deinceps instituta, ex qua, ut suo loco memorabimus, posthac agente piissimorum quorundam virorum accurata industria propemodum incredibilia beneficia in egenos, ægrotos, & moribundos hactenus promanarunt.

* *Liebsbund.*

D. Leoprechtingii liberalitas.

Secuta est eodem anno die 29. Novembris mors Reverendissimi ac Perillustris D. Joannis Rudolphi Baronis de Leoprechting in Manzing & Aich, majoris Ecclesiæ Frisingæ Canonici, qui in eadem Cathedrali Basilica aram SSS. Trinitati erexit, & ad eam hebdomadarium Sacrificium Eucharisticum fundavit: Cathedrali etiam Ecclesiæ insignem Calicem dono dedit, vir à Germano candore singularis, & ab omnibus summo in pretio habitus.

Romæ Jubilæo anni insequentis datum est initium die 24. Decembris: quo, cum Innocentius XII. Summus Pontifex æger decumberet, Portam, quam Sanctam vocamus, aperuit Cardinalis Boullonius, Sacri Collegii Pro-Decanus.

Bernardus Abbas Tegernf. Magistratum abdicat.

Anno Christi Sæculari 1700. rebus sæculi nuncium mittere voluit Reverendissimus & Amplissimus Dominus Bernardus, inclyti Monasterii Tegernseensis dignissimus Abbas, solos imposterum annos æternos in mente habiturus: quod ita contigit.

Expleverat in Sacro Amplissimi Monasterii Tegernseensis Regimine Reverendissimus ille Præsul annos omnino viginti septem: in Officio Visitatoris Congregationis nostræ Bavaricæ annos sex, in suprema ejusdem gubernatione annos itidem sex, & in publicis Provinciæ negotiis annos decem: cum sacrum omnis perituri fastigii fastidium, desideriumque solorum collium æternorum acrius ingrueret. Ut igitur conceptis dudum votis faceret satis, die 23. Maji anni superioris summo inprimis Pontifici preces suas, ut ab Abbatis Officio dimitteretur per Procuratorem porrigi voluit. Mox apud Reverendissimum Congregationis Præsidem, D. Elilandum, Abbatem Benedictoburanum prolixis literis precibus-

que ferventibus etiam atque etiam institit, ut aliud Romam non scriberet, quam quod propositum juvare, & acceptationem accelerare posset. Cum deinde tardius videretur succedere negotium, non destitit repetitis literis fatigare Romanam Curiam, ut ab honoribus sibi nimium gravibus dimissionem indulgeret. Acceptata demum per Nuncium Lucernensem resignatione, petitionem mentemque etiam Serenissimo Principi Electori, à Dominis Statuum Bavariæ Deputatis, Collegis suis, insinuavit, & missionem tum ab Abbatiali, tum Provinciali Officio efflictim petiit, neque rogare cessavit, donec assensum undique impetraret: quem Serenissimus ægre admodum, Deputati vero Provinciæ ægerrime dederunt, quippe qui sapienti Reverendissimi Bernardi opera ad commune patriæ bonum frui quam diutissime optabant. Hi cum obsirmatum sui Collegæ animum denique animadverterent, alio eum pacto dimittere noluerunt, quam oblatis prius eidem ob singularia merita quatuor argenteis, & auro fulgentibus vasis, quorum pretium octingentos florenos facile superabat, incisis pro perennatura publicæ gratitudinis memoria hisce verbis: ***Reverendissimo Domino Bernardo Abbati Tegernseensi, Collegæ suo colendissimo, in recognitionem officiorum suorum, in puncto gravaminum laudabiliter præstitorum, obtulere anno 1700. Statuum Provincialium Domini Domini Deputati & Commissarii.*** Ita Reverendissimus iste Præsul dignitatibus præcipuis non sine immortali merito functus, cum gloria longe vetiori abjecit fasces Regiminis & honorum blanditias, quam sæpe alii capessant.

Dies deinde 12. Julii ejusdem anni pro futura nova electione designatá fuit: qua ex sacra urna apud Tegernseenses prodiit P. Quirinus Milon, SS. Th. D. Monasterii jam ab annis sedecim Prior, rerum sui Cœnobii experientissimus. Eam electionem cum boni omnes magno plausu comprobassent, postera statim die Subdelegatus Apostolicus Reverendissimus ac Perill. D. Franciscus Antonius Begnudellius Bassus, Canonicus, Vicarius Generalis & Officialis Frisingensis Pontificia authoritate confirmavit. *Eligitur P. Quirinus.*

Supererat, ut etiam mitra imponeretur Reverendissimo recens electo Capiti. Id etiam annuit clementissime Celsissimus Episcopus ac Princeps noster Joannes Franciscus, ac die 21. Septembris Reverendissimo Quirino, assistentibus Reverendissimis Dominis Elilando, Benedictoburano Abbate, Congregationis Præside, & Bernardo Antecessore benedictionis gratiam in primaria Tegernseensi Ecclesia Apostolica authoritate festivissime contulit. Denique etiam eodem adhuc anno idem Episcopus noster ad preces novi illius D. Abbatis Quirini Parochialem Ecclesiam Gmundensem, quam olim Anno 1274. Conradus II. Frisingensis Episcopus Monasterio univerat, datis literis eidem stabilem esse voluit. Porro cùm Tegernseæ moraretur Celsissimus, Ecclesiam *in dem Khreith* intra Alpes Tegernseenses sitam: postea etiam aliam prope Illminster, vulgò *unsers Herrn Rast* dictam; & in his aras quatuor consecravit: fideles vero ter mille, trecentos & octodecim sacra Confirmatione donavit. *Et mitra condecoratur.* *Alia gratia donatur.*

Innocentius XII. Pontifex vere Sanctissimus mense Septembri vitam cum morte mutavit, verus, ut diximus, Nepotismi hostis. Ei post 56. dierum intercapedinem succedere ferme coactus est Joannes Franciscus, Cardinalis Albanus, Urbinas, qui tandem Clementis XI. nomen assumpsit. *Innocentio XII. sufficitur Clemens XI.*

In Monacensi Suburbio, ac Monte Liliorum *, triennio abhinc Prænob. D. Joannes Maximilianus de Albertis, supra laudatus, pro Dei ac Deiparæ laudibus augendis angustum illud Sacellum, piis Virginibus eousque concessum, ampliare optaverat. Ut voti fieret compos, fundum vicinum ab Electorali Camera dato condigno pretio comparavit. Celsissimi Principis & Ordinarii nostri assensus facile accessit. Anno vero præsenti 1700. pius Fundator Virginum eousque ibidem conservatarum habitaculum in sacrum sub Divi Benedicti norma Parthenonem convertere statuit. Ejus votis assensere Serenissimus Elector, & Reverendissimus ac Celsissimus Episcopus & Princeps noster Joannes Franciscus. Recens igitur con- ** Lilienberg.* *Progressus Montis Liliorum.*

constructo Sacello deinceps adjuncta fuere ex utraque ampliati Sacelli parte congrua pro Monialibus habitacula. Sacellum ipsum posthac Excellentissimus ac Reverendissimus D. Joannes Sigismundus Zeller, Proepiscopus & Vicarius Generalis Frisingensis &c. honoribus Deiparæ dedicavit.

Sacellum consecratur.

Mors Regis Hispaniarum belli secuturi causa.

Ipsis Kalendis mensis Novembris Sceptris suis vitæque valedixit Carolus II. Hispaniarum Rex improlis, cujus mors ingentes motus in universa propemodum Europa erat excitatura, cum Austriaci titulo hæreditatis, Galli vero vigore conscriptarum tabularum Hispaniarum Regna sibi exposcerent. Interim Philippus Dux Andegavensis, qui agentibus Gallis à Carolo hæres Coronarum scriptus fuerat, Gallica fretus potentia paulo post possessionem Hispaniarum adiit.

Celsissimi functiones sacræ.

Interea Celsissimus Princeps noster Anno 1701. Confirmationis Sacramentum mille centum nonaginta quatuor frontibus impendit. Frisingæ aras undecim, Eisenhovii vero unam consecravit. Inter Frisingenses erat etiam illa, quæ in Sacello, in honorem Decollationis Divi Joannis Baptistæ intra Ecclesiam Cathedralem recens à se elegantissime erecto, conspicitur, quam aram suis sumptibus marmoream erexit Reverendissimus D. Franciscus Antonius Begnudellius Bassus, supra sæpius laudatus. Aræ illi die 4. Septembris imposita fuere sacra Divi Placidi Martyris lipsana, Roma huc transmissa, & Frisingæ phrygio opere pretiose exornata: ad quorum festivam Translationem invitati comparuere Reverendissimi Domini Elilandus Benedictoburanus, Quirinus Tegernseensis, Romualdus Ettalensis, Cælestinus Schyrensis, & Benedictus Weihenstephanensis Abbates. Ipso eodem anno Celsissimus Princeps noster nobilem Typographiæ artem in Urbem hanc suam sapienti consilio ad ingens Aulæ, Diœcesis, & Gymnasii commodum cum immortali suo merito primus introduxit.

Typographia Frisingam introducitur.

§. V.

Bojariæ fata ab Anno 1702. usque 1705.

Belli initia.

Andegavensi Duce Sceptra Hispaniarum adepto ad arma conclamatunt Austriaci: Galli dudum ad bella erant parati. Pars utraque in societatem armorum Serenissimum Bojariæ Electorem nitebatur trahere: unde diu dubitatum fuit, cuinam parti Is demum accessurus esset? Arcana consilia demum in apricum prorupere, cum idem Serenissimus Elector mense Septembri Ulmam, munitissimam Sueviæ urbem, astu quodam militari intra breviculum temporis spatium, tota Europa stupente, in potestatem redegisset, eique præsidium militare validum imposuisset.

Bojariam percellunt.

Fama ejus rei per Bojariam sparsa nemo Bojorum non intelligebat, pericula maxima provinciæ huic, vicinis ex omni parte accolis facile perviæ, undique imminere. Quare necessitas publica omnino postulabat, ut Status Bojariæ omnes rebus suis, quoad quidem fieri posset, provide consulerent. Inter alios belli ingruentis tempestas permovit Reverendissimum D. Josephum Attilensem Abbatem, ut, consentiente summo Pontifice, magistratu ultro se abdicaret. Electores Attilenses deinceps dignitatem illam obtulere Admodum R. P. Cajetano Weihenstephanensi, utpote viro dotibus aptissimis instructo, qui & Regnum Dei quærere, & cætera adjicere longa experientia & studiis utrinque maxime feriis dudum didicerat, officiis pene omnibus in inclyto suo Monasterio cum ingenti laude ac utilitate

Novus Abbas Attilensis.

litate perfunctus. Diu equidem reluctatus eſt Religioſus Aſceta: ſed demum, annuente Abbate ſuo, exorari ſe paſſus eſt. Electionem conſentientibus omnium ſuffragiis die 5. Febr. Anno 1703. factam, poſtera ſtatim die Reverendiſſimus & Illuſtr. D. Franciſcus Antonius S. R. I. Eques & Nobilis Dominus de Fraporta J.U.D. Cathedralis Eccleſiæ Friſingenſis Canonicus, & Reverendiſſimi ac Celſiſſimi Epiſcopi & Principis Conſiliarius Eccleſiaſticus, ceu Subdelegatus Apoſtolicus Pontificia Authoritate comprobavit. Verum iſta quaſi per parentheſin dicta ſunto. Revertimur ad reliquam narrationem belli.

Boji invadunt Tyrolin.

Sereniſſimus interim Bojariæ Elector, icto cum Gallis fœdere, medio menſe Junio cum aliquot ſuorum ac Gallorum millibus arcem Tyrolenſis Comitatus muniiſſimam, Kuffſteinium, aggreſſus, pauculorum dierum impendio, ad omnium ſtuporem expugnavit: neque ita multo poſt ſuperatis intra Alpes viarum anguſtiis periculisque etiam Rattenbergam cepit, Halamque & ipſum provinciæ caput Oenipontum occupavit. Tyrolis univerſa jamjam Victoris poteſtati ſeſe permiſſura videbatur, maxime cum etiam accolæ ad Atheſin premerentur à fœderatorum Gallorum exercitu. Verum aliter viſum eſt Supremo Numini. Irritati quippe (incertum, qua potiſſimum de cauſa) Alpeſtrium hominum animi, cum omnes viarum anguſtias armati undique obſiderent maximo numero, ſtitere victoriæ curſum, & miſſis ſibi ab Imperatore ſuppetiis militaribus Sereniſſimum Electorem non absque vitæ periculo ad ſuos menſe Auguſto ſeſe recipere demum coëgerunt, ita tamen, ut prius Portam Claudiam, ſeu fortalitium Scarantienſe fortiſſimum ſolo æquare potuerit.

Parum feliciter.

Ea res Superioris Bojariæ Monaſteria noſtra, Benedictoburanum potiſſimum ac Tegernſeenſe maximis periculis expoſuit. Et Benedictoburani quidem coloni, Bojariæ Electore cum exercitu per eam ditionem ſeſe Monachium recipiente, cæſis arboribus itinerum anguſtias hoſti jamjam à tergo imminenti ad Vallenſem Lacum * feliciter intercluſerunt: Tegernſeenſe vero Monaſterium, cum non eſſet, quod furori erumpentium è Tyrolenſibus latebris militum objiceretur, multorum millium florenorum lytrum perſolvit; parumque abfuit, quin adhuc funeſtiora pati debuiſſet à peſſima quorundam propriorum colonorum, imo etiam famulorum domeſticorum infidelitate ac perfidia.

* *Walchſee.*

Interea Viennæ eodem anno die 12. Septembris, Rex Hiſpaniarum renunciatus eſt Sereniſſimus Archidux Carolus, eo nomine inter Reges Hiſpaniarum tertius, qui propediem illuc erat migraturus.

Murnavium incenditur à Cæſareanis.

Cæterum intercluſa per Benedictoburanos ſubditos via Regia, cum illuc Tyrolenſes copiæ commeare non poſſent, alibi, nempe per Werdenfelſenſem Comitatum, qui ad Friſingenſem Eccleſiam pertinet, eruptione tentata, vicinum Murnavienſe Municipium Vulcano & Marti conſecrarunt: Sereniſſimus vero Elector è Tyroli redux paulo poſt, menſe Septembri Cæſareas copias, quarum Archiſtrategus erat Comes Styrumbius, prope Donawerdam notabili clade affecit, ac menſe Decembri Auguſtam Vindelicorum vi & armis occupavit.

Bojus occupat Patavium.

Menſe deinde Januario Anni 1704. idem Sereniſſimus Elector etiam univerſum Patavium ſeu Paſſavium ad faciendam deditionem compulit. Quo facto non ſolum non abſterruit adverſos ſibi Cæſareanorum animos, verum etiam conceptos odiorum æſtus amplius concitavit. Et tantus Bojariam terror inde invaſit, ut, cum refugii alius locus non eſſet ſuper, ipſæ ſacræ ac prodigiis per Bojariam illuſtres Divorum imagines ac lipſana tuta jam non viderentur, ſed Monachium, velut ad ultimum aſylum deportanda judicarentur. Quo tempore in Monaſterio Benedictoburano res accidit, æviterna memoria digna: quam proinde huic Hiſtoriæ inſeri poſſe, bona Lectoris venia, cenſuimus.

Sacræ Imagines &c. deferuntur Monachium.

Inſidiæ Monaſterio Benedictoburano ſtructæ.

Manſerat apud vicinos Tyrolenſes alta mente repoſtum, juſſu Abbatis Benedictoburani arboribus aſcia dejectis non privata tantum & minus trita viarum divortia, ſed ipſam publicam ac regiam ad Bojos viam factam eſſe penitus inviam &

& insuperabilem. Hinc probe intelligebant, se in medium Bojariæ sinum (quod unice optabant) tam insigni & optato viæ compendio è montibus eruptionem tentare neutiquam posse, omni accessu alio sive per excelsa montium, sive per profunda lacuum, sive per palustria locorum undique præcluso.

Tentatus non semel à Tyrolensium copiarum Præfectis Reverendissimi D. Abbatis animus, nunc deditionem, nunc lytrum postulantibus: mox mitiora, si ultro se dederet, nunciantibus: denique etiam extremam perniciem comminantibus, nihil tamen unquam respondendum censuit, minime scilicet delectatus ejusmodi literario commercio, quod tanti emendum esset. Temporis lapsu plura Tyrolensibus occurrebant commoda, ex occupatione Benedictoburani Territorii oboritura. Unde ingens orexis succrevit votis potiundi.

Verum ardori huic jungere tam optatum successum, hoc opus, hic labor erat. Attamen quo pacto id fieri posset, periculosum denique consilium hyems rigida suggessit, quippe quæ non quidem Lacum Vallensem, sed tamen Cochelensem cum tota spatiosissima palustri vicinia glacie tanta obduxerat, ut centena militum millia ibi iter agere commode potuissent, ubi cæteris anni partibus nemini hominum via & accessus patere solet, aut obstrui facile potest.

Placuit hoc minime frigidum consilium Tyrolensibus; qui spebus ingentibus arrecti adeo numerosum ex vicinis remotisque fortalitiis collegerunt militem, ut de optato eventu nemo dubitare vellet.

Eruptio Tyrolensium ex Alpibus suis.

Die itaque 28. Januarii ejusdem anni 1704. nocte conubia è Scarantiensi supra laudato fortalitio prorupere equitum peditumque omnino duo millia: quibus alpestrium hominum numerus ingens accesserat. Cingitur subito vicinum Mittenwaldense, ditionis Frisingensis, municipium, ne foret, qui viarum compendio usus fata ultima Benedictoburanis nuntiaret. Spatiosis deinde itinerum ambagibus, cum via publica & ordinaria etiamnum esset interclusa, per reliquum Comitatum Werdenfelsensem venere copiæ illæ: & quoniam præter glaciem insuper tempestas favebat, nullis cessit itineris incommodis militum industria, maxime cum certi esse sibi viderentur, corpora denique ea adhuc die commode curari posse.

Benedictoburanis nihil horum suspicantibus.

Ea ipsa die nulla alia Benedictoburanis, rerum illarum prorsus ignaris, domi cura erat, quam ut ad crastinam Divæ Anastasiæ, Patronæ suæ præcipuæ, festivitatem digne celebrandam omnia rite disponerentur. Reverendissimus tamen D. Abbas cum quatuor Religiosis Patribus, cæterisque territorii sui Officialibus matutino tempore ad Lacum Cochelensem conferre se debuit, ibi acturus grave negotium cum Ministris Electoralibus, destinata hora comparituris. Ita ibi super glacie rigidissima hi omnes una cum magno accolarum numero agebant, ac tractabant secure, nulla nec levissima quidem suspicione imminentis cujuscunque periculi oborta.

Fugitivorum hominum narratio.

Verum ecce! dum ita negotio (limitum) intenti glaciei inambulant nostrates, apparuere circa horam duodecimam meridianam eminus homines fugitivi, ejulantes, & aërem gemitibus implentes. Facti propiores nostris, hostium pone insequentium, mox futurum adventum nunciarunt, fugamque ocyssimam suaserunt: maximè, cum adderent, hostiles copias secum in festinato itinere è Monasterio Ettalensi aliquos Religiosos obsides captivos abduxisse; quod reapse verum fuisse, deinceps non sine animi dolore edocti sumus.

Ea profugorum hominum narratio tam inexspectata erat Reverendissimo Domino Abbati, viro semper religiose cordato, cæterisque negotii sociis, ut fide dignam minime censerent. Verum novis identidem novisque supervenientibus Rusticanis hominibus, idemque non sine pallore affirmantibus, cessit denique D.

Tandem fidem invenit.

Abbas, & è lacu traha vectus ocyssime cum suis omnibus evasit, Monasterium vero terrore incredibili perculit. Quid enim jam agerent præsentissimo excidii periculo expositi, & omni humana ope destituti Religiosi incolæ, cum nihil in

orbe

orbe reperire posset, quod viam hostibus, magis magisque propinquantibus intercludere posset? Spem tamen aliquam rebus pene desperatis concipere poterant post Deum in Divæ Anastasiæ ope, quippe cui incumberet, ut crastina festiva sibi apud Benedictoburanos die, 29. Januarii, à devotis potius clientibus, quam militibus furentibus Benedictoburi ageretur. Interim, ut semel dicam, conclamatum esse videbatur de Monasterio, rebusque Monasterii, nisi Deus faceret potentiam in brachio suo, & novum miraculorum genus propinquanti equitatui eadem adhuc hora objiceret.

Movit è cælis utique prospicientem Beatam Anastasiam ea suorum afflictio, & fervens oratio: imo movit ipsum Deum Beatæ Anastasiæ potens intercessio, ut rebus desperatis opem ferret, omnibus futuris sæculis memorandam. Dictu mirabile! ventis & aquis imperare visa est magna Christi Martyr Anastasia: illis, ut glaciem impetu prodigiose calido ocyssime frangerent: his, ut funestam illam superficiem quam celerrime excuterent. Et sane successit prodigiosum negotium tanta velocitate, ut, cum nonnihil tardius progrederetur equitatus, quippe peditatum sibi habere vicinum cupiens, demum copiæ ad loca palustria delatæ progredi jam non possent, nisi sibi suisque sonipedibus tumulum in paludibus eligere vellent. Ubi enim nostrates paulo ante gradiebantur via solidissima, imo ubi centena militum millia cum onerariis etiam curribus viam reperissent spatiosissimam non minus quam securissimam, ne cum quidem levis armaturæ militi pedem figere licebat, prodigio tam insigni, ut non tantum devoti B. Anastasiæ clientes cum tota late vicinia, verum etiam hostes ipsi, entheo insuper terrore perculsi, dignitnm Dei manifestum agnoscerent, & in fugam concitatissimam nocte concubia sese præcipitarent. Sane rem illam mirabilem contigisse ad intercessionem B. Anastasiæ, ipsa gloriosa Martyr, eo ipso tempore ac hora, qua fugere Tyrolenses, manifestum fecit, dum fœminæ cuidam ægrotanti, decem milliaribus Germanicis à Monasterio nostro positæ, in somnis spectabilem se præbuit, seque Anastasiam esse professa est, his verbis adjectis: ***bodie dilectum meum Monasterium Benedictoburanum ab exitio servavi. Id verum esse intelliges, quando bodie è strato tuo sana & incolumis surges.*** Porro persona illa postea expergefacta, cum nullo amplius morbo sese constringi videret, mox domesticis & vicinis suis rem omnem, quæ gesta fuerat, narravit. Venit postea persona illa ad Monasterium nostrum, sospitatrici suæ Anastasiæ gratias dictura. Adduxit vero secum honestissimos testes, rite à nostris examinatos, qui uno ore affirmabant, & fæminam fuisse ægrotam: & nocte illa convaluisse, & continuo narrasse ea omnia, quæ in somnis viderat, antequam possibile fuisset aliunde habere nuncium eorum, quæ in tanta distantia gesta fuerant. Itaque nemini sanæ mentis integrum erat dubitare, quin placuerit Supremo Numini Divam Anastasiam festiva sibi die reddere gloriosam. Hæc mense Januario accidere, veluti multa hominum millia testimonium perhibent, & nos ipsi spectatores fuimus.

Adventanti hosti viam cælum mirifice intercludit.

Patrocinante Diva Anastasia.

Infeliciores eo anno sequentibus mensibus erant eæ Bojariæ partes, quæ Lyco propius adjacent, eo quod fœderatorum hostium furori præ aliis fuerint obnoxiæ. Vidimus intra Lycum, Isaram & Danubium mensibus Junio, Julio, Augusto & Septembri ingentem variarum ædium numerum ignibus absumptum. Vidimus plurimos pecorum greges abactos: vidimus pecuniæ vim maximam hostibus tum in prædam, tum in lytrum cessisse, maxime postquam exercitus Gallico-Boicus in monte Schellenberg primum: ac non ita multo post ad Hochstadium clade gravissima affectus fuit, & Augusta Vindelicorum, ac Ulma una cum oppidis etiam Boicis partim dedita, partim subacta in potestatem Cæsaris venere, Serenissimo Bojariæ Electore cum reliquiis copiarum suarum in Gallias digresso.

Cæsareani &c. mire divexant Bojariam.

Clades duæ Gallo-Bojnorum.

Frisingensis Celsissimus Princeps, qui & fidem Cæsari, & Bojariæ Electori omnem reverentiam semper exhibuerat, quamvis omnem militum furorem à sub-

Frisinga manet illæsa.

ſubditis quibusdam ſuis avertere non potuerit, Friſingam tamen ſervavit intactam, non alia ferme arte, quam Chriſtum in pauperibus reddendo ſibi propitium: quod prope innumeris Friſingam profugis ſaluti fuit, qui perennaturas gratias clementiſſimo Principi dicunt, & æternum dicent. Pontem prope hanc urbem Iſaræ impoſitum ardere equidem vidit, quod Aulæ Boicæ juſſu factum eſt. Id tamen haud ægre tulit, facile perſpiciens, id non fieri alio conſilio, quam ne Trans-Iſaranæ partes iisdem periculis manerent expoſitæ. Interea tamen minime neglexit proteſtationem ſolemnem adverſus Electorales interponere, & Principatus ſui jura ſarta tecta conſervate.

Pax dura conceditur Bojis. Porro annum hunc Bojis infelicem clauſit initus cum Cæſare tractatus, ad cujus leges pacem artis conditionibus Bojaria accepit. Sereniſſimæ Electrici permiſſa eſt ſola Tetrarchia Monacenſis, quamvis minime integra, quippe Ingolſtadio, Donawerda, & copioſiſſimo armamentario Monacenſi, ac jure determinandi communes collectas reſervatis Cæſari, cui præterea cæteræ tres integræ Tetrarchiæ Landishutana, Straubingana, ac Burghuſiana cum Superiori Palatinatu debuere permitti, Kufffteininm reſtitui, & milites Bavarici, exautoratis cæteris, ad numerum anguſtum reſtringi. *Hæc facies Boica, cum caperetur, erat.*

Mors Leopoldi Imp. Quinta die May Anni 1705. terrenis faſtigiis rebusque caducis valedixit Auguſtiſſimus Romanorum Imperator Leopoldus: cujus thronum dudum electus Succeſſor Joſephus I. Auguſtiſſimus filius Joſephus conſcendit. Eodem menſe Majo Bojaria noſtra rurſus mutationes ſubiit. Monachium ſe dedit Cæſari. Sereniſſimæ Electrici, quæ Venetias nuper & Patavium ſeceſſerat, reditum ad ſuos meditanti, commeatus interclnſus eſt. Die 16. ejusdem menſis Monachium Imperatori dedere ſeſe debuit, ac paulo poſt monetæ Bavaricæ valor priſtinus fuit detractus.

Boji illi fidem adpromittunt. Kalendis Julii convocati Bojariæ Status Sacramentum Cæſari dicere juſſi ſunt: ex quo tempore univerſæ Bojariæ Regimen commiſſum fuit Excellentiſſimæ Adminiſtrationi Cæſareæ, Principis terræ vices ſubituræ: ſecutaque eſt ad aliquot ſeptimanas malacia quædam, donec tandem quorumdam Bojorum vulnera incautiſſime rectudeſcerent.

Seditio quorumdam Bojorum. Exhauſtæ inprimis Ruſticorum crumenæ, novi indies exactionum tituli, exercitæ nuper in patriam vindictæ viva memoria, militum aſperitas, & nimium frequentes atque oneroſiſſimi tranſitus: fidelitas denique erga Sereniſſimum Electorem, & communis patriæ amor ad infeliciſſima arma incautos homines proliciebant, exautoratis Boicis militibus & militum Præfectis largiſſimum oleum affundentibus æſtui ruſticano, imo operam ſuam condicentibus, & è civibus quoque nonnullos incautiores in ſocietatem ſuam trahentibus. Ad arma igitur ruri conclamatum fuit: & ii, quibus mens erat tranquillior, & optabiliora pacis ſtudia videbantur, ſeveriſſimis direptionum & incendiorum comminationibus ſeditioſorum turmis ſeſe adjungere cogebantur. Propoſitum tumultuantium erat, Monachio ac tota Bavaria Cæſareanos ejicere, & patriam in libertatem ſive antiquam, ſive (quod ſtolide jactitabant) antiqua multo majorem aſſerere. Ingens itaque Agreſtium exercitus in Agro Monacenſi convenit, ſed qui capite; ære, armis, ne dicam arte arma tractandi penitus deſtitutus erat, multitudo miſera, & magna ſui parte propediem futura Martis mortisque victima. Horret animus, dum properantis ad ſtolidam expeditionem, imo in exitium apertum ſeſe ultro & cum gaudio præcipitantis populi væſania in memoriam recurrit.

Non potuerunt latere Cæſaream Adminiſtrationem ſtolida miſelli exercitus conſilia. Unde ex variis viciniæ locis contrahere militem placuit, qui reprimendis Ruſticorum furoribus non impar futurus credebatur. Ipſa dies Natalis Domini non conflictu, ſed miſerrimorum homuncionum laniena funeſtata fuit.

Cum enim (ne quod ſtultitiæ argumentum deforet) illa ipſa ſacratiſſima luce urbi vehementius, ſed ſine neceſſariis armis, ſine ordinibus, ſine conſiliis palabundo agmine immineret infelix ruſticitas, omni fere ex parte cincti militibus, & peco-

pecorum more coacti, arma denique agrestia deponere jussi sunt. Quod cum ipsi quidem spe veniæ promissæ fecissent, furiis nihilominus incensus miles in homines penitus inermes adeo crudeliter debacchatus est, ut plus quam tria millia non tam in acie quam macello procubuerint, Pars magna atrocissimis vulneribus affecta, pars denique in fugam periculis plenam ac miserrimam conjecta fuerit. Ita tandem miseri tumultuari dedidicerunt. Hæc compendio placuit comprehendere: Plura, & quidem inferioris Bojariæ potissimum per id temporis fata Rerum Boicarum Scriptoribus percensenda lubentes relinquimus. Illud vero hic monemus, hallucinatum esse quendam novum Scriptorem Gallum, dum scripsit, fœderatum exercitum iis annis aliquando à Gallis ad Frisingense oppidum fuisse debellatum. Id enim veritati minime est consentaneum, ut omnes novimus. Severe castigatur.

§. VI.

Acta privata, quæ iisdem annis intercurrerunt.

ANno 1702. vigilantissimus Pastor noster consecravit aras octo: & mille octingentos octoginta octo fideles sacro Confirmationis Oleo inunxit: Reverendissimum vero D. Patritium recens electum Præpositum Raittenbuechensem, Archidiaconum Natum, in ejus loci Basilica mitra & pastorali lituo exornavit, Abbatibus Ettalensi & Staingadensi eidem assistentibus. Celsissimus iterum munia Episcopalia obit.

Proximo anno, Christi 1703. Celsissimus Princeps è marmore selectissimo munifice exstruxit novam Divi Matthæi Apostoli aram, cujus icon opus est insignis Artificis Andreæ Wolffii. Sumptus illos fecit ob memoriam primorum hujus Ecclesiæ Episcoporum, qui notabili numero illic fuere tumulati. Aram illam die 5. May dedicavit: eique sacra Divi Albani Martyris lipsana, phrygio opere auro gemmisque bellissime exornata imposuit: hominibus vero septingentis & undecim sacrum chrisma adhibuit.

De Agnete & Barbara, è Serenissima Domo Bavarica prognatis, ac postea Monachii Divæ Claræ normam amplexis vetus fama erat, quod sanctè ex hac vita migrarint. Placuit itaque Serenissimis posteris in earum Exuvias publica, & quidem Ecclesiastica Auctoritate inquirere. Hinc invitatus fuit ipse Celsissimus Princeps noster, ut ejus rei experientiam coram caperet, Proinde Monachium delatus earum tumulos ipse aperiri jussit, & facta accurata rerum indagine, ossa rursus tumulo claudi jussit, sigillumque Episcopale adjecit, donec visum fuerit Supremo Numini fideles illas famulas suas amplius glorificare.

R. P. Wolffgangus Rinswerger Tegernseensis, eo tempore Gymnasii nostri Præfectus venustissimam Beatissimæ Deiparæ sine originaria macula conceptæ statuam sculpi curaverat, eamque vestibus pretiosis exornaverat, quamvis non sciret, quis sumptus collaturus esset? Eam itaque statuam Studiosorum, aliorumque cultui publico, assentiente Episcopo nostro, Catholico more exposuit. Et ecce! placuit bono Deo fidelium quorumdam corda ad cultum Marianum accendere, eoque flectere, ut non solum Symbolam suam ad diluenda P. Wolffgangi debita conferrent, verum etiam catenas & annulos aureos, gemmas atque uniones copiose adjicerent, quo magnificentius Deiparæ imago resplendesceret. Cultus Deiparæ augetur Frisingæ.

Occasione Statuæ illius (quæ nescio an sine pio animi motu aspici à quoquam fidelium possit) brevi ingens incrementum Mariana devotio sumpsit, adeo, ut

anno Christi 1703. die 8. Decembris, Immaculatæ Deiparæ sacra, Studiosi Frisingenses jussi fuerint pulchro ordine eam in Cathedralem Ecclesiam deportare, ubi etiam sub pulsu omnium campanarum ibidem splendide recepta fuit. Coram illa, eadem die, Reverendissimus ac Celsissimus Episcopus & Princeps, Cathedrale Collegium, cum Aula universa: Domini Decani Collegiatarum Ecclesiarum SS. Andreæ & Viti: R.P. Guardianus Patrum S. Francisci, R.P. Prior Alto-Monasteriensis, R.P. Præfectus Gymnasii, & Magister primarius Civium, suo sibique subditorum nomine, ac demum etiam laudatus R.P. Wolffgangus (quem ob præstantes animi dotes Celsissimus Princeps jam tum in hanc Aulam suam è scholis adsciverat) tenerrimis animorum affectibus jurarunt, se semper pro asserenda Immaculata Mariæ Conceptione, dum proviverent, decertaturos, imo, si opus esset, etiam vitam posituros esse. Fuit omnium animis ea in Mariam pietas adeo dulcis, ut deinceps annis singulis ritus ille Marianus exacte repeteretur, prout etiamnum in sacra illa festivitate repeti solet.

Juramentum pro immaculata illius Conceptione.

Frisingæ eodem anno, die 5. Octobris plenus dierum & meritorum obiit R.P. Anacletus Reiffenstuell Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum Provinciæ Bavaricæ, Philosophiæ, Sacrorum Canonum & SS. Theologiæ Lector, ejusdem Provinciæ Diffinitor, vir solidissime doctus, & virtutibus omnibus, præcipue vero profunda humilitate conspicuus. Hic multis annis de Frisingensi urbe universa optime mereri semper studuit. Fuit primus, qui ibidem anno Christi 1683. Sacros Canones publice docere cœpit, annisque pluribus continuavit. Scriptis & typis vulgavit Moralem Theologiam, quæ inter doctos tantum sibi applausum peperit, ut tum in Germania tum in Italia quindecies, & ultra, novis typis fuerit commissa. Simillimum encomium promeriti fuere Commentarii, quos in sacros Canones edidit. Ii non in ædibus duntaxat privatorum, sed in publicis pulpitis, Romæ maxime, summam æstimationem habent, & ideo jam sæpius variis in locis fuere recusi. Fuit Frisingæ à Reverendissimis DD. Ordinariis perquam sæpe ad consilia in rebus maxime arduis ferenda adhibitus. Bibliothecas tum Episcopalem, tum Cathedralis Collegii in insignem ordinem magno labore redegit, & utriusque libros duobus à se scitissime conscriptis catalogis completus est. Et cum hæc omnia fuerint vere magna, majus tamen est, quod sanctis vitæ exemplis plurimos, imo omnes ædificaverit, & ad virtutis studium excitaverit. Tumulum Frisingæ inter Religiosos sodales obtinet. Ejus laudes ibidem manent immortales.

Obitus R.P. Anacleti Reiffenstuell.

Secuta est anno proximo 1704. die 23. Januarii pia mors Perillustris Dominæ Matris Celsissimi Principis nostri, de qua jam superius egimus. Ejus exuviæ in Ecclesia S. Benedicti, Cathedrali contigua, in sepultura Eckerlana fuere conditæ, quo eam Studiosorum Mariana Sodalitas deportavit.

Mors Matris Celsissimi Principis.

Diximus supra, annum eundem fuisse Provinciæ nostræ adeo funestum, ut eas sacras Imagines, ad quas Deus per Bojariam devotis Christi fidelibus plurima beneficia dispensare solet, visum fuerit necessarium Monachium adducere, eoque pacto Acatholicorum militum, Anglorum scilicet & Hollandorum furori subtrahere. Inter eas numerabatur amabilissimum illud beatissimæ Fundatricis (ut vocant) Ettalensis simulacrum, quod olim Ludovico Boico, Romanorum Imperatori, divinitus fuit oblatum, ut alibi meminimus.

Illud primo receptum est Monachii in ipsa Regia Electorali, ibique magnis honoribus cultum. Id contigit die Mensis Aprilis duodecima. Die vero postera in Basilicam PP. Theatinorum translata est, ibique usque ad diem 29. Junii perstitit. Dici interea non potest, quam pios motus in Monacensibus, ac vicinis populis excitaverit sacratissima illa icon, quæ, cum alias ad eam numerosissimi peregrinantes confugere soliti essent, nunc peregrinari ipsa, atque refugium apud fideles quærere visa esset. Cæterum non Monacenses tantum erga Deiparam in eo simulacro sese quotidie exhibuere devotissimos, verum etiam frequentes alii

Statua B.V. Ettalensis transfertur Monachium, ingentem venerationem habet.

è vi-

è vicinia cives atque coloni præeuntibus cruce ac vexillis, ut pius & vetustissimus mos habet, ad Statuam illam venere turmatim supplicatum.

Ingens interea cupido incessit animum Reverendissimi ac Celsissimi Principis nostri etiam Frisingæ videndi atque colendi Iconem illam Thaumaturgam, coram qua primum suum sacrificium Eucharisticum Ipse litaverat. Itaque data fuit opera, ut Marianis Joannis Francisci desideriis satisfieret. Rem describo verbis viri clarissimi P. Ludovici Babenstuber, olim in Universitate nostra Salisburgensi Philosophiæ, ac postea etiam Theologiæ famosi Professoris, ac Vice Rectoris, cujus Philosophica ac Theologica Opera typis commissa plurimorum doctorum manibus hodieque versantur. Sic igitur ille habet de triumphali Peregrinatione ipsiusmet B. V. Ettalensis. Etiam Frisingam asportatur.

Trigesimo Junii, inquit, Dominæ Fundatricis icon, relicto tantisper Monacensi hospitio, ad Frisingenses fuit delata. Adventantem Celsissimus Antistes Joannes Franciscus Garchingæ (vicus est Monachium inter & Frisingam medio itinere situs) in templo tenerrimo pietatis sensu excepit: sacrificioque, quod ante illam in ara locatam fecit P. Wolfgangus Tegernseensis, qui tum in Aula versabatur, religiosissime interfuit. Sub noctem portata est in Urbem, idque citra pompam, & in Sacello Aulico servata. " Ibidem devotissime colitur.

Primo Julii Mater Ettalensis in ara memorati Sacelli à quarta matutina ad duodecimam usque continuis sacris honorata est: horis vero pomeridianis accedentibus ex more ad libandum osculum porrecta. "

Secundo Julii, mane sub horam quintam P. Raymundus (Custos Ettalensis) Virgineam effigiem, non conspicuam, sed obtectam, per hortum palatii transtulit in Sacellum Oetinganum, prope & extra portam Monacensem constructum. Stipabant duo ephebi, ardentes tædas gestantes, totidemque custodes Prætoriani. Adfuit mox Celsissimus Joannes Franciscus, Divamque accenso thure veneratus, præsentibus benedixit. Inde in Templum Cathedrale hoc ordine processum. Principio incedebant omnes tribus Opificum atque Artificum eo cultu ornatuque, qui, dum Festum Sacrosanctæ Eucharistiæ agitur, in solenni deductione est usitatus. Pone sequebantur pia Sodalitia universa: quorum agmina distinguebant multa vexilla, labara, & novem circiter fercula: quæ omnia ad Virginis Ettalensis laudes ingeniose ludens pietas accommodaverat. Succedebant PP. Franciscani: deinde Sacerdotes, qui à Choro dicuntur, & Clerici omnes. Horum mox vestigia premebant Aulici phonasci, tubicines & Tympanotribæ. Tum sequebantur Reverendissimi DD. Canonici Cathedrales: Reverendissimi Præsules Nova-Cellanus, Weihenstephanensis, Ettalensis, Decanusque Cathedralis, omnes Pontificali ornatu conspicui: Postea continuo ibat Celsissimus ipse Episcopus Frisingensis, sub umbella gestans inter ulnas (idque plane diu) Virginis Ettalensis effigiem. Umbellam sustinebant Aulici Proceres. Latera stipabant sex ephebi cum tædis Punicæ ceræ, & octo satellites. In portanda effigie ob viæ longitudinem vices mutari fuit necesse. Itaque traditum à Celsissimo Principe suscepit, ac portare pertexit Reverendissimus Decanus Cathedralis: postea Domini Abbates, prior Ettalensis, deinde Weihenstephanensis, Divam, cum teneret hæc pompa, festus aliquot tormentorum minorum fragor salutavit. Ut reditum est in collem palatio vicinum, ipse rursus Celsissimus Episcopus Frisingensis suavissimum onus sustulit, illatumque templo Cathedrali, ubi thus adolevit, ac bene precatus est unà ingressis, publice colendum exposuit. Inde decantatus elegantissima Symphonia hymnus Ambrosianus: quem excepit Panegyricus, à P. Francisco Xav. Amrhyn, in Templo S. Michaelis Monachii concionatore, Virgini Ettalensi dictus insigni eloquentia. Ut ille desiit, Celsissimus Pontifex Frisingensis solemne sacrificium celebravit omni, qua fieri potuit, cum cæremoniarum magnificentia, tum musicæ apparatu. Quod reliquum erat temporis ad horam usque quintam è pomeridianis, in porrigendo certatim po- "

„ scentibus Divæ simulachro consumptum. Hoc cultus Virginei certamen hora „ quinta interrupit carmen Lauretanum festivè admodum & insigni artificio can„ tatum. Eo concentu absoluto resumptus prior ritus colendi, nec finis osculan„ di fuit ante horam octavam vespertinam: secundum quam P. Raymundus Di„ vam retulit in Sacellum Aulicum, binis ephebis, binisque Prætorianis, ut ma„ ne, stipantibus. Cæterum rota die maxima accolarum quoque adfuit multitu„ do: quippe quos non modo rumor de adventu Dominæ Fundatricis late didi„ tus, sed etiam obsequendi quædam alacritas Frisingam acciverat: invitati nam„ que vocatique erant, ut Virginis triumphum præsentes honestarent. Ita laudatus Ludovicus, qui postea continuatum etiam per integrum octiduum sacrum illum ritum prolixe describit, & in fine hæc subjungit.

„ Nono Julii sacrum solemniter celebravit Celsissimus ipse Frisingensis. Porro „ quamdiu tenuit hoc octiduum, matris Ettalensis venerationi à piissimo Principe „ destinatum, non modo Frisingensium, accolarumque, sed etiam alienigenarum „ concursus perquam ingens erat. Unde inter quintam matutinam, & octavam „ horam vespertinam non multum fuit temporis, quo Deiparentis icon extra ma„ nus fuit accurrentis populi.

„ Undecimo Julii Diva Ettalensis reportata est Monachium, sed citra pom„ pam, & Armatiolo inclusa. Frisinga discessum mane hora sexta. Comes ivit, „ admissis in iter quibusdam, Celsissimus Joannes Franciscus Ismaningam usque: „ ubi etiam in conspectu ejusdem ad aram fecit, indulsitque, ut præsentibus reli„ giose tangenda de more præberetur. Porro tertia pomeridiana dulcissimæ Ma„ tri amantissime valedixit inter tenerrimos affectus, & non absque lacrymis cir„ cumstantium.„ Hæc P. Ludovicus.

Reportatur Monachium.

Mariana Sodalitas Frisingæ.

Die 8. Decembris ejusdem anni rursus festivo ritu in Ecclesia Cathedrali instauratum fuit solenne juramentum pro propugnanda Deiparæ Virginis Conceptione immaculata. Insuper è suggestu publico promulgatum fuit, Sodalitatem sub ejusdem Deiparentis invocatione à Celsissimo Principe Episcopo institutam, à Sede Apostolica ratihabitam, & gratiis singularibus fuisse decoratam. Id gratissimum fuit Auditoribus: & quemadmodum ipse Celsissimus Nomen suum Sodalium Albo inscribi voluit, ita etiam quam plures nobiles, ignobilesque in sui sequelam traxit. Marianus cultus in Gymnasio deinceps semper magis magisque propagatus fuit.

Cæterum anno illo (1704.) tantis, ut supra vidimus, tumultibus pleno integrum non erat Celsissimo Episcopo ad sacras functiones excurrere, cum Ejus præsentia domi fuerit necessaria, ut tumultuantem circumquaque Martem pacifica sua præsentia mitigaret, & mala tum à suis, tum ab aliis Frisingam profugis averteret: quod etiam Eidem ad vota felicissime cessit.

Pacatis postea utcunque Bojariæ turbis Anno Christi 1705. (quo Augustissimo Cæsari Leopoldo filius Josephus successerat) domum reportari poterant sacræ imagines, quæ eousque Monachii fuerant asservatæ. De reductione Iconis Ettalensis hæc scribit sæpe laudatus P. Ludovicus.

Celsissimus etiam Monachii rursus veneratur.

„ Vigesimo Aprilis, qui commorationis Monacensis fuit postremus, Diva „ Ettalensis hora quinta (in Æde ejusdem Deiparæ primaria Monacensi) publice „ fuit exposita. Advenerat ipse Celsissimus Joannes Franciscus Episcopus & Prin„ ceps Frisingensis, discedentem ad portam usque Neohusinam honoris causa co„ mitaturus, imo inter brachia gestaturus. Prius tamen audivit P. Casparum „ Mändl, Virgini ex suggestu luculenta oratione valedicentem. Solemne dein „ celebravit sacrificium pompa, quam fieri potuit, magnificentissima. Eo per„ fecto mox cœpta deductio, idque hoc ordine. Principio ibant tria Sodalitia: „ nempe illud, quod in Nosocomio Ducum, *à doloribus* Deiparæ: & illud, quod „ *à fœdere Mariani amoris* ad S. Petri: & illud, quod *à Virgine Oetingana* appel„ lationem hausit. Successête ex domiciliis Religiosorum PP. Capucini, Augu„ stiniani,

Reducitur Ettalam.

ſtiniani, Franciſcani. Secuti poſtea Clerici Parochiæ San-Pettinæ: Canonici è „ Collegio B. Virginis; Reverendiſſimi Abbates Quirinus Tegernſeenſis, Maurus „ Andecenſis, Romualdus Ettalenſis. Pone mox inceſſit ſub umbella, quam „ ſuſtentabant quatuor Sacerdotes linteati, Celſiſſimus Joannes Franciſcus, inter „ ulnas portans ſacram effigiem Fundatricis Ettalenſis. Comites ibant tres Re- „ verendiſſimi DD. Canonici Cathedrales, qui ſacris ſolemniter operanti com- „ miniſtrarunt. Latera Deiparentis ſtipabant ſeni ephebi cum accenſis funalibus. Con- „ curſus aliorum piorum omnis generis, qui una comitabantur, hodie fuit omni- „ um maximus. Ab univerſo agmine inter eundum ſonoris vocibus recitabatur „ Roſarium. „

Cæterum ad Portam Neohuſinam ante ædes Telonei extemporale ſtabat „ Altare. In hoc Celſiſſimus Antiſtes depoſuit Matrem Ettalenſem: coluit accenſo „ thure, rurſumque attollens in manus bene precatus eſt; idque ultimum: non „ absque alto gemitu atque vehementi ploratu præſentium, haud ſecus, quam „ ſi ſalus ipſa ex urbe eſſet migratura. Tum vero P. Raymundus linteatus & ſtola- „ tus Divæ ſimulacrum ſuſcepit in rhedam, Monachioque Ettalium avexit. Multi „ è populo curſu ſecuti rhedam fere Sendlingam usque Divam comitabantur &c. „ Iſta clariſs. P. Ludovicus: qui deinceps ſtylo ex more ſuo elegantiſſimo ulterius iter proſequitur.

Die 16. Octobris Reverendiſſimus & Excellentiſſimus D. Joannes Sigismundus Zeller &c. Epiſcopus Bellinenſis, ac Proepiſcopus Friſingenſis &c. Sacellum Benedictinarum Monialium in Monte liliorum prope Monachium ſacris ritibus initiavit: ut ſupra jamjam diximus. Anniverſaria Dedicationis dies celebrari juſſa eſt Dominica, poſt Divi Galli feſtum proxima.

Cum eousque prope Friſingenſe Gymnaſium nulla extaret Aula, in qua pro ſtudioſa juventute divina peragi, vel ſolitæ allocutiones ad Marianos Sodales fieri poſſent, Celſiſſimus Princeps decrevit, ut in ſingulis Marianis feſtivitatibus Præſes ſermonem haberet in belliſſima Eccleſia S. Spiritus, ad quam etiam Sodales ſe conferre juſſi ſunt.

Eodem anno recens electam Alto-Monaſterienſem Abbatiſſam Mariam Claram Ordinis S. Birgittæ in Eccleſia Monaſterii ſui conſuetis inſignibus exornavit, ac ſolita benedictione donavit. Benedicendæ adſtitere duæ Moniales ejusdem ſacri Parthenonis.

Anno illo idem Celſiſſimus Antiſtes conſecravit Monachii, Ambachii, Einſpachii, in Uberacker, & Friſingæ Eccleſias duas, altaria octo. Prope Friſingam vero poſuit primum lapidem pro Noſocomio novo, cujus conſtructionem anno ſuperiori communitas civium Deo voverat ad avertenda mala bellorum, quæ tum in provincia fœde debacchabantur.

Novi labores Celſiſſimi.

Weihenſtephanii mortem piiſſimam obiit Reverendiſſimus D. Benedictus, Abbas loci LVI. vir humillimus, Religioſæ diſciplinæ cuſtos præcipuus, rei œconomicæ curator indefeſſus, in pauperes mire munificus, in omnes benevolus. Coactus fuerat ſuperiori anno, quo videlicet omnis fere Bojaria Cis-Iſarana militum furori patuit, Monachium fugam cum ſuis capeſſere: ubi excidium Monaſterii ſui multis florenorum millibus redemit, adhuc ad majorem pecuniarum ſummam numerandam cogendus, niſi Celſiſſimus Princeps Joannes Franciſcus miſſo fratre ſuo germano, Aulæ Archippocomo, Præfectis militum mitiora perſuaſiſſet. Eam Monaſterii calamitatem ægre tuliſſe Superos, luculenter demonſtravit perennis cæteroquin, ſed anno fugæ Religioſorum inopinato ſiccus, minimeque manans Divi Corbiniani fonticulus, donec redirent Religioſi indigenæ: ut adeo nemo bonus non intelligat, Deo & S. Corbiniano maxime improbari, quando Divinis in eo loco laudibus, à S. Corbiniano inſtitutis, obex ponitur.

Mors Benedicti Abbatis Weihenſtephanenſis.

Fonticulus S. Corbiniani ad tempus exſiccatur.

Nimium dolenda fuiſſet Benedicti Abbatis jactura, niſi eam ſuppleviſſet dignus tanto Patre filius, filius, inquam, ſapiens, ac gloria Patris, Reverendiſſimus ſci-

Succedit Ildephonſus Abbas.

scilicet Ildephonsus, die 12. Augusti in ejus loci Abbatem feliciter electus. Electionem illam Reverendissimus & Illustr. D. Vicarius Generalis Franc. Antonius Begnudellius Bassus &c. subdelegata sibi Pontificia autoritate probavit. De Reverendissimo D. Ildephonso sæpius redibit mentio.

Eodem anno Monachii Ecclesiæ RR. PP. Augustinianorum ex dono Clementis XI. illata est particula Sindonis, quæ anno 1700. prodigioso cruore ex brachio S. Nicolai Tolentinatis manante fuit imbuta. Testes literas authenthicas damus in altera Parte. N. 432. & 433.

§. VII.

Prosecutio tum publicorum, tum domesticorum Actorum usque ad Annum 1709. ubi de inventione Corporis S. Nonnosi.

Status Serenissimæ Domus Bavaricæ.

SErenissimo Electore Bavaro, una cum fratre suo Coloniensi Archi-Præsule post cladem Hochstadianam in Gallias digresso, qui domi remanserant, Serenissimi quoque tres filii natu majores mense Majo anno 1706. Clagenfurtum, primariam Carinthiæ urbem, extra patriam fuere abducti: in quod ipsum tempus incidit eclipsis solis tanta, tamque tristis, qua plenior è quorumdam judicio post Christi mortem nulla apparuit. In Aula Bavarica sola Serenissima Electoris filia Maria Anna Carolina, tum decennis, cum fratre trimulo Joanne Theodoro deinceps habitavit.

Joannis Francisci nova Institutio à novo Cæsare.

Mensis Septembris die decima Josepho I. Imperatori Reverendissimus, ac Perillustris D. Conradus Ferdinandus Augustinus Albrecht ab Albrechtsburg, SS. Th. D. Præpositus mitratus Zwetalensis, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis, ut vocant, Domicellaris, Parochus civitatis Egenburgensis, Sac. Cæs. Maj. Consiliarius, ac Statuum Austriæ Inferioris inter alios Reverendissimos Præsules Deputatus &c. ceu Legatus Celsissimi Episcopi & Principis Frisingensis juramentum fidelitatis præstitit cum publicis ac solitis cæremoniis: & orationem utramque, nempe submississimæ petitionis primum, ac in fine, post impetratam Cæsaream Principis institutionem, etiam gratiarum actionis ipse solus ingenti facundia dixit. Id in Palatio Cæsareo, quod *Favorita* vulgò appellatur, extra portam Viennensis Urbis Carinthianam contigit.

Benedictio duorum Abbatum.

Die 20. mensis Novembris Celsissimus Princeps noster ceu Delegatus Apostolicus Reverendissimis DD. Abbatibus Ildephonso Weihenstephanensi, & Cajetano Attilensi, de quibus in superioribus egimus, In Cathedrali Ecclesia mitras festivo ritu imposuit. Iis Abbates adstitere Reverendissimi DD. Quirinus Tegernseensis, & Cæelestinus Schyrensis Præsules: quibus omnibus DD. Præsulibus Celsissimus multa honoris amorisque argumenta exhibuit. Mosburgi vero in Collegiata quondam, pristinis vero sæculis Abbatiali Ecclesia aras duodecim, unam vero in Sacello, in solamen animarum, piacularibus flammis addictarum, constructo consecravit: & per varia Diœcesis loca sexies mille, centum ac duabus personis sacrum chrisma impertivit.

& aliæ sacræ unctiones.

Ædificium novum in Pirckeneck.

In amœnissima duarum fere horarum spatio ab hac Urbe dissita sylvula (quam vulgus *das Pirkhet* appellat) pulcherrimum ædificium pro animi relaxatione idem Celsissimus construxit adductis illuc limpidissimarum aquarum rivulis, Sylvula ipsa

cæsis

cæsis aliquot arboribus interlucata, & ambulacris etiam perquam commodis ibidem præparatis. Ut vero commodius illuc Frisinga veniri posset, viam rectissimam à præterfluente Isara fluvio sterni mandavit, ubi iter agentibus aliquoties integri, ac maximi cervorum greges cominus spectandi occurrunt, veluti in Dissertatione prima prolegomena Tomi I. fusius meminimus. Loco illi deinceps inditum fuit nomen Pirckeneck, ubi eousque nonnisi prædium rusticum visebatur.

Novæ functiones Episcopales per Diœcesin.

Nunquam alias tot Episcopalibus functionibus locus repertus fuerat, quam Anno Christi 1707. cum facta generali totius Diœcesis lustratione compertum fuit, superesse quam plurimas aras & Ecclesias, quibus consecratio nondum fuerit impensa. Has igitur omnes tum sua ipsius, tum Reverendissimi atque Illustriss. D. Proepiscopi sui opera successu temporis sacrandas decrevit. Sane ipse Celsissimus institutis eo anno variis in loca remota itineribus, teste Protocollo, Sacris ritibus inauguravit Ecclesias viginti & unam, inter quas etiam numeramus sacellum domesticum Pirckeneckense, & illud etiam, quod in novo prope Frisingam Nosocomio fuerat constructum: item aras alias ducentas ac viginti: parvulis vero, & aliis adultioribus fidelibus vigesies ter mille, trecentis octoginta tribus Sacramentum Confirmationis impertivit. Eodem anno structuræ Aulæ Gymnasticæ initium dedit.

Novus Abbas in Michaelfeld.

Die tertia Augusti, postquam in Michaelfeldensi Superioris Palatinatus Monasterio Sedes Abbatialis vacaverat, à Religiosis Ascetis ad sacrum loci lituum vocatus fuit P. Wolfgangus Rinswerger Tegernseensis, qui, ut supra memoravimus, tum in hac Frisingensi Aula morabatur. Eam itaque electionem is, qui Scrutinio præsederat, Reverendissimus D. Quirinus Tegernseensium Abbas misso cursore statim insinuavit Celsissimo Principi nostro, adjectis humillimis precibus, ut P. Wolffgangum ex hac Aula ad Abbatiam illam Michaelfeldensem clementissime dimitteret. Respondit statim die 5. ejusdem Mensis humanissimus Princeps, ægre se equidem dimittere P. Wolfgangum: cum tamen crederet, rebus Michaelfeldensibus ex ejus promotione prospectum iri, illum Frisingæ detinere integrum sibi non esse. Subdidit, se Episcopali benedictione charissimum sibi Patrem impertiturum, & suis locis pro merito commendaturum esse. Ita ex Aula Frisingensi Michaelfeldam venit Reverendissimus Wolffgangus, ibique Abbas salutatus & institutus est: quem non ita multo post Celsissimus noster, cum sacram peregrinationem ad Divam Virginem Neokirchensem instituisset, ex itinere deflectens in proprio illo Monasterio dignatus est salutare, & veteris clementissimi amoris argumenta exuberantia exhibere.

Statua B. V. M. prope Dorffen beneficiis inclarescit.

Placuit eo tempore supremo Numini Virgineam Matrem suam in ejusdem pulcherrima Statua in monte S. Ruperti prope Dorffense municipium reddere gloriosam. Extabant plura authentica testimonia, quod eadem mater admirabilis ante aliquot centenos annos insignia beneficia clientibus suis eo in loco fuerit elargita. Ut vero instabilis est hominum conditio, ita etiam devotio non raro in oblivionem vergit. Id num apud Dorffenses fortè contigerit ob ingruentia bellorum tempora, aut desolationem ex peste exortam, nemo est, qui nobis certa narratione exponere possit.

Cum vero nostra hac ætate loci populus ferventibus exhortationibus admodum R. P. Josephi Sailler vigilantissimi Parochi ad resuscitandum Marianum cultum accenderetur, & sic postliminio devotionis ardor refervesceret, rursus beneficam manum devotis sibi clientibus Maria in Divi Ruperti monte exhibuit. Numerabantur jamjam plura beneficia, quæ vires naturæ supergressa esse videbantur. Re deinde ad Ecclesiasticum Frisingense Consilium delata, omnibus circumstantiis rigide expensis deprehensum est, viginti octo ejusmodi beneficia, Dorffæ reportata, Ecclesiastica censura atque approbatione omnino esse digna. Id ubi factum est, tanta sensim incrementa sumpsit Mariana devotio, ut hodie sacer ille S. Ru-

perti

perti mons celeberrimis per Bojariam locis, ubi Divina bonitas largiores gratias conferre solet, adnumeretur. Nos de ea re imposterum suis locis plura, atque singularia in lucem proferemus.

Nova Joannis Francisci felicitas. Inter hæc fidelis Deus, sicut olim juxta plura scriptorum testimonia per Angelum suum locutus est ad Patrem nostrum beatissimum Benedictum, benedicturum scilicet sese omnibus benedicentibus illum, & omnibus illius Ordinem diligentibus variam in terris, & postea in cælis æternam felicitatem impertiturum: hic, inquam, fidelis Deus Reverendissimo ac Celsissimo Episcopo ac Principi nostro, ejusdem ordinis nostri fautori clementissimo, ob tot insignes gratias nobis collatas benedicere largissime statuerat, ut videlicet præter exspectationem thesauro potiretur quasi cælesti & incomparabili. Et ne nesciret orbis, eum thesaurum dari Joanni Francisco ob amorem Benedictini nominis, hic thesaurus alius non fuit, quam è Divi Benedicti Sanctuario. Res accidit sequentem in modum.

Studuerat Celsissimus Princeps jam ab aliquot annis magno sumptu Cathedralem suam Ecclesiam, ad normam, hisce temporibus ab artificibus adhiberi solitam, quoad fieri posset, exornare. Displicebat præprimis antiquum scabrosum, & passim gibbosum atque inæquale pavimentum, quippe ligninum, quod complanare, & marmoreum idem Celsissimus esse cupiebat. Cum vero operi manum adhiberent complanatores, contigit, ut plura sepulchra primorum hujus loci Episcoporum detegerentur. Monitus statim Celsissimus Princeps, rerum antiquarum semper studiosissimus, aperiri ea præsens ipse jussit, eoque pacto multa piæ vetustatis argumenta non sine maxima animi voluptate invenit: cujus rei spectatorem esse mihi, qui hæc scribo, aliquando licuit. Deinceps tota area Amplissimæ Cathedralis Basilicæ, uti etiam cohærentis peristylii, ac contiguæ Divi Benedicti Ecclesiæ marmore strata fuit. Porro ex repertis ea occasione pretiosis monumentis nullum potuit esse æstimabilius, ac illud, in quod die 27. Januarii Anno 1708. Princeps ipse incidit.

Statuerat Reverendiss. & Illustriss. D. Joannes Sigismundus Zeller de Leiberstorff, Episcopus Bellinensis, Proëpiscopus Frisingensis, Cathedralis Ecclesiæ Præpositus &c. superius sæpius laudatus, honoribus Divi Nonnosi novam aram in hypogæo seu crypta Cathedralis Ecclesiæ construere. Id ut commode fieret, placuit Celsissimo locum contemplari, ne quid præter animi sui vota operarii tentarent. Venit igitur ad eum hypogæi locum, ubi tum extabat ara Divæ Margaritæ, nulli muro adhærens, nisi quod pone cerneretur conditorium quoddam, tribus fere cubitis altum, & ita ex lapidibus arcuatim eductum, ut sub ipso superius imposito conditorio homines possent perreptare: quod etiam multis, maxime qui dorso laborabant, saluti fuit, cum illic Deum pie invocantes manibus pedibusque perreperent, absque eo, quod ipsis certo constaret, quis eo in loco lateret Evergeta, cujus accedentibus intercessionibus ac meritis à dorsi doloribus liberarentur? imò nemo unus hominum erat, qui, quid sibi arcus ille muratus vellet, affirmanter recensere posset. Illud unum duntaxat sciscitanti Episcopo memorabant æditui, quod annis singulis die 2. Septembris ibi tempore Divini officii lychnos duos cum cereis ardentibus reponere ex antiquissima consuetudine juberentur.

Movit ea narratio Episcopi animum, scire utique perquam cupidum, quid tandem mysterii ibi lateret? Ergo Ejus jussu confestim manum admovent cæmentarii, loculumque aperire incipiunt: cum ecce! apparuere mox indicia magni thesauri ibi depositi. Itaque ut res tota circumspecte ageretur, cessare jussi sunt cæmentarii, donec Notarius publicus advocaretur, qui, quid ageretur, coram spectaret, &, si res postularet, Instrumentum publicum conscriberet. Missus itaque confestim fuit, qui Notarium cito adesse juberet. Præsto igitur adfuit vir nobilis & Clariss. D. Antonius Pockmair, J. U. D. Celsiss. Principis Consiliarius Aulicus, & Reverendissimi ac Illustrissimi Collegii Cathedralis Syndicus, Notarius Cæsarea autho-

authoritate publicus, quem Princeps avidè exspectaverat. Adfuêre etiam viri graves, qui futuri eventûs testes essent. Hi mox fuêre requisiti, ut id, quod eventurum esset, unà cum D. Notario in tabulas publicas referrent. Tum jussu Principis ex templo remotum fuit saxeum operculum; quo sublato conspecta fuit arcula quædam, quam statim Celsissimus suis ipse manibus extraxit, & cum inexplicabili cordis jubilo deprehendit, reperisse se ossa beatissimi Nonnosi, olim Prioris (alii Abbatem vocant) Monasterii Soractensis sub Divi Benedicti Regula, quem jam ad aliquot centenis annis inter suos Patronos Frisingensis Ecclesia ac Diœcesis recensuerat, atque coluerat, quod tum ex alibi relatis, tum ex praxi continua constat. Id ampliùs indicabant apposita sigilla ac signa S. Eberhardi, ex Monacho & Abbate Ord. S. Benedicti Biburgensi Salisburgensis Archi-Episcopi, & Beati Alberti, eo nomine primi Episcopi Frisingensis, qui sacra illa lipsana Anno 1161. ibi reposuisse ac condidisse reperti sunt. Inventio Lipsanorum S. Nonnosi. T. 1. p. 248.

Quantum gaudium ea uti inexspectatissima, ita felicissima inventio attulerit tum spectatoribus omnibus, tum maximè ipsi fortunatissimo Inventori, calamo exprimere nemo hominum potest; lacrymæ tamen præ cordium jubilo fusæ satis prodiderunt. Ergò statim præsentes omnes corruêre in genua, Divum suum Evergetam, ceu rursus in lucem protractum, sibique restitutum devotissimè salutarunt, Deoque ac eidem Divo Nonnoso pro gratia illa planè cælesti impensissimas gratias rependerunt. Satiari vix poterat dulcissimo thesauri sui aspectu Celsissimus Princeps, cum modò è lamina plumbea thesauri sui inventi descriptionem legeret, modò eorum, qui thesaurum ibi absconderant, insignia contemplaretur, modò appositum Numisma Aureum protraheret, suisque exhiberet, eosque non sine torrente voluptatis ad gratulandum sibi de reperta inæstimabili drachma clementissimè invitaret. Itaque ne à corde suo procul abesset thesaurus ille suus, eundem in Sacellum suum Aulicum cum summa devotione transtulit, ubi arcam Notarius publicus occlusit, & sigillo Notariatûs sui duplici loco impresso obsignavit. Solamen maximum omnium præsentium.

Ex eo tempore Celsissimus Princeps diu noctuque in eam curam ferventissimè incubuit, ut sacra illa lipsana, quàm fieri posset, splendidè exornarentur, ac suo tempore pompâ quadam festivissima in Basilicam Cathedralem reduci possent. Urbs ipsa tota, simul ac faustissima Inventione fama increbuit, ac propositum Principis innotuit, ad exornandam quibusvis possibilibus studiis translationem illam sese præparavit. Studia ingentia pro S. Nonnosi Translatione festivissima.

Porrò medio illo tempore in prædicto Sacello Aulico ingens devotio fidelium erga Divum Nonnosum exarsit, & quàm plurimæ Eucharisticæ hostiæ præter morem ibidem fuêre litatæ. Operam etiam operosissimam dedit Celsissimus Princeps, ut non solùm Aula Gymnastica ad desideratam perfectionem bellissimè perduceretur, verùm etiam ut ibidem prępararetur theatrum insigne, ubi Anno sequenti Comico Opere Acta Divi Nonnosi, à S. nostro Gregorio I. Pontifice maximo conscripta, possent spectatoribus exhiberi. Totius negotii curam in se suscepit Reverendissimus D. Wolfgangus, sæpe hactenus laudatus Michaelfeldensium Abbas: qua de re inferiùs plura adducemus: ea verò, quæ Romæ Anno 1684. publicis typis de S. Nonnoso fuêre commissa, in Parte Altera exprimemus.

Inter hæc eodem Anno 1708. die 9. Januarii Reverendissimus & Excellentissimus D. D. Pro-Episcopus Frisingensis in Monte Liliorum prope Monachium aras duas, majori proximas, in honorem SS. Benedicti & Scholasticæ consecravit.

Die 3. Junii, qua eo anno SSS. Trinitatis Festum occurreret, Reverendissimus & Illustrissimus D. Joannes Franciscus Emmanuel Baro de Pienzenau in Wildenholzen, Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Martini Landishuti Præpositus, Cathedralis Ecclesiæ Pataviensis Canonicus, &c. in hac Cathedrali Ecclesia à Reverendissimo atque Celsissimo Pontifice nostro mitram, baculum Pastoralem, & sole- Benedictio Præpositi Landishutani.

mnem benedictionem accepit. Sacris cæremoniis adstiterunt Reverendissimi duo Abbates nostri Ildephonsus Weihenstephanensis, & Cajetanus Attilensis. Simillimum honorem ex iisdem Celsissimi Episcopi & Principis nostri manibus consecutus est in proprii Monasterii sui Ecclesia Reverendissimus D. Georgius, Canonicorum Regularium Undenstorffensium electus Præpositus: quem ritum mitrati alii duo ejusdem Instituti Præpositi, Andreas nempe Diessensis, & Præsidius Weyarensis condecorârunt. Porrò eodem anno Celsissimus tum Frisingæ, tum in multis aliis locis consecravit Ecclesias duas, aras verò ducentas quinquaginta duas: & per eadem loca tredecies mille, quadringentis ac decem fidelibus Sacramentum Confirmationis administravit.

& Undenstorffensis.

In Monte Divi Ruperti prope Dorffense oppidum eo tempore Mariana devotio tanta sumpsit incrementa, ut Celsissimus Princeps necessarium duxerit eò destinare quinque Sacerdotes Sæculares, qui pœnitentium confessiones exciperent, Epulum Eucharisticum ministrarent, pro concione statis diebus dicerent, & Sacris in celeberrima illa Ecclesia operarentur. Superi! quàm benignus est Deus, quando ovibus suis Pastorem fidelem concedit!

§. VIII.

Acta Anni 1709. ubi potissimùm de Festiva Translatione S. Nonnosi.

Placidus Abbas Ettalensis,

Vinculis carnis exuto Reverendissimo Romualdo Ettalensium nostrorum Abbati Anno Christi supra notato eligentium suffragiis suffectus est Reverendissimus D. Placidus, SS. Th. & J. U. D. Reverendissimorum & Celsissimorum S. R. I. Principum Archi-Episcopi Salisburgensis & Episcopi Consiliarius Ecclesiasticus, & in Alma Universitate Salisburgensi SS. Th. Professor, qui antehac in Rectorem ejusdem Universitatis fuerat designatus. Ei die 7. Aprilis Pontificalia insignia in hac Cathedrali Ecclesia ritu festivo contulit Celsissimus noster, eundemque etiam Archi-Diaconum suum renunciavit, officio etiam in successores transituro.

benedicitur.

Actui solemnis benedictionis præsentes erant cum mitris suis Reverendissimi DD. Præpositi Patritius Raittenbuchensis, Archi-Diaconus Natus, & Georgius Undenstorffensis. Eundem honorem idem Celsissimus Pontificia authoritate adhibuit die 9. Junii recens electo Schyrensium Abbati Benedicto, & quidem in Ecclesia Vischbachaugiensi, antiqua Schyrensium Ascetarum Sede, ut suo loco monuimus. Sacras cæremonias exornarunt Reverendissimi DD. Cœnobiarchæ Quirinus Tegernseensis, SS. Th. D. & Congregationis Bavaricæ Præses Generalis: & Ildephonsus Weihenstephanensis.

Uti etiam Benedictus Abbas Schyrensis.

Inter hæc Salisburgi Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I. Princeps & Archi-Episcopus Joannes Ernestus Thunius, splendidissima Basilica ad usum almæ Universitatis nostræ constructa, rebusque aliis maximis gestis ad superos transiit, Metropolitano lituo relicto Reverendissimo ac Celsissimo Francisco Antonio Principi Harrachio, quem jam antehac sibi Adjutorem adsciverat.

Moritur Joannes Ernestus, succeßit Franciscus Antonius Archi-Episc. Salisburg.

Cæterum (quod supra dicere cœpimus) dici pro rei dignitate non potest, quantis ab eo tempore curis ardentissimum Principis pectus exæstuarit, ut sacra Divi Nonnosi lipsana cum dignissima majestate in ipsius Sancti Festo, nempe 2. Septembris, in Cathedralem Basilicam possent reportari. Inter alia præcipuè hypogæum seu crypta ejusdem Cathedralis Ecclesiæ eo tempore mirè fuit exornata. Steterat etiam jamjam in nova Aula Gymnastica theatrum insigne, dirigente totum

Translatio S. Nonnosi.

Præparationes.

tum opus Reverendissimo D. Wolfgango, à duobus Ordinis nostri fratribus laicis Luca Benedictoburano, & Carolomanno Weihenstephanensi egregiè depictum. Ipsa sancti Nonnosi sacra ossa phrygio pretiosissimo opere fuerant condecorata. Ad festivum conductum omnia erant præparata, ubi nulli labori, nullis sumptibus, nulli cujuscunque rei impendio fuit parcitum.

Imminente postea Festivitate, tot suspiriis exoptata, nempe die 2. Septembris, Divo Nonnoso aliàs sacra, Celsissimus Princeps inter alios illustrissima nobilitate variisque dignitatibus spectatissimos hospites, etiam ex ordine nostro singulari favore invitavit Reverendissimos DD. Quirinum Tegernseensem, Congregationis Præsidem, Placidum Frauencellensem, Maurum Andecensem, Ildephonsum Weihenstephanensem, Wolffgangum Michaelfeldensem, Magnum Benedictoburanum, Placidum Ettalensem, & Benedictum Schyrensem: quibus mox accessere Reverendissimi DD. Abbates Placidus Divi Petri Salisburgi, & Bonaventura Reichenbacensis: qui omnes Reverendissimi DD. Præsules è suis Monasteriis Religiosos Socios secum adduxêre. Quantus verò cæterorum Frisingam properantium advenarum numerus fuerit, ex eo conjiciet Lector, quod intra unius tantùm horæ spatium per unicam Urbis portam, plùs quàm centum carpenta, aliique id genus currus & quadrigæ advenerint. Invitationes. Advenarum multitudo.

Porrò universa illa spectatu dignissima festivitas deinceps ordine sequenti fuit peracta, quam scribo testis per totum octiduum oculatus.

Prima die Septembris, quæ Dominica erat, SS. Angelis Custodibus sacra, primum Divi Nonnosi vespertinum officium ritu magnificentissimo decantavit ipsemet Celsissimus Antistes noster, & festivitati tantis ardoribus exspectatæ initium dedit verè gloriosum: à quo tempore per universum reliquum octiduum Romani Pontificis clementiâ plena noxarum culparumque condonatio impetrare poterant, qui preces præscriptas & alia pia opera ex more persolvissent. Vesperis deinde ac Completorio Ministri Ecclesiæ Cathedralis statim Officium matutinum cum laudibus crastini Festi jungere jussi fuêre, cum multiplices alii labores crastinam diem sibi integram exposcerent. Interim in universa civitate nullibi cessatum est à laboribus, cum nemo deliciosissimo erga beatissimum Nonnosum studio satisfecisse, ac dispositiones votis suis pares hactenus præmisisse sibi videretur: maximamque noctis partem non pauci insumpsêre, ut ad tantæ festivitatis augmentum saltem pro modulo virium suarum quidquam conferre possent. Initium Festivitatis.

Ipsa magnificæ Translationis die illucescente, cum maximorum æque ac minimorum corda cœlesti quadam & enthea dulcedine jamjam diffluerent, audito campanarum festivo sonitu, Horæ Canonicæ minores in Cathedrali Ecclesia fuêre persolutæ: quibus finitis Sacratissimæ Divi Nonnosi Reliquiæ, binis ferculis pretiosis decentissimè impositæ, à Presbyteris repositæ fuêre in pegmate itidem splendidè erecto prope vicinam Divi Joannis Baptistæ Collegiatam Ecclesiam, in qua interim cætera omnia, quæ Frisingæ eousque asservabantur, Sanctorum Corpora condecorandum à se cælestis civis sui Divi Nonnosi triumphum præstolabantur. Dies ipsius Translationis.

Horâ Sextâ auditâ, Celsissimus Antistes noster consueto violacei coloris talari indumento indutus, & promicantibus è clementissimo vultu enthei cujusdam solatii minimè obscuris indiciis suavissimè venerandus cum Aulico suo Ministerio universo ad pegma prædictum sese contulit, ubi præsentibus octo Ordinis nostri mitratis Præsulibus à Reverendissimo & Illustrissimo Cathedrali Collegio, nec non ab utriusque Insignis Collegiatæ Ecclesiæ Divorum Andreæ & Viti DD. Canonicis, totoque reliquo frequentissimo Clero Sæculari ac Regulari demississimè exceptus fuit. Considente postea cum aliis Celsissimo Antistite Musica, in Divi Nonnosi honorem singulari ingenio & artificio composita, ejusdem beatissimi Tutelaris Patroni laudes suavissimè decantabat, omnis generis instrumentis Musicis, ac præcipuè buccinis ac tympanis lætissimè accinentibus; imò æneis quoque machinis ignivomo tonitru è Divi Viti monte jucundissimè admugientibus.

Triumphus S. Nonnosi. Jam vero ut insecuto celeberrimo triumpho plenè describendo manum apponam, persuaderi non possum, optime Lector, sed ad libellum, infra à nobis allegandum, à P. Benedicto Eberschwang Frauencellensi, tum in hac Aula commorante, Frisingæ editum, remissum Te humanissimè volo, illudque iterum moneo, ardentissima & piè ambitiosa civium, etiam exterorum studia, devotissimos artificum omnis generis, sacrarumque Sodalitatum conatus & merita dignis laudibus hic paucis æquari non posse. Illud saltem Te hic celare nequeo, eam magnificentissimam hujus sacri agminis partem, quæ numerosum, &, quam fieri potuit, splendidè excultum Equitatum, Opificum tribus, piasque Sodalitates secuta est, ominosis suis, ut vocant, figuris, labaris, curribusque ingentibus ita fuisse interstinctam, ut secuturæ in Theatro Comœdiæ per Ordinem bellissimè proluserit. Tota ejus pompæ directio ac distributio opus fuit Reverendissimi D. Wolffgangi, qui etiam, ut diximus, Actionem Comicam ipsam composuit.

Processio. Cum tanta illa tot hominum series ingentis spatii, quod à Cathedrali Ecclesia usque ad portam S. Viti: inde recto tramite per totam Urbis longitudinem usque ad Xenodochium S. Spiritus: inde rursus supra montem ad Cathedralem Ecclesiam emetiendum erat, magnitudinem plane æquaret, successere primum, quæ maximam sui venerationem excitatura erant, Patronorum scilicet Frisingensium sacratissima Corpora & Reliquiæ, variis Religiosorum & Clericorum turmis interstinctæ sequenti ordine.

Primo itaque loco portabantur Divi Felicis Martyris sacræ Exuviæ comitante venerabili Conventu RR. PP. Capucinorum, quos sacræ devotionis ardor Erdinga una cum devotissimis ejus loci civibus (qui Frisingensi equitatui insigne auctarium addiderant) Frisinga evocaverat: hosque ponè sequebantur RR. PP. Reformati Ordinis Divi Francisci Frisingensis Conventus. Proxima fuere sacra lipsana Divi Prosperi Martyris, à Venerabili Collegio Canonicorum Præmonstratensium Neocellensium, cereos ardentes gestantium, deducta. Tertium locum obtinebat Divi Viti pretiosa Statua, Religiosis Fratribus communis Studii Benedictino-Bavarici, quod in inclyto Monasterio Weihenstephanensi tum erectum erat, devotum comitatum exhibentibus, & cereos itidem ardentes manu portantibus. Divi Bathonis sacros Cineres rursum è nostris Religiosi quidam, qui suos Abbates huc secuti fuerant, comitabantur, & ipsi candelis accensis venerationem testati. Corpus S. Placidi Martyris Reverendis Patribus Weihenstephanensibus præferebatur. Sextus locus obtigit variis diversorum Cælitum insignibus Reliquiis, quas proximi DD. Canonici S. Pauli, uti etiam S. Joannis Canonici, cum aliis Chori officio destinatis vicariis, colebant. Secundum hos ibant Canonici Insignis Ecclesiæ Collegiatæ Divi Viti, prælatis sibi Divi Sigismundi Regis & Martyris effigie, ac sacris cineribus. Subiere Domini Canonici Insignis Collegiatæ ad Divum Andream Ecclesiæ, argenteum Divi Corbiniani nostri simulacrum, & ossa sacratissima sua serie stipantes. Proxima portabatur Beatissimæ Virginis Deiparæ vetustissima imago, à Divo Luca picta, in ara argentea, gemmis faberrimè exornata sublimis, & sex DD. Parochorum humeris innixa, prementibus vestigia Dominis Phonascis Aulicis, qui alternatis cum buccinarum tympanorumque concentu vicibus celebrabant laudes Divi Nonnosi, cujus deinceps sacrorum lipsanorum pars magna, auro gemmisque conspicua, ante Reverendissimos DD. Cathedralis Ecclesiæ Canonicos, Sacerdotalibus itidem humeris (uti omnes aliæ hactenus recensitæ reliquiæ) gestata fuit. Subintrarunt, qui proximis ac præcipuis beatissimi Nonnosi exuviis (inter quas sacrum illius Caput erat) thura perpetuo ministrabant, & incendebant. Porro has ipsas sacratissimas Reliquias viginti ex Ordine nostro Religiosi cingebant, octo nimirum Reverendissimi DD. Abbates, Pontificio ornatu fulgentes, quorum semper quaterni humeros sanctissimo oneri alternatis vicibus submittebant: octo item Religiosi Patres, totidem illis Præsulibus assistentes: & quatuor Patres, SS. Theologiæ, sacrorum Canonum ac Philoso-

phiæ

phiæ in Studio supra dicto Professores, qui Uraniscum, seu Umbellam portabant. His decore intermisti gradiebantur Ephebi Episcopales, tædis ardentibus conspicui, Satellitii Episcopalis serie nonnihil remotius utrumque latus contra populi conferta agmina custodiente. Vestigia proxima legebat Reverendissimus & Excellentissimus D. D. Joannes Sigismundus Zeller L. B. de Leiberstorff &c. &c. Episcopus Bellinensis, & Proepiscopus Frisingensis Pontificio ornatu, cereoque spectabilis. Tum, post Crucem Episcopalem, universam sacram pompam clausit ipse Celsissimus Antistes noster, habitu supra memorato splendidus, & manu quidem cereum præferens, vultu vero igneos in Divum tutelarem suum Nonnosum amores spirans. Junxere sese post aliquot passus multi alii Reverendissimi & Illustrissimi hospites, Aula domestica, & aliorum sequacium, in sacros amores & plausus, imò in lacrymas quoque ardentium promiscua multitudo ferè sine numero. Interstrepebant verò variæ festivissimæ salutationes sclopetis exoneratis per varia ac destinata urbis loca factæ à civium turmis. Per Urbem spectabantur picturæ variæ, in pulcherrimas Divi Nonnosi laudes facundæ, quas inter æstimationem habuere præcipuam, quæ magno numero è Gymnasio nostro pendebant: quibus tamen vix, & ne vix quidem cessere illæ, quas RR. PP. Reformati S. Francisci insigni tum ingenio, tum penicillo extra Ecclesiam suam in via publica erexerunt, Seraphicis in Deum ac Divum Nonnosum ardoribus nemini secundi. De spectantis populi multitudine aliquid repetere supervacaneum est.

Reportatis in Cathedralem Basilicam, atque in ara maxima repositis sacris Divi Nonnosi pignoribus decantatæ fuere Ambrosianæ laudes insigni vocum & instrumentorum varietate, buccinarum præcipuè tympanorumque, ac bombardarum fragore, minorumque scloporum repetito murmure sæpius lætissimè interstrepente. *Subjungitur Hymnus Ambrosianus.*

Mox suggestum conscendit Reverendissimus D. Quirinus, Tegernseensium Abbas, rocceheto, ut vocant, & pretiosa cruce pectorali è collo pendente exornatus, qui, ut Divum Nonnosum ipsi Beatissimo Benedicto exæquaret, copiosum sermonem habuit. Subjunxit officium summum, inter innumera fere aliorum Sacerdotum Sacrificia, ipse Reverendissimus Frisingensium Hierarcha, assistentibus ex sacro Ordine nostro octo Præsulibus, mitras sacro vertice gestantibus: turmis vero civium gratulationes suas iterata sclopetorum exoneratione, & machinarum æneanum fremitu intermiscentibus non sine fertili lacrymarum gaudio spectantis populi, qui solatio plus quam terrestri sese diffluere, nec volebat, nec, si voluisset, diffiteri poterat. *Panegyris.* *Officium summum.*

Fine tantæ illius diei festivitati in Cathedrali Ecclesia imposito, ad Aulam Episcopalem Celsissimus inter novos tormentorum curulium & sclopetorum applausus rediit, ibique trecentos circiter honoratissimos hospites (quos inter duodecim mitrata capita eminebant) convivio lautissimo adhibuit. *Convivium.*

Cœna posthac iterum splendida apposita ac finita, pars hujus Aulæ, & civitas tota expositis extra fenestras, & illuminatis variis picturis, Pyramidibus, ac facibus venustissimè, nec sine summa spectantium voluptate resplenduit, ut adeò nox etiam ipsa diei festivissimæ finem non alium imposuerit, nisi verè illustrem. *Cœna. Illuminationes.*

Postera luce, 3. Septembris, persolutis in sacro Odæo matutinis, cæterisque horariis precibus, audita hora octava rursus in Cathedrali Ecclesia Celsissimus Princeps una cum hospitum & Aulicorum comitatu numerosissimo. Mox coram illis omnibus, & conserta populi multitudine in cathedra stetit Reverendissimus D. Placidus, Cellarum Marianarum * Abbas, præco sanè eloquentissimus laudum beatissimi Nonnosi, in cujus inventione thesaurum fuisse repertum elegantissimè, nec sine admirabili animorum motu disserebat, nec difficulter propositum evincebat. Ad aram postea mitratus stetit Reverendissimus & Illustriss. D. Maximilianus Joannes Franciscus Emmanuel L. B. de Pienzenau in Niderporinp & Wil- *Dies secunda intra octiduum illud.* ** Frauen-Cell.* *Panegyricus.*

 den-

denholzen, Cathedralium Ecclesiarum Ratisbonensis & Pataviensis Canonicus, & insignis Collegiatæ S. Martini Landisbuti Præpositus. Prandium postea rursus in Episcopali Palatio appositum fuit frequentissimis hospitibus, quibus hodie ex nostris accessit Reverendissimus D. Augustinus Abbas Welsenburgensis, nuper in Frisingensi Gymnasio Rhetoricæ Professor, & Scholarum Præfectus.

Actio Comica. Sublata mensa placuit Celsissimo cum omnibus suis hospitibus ad Gymnasii Aulam sese conferre, ibique interesse ludo scenico, vitam, Inventionem ac Translationem beati Nonnosi admirando prorsus ingenio & artificio in novo novæ Aulæ Gymnasticæ theatro repræsentanti, cujus, ut diximus, felicissimus Autor fuit Reverendissimus D. Wolffgangus, ab ejusmodi artificio Comico dudum celebratissimus: cui etiam ea praecipua laus omni jure debetur, quod collatis ad universam festivitatem penè immensis laboribus cæteros quoscunque longè superaverit, à nemine, nisi Deo, condignam mercedem recepturus. Dici vix potest, quantum applausum opus illud Comicum sibi pepererit.

Dies festivitatis tertia. Peroratio. Quarta die Septembris, cum ex nimiis laboribus vix non periclitaretur recens memoratus Reverendissimus D. Abbas Wolffgangus, ejus loco in Cathedra comparuit admodum Reverendus & clariss. P. Franciscus Josephus Talbamer, Ordinis Eremitarum S. Augustini, SS. Th. D. eo tempore Prior & Provincialis, qui Divum Nonnosum velut pretiosam margaritam insigni panegyri commendavit. Summum sacrum. Sacris postea ritu Pontificio operatus est Reverendissimus D. Quirinus Tegernseensis.

Concertatio Scholastica. Sumpto deinde rursus in palatio Episcopali prandio, iterum ad Aulam Gymnasii hora tertia descensum est, ubi Assertiones ex universæ Theologiæ Tractatibus selectas, publicæ concertationi inter buccinarum ac tympanorum festivos applausus exposuit P. Henricus Hardter Emmerammianus, in Studio Benedictino-Bavarico SS. Theologiæ & Controversiarum Fidei Professor Ordinarius, respondente D. Bennone Zaisberger Canonico Regulari Beyrbergensi, cujus Reverendissimus D. Præpositus Theses illas Celsissimo Antistiti nostro humillime inscribi jusserat. Impugnabant dictas Assertiones Theologicas quatuor præstantes Theologi, & ejusmodi publicis Scholasticis exercitationibus dudum assueti, Reverendissimi scilicet Placidus Frauencellensis, Magnus Benedictoburanus, Placidus Ettalensis, & Benedictus Schyrensis Abbates. Fructus universæ concertationis fuit, Celsissimum Principem, & totam Auditorum frequentiam mirè recreasse, & maximam sui æstimationem omnibus impressisse. Itum deinde rursus ad cœnam, in Palatio Episcopali more consueto ministrandam. Cæterum hodie singulari invitatione à Celsissimo vocati advenere Reverendissimi DD. Æmilianus Rotensis, & Cajetanus Attilensis Abbates, quos communis lætitiæ non minus, quam hactenus laudatos Abbates, participes esse voluit Clementissimus Patronus.

Festivitatis dies quarta. Concio & officium summum. Repetitur ludus Comicus. Quinta Septembris die Cathedram subiit Reverendissimus D. Placidus, Abbas Ettalensis, dudum in cathedris Scholasticis versatus, & Encomiastes disertissimus, qui beatum Nonnosum Igni à Nehemia reperto eruditissimè comparavit, minimè mutus in laudes Celsissimi. Panegyri rem Divinam subjunxit Reverendissimus D. Frauencellensium Abbas Pontificio ritu. A prandio rursus exhibita & repetita Comœdia nupera, adjuncta inter Studiosos consueta Præmiorum distributione omnium animos, satiari fermè nolentes, mirifice exhilaravit.

Quinta dies festivitatis. Sacer orator. Sexta die Septembris pro concione dixit è Societate Jesu vir celeberrimus P. Franciscus Xaverius Amrhyn ad Divum Michaelem Monachii Concionator ordinarius, publicè è Cathedra testatus, præreptum sibi fuisse ab hesterno Reverendissimo D. Encomiaste thema ex Machabæorum libro. Quo tamen nihil obstante, Frisingensium felicitatem suavi quodam dicendi genere insigniter deprædicavit. Mysta. Summum officium postea celebravit Reverendissimus D. Maurus Abbas Andecensis, Pontificium ornatum indutus. Nova Exercitatio Scholastica. Prandio finito rursus in Aula Gymnasii nova parabatur Theologica concertatio, Divi Nonnosi imagine Weihenstephanensibus

ſibus ſumptibus expreſſa, cui propoſitiones propugnandæ fuêre inſertæ. Præſidis munus ſubiis P. Alphonſus Wenzl Mallerſtorffenſis, in cœuni ſtudio ſupra memorata SS. Theologiæ & Scripturæ Sacræ Profeſſor Ordinarius, cujus Theologiam quatuor Tomis comprehenſam hodie literati venerantur. Defendentis verò partes cum laude explevit P. Gregorius Lochner, Weihenſtephanii profeſſus. Primum inter oppugnantes locum nomine Reverendiſſimi ac Celſiſſimi Archi-Epiſcopi & Principis Salisburgenſis habuit Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus D. Leopoldus Antonius Eleutherius L. B. de Firmian, Dominus in Cronmez & Neggl, Metropolitanæ Eccleſiæ Salisburgenſis Canonicus, & B. Virginis ad Nives Præpoſitus, futurus ipſe digniſſimus Salisburgenſium Archi-Epiſcopus, uti ſuô locô dicemus. Cui proximus fuit Reverendiſſimus D. Placidus Abbas Ettalenſis, Celſiſſimi Antiſtitis noſtri perſonam referens. Secuti ſunt Reverendiſſimi DD. Placidus Frauencellenſis, & Benedictus Schyrenſis Abbates. Ultimus argumentum propoſuit Reverendiſſimus D. Ildephonſus Abbas Weihenſtephanenſis, cujus liberalitati Theſes illæ æri inciſæ debebantur: quibus omnibus denique P. Alphonſus, diſputationis Præſes, dicta facundiſſima & ingenio plena gratiarum actione, coronidem impoſuit, eoque pacto inter tympana & buccinas diſputationem glorioſam terminavit.

Septima die Septembris potuit demùm ex laboribus ſuis ingentibus in Cathedra comparere Reverendiſſimus D. Wolffgangus, cui cæteroquin tertius inter Præcones recenſitos locus debebatur. *Dies intra Feſtivitatem ſexta.*

Comparuit ſanè, & comparuit talis, qualis comparere velle cenſendus eſt is, qui tot annis antehac in Univerſitate Salisburgenſi, ac poſtea Friſingæ Eloquentiæ Profeſſor extitit. Scopus elaboratiſſimæ panegyris erat, ut Divum Nonnoſum olivæ, qualem manibus illius Sancti pictores rectè inſerunt, ſupparem probaret: quod is etiam ſcitiſſimè demonſtravit. Summi Officii decantandi honor Reverendiſſimo D. Abbati Ettalenſi Placido delatus eſt. A prandio Celſiſſimus primas Veſperas Feſti apud Friſingenſes præcipui, Nativitatis ſcilicet B. V. celebravit ritu ſplendidiſſimo. *Præco. Officium Summum. Veſperæ ſolennes.*

Porrò in ipſo prædicto Feſto Natæ Deiparæ Sacris operanti Celſiſſimo Antiſtiti rurſus ex noſtris octo mitrati Præſules adſtiterunt, cum prius è ſuggeſtu ad populum dixiſſet P. Ferdinandus Joſephus Dorffner Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Prædicator generalis, & Provinciæ Bavaricæ Definitor, qui magnitudinem Sanctitatis D. Nonnoſi ex ejuſdem humilitate dimenſus, admirandâ facundiâ ad populum verba fecit. *Dies intra Octavam ſeptima. Officium feſtiviſſimum. Encomiaſtes.*

Venêre hac die ad Divum Nonnoſum ſuum pulcherrimo agmine ex Eccleſia Parochiali S. Georgii cives Friſingenſes, & coram Evergeta ſuo beatiſſimo vota ſua fuderunt, liqueſcentibus præ gaudii ſolatiique teneritudine cordibus & oculis. Cæterum hodiernum ſummum officium, uti & prandium, lætiſſimo murmure exornârunt tormenta curulia, in applauſus obſequioſiſſimos ſæpius exonerata. *Devotio Civium.*

Ultimæ diei, quæ Divo Corbiniano, primo Epiſcopo Friſingenſi ſacra erat, Officium magnifico ritu perſolvit Reverendiſſimus D. Joannes Sigismundus Zeller &c. Epiſcopus Bellinenſis, Pro-Epiſcopus Friſingenſis &c. *Capellam*, ut vocant, *tenente* ipſo Celſiſſimo Antiſtite, ubi rurſus triplicata machinarum ænearum tonitrua reliquæ feſtivitati jucundiſſimè applauſerunt. Cæterum è Cathedra ad innumerabilem populi confluxum hodie dixit P. Gelaſius Hochenleuttner, Cathedralis hujus Eccleſiæ Concionator Ordinarius, ex Ordine PP. Reformatorum S. Franciſci, quem rectè Echonem præcedentium Panegyriſtarum dixiſſes, quippe qui præcedentes panegyres omnes exactiſſimo compendio repetiit, & ex iis Beatiſſimo Nonnoſo coronam faberrimè nexuit. *Dies feſtivitatis octava. Miſſa ſumma. Peroratio.*

Porrò utut finem hodie habuerit omnibus apud Friſingenſes memoranda Sæculis octiduana feſtivitas, nondum tamen hoſpites ſuos dimiſit Clementiſſimus Princeps, ſed ſequenti primùm die abeundi copiam fecit Reverendiſſimis DD. Abbatibus, cum priùs ſingulis quosdam è Divi Nonnoſi ſacris lipſanis particulas donâſſet.

Hæc, quæ hactenùs descripsimus, propriis oculis omnia conspeximus, &, ut fieri poterat, exactè annotavimus: ubi monemus Lectorem, nos in recensendis Reverendissimorum & Clarissimorum Oratorum nominibus observâsse ordinem, quo in suggestu Cathedralis Ecclesiæ comparuerunt. Scriptor, qui aliter seriem illam texuit, attendit ordinem, qualis fuerat antea decretus, sed qui ob intervenientem Reverendissimi D. Wolffgangi ægritudinem, nonnisi ex laboribus nimiis, in theatro potissimum exantlatis profectam, mutari debuit.

Panegyres committuntur prælo.

Panegyres, intra hoc octiduum Translationis S. Nonnosi in Ecclesia Cathedrali facundissimè dictas, uti etiam universam octiduanam Festivitatem deinceps P. Benedictus Eberschwang, professus ad Cellas Marianas inferioris Bavariæ, & Celsissimi Principis nostri Pater domesticus atque Consiliarius Ecclesiasticus pro æviterna rei memoria typorum beneficio in publicam lucem protulit: qui ipse eodem octiduo alium quemdam propriæ industriæ suæ partum, *S. Nonnosus redivivus* dictum publicaverat, in quo ex Italicis æquè ac latinis autographis redivivi cultus Divi Nonnosi mirabilis per Italiam & Germaniam facta propagatio erudirè solidéque demonstratur.

Uti etiam applausus Poëticus.

E Professoribus nostris Frisingensibus eodem tempore P. Gregorius Zöde Benedictoburanus, Poëseos Professor, prælo & omnium oculis subjecit aliud opusculum, cui titulum præfixit: *Occultum Frisingæ Præsidium, tandem post aliquot sæcula manifestatum:* in quo præclaro ingenio, & jucundo sex metrorum certamine Divi Nonnosi eousque non agnita beneficia, Urbi Frisingensi præstita, suavissimè cecinit, ingentem sibi laudem inter melioris venæ Poëtas magno suo merito consecutus.

Sanè Reliquiæ Divi Nonnosi finita illa octiduana festivitate relatæ fuerunt ad aram propriam, in hypogæo Cathedralis Ecclesiæ venustè præparatam, ubi sicut deinceps cultores habuerunt, & etiamnum habent plurimos, ita etiamnum dispensant beneficia & plurima & ingentia, quæ non solum accuratè solent conscribi à Ministris Cathedralis Ecclesiæ, verùm etiam recurrente quotannis Divi Festo ad augendam fidelium devotionem è suggestu promulgantur. Porrò annua Inventionis Divi Nonnosi memoria die 27. Januarii annis singulis ad supra dictam aram Officio (quod ab uno celebrante, & duobus assistentibus Benedictinis cantari solet) accinente Musica Aulica recoli solet.

Memoria annua Inventionis S. Nonnosi.

Feriæ literariæ prorogantur.

Studiosæ juventuti eo anno ob memoriam ejus festivitatis ferias literarias Celsissimus usque ad Kalendas Novembris produxit.

Dubium quoddam dissolvitur.

Nolim hîc dissimulare, fuisse aliquos, qui credebant, Reliquias Divi Nonnosi ab An. 1161. usque ad annum 1708. omnibus fuisse incognitas. Verùm eam assertionem dubiam nobis facit Joannes Freibergerus Frisingensis Canonicus, quando scribit, Philippum, ordine quadragesimum septimum Episcopum Frisingensem decrevisse deinceps S. Nonnosi lipsana splendidiori cultu exornare: ex quo apertè constat, Philippum, & ejus ævi viros aliquam de Reliquiis illius notitiam habuisse.

Verùm, utut hæc sibi contraria esse videantur, conciliari tamen facile possunt. Erant seorsim positæ quædam è Divi Nonnosi corpore partes, & asservabantur in Sacrario cum ossibus SS. Alexandri & Justini. De his omninò constabat Philippo, imò etiam posteris, uti certum est. Reliqua verò ossa, numero absque comparatione majora ac digniora, quæ in supra memorata arcula Celsissimus Joannes Franciscus felicissimè invenit, omninò erant incognita. Collatæ fuêre partes, quæ extra tumbam erant in Sacrario, cum iis, quæ in tumba fuerant depositæ: & statim intellexit Medicus, utrasque ad unum corpus pertinere: adeoque portionem quidem minorem eousque fuisse cognitam, majorem verò reliquiarum partem eousque fuisse thesaurum absconditum.

Indefessa Episcopi nostri Vigilantia.

Eodem Anno Celsissimus Antistes institutis quaqua versum sacris per Dioecesin sacris itineribus consecravit aras 118. Ecclesias decem: Sacro verò ceromate quindecies mille, quingentos triginta quinque parvulos, aliosque adultiores inunxit,

Cùm

Cum eo anno mense Novembri ad Scholas remeassent Frisingenses Studiosi, mandante Clementissimo Principe, & consentiente Collegio Cathedrali Scholis Humanioribus accessit Dialectica, quam ibidem (prius enim sublimiota Studia a Patribus Ord. S. Francisci tradebantur) primus docere incepit P. Anselmus Braun Mallerstorffensis, jam dudum alibi in Cathedris Philosophicis egregie versatus. Et hoc erat primum sublimiorum disciplinarum apud nostrates initium.

Incrementum Scholarum Frisingensium.

§. IX.

Acta Annorum 1710. & 1711.

ANno Christi 1710. cultus Divi Corbiniani, primi Frisingensis Episcopi in patria illius Gallia ingens incrementum sumpsit hac occasione.

Scripserat ante triennium, nempe anno 1707. quidam ex Ordine nostro opusculum quoddam, in quo inter alia non indiligenter disquirebatur, fueritne Divus Corbinianus in Gallia, an potius in ea Bojariæ parte, quæ hodie Athesina provincia est, in lucem natus? Scriptor ille pro Gallia aliquot suffragatores: ast non pauciores pro Athesina provincia ad duxit: nihil verò certi statuit, sed eam rem Lectoris judicio permisit.

Vide Tom. I. Dissertat. Proleg. III. Movetur dubium de S. Corbiniani Patria.

Celsissimus Princeps noster occasione ejus Opusculi permotus, cum de Divi Corbiniani patria cuperet esse certus, tametsi eo tempore Romanum Imperium cum Gallis bello esset implicitum, nihilominus literas ad Pastorem Ecclesiæ S. Germani, Antissiodorensis * Episcopi, ubi olim S. Corbinianus primum religiosæ vitæ tyrocinium posuerat, dedit, ejusque, & aliorum Gallorum ea super re mentem exquisivit.

Galli consuluntur.

* *Auxerre.*

Respondit Celsissimo die 22. Maji Bertrandus Robine de Callemont, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, Prior & Pastor S. Germani d'Arpajon, seu de Castris *, nemini eo loci dubium esse, qnin S. Corbinianus ibidem primam lucem aspexerit: & idem sentire doctissimos in Galliis ex Ordine Divi Benedicti Sodales. Literæ Bertrandi die 7. Junii fuere Celsissimo redditæ.

Responsum.

* *Chatres.*

Verum cum nuda Gallorum assertio Eidem neutiquam satisfecisset, mox iterum Bertrando rescripsit, &, ut assertionis illius argumenta idonea proferrentur, admonuit. Parnit iterum Bertrandus, ac deinceps inter alia etiam Officium Divi Corbiniani, quod annis singulis in Ecclesia S. Germani celebrari solet, transmisit: quod etiam Celsissimo fidem majorem attulit. Interim cum Bertrandus inter alia à Celsissimo suppliciter expetiisset, ut dignaretur aliquid ex ossibus Divi Corbiniani, civis sui, pro Ecclesia sua, quam olim Corbinianus adeò adamaverat, transmittere, annuit Celsissimus, & partem insignem cum adjuncto authentico testimonio in Gallias destinavit.

Petitur ulterior responsi declaratio.

Pars Reliquiarum S. Corbiniani mittitur in Galliam.

Ubi in Gallias delata est sacra illa portio, ingenti gaudio Castrenses implevit. Dedit deinde operam Bertrandus, nt donum illud insigne cum quanta fieri posset solemnitate in Ecclesiam Divi Germani inferretur, quod etiam facile ab incolis & accolis obtinuit. Festivissima enim pompa à confertissimi populi agmine illuc illatum est sacratissimum pignus, quod deinceps in ara splendida noviter constructa (in cujus superiori parte Insignia Celsissimi Principis nostri fuere suspensa) fuit repositum, ubi devotis civibus suis hactenus plurima eaque manifesta beneficia contulit, nti datis pluribus epistolis Bertrandus Celsissimum edocuit. Ita uti D. Nonnosus anno superiori Frisingensibus, ita hoc anno S. Corbinianus per Joannem Franciscnm Gallis rursus innotuit, & quodammodo revixit.

Ubi ingentem devotionem excitat.

Aræ Aulæ Gymnasticæ. Inter hæc Celsissimus Princeps die 13. Martii ejusdem anni in Aula Gymnasii aram primariam in honorem Deiparæ Virginis absque originaria labe conceptæ: die 17. Altare S. Angeli Custodis: die 18. Altare Divæ Catharinæ erigi jussit. Die postea 21. ejusdem mensis, Divo Benedicto sacra, summum officium ad eandem aram primariam, accinentibus Phonascis aulicis magnifice celebravit; postea vero in triclinio Gymnasii prandere, & hospites è Collegio Cathedrali, & Aulico ministerio selectos, uti etiam Patres Professores mensæ adhibere dignatus est.

Celsissimus in Ettalenses præprimis clemens. Die 7. Augusti, cum Celsissimus iter in Comitatum suum Werdenfelsensem instituisset, primum lapidem pro recens reædificando Monasterio Ettalensi posuit, & ex grandi quodam legato aliquot millia florenorum pro novo illo ædificio, impositis tamen certis obligationibus adjecit. Eas obligationes Monasteria nostra Bavarica magna ex parte expunxerunt.

Orphanotrophium Frisingæ. Eodem anno Frisingæ surrexit insigne Orphano-trophium, de cujus fundatione aliqua memoratu dignissima scribi possent, si ii, quorum est hoc opus, id permitterent, aut etiam nomina sua publicæ Historiæ inseri paterentur. Gaudeant verò *hi viri misericordiæ*, quod sua *nomina scripta sint in cœlis*.

Assidua Episcopi vigilantia. Clementissimus Pastor noster eo anno iterum factis ad oves suas sacris excursionibus Ecclesias novem, aras 118. consuetis ritibus inauguravit, quater verò mille quadringentis nonaginta septem capitibus fidelium Confirmationis Sacramentum contulit.

Novum Scholarum Frisingensium auctarium. In Frisingensi Gymnasio hoc primum anno etiam Physica explicari cœpta est à P. Anselmo Braun Mallerstorffensi, superius jam laudato: in Cathedra verò Dialecticæ eidem suffectus est P. Bernardus Schallhamber Tegernseensis.

Josephus I. Imp. obit. Anno 1711. die 17. Aprilis præmatura & inexspectatissima mors Augustissimi Imperatoris Josephi, quæ ex variolorum morbo accidit, scenas penè omnes bellici per universam Europam theatri subitò mutavit. Nemini vero tolerabilior accidit fatalis Ille casus, quam Philippo Duci Andegavensi, qui, tametsi eousque Serenissimus Carolus Austriacus ad solium Hispanicum magnis passibus properarit, facilè tamen prævidebat, eundem propediem rediturum in Germaniam ad coronas non tantum hæreditarias capessendas, verum etiam ad prensandum Diadema Imperiale: quod quidem ipse Philippus Carolo minime invidebat, probe gnarus, nunquam permissuros Gallos, Anglos, Batavos, aliosque Europæ Principes, ut uni capiti, præter tot alias, etiam Hispanica corona imponeretur: quod deinceps eventus probavit.

Palatinus Imperii Vicarius. Bojaria interim nostra cum aliis vicinis provinciis, vacante throno Cæsareo, & Principe Electore apud Gallos commorante, parere jussa est Serenissimo Electori Palatino ceu Imperii per has partes eo tempore Vicario. Et hinc deinceps, dum novus Imperator eligeretur, Administratio Bojariæ nostræ jam non vocabatur Cæsarea, sed omisso illo epitheto appellari solum volebat *Excelsa Administratio*.

Carolus VI. adit Imperium. Die 12. Octobr. hujus anni in Regem Romanorum atque Imperatorem Francofurti electus fuit Augustissimus Carolus VI. sicque Bavaria nostra rursus sub Cæsaream potestatem rediit, cessante Vicariorum Imperii officio. Nuncium Electionis Carolus accepit Mediolani in suo ex Hispaniis in Germaniam reditu die 17. dicti mensis Octobris, ac deinceps die 20. Nov. Æniopontum venit. Sperabant Patres Patriæ nostræ, Augustissimum Imperatorem iter suum versus Francofurtum prosecuturum esse per Bojariam, aut saltem per Bojariæ fines, & idcircò ad excipiendum Cæsarem inter alios primo loco obviam missus est Reverendissimus D. Quirinus Tegernseensium Abbas. Verum res speratum eventum non habuit, Cæsare Oeniponto per fauces Julias properante, & ultra Lycum prosequente iter Augustam: ubi tamen postea Administratorem Bavariæ Excellentissimum Comitem Loewensteinium ad clementissimum alloquium admisit. Coronatio Caroli

roli VI. secuta fuit Francofurti die 22. Decembris: Quem Deus servet in seros annos!

Eodem anno Celsissimus Princeps noster ad varia Diœcesis loca digressus Ecclesias tres, aras 16. Divino Numini dicavit; mille verò trecentos septuaginta quatuor fideles sacro Chrismate confirmavit: Landishuti pro recens reædificando PP. Prædicatorum Monasterio primum lapidem consuetis sacris ritibus locavit, insignemque insuper benefactorem Monasterio illi sese exhibuit. Jo. Franciscus semper verus Episcopus.

§. X.

Publica, & privata Acta Annorum 1712. & 1713.

BAvária nostra An. 1712. die undecimo Martii Sacramentum dixit Augustissimo Imperatori Carolo VI. qui quatuor Serenissimi Electoris nostri exulis exules filios Clagenfurto Græcium clementissimè transtulit, sublimioribus & optimis disciplinis excolendos, adjuncto filio quinto, nempe Joanne Theodoro, natu minore, qui hactenus Monachii restiterat. Administratori Bojariæ Excellentissimo Lœwensteinio, cui jam antehac inter Imperii Principes locus designatus fuerat à Josepho Imperatore, hoc eodem anno Diploma super ea sublimatione Carolus VI. expediri & consignari mandavit. Bojaria novo Imperatori fidelitatem jurat.

Ut fidem clientelarem novo Imperatori præstaret Celsissimus Princeps noster Joannes Franciscus, & jura Principatus temporalia ab Eodem reciperet, rursus ad illud negotium deputavit Reverendissimum ac Perillustr. D. Ferdinandum Augustinum Albrecht ab Albrechtsburg, SS. Th. D. mitratum Præpositum Zwettalensem, Canonicum hujus Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis, Statuumque Ecclesiasticorum Austriæ Inferioris Deputatum: cui suo Oratori adjunxit Illustriss. D. Ferdinandum Franciscum Sigismundum L. B. ab Everhard & Mittelburg, Dominum in Liechtenhag, Vilsattler & Leberskirchen, Consiliarium suum intimum, & Administratorem Comitatus Enzerstorffensis, ad hunc Principatum Frisingensem pertinentis, &c. deinceps etiam à Serenissimo Bavariæ Electore inter Camerarios Aulicos adlectum &c. Petitoriam orationem ad Augustissimum ritu consueto ac publico dixit supra memoratus Reverendissimus D. Legatus primarius. Gratiarum verò actionem subjunxit Illustrissimus D. Orator secundarius. Id in ipsa Aula Cæsarea Viennæ die 24. Octobris contigit. Ab illo Episcopus noster Principatus jura recipit.

Eo anno ad superos transiit Illustrissimus & Generosiss. D. Oswaldus Udalricus Baro Ecker à Kapfing & Liechtenek, Celsissimi Principis nostri Frater consanguineus, Serenissimorum Principum Electorum Coloniensis ac Bavari Camerarius, Frisingensis Aulæ Mareschallus, & Dominii Burgkrainensis Præfectus, Vir de hac Aula & Urbe summe meritus: in cujus locum & officia paterna successit Illustriss. & Excellentiss. D. Franciscus Sigismundus Antonius Ecker filius, &c. eorumdem Serenissimorum Electorum Camerarius, & posthac à Serenissimo Electore Bojariæ etiam inter Consiliarios intimos adlectus. Mors Mareschalli Frisingensis.

Eodem anno notabilis tractatus fuit initus inter Celsiss. Principem nostrum, & Reverendissimum D. Magnum Benedictobura num circa lacum Cochelensem, sequentem in modum.

Lacus Cochelensis adjacet Alpibus Superioris Bavariæ, prope quem visitur regia Monachio ad Tyrolenses via. In hoc lacu diversa piscandi jura inter Episcopum, Monasterium Benedictoburanum, & alterum Monasterium Schlechdorffense erant ita divisa, ut ad Monasterium Benedictoburanum pertinerent piscatores sex, Antiquæ lites super juribus in lacu Cochelensi funditus tolluntur.

sex, ad Episcopum quatuor, ad Schlechdorffense cœnobium duo: quæ res jam ab annis amplius trecentis diversis disceptationibus, ac perquam molestis tricis materiam frequentem præbuit, & non semel magnis sumptibus stetit. Ut huic inveterato malo remedium pararetur, Celsissimus Princeps, annuente Cathedrali Collegio, quatuor illos suæ Ecclesiæ piscatores Monasterio Benedictoburano cessit, vicissim verò plura prædia, locis perquàm commodis sita, à Monasterio Benedictoburano recepit. Ita sublata litium materia deinceps in eo lacu verè facta est tranquillitas magna. Instrumentum tum in Frisingensi, tum in Benedictoburano tabulariis extat.

Celsissimus Antistes noster eo anno inauguravit Ecclesias duas, aras viginti tres, ac bis mille sexcentis octoginta quatuor frontibus fidelium sacrum chrismа illinivit.

Celsissimus optimè meretur de Monasterio Benedictoburano.

Sequenti Anno 1713. idem Celsissimus, ceu summus justitiæ Zelator in causa quadam gravissima fortissimè adstitit Benedictoburano Monasterio apud Romanam curiam, & gloriosum triumphum reportavit. Ea de re librum integrum conscripsimus, qui in Benedictoburanis scriniis asservatur. Titulum refert: *Historia Eremitorii Walbnseensis.* Universa Acta tum Frisingæ, tum in eodem Monasterio Benedictoburano extant.

Mors Reverendissimi de Thann.

Die 10. Aprilis Reverendissimus & Illustr. D. Judas Thadæus Baro de Thann, hujus Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Canonicus, ac Collegiatæ Divi Joannis in hoc monte Præpositus, qui in Cathedrali Basilica Aram SSS. Trinitati, vulgò omnium Sanctorum dictam, erexit, & ad eandem hebdomadarium Sacrificium fundavit, ac alia quædam insignia donaria sacraria contulit, terris valedixit.

Imperatrix transit per Bojariam.

Verno tempore Augustissima Imperatrix, Caroli VI. Conjux, ex Hispaniis rediit in Austriam. Ea cum secundo Oeno navali itinere Oeniponto venisset Oetingam Veterem, à Deputatis Patrum Patriæ (inter quos primum locum rursus tenebat Reverendissimus D. Quirinus Abbas Tegernseensis,) submississimè salutata fuit, oblatumque ex ærario Provinciali honorarium clementissimè acceptavit, ac Bojariæ Statibus efficax apud Cæsarem patrocinium adpromisit.

Episcopus noster cum suis Ebersperga gratias Deo persolvit.

Media æstate, die 16. Junii, Celsissimus unà cum ingenti Frisingensium Canonicorum, Clericorum, Ministrorum ac plebejorum numero Eberspergam ex voto se contulit, gratias acturus Deo in Sancto Sebastiano, eò quod, cum pestis Ratisbonam nuper invasisset, & multorum millium stragem edidisset, ea Frisingam propagata non fuerit. Sacris solemnissimè ibi operatus est ipse Celsissimus, ac omnibus ritè peractis mnemosynon argenteum, Principe dignum, ibidem reliquit.

Bernardus antehac Tegerns. Abbas Sacerdos quinquagenarius.

In inclyto Monasterio Tegernseensi Reverendissimus D. Bernardus (quem ultrò sese Præsulatu gloriose abdicâsse, alibi retulimus) numerabat annos quinquaginta, ex quo tempore Mystes ad aram steterat.

Ea de causa, cum aliàs occurreret Festum Divi Bernardi Melliflui, cujus Senior ille nomen in sacra votorum nuncupatione acceperat, ordinavit Reverendissimus D. Abbas ejus temporis Quirinus, ut ea dies in venerationem debitam dignissimi antehac Abbatis sui haberetur festivissima: quod evenit sequentem in modum.

Dicta è suggestu ad confertum populum erudita Panegyri à P. Bernardo Grossio Priore Benedictoburano, cum præ corporis infirmitate non posset summum officium celebrare ipse Reverendissimus Senex, vices illius supplevit ipse Reverendissimus Quirinus, Pontificalibus ornamentis conspicuus, & sub insigni vocum atque omnis generis Musicorum instrumentorum concentu sacris festivissimè litavit. Finito illo Summo Officio Reverendissimus D. Bernardus, Monastico Abbatiali habitu, ac mitrâ ornatus portabatur in sella gestatoria ad medium aræ summæ, ubi in gradu summo, astantibus tribus mitratis filiis suis, nempe Quirino Tegernseensi, Bonaventura Reichenbacensi, ac Wolffgango Michaelfeldensi Abbatibus, nec non aliis de gremio illius Ecclesiæ quinque Patribus, qui aliquando Prioris officio

functi

functi fuerant, accepto priùs Pedo Pastorali, voce sonora, & supra modum ætatis clara, auxilium Divinum imploravit cantando: *Adjutorium nostrum* &c. acpostea cætera prosecutus, populo solemnissimè benedixit, non sine uberrimis lacrymis, quæ præ pia teneritudine erupere spectatoribus, maximè subditis Tegernseensibus, qui à pluribus annis non ampliùs viderant suavissimum Patrem ac Abbatem suum Bernardum, quippe constanter intra nosocomium suum deliresceutem. Eam festivitatem præsentia sua etiam condecorarunt Abbates alii, & ex nobilitate perquam multi, postea splendido convivio in Aula, quam à Statua S. Quirini Quirinalem vocant, excepti. Reverendissimus ille Senecio postea non diu supervixit, sed die 27. Febr. sequentis anni meritis annisque gravis post exactissimam præparationem ad mortem, conditumque religiosissimum ac æternitate dignum testamentum, inter vivos esse desiit.

Celsissimus Princeps noster, qui annis præteritis ingenti fatigationum impendio labores suos Episcopales ipse sibi quodammodo præripuerat, eo Anno, Christi 1713. nonnisi Ecclesias duas cum aris septem consecravit, fideles verò sexcentos viginti quatuor ad pugnam pro fide subeundam inunxit.

Nona die Octobris ad cœlos migravit Reverendissimus & Illustr. D. Franciscus Antonius Begnudellius Bassus, SS. Th. D. Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, Scholasticus, Vicarius in spiritualibus generalis, & Officialis. Vide, Lector, quàm exactè Vir ille sese ad æternitatis iter præparaverit? Nempe Aram S. Joannis Baptistæ in Sacello, quod intra ambitum Cathedralis Ecclesiæ Celsissimus novum construxerat, è marmore erexit, & Sacerdoti, qui singulis septimanis duo sacra ibi faceret, Chori verò officium perpetuò frequentaret, congruum perpetuumque stipendium assignavit. Duo item sacra, singulis hebdomadibus ad aram S. Walburgæ in Hypogæo Cathedralis Ecclesiæ dicenda ordinavit, & sacerdotem itidem ad chori munia obligavit. Ipsemet cum cantoribus Horarias preces peragere voluit. Utrumque Sacrarium, superius videlicet ac inferius egregiis donariis locupletavit. Quo tempore Româ in supradicta Celsissimi nostri causâ victor rediit. Assignavit Parochiali Ecclesiæ S. Georgii florenos mille eo fine, ut, quoties sacrum viaticum ad moribundos esset deferendum, sex ardentes faces circa illud à comitantibus portarentur. Xenodochio Frisingensi tria florenorum millia donavit. Virginibus pauperibus in honestum matrimonium locandis, notabilem summam deputavit. Semper aliquot pauperculos pueros aut ad discendas literas, aut alias artes suis sumptibus adhibuit: aliis occulta paupertate laborantibus ingentia beneficia contulit. Multa item millia ad ædificium templi Patrum S. I. Tridenti, in patria sua, erigendum transcripsit. Pro commodo etiam Jurisperitorum celeberrimum Opus, cui titulus: *Repertorium Juris*, typis publicis Frisingæ commisit. Sæpius lustrando Diœcesin, animarum salutem insigniter promovit: sicque absque dubio patentem sibi cœli januam repetit, quando ejus terrestres exuviæ in supradicto Divi Joannis Baptistæ Sacello fuêre depositæ: ubi etiam visitur Epitaphium, à Rev. & Illustr. D. Francisco Antonio, S. R. I. Equite, & Nobili Domino de Fraporta, J. U. D. Ecclesiæ Cathedralis Frisingensis Canonico Capitulari, Reverendissimi ac Celsiss. Episcopi & Principis Consiliario Ecclesiastico, ipsius Reverendissimi Begnudellii dignissimo Nepote positum in hæc verba:

Mors & laudes Reverendissimi D. Fr. Ant. Begnudellii &c.

Hic jacet
Reverendissimus Prænob. DD. Franc. Ant.
Begnudellius Bassus
Sac. Theol. Doct. Eccles. Cathedra.
Frising. Canon. Summus Scholast.
Officialis & Vicarius Grãlis.
Phœnix redivivus,
Cujus vita virtuosorum lætitia,

Pauperum solatium,
Mors omnium luctus fuit.
in Domino dormit,
Sed in cineribus virtutes vivunt,
Quibus semper viva plaudet
Posteritatis fama.
Prudentia, Pietas, Justitia, &c.
Quibus floruit,
Ex tumulo clamant,
Pretiosa in conspectu Domini
Mors dilecti sui.
Ut Vicarius in Spiritualibus Generalis
Prius Tridenti, dein Frisingæ,
Certamen Dei & Ecclesiæ
Acerrimè multis annis certavit,
Eisdem fidem servavit,
Duorum beneficiorum hic fundator,
Cursum consummavit
Ideo
Repositam Coronam Justitiæ
Reddidit illi Dominus Justus Judex
Die IX. Oct. An. M DCC XIII.
Ætat. LXIX.

Sic in grati animi
Signum parentavit
ejusdem ex Sorore
Nepos Franciscus Ant.
Sac. Rom. Imp. Eques &
Nob. Dominus de Fraporta
J. V. Doct. Eccles. Cath. Frising.
Canon. Capitul. qui sicut
in vita dilexit eum, ita & post
Mortem non fuit separatus.

Obitus Reverendissimi D. Comitis Königsfeldii, ejusque magnifica liberalitas.

Illustre illud funus brevi postea, nimirum die 13. Novembris è gremio Collegii Cathedralis secutum est aliud, nempe Reverendissimi & Illustr. Domini Christiani Comitis à Konigsfeld, &c. &c. Cathedralis Ecclesiæ Canonici & Senioris, qui in Ecclesia Xenodochii Frisingensis sacrum hebdomadarium instituit, & ipsum Xenodochium ad S. Spiritum totius ærarii sui hæredem scripsit; unde eidem loco plus quàm viginti florenorum millia obvenêre, ipsi verò donatori alterius Fundatoris nomen meritò accrevit. In Cathedrali etiam Ecclesia aram Divæ Catharinæ reparavit. Ejus exuviæ in prædicta Xenodochii Ecclesia fuêre tumulatæ: quò, cum sub crepusculum magno comitante lugentium comitatu, inter vexilla lugubria plura, & faces ardentes, personante Musica funebri inferrentur, nemo non obstupuit columbam candidissimam, supra portam Ecclesiæ sessitantem, & totum illum conductum accuratè, & quodammodo avidè contemplantem, nec inde avolantem, donec funus tumulo fuit illatum: quod omnibus argumento erat, Divinum Spiritum, in columbæ specie sæpiùs apparere dignatum, per eam adeò intrepidam columbam indicare voluisse, quàm gratum fuerit Divino suo Numini, quòd defunctus D. Comes sua omnia pauperibus & indigentibus donaverit.

Celsissimus Antistes noster assentiente universo Collegio Cathedrali tempore autumnali ad initium anni Scholastici Scholis hactenus erectis munificentia Principe digna etiam adjunxit alias duas Cathedras, in quarum una sacri Canones, in altera verò Theologiæ mysteria explicarentur. Canonum Cathedram primus ex nostris obtinuit P. Romanus Christman Steyrgarstensis, Theologicam verò P. Anselmus Braun Mallerstorffensis, supra jam bis nominatus. Ita Scholis nostris deinceps Lycæi nomen haud immeritò fuit inditum. Frisingæ Episcopus Scholis prioribus adjicit duas novas Cathedras.

Porrò Frisingensibus Studiosis eodem anno vetitum fuit, ne deinceps alias Scholas frequentarent, quàm nostras publicas, eo utique prudentissimo consilio, ne imposterum ea evenirent incommoda, quæ inter Studiosos diversis Rectoribus ac studiis addictos emergere solent.

Celebre Monasterium Weyarense à pauculis annis plura incendia pertulit. Anno enim 1677. 5. Febr. Seminarium studiosæ juventutis unà cum Bibliotheca conflagravit, majori librorum parte flammis absumpta. Secuta postea instauratione Anno 1706. 8. Sept. pars major Monasterii rursus in cineres redacta est ansu, ut conjicere licebat, nefandorum hominum. Incendium illud erat tam vehemens, ut etiam campanæ omnes diffluxerint, etiam horologio in ruinam tracto. Rursus facta restauratione Anno 1713. 21. Aug. hora noctis prima fulmine percussus est fœnile, & cum universa supellectile agresti periit. Quantis curis steterit Reverendissimo D. Præsidio, dignissimo Monasterii Præposito, ut universa illa damna resarcirentur, Lectoris judicio committimus expendendum, maximè cum Is etiam in corpore proprio quasdam ossium fracturas pertulerit. Fecit tamen Divina bonitas, ut omnia feliciter restituerentur in integrum, uti oculis cernimus.

§. XI.

Res gestæ annis Christi 1714. & 1715. ubi de pace cum Gallis conclusa.

Sexta die mensis Martii Anno 1714. Rastadii (quod est famosum Serenissimi Marchionis Badensis palatium) tandem Cæsarem inter & Gallum pax constituta: posteà vero die 7. Septembris Badæ Argoviæ subscriptionibus firmata: sicque Bojaria nostra Serenissimo Electori suo restituta fuit. Philippo Andegavensi ex eo tempore Regna Hispaniarum: Carolo vero VI. Regnum Neapolitanum cum Ducatibus Mediolanensi atque Mantuano & aliis quibusdam Italiæ portionibus parere jussa sunt. Temporis postea successu etiam Sicilia Cæsari accessit, Sardinia Sabaudo concessa fuit. Cætera, quæ Bojariam concernunt, mox infra subjungemus. Pax cum Gallo.

Joannes Franciscus Episcopus noster eo anno Ecclesias Pogenriedensem, & Richerzhusianam, atque in locis variis aras sex Deo sacravit, & personis quingentis quinquaginta unctionem sacri Chrismatis adhibuit.

Eodem anno D. Thomas Passauer, SS. Th. D. suæ Celsitudinis Consiliarius Ecclesiasticus, insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Andreæ Decanus ære proprio, & quidem copioso, in suam illam Ecclesiam piam Sodalitatem, sub adoratione Sanctissimæ Trinitatis erectam, approbante Roma, & applaudente ac comitante universa Frisinga festivissimo ritu introduxit. Sodalitas SSS. Trinitatis.

Annus

Primitiæ solemnes in Ecclesia Cathedrali.

Annus ille ad finem vergens, ingens tenerrimumque solatium Celsissimo Principi nostro attulit, dum Ejus ex fratre germano nepos, Reverendissimus scilicet & Illustr. Maximilianus Franciscus Dominicus Eckher, Baro de Kapfing & Liechteneck, Cathedralium Ecclesiarum Augustanæ & Ratisbonensis Canonicus Capitularis, recens inunctus Neomysta in Cathedrali hac Basilica Frisingensi primum Eucharisticum sacrificium die 26. Decembris Deo festivissimè obtulit.

Executio Pacis Rastadiensis.

Ipso mense Januario An. 1715. Rastadiensis atque Badensis Pax executioni mandata est. Inter ea, quæ patriam nostram spectant, paucis notamus sequentia. Die 18. ejusdem mensis Januarii Galli cesserunt Friburgum cum adjacente Regione Cæsari: Cæsar Electori Bojariæ reddidit Monachium. Die 25. ejusdem mensis Cæsareani receperunt Brisacum vetus: Boji Ingolstadium. Mense Martio Cæsareani occuparunt fortalitium Kehlense, Bavari Palatinatum Superiorem. Ita tandem Bojaria restituta est sibi, suoque Serenissimo Principi Electori, qui ad nos rediit ex Gallia, uti Serenissima Electrix ex Italia, & Serenissimi Filii ex Styria, verno tempore. Et Serenissimi quidem filii illi, in occursum Serenissimorum

Serenissimi Hospites Frisingæ.

Parentum properantes die 24. mensis Martii Frisingam venere, ubi à Celsissimo Principe nostro suavissimè excepti, &, quàm fieri poterat, splendidè habiti sunt usque ad diem ejusdem mensis vigesimum sextum, quo ad castrum Haimbhusianum, Ambroni fluvio adsitum, iter fuere prosecuti. Felicem sese meritò existimavit Celsissimus noster, quòd pretiosa illa pignora prius ipse viderit spiritualis Pater, quàm ipse Serenissimus Genitor Maximilianus. Cæterum amores à Joanne Francisco sibi exhibitos Serenissimi illi Principes profundè cordibus suis impresserunt.

Sacer thesaurus reportatur ad Monasterium Andecense.

Revixit eodem anno quodammodò mons Sanctus Andecensis, quando die 19. Maji ex custodia Frisingensi festivo apparatu reducta fuere ea Sanctorum præcipua lipsana, quæ Celsissimus noster asservanda receperat, ne ferocientium per Bojariam acatholicorum militum crudelitati essent obnoxia.

Porrò receptis iis sacris Reliquiis Andecenses nostri gratias infinitas dixêre Celsissimo nostro, seque æternum Eidem obligatos etiamnum profitentur, & semper profitebuntur.

Sodalitas Mariana Frisingæ floret.

Idem Celsissimus Antistes noster eodem anno dignatus est suscipere Præfecturam Congregationis Marianæ, in Lycæo nostro erectæ, ac postea in Festo Deiparæ Elisabetham visitantis formulam votivam sodalium, propria manu subscriptam, in Congregatione offerre: cujus piissimum Exemplum duo Assistentes, nempe Reverendissimi & Illustrissimi DD. Joannes Sigismundus Zeller L. B. ab & in Leiberstorff. &c. Proepiscopus: & Franciscus Josephus Antonius L. B. de Roll in Bernau, Cathedr. Ecclesiæ Canonicus &c. secuti, sodales cæteros ad amorem & cultum magnæ matris animarunt, & ingentem splendorem sodalitati illi nostræ adjecerunt.

Petrus, novus Tegernseensium Abbas.

Julio mense Reverendissimus D. Quirinus Tegernseensium Abbas fato sublatus fuerat. Itaque justis ejusdem funeri persolutis die 20. mensis Augusti ventum est ad novam electionem, cui Reverendissimi DD. Abbates Ildephonsus Weihenstephanensis, & Magnus Benedictoburanus præsedere. Ex sacra urna prodiit P. Petrus Guetrather, vir pietate ac doctrina nominatissimus, qui altera statim die Pontificia potestate confirmatus fuit.

Reverendissimus hic Electus, ex antiquissima Nobilitate Guetratherorum Salisburgi natus, ante vota religiosa Tegernseeæ nuncupata, vocabatur Michael: & ideò in Festo Patroni sui Michaelis Archangeli optabat benedictionem solemnem obtinere. Votis illius elementissimè annuit Angelus Frisingensis Ecclesiæ,

Celsissimus venit ad Monasterium B. Buranum.

nempe Joannes Franciscus. Cùm vero benignissimus ille Princeps urgente gravis obligationis titulo humillimè rogatus fuisset à Reverendissimo D. Magno, Abbate Benedictoburano, ut in suo ad Tegernseenses itinere ad devinctissimum sibi Monasterium Benedictoburanum dignaretur deflectere, voluit etiam hisce precibus

lo-

locum date, & Benedictoburanos sua gratiosissima præsentia beare. Venit itaque ad dictum Monasterium cum Aulico suo comitatu die 25. Mensis Septembris, cum ea, qua fieri potuit, gaudii publica significatione exceptus. Ibi biduo dignatus morari, die 28. ejusdem mensis Septembris iter suum Tegernseeam prosecutus est, ac postera die, Divo Archangelo Michaeli sacra, Reverendissimo D. Petro, cui Reverendissimi DD. Abbates Ildephonsus Weihenstephanensis, & Magnus Benedictoburanus assistebant, Abbatialia Insignia titu solemni contulit.

De origine & progressu Montis Liliorum, recentissimi scilicet Parthenonis in suburbio Monacensi erecti, hactenus semel iterumque mentionem ingessimus. Quæ deinceps accidere, modo narrabimus.

Ingruente bello Bavarico, de quo supra egimus, novæ fundationi obortæ sunt difficultates non modicæ, fluxereque plures anni, donec meliora fata illucescerent. Interea tamen pia Domina fundatrix pro filiabus suis spiritualibus omnem lapidem movit Frisingæ eo fine, ut in Sacello suo deinceps constanter asservare liceret Deum Eucharisticum, nempe Virginum sponsum, à suis illis filiabus propius atque ardentius adorandum. Et sancto quidem illi labori ac solicitudini, Deo ita disponente, immortua est Matrona illa verè nobilis in vicino Monasterio Weihenstephanensi, ibidem, ut optaverat, honorificè sepulta. Cæterum fructus optatus omnino respondit piis devotæ fundatricis desideriis, dum anno 1710. ipsis Kalendis Junii, permittente Celsissimo Principe nostro, Reverendissimus D Maurus, Abbas Andecensis, instituta festiva processione ex Ecclesia vicini pagi Haidhusiani, in Hierotheca fastigiata sub speciebus Eucharisticis sponsum Virginum in Sacellum illud Albertinum, spectante & adorante magna civium Monacensium, populique concurrentis corona, intulit, perpetuo deinceps adorandum. Ita ille, *qui pascitur inter lilia*, sedem fixit in monte Liliorum.

Mons Liliorum paulatim incrementa sumit.

Favente Celsissimo nostro.

Verùm utut ista omnia superstiti prænobili Domino fundatori, lugentes sumptus in tanta molimina facienti, summum attulerint solatium; nihilominus tamen non sopiebantur pertinaces curæ, donec recens in sacellum illud illatum Numen Eucharisticum statis horis Canonicis ex norma Benedictina laudaretur à Virginibus Benedictinis. Et vero, cum desideria dilata crescerent, tandem cælum vota exaudiit tempore ac loco, quo nemo hominum id eventurum esse suspicari poterat.

Accidit, ut prænobilis ille D. Joannes Maximilianus de Albertis, fundator supra laudatus, negotiorum causa Patavii aliquamdiu moratus, rem omnem, ut hactenus recensuimus, imò multo uberius exponeret Reverendissimæ & Illustrissimæ Dominæ Mariæ Sebastianæ, Baronissæ de Baumgarten, antiquissimi Parthenonis Niderburgensis, Ordinis nostri intra Patavium Abbatissæ, &, quid etiamnum ad complenda vota sua desideraretur, explicaret. Atque ecce! Reverendissima Domina Abbatissa ocyus condixit omnem opem & operam suam: nec dixit tantum, verum etiam implorato atque impetrato Cæsareæ Aulæ potentissimo patrocinio, adeo promovit sanctum negotium, ut ipso anno 1715. die 24. Julii Clemens PP. XI. erectionem novi Conventus omnino concesserit: cui consensui cum etiam permissio Serenissimi Ducis Electoris, & Celsissimi Principis Episcopi nostri accessisset, Dominus Fundator rursus Niderburgum sese contulit, & ex eo Parthenone concessas sibi selectas duas Moniales, nempe Mariam Agnetem Dauscherin, & Mariam Antoniam de Eiseneckh Monachium transtulit: quæ tandem à Serenissima Domina Maria Anna Carolina, Serenissimi Electoris filia, ritu magnifico in Parthenonem novum, exquisitè dispositum, introductæ, consignatis sibi ab Excellentissimo D. Frisingensi Proepiscopo clavibus, atque data gubernandi potestate, die 21. Novembris, Præsentationi B. V. sacra, præesse, & Monasticam disciplinam, assistente ac adjuvante P. Ruperto Sutor Andecensi, magna prudentia atque industria introducere cœperunt, tanto fructu brevi secuto, ut paulo post in sacro Monastico loci Odæo statis horis laus Divina egregie personuerit, plu-

Evocantur duæ Moniales Patavio.

resque selectæ Virgines florido Virginum Sponso votis solemnibus sese consecraverint, atque lilietum nostrum exornare studuerint. Porro facta illa festiva introductione, Reverendissimus D. Proëpiscopus sacris solemniter operatus, Hymnum Ambrosianum intonuit, & post duas horas Parthenonem clausit. Sane ut directio spiritualis Monialium perpetuò esset penes aliquem ex Monasterio Andecensi Patrem (servata tamen Episcopo Frisingensi jurisdictione ordinaria) Clemens PP. XI. jam antea, nempe die 3. Octobris concessit. Et hæc erant vera ac genuina Parthenonis illius initia, cui dent boni Superi, ut flores illi nostri floreant quasi lilium, & laudent liliorum suorum sponsum in perpetuum!

Novæ Functiones Celsissimi. Reverendissimus D. Cajetanus Attilensium nostrorum Abbas Ecclesiam Monasterii sui quasi novam construxerat, & ad eam, quam hodie miramur, vere spectabilem formam redegerat. Eam Celsissimus noster eodem anno cum aris novem consecravit. Isanæ quoque primariam Collegiatæ Ecclesiæ aram iisdem sacris ritibus initiavit. Wolfratshusii in umbilico montis etiam Sacellum SSS. Trinitatis dedicavit. Idem præstitit Schlierseensi Ecclesiæ cum aris novem, uti etiam Ecclesiæ Taxensis Monasterii, & alteri in castro Neo Fraunhoviano Ecclesiæ cum aris tribus. Confirmationis Sacramentum decies mille ducentis nonaginta octo animabus impendit.

Ludovico XIV. Rege Gallorum, qui tot bella hactenus Germaniæ nostræ intulerat, Kalendis Septembribus defuncto, Cæsar arma convertere cogebatur in Turcas, qui exiguo temporis spatio totam Peloponnesum in potestatem suam perfidè redegerant, & cervicibus populi Christiani indies magis ac magis imminebant. Itaque ad opem è cælis petendam circa finem illius anni indictæ fuerunt fidelibus preces, oblataque plena noxarum remissio iis, qui consuetis sanctis operibus Dei opem ad elidendam Mahometanorum superbiam implorassent. Et sanè tantus in Christiano populo fervor exarsit, ut nonnisi spem optimam Pastores animarum conceperint, fore, ut crudelis Barbarorum immanitas Cæsareis armis pro suo merito castigetur.

§. XII.

Labores Celsissimi annis 1716. & 1717. ubi de reportatis adversus Turcas Victoriis.

Celsissimus primum lapidem locat pro sacra æde Weltenburgensi. Uti ea loca, de quorum præcipua vetustate constat, Celsissimo Principi & Episcopo nostro semper in magna veneratione fuere, ita etiam celebre nostrum Monasterium Weltenburgense, inter Bojariæ cœnobia antiquissimum, gratiam habuit, ut illuc die 28. mensis Junii Anno 1716. sese conferret. Supplex illi factus fuerat Reverendissimus loci Abbas Maurus, ut, cum ipse cogitaret vetustam loci Ecclesiam dejicere, & novam longè splendidiorem construere, Celsissimus Princeps lapidem primarium ibidem sub ritibus præscriptis dignaretur locare. Annuit clementissimus Præsul, si quidem Ratisbonensis Curia Ecclesiastica, intra cujus Diœcesis limites situm est Weltenburgum, concederet facultatem. Hanc cum facilè impetrasset D. Abbas, Celsissimus Princeps noster die 29. Junii, Sanctis Apostolorum Principibus Petro & Paulo sacra, lapidem illum festivissimè posuit, & quidem in eo loco, in quo visitur ara, quæ aræ primæ ad latus Evangelii proxima est. Lapidi illi non solum quasdam sacras Reliquias, verum etiam duo numismata, aureum unum, argenteum alterum, quibus ipsius Principis insignia fuerant insculpta, inclusit: & insuper erga Reverendissimum D. Abbatem magnificè liberalis fuit. Porrò eo loci deinceps Ecclesia consurrexit, quæ forma planè

planè mirabili cæteras Bojariæ Ecclesias fortè omnes superat: nec minus etiam elucet materiæ præstantia. Favit enim cœlum Reverendissimo D. Abbati, ut casu fortuito deprehenderet, totum illud Monasterium suum fundo marmoreo, eique cumprimis pretioso, esse superstructum, & vicinum quoque montem totum esse marmoreum: quod eousque nemo hominum cogitaverat. Ex eo marmore deinceps fabrefactæ sunt columnæ ingentes, & quidem magno numero, quæ Ecclesiam magnificè sustentant, & mirè exornant. De hac Ecclesia alibi occurret mentio.

Eodem anno Celsissimus noster arcem suam Ismaninganam novam construxit, castrumque etiam Lacopolitanum tum reparavit, tum etiam ædificiis auxit. Arcem itidem Zeilhovianam, quam nuper unà cum adjunctis prædiis & potestate judiciaria comparaverat, ita refecit, ut ferè arx nova dici possit. **Instaurat Arces suas.**

Die 5. Mensis Augusti, Beatissimæ V. Mariæ, à Nivibus dictæ, sacro, numerosissimus Turcarum exercitus à Cæsareanis Caroli VI. copiis prope Petri-Varadinum, Duce Eugenio Sabaudo, ferè ad internecionem deletus: postea die 12. Octobris natura & arte munitissimum fortalitium Temeswariense, postquam annis ferè 164. sub jugo Turcarum gemuerat, in ejusdem Cæsareæ Majestatis potestatem gloriosè redactum est stupente universo orbe, & bonis omnibus Carolo VI. ac Eugenio applaudentibus, Hungaria maximè superiori, ad quam deinceps Turcis omnis accessus manet præclusus. Inter nobilissima spolia ex acie prope Petri-Varadinum relata, numerabantur præcipuè quinque egregia victoriæ monumenta, nempe vexilla è caudis equinis, qualia à Turcis adhiberi solent, dum bellum Christianis inferunt. Ex his trophæis duo memorabiliora Augustissimus Imperator Carolus Summo Pontifici Romam misit, qui ea tum in Basilica Liberiana, tum in Sacra Aede Lauretana appendi mandavit, & Eugenio Principi Pileum ac Ensem solemni ritu benedictos in invictæ virtutis præmium largitus est. Tertium obtigit Reverendissimo atque Celsissimo Archi-Episcopo ac Principi Salisburgensi, deinceps inter Divinas laudes in Basilica Metropolitana suspensum. Reliqua verò duo à præcipuis Ducibus Cæsareani exercitus in singulare gratitudinis testimonium oblata fuêre Perillustri Domino Antonio ab Oettl, arcano Cæsaris in rebus militaribus, ut vocant, Referendario, quippe qui Christiano exercitui ingentibus curis tum apud Cæsarem, tum alibi providentissimè adstitit. Hic ipse vir, de re Christiana tam præclarè meritus, & aliàs ex Avis & proavis Tegernseensibus oriundus, duo illa trophæa dono dedit Reverendissimo D. Petro Abbati totique Monasterio Tegernseensi in singulare testimonium tum venerationis, quam erga Majorum suorum patriam fovebat, tum etiam gratitudinis ob beneficia in parentes à Reverendissimis Abbatibus collata. Reverendissimus D. Petrus duo illa vexilla in Basilica Tegernseensi extra Chorum affixit, ubi commodissimè incurrerent in oculos fidelium, eosque animarent *ad confitendum Domino Dominorum, qui redemit nos ab inimicis nostris, quoniam in æternum misericordia ejus.* **Turcarum clades, & jactura sequuta.**

In Lycæo nostro Frisingensi olim humaniores disciplinas cum laude docuerat P. Anselmus Meiller, Reichenbachii professus. Hic ipsis Kalendis Octobris hujus annni renunciatus est Abbas Ensdorffensis in Palatinatu superiori Monasterii. Ipsi Superi eventum illum probâsse visi sunt. Nam ipsa electionis horâ ancilla quædam, cum in agro parentis Reverendissimi Anselmi spargendo sementem sequeretur aratrum, conspexit annulum aureum, novem adamantibus parvulis distinctum, sponsalium *de præsenti*, ut vocant, verè prodigiosum nuncium, quæ nempe sponsalia ea ipsa hora filius Heri sui cum Ecclesia Ensdorffensi coram Parocho (Reverendissimo D. Bonaventura Abbate Reichenbacensi, qui eousque Ensdorffensis Monasterii Administrator fuerat,) & testibus tum Abbatibus præsentibus, tum Commissariis Electoralibus, post multiplicem denunciationem, ad valvas Ecclesiæ ex more publicè affixam contraxerat. Annulum illum pronubum in formam aliquanto majorem redactum Reverendissimus sponsus inseruit digito suo, cui etiamnum inhæret in memoriam desponsationis suæ è cœlo confirmatæ. **Novus Abbas Ensdorffii.**

Celsissimus Princeps eo anno Grosbberghovii, Crautsbergæ & Hirtelbachli Ecclesias tres cum aris undecim sacris cæremoniis inauguravit. Ad Hirtelbacensis Ecclesiæ pervennstum ædificium multum æris contulir: sacro Chrismate bis mille septingentas sexaginta duas frontes sacravit. Frisingæ in Ecclesi RR. PP. S. Francisci alumnorum ad ampliandum Divi Antonii Sacellum ptimum lapidem collocavit.

Serenissimus Bojariæ Dux Elector eo anno pro RR. PP. Capucinis prope arcem suam regiam Nymphoburgensem novum Hospitium instituit.

Obitus Reverendissimi D. Rollii Canonici. Frisingæ die 4. Januarii Anno 1717. ex hac mortali vita piissimè migravit Reverendissimus & Illustr. D. Franciscus Josephus Antonius L. B. de Roll in Bernau, Cathedr. Ecclesiæ Canonicus, Scholasticus, Custos & Senior, qui aras duas, nempe quatuordecim Sanctorum Imploratorum, & S. Margaritæ in Hypogæo Cathedralis Ecclesiæ novas construxit, atque adjecta perpetua fundatione certorum sacrificiorum dotavit, & plura alia eidem Ecclesiæ adjecit. Qui propiùs conspexêre Viri illius beneficentissimi actus, censent, eum, dum viveret, ad minus quadraginta florenorum millia erogasse in pauperes. Hæret alta mente repostum, quod aliquando mihi ipsi in hujus Viri ædibus contigit. Cum enim à moribundo, cui in extrema lucta adstiteram, rogatus fuissem, ut supplex fierem Reverendissimo Rollio pro remissione debiti ad summam notabilem excurrentis, egoque humiles illius preces eum in finem Eidem insinuassem, mox syngraphas duas, quas pro mutuò datis pecuniis receperat, protulit, mihique tradidit lacerandas. Mira liberalitas. Morti propinquus omnium suorum bonorum hæredes instituit Orphanotrophium, aliosque indigos, summo suo merito pauperum pater dictus.

Aliud funus ex Collegio Cathedrali. Reverendissimum D. Rollium ad æternitatem eodem anno secutus est Reverendissimus & Illustr. D. Maximilianus Emmanuel Baro de Neuhaus in Greiffenfels & Ehrnhaus, ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, qui ipse quoque in eandem Ecclesiam munificum sese exhibuit, & pauperibus quoque aliquot florenorum millia legavit.

Ad Abbates Boicos Ordinis nostri eo anno, nescitur, cujus instinctu, datæ fuêre Electorales literæ, quibus graviter interdicebatur, ne ii quidquam ad conservandum Lycæum nostrum Frisingense conferrent: id enim in præjudicium Principis terræ cedere. Id grave accidit Ordini nostro, de Bojaria ob religionem Christianam introductam, Sedesque Episcopales erectas non malè merito, à quo tamen ad aliorum scholas conservandas plura Monasteria fuêre avulsa, ut vel ex solo Hundio constat, & res ipsa loquitur. Verum scrupulus iste cum tempore (melius informato Serenissimo Electore) demùm evanuit, ut suo loco memoratutos nos esse confidimus.

Nova Religiosorum hospitia. Eodem anno Celsissimns Princeps noster RR. Patribus Franciscanis novnm hospitium Zeilhovii erexit, & primnm lapidem fixit. RR. Patres Capuciui aliud novum Hospitium Neo-Fraunhovii obtinuêre.

Idem Celsissimus Princeps noster eodem anno Sacellum novum Orphanotrophii Frisingæ: ac postea alibi Ecclesias sex, aras octodecim, consecravit. Bis mille quadringentis quinquaginta tum parvulis tum adultioribus Confirmationis Sacramentum ministravit. Novum opus Celsissimi. Peristylium Cathedralis Ecclesiæ magnificè exornavit, maximè cum veteres lapides sepulchrales Episcoporum, Canonicorum, aliorumque Nobilium è pavimento eruit, & optimo ac venustissimo ordine muris inseruit. Certè non pauci, qui magnam Europæ partem peragrârunt, dum modernum illud peristylium considerant, disertè fatentur, vix alibi aliquid simile se conspexisse.

In supradicto Monte Divi Ruperti crescente indies Mariano cultu anno superiori numerabantur personæ quadragesies quinquies mille trecentæ & quinquaginta, quæ ibidem sacra ex homologeti expiatæ, & sacro epulo Eucharistico fuerant refectæ. Earum numerus hoc anno ad alia tria millia excreverat. Auctis

etiam

etiam fidelium oblationibus visum est prope eam Ecclesiam collegium sæcularium Clericorum, qui votis pœnitentium, ac eò accurrentium commodius satisfacerent, erigere. Id etiam, cœlo propitio, feliciter datum fuit executioni, quando D. Philippus Franciscus Lindmayr, SS. Th. D. Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Andreæ Canonicus, Celsissimi Antistitis nostri Consiliarius Ecclesiasticus, ac Diœcesis hujus Visitator, qui Mariani cultus strenuissimus promotor esse pergit, nomine ejusdem Celsissimi pro eo ædificio lapidem primarium posuit. Dorffæ Domus Clericorum erigitur.

Placuisse Augustissimæ Cœlorum Reginæ curas illas, pro sui honoris augmento impensas, ipsa pluribus grandibus beneficiis demonstravit. Unum illustre hic apponere visum est.

Erat Landishuti paupercula quædam fœmina, non solum fortunis omnibus, verùm etiam usu pedum à prima infantia sua adeò destituta, ut nonnisi grallulis manu utraque apprehensis humi repere posset, nervis pedum adeo constrictis, ut partes illorum inferiores superioribus quasi adnatæ viderentur. Interim cum Divæ Dorffensis beneficia longè lateque inclaruissent, non defuere, qui fœminæ sortem deplorabilem miserati, authores ipsi fierent, ut Dorffam sese conferret, ibique Thaumaturgæ Virginis opem imploraret. Paruit monentibus paupercula, & adjuncta sibi puellula grallarum ope Dorffam repsit. Ut primùm in conspectum Dorffensis templi venit, edocta est à quodam Viro obvio, intento digito, illum esse locum, ubi Deipara tot beneficia fidelibus dispenset. Hoc audito fœminæ non solum lassitudo, verum etiam dira fames quodammodo disparuit: quod illi non solum summum solatium attulit, verum etiam grandem erga Matrem Dei fiduciam injecit. Delata demum in Ecclesiam prolixas primum preces fudit, donec à puellula admonita, tantisper inde discessit, ac panem pauperem, atque aquam adhibuit. Inde rursus cum nova fiducia in templum rependo reversa, precibus suis quo poterat ardore humi ex more affixa institit. Cum ecce: Statua Deiparæ ei visa est adeo amabilis, ut eam sibi arridere fœmina crederet. Adhæc internè commonita, ut experiretur, num Thaumaturga Deipara salutem sibi attulisset? vicinum scamnum precatorium demum apprehendens, spectante & obstupescente multo populo in pedes se erexit, &, quod ei ab infantia insolitum fuerat, erecta stetit. Ea equidem res non omni dolore caruit, cum scilicet nervi è constrictione sua solverentur, cutisque ac caro mirabiliter distenderentur, adeo, ut aliquæ partes carni crudæ essent quàm similimæ. Triduo sequenti partes illæ oleo, ex lampade ad aram Deiparæ pendente desumpto fuere inunctæ, quæ res ulteriori saluti fœminæ fuit, dum nova cute partes illæ feliciter obductæ fuere, & dolor omnis deinceps cessavit, ita tamen, ut adhuc aliqua vestigia præcedentis miseriæ omninò remanserint. Tanto malo liberata fœmina grallas suas minores mox ad Deiparæ aram ceu perpetuum tanti beneficii & gratitudinis monumentum suspendit, grallasque deinceps subalares assumpsit, quas tamen, cum altius elevando corpori paulo post impares essent, rursus dimisit, & grandiores sibi delegit, plena spe freta, fore, ut tandem integra salute frui possit, idque tanto fidentius, quod brevi expetta fuerit, se etiam ad fila è fuso trahenda aptam esse. Hanc narrationem Magistratus civicus Landishutanus suppeditavit, cujus publicum testimonium in Parte altera damus. Hodie fœmina illa nullis grallis indiget, sed sanitati integræ restituta, liberè viam carpit, ut universa civitas videt. Lubet hic quærere ex Acatholicis nostris, an Christus Dominus patrarit miraculum, quando, ut refert Lucas, mulierem in Synagoga (*quæ habebat Spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata*) *ab infirmitate* sua *dimisit*, ita, ut *confestim* erecta fuerit, Deumque glorificaverit? Certè eam rem fuisse prodigio plenam, nemo fidelium unquam negavit. Respondeant igitur Domini Iconomachi nostri, an non etiam Deus ad intercessionem Matris suæ Dorffæ miraculum ostenderit, quando supradictam fœminam, ab annis plus quam decem

Prodigiosa fœminæ sanitas.

N. 434.

Cap. 13. à ỳ. 9.

decem & octo simillimis, & fortè majoribus miseriis obnoxiam, teste tanto populo, erexit, & integræ sanitati restituit?

Nova Turcarum clades. Alba Græca recipitur.

Eodem anno, mense Augusto, Cæsareanus exercitus rursus gravissima clade Turcas prostravit, & Albam Græcam, seu Belgradum, munitissimam Serviæ urbem, cujus præsidiarii milites justi exercitus numerum æquabant, in deditionem accepit, gloria immensa penes Archistrategum Eugenium Sabaudum, Duces reliquos, & cæteros fortissimos Heroes ac milites perennatura.

§. XIII.

Continuantur tum publica, tum privata Acta Annorum 1718. & 1719. ubi de nova Translatione Monasterii Schlechdorffensis, & origine Monasterii Monialium S. Theresiæ Monachii.

Belli Turcici finis gloriosus.

EX iis, quæ statum Europæ publicum concernunt, illud præprimis memorabile occurrit, quòd Anno Christi 1718. Augustissimus Imperator Carolus post duas ingentes clades præcedenti biennio Turcis illatas, post receptas duas munitissimas urbes, Temeswarium scilicet, ac Belgradum, post mire ampliatos Christianæ Reipublicæ fines, sociosque Venetos defensos, post felicissimè confectum nonnisi proprio milite bellum, cum iisdem Turcis armistitium pepigerit verè gloriosum. Deinceps fœdus iniit cum Gallis & Anglis adversus Hispanos, Siciliæ ac Sardiniæ invasores, &, quæ versùs orientem arma hactenus moverat, versus meridiem coactus convertit.

Celsissimus Antistes noster eo anno Patres S. J. pœnitentiæ insignes præcones Frisingam, atque Ismaningam vocavit, ubi viri illi magnis suis laboribus, & pulcherrimis exemplis atque exhortationibus ingentem animarum fructum retulerunt.

Conventus duorum Principum Electorum Schyræ.

Die 27. Julii in inclyto Monasterio nostro Schyrensi duo nobilissimi Schyrenses Comites, nempe duo Serenissimi S. R. J. Principes ac Duces Electores, Bavarus Maximilianus Emmanuel, & Palatinus Carolus Philippus unà cum splendidissimo præcipuorum Aulicorum ministerio horis matutinis ex condicto convenere. Vix in mutuum conspectum delati erant in illa sua gentilitia domo magni illi Principes, cum etiam properarunt in amplexus mutuos, in oscula pacis, atque amicissimas salutationes. Mox templum ingressi, almam Crucem Schyrensem, quam olim Eorum Progenitores è Palæstina asportaverant, devote adorarunt. Tum progressi ad Capellam Principum (*Capitulum* vocant) ubi 124. Comites & Comitissæ Schyrenses tumulati quiescunt, eandem non sine animi solatio fuere contemplati. Deinceps verò secessere in quoddam conclave omnibus arbitris remotis, ubi inter eos arcanum quoddam colloquium protractum fuit ad sesqui horam. Inde ventum est ad prandium magnificentissimum, quod ad tres horas continuabatur. Tandem circa quartam vespertinam placuit Serenissimis Electoribus salvere conventum, & inter novos amplexus, & mutui amoris tenerrimos affectus redire ad propria, relicto Schyrensibus nostris ingenti solatio, virtutisque stimulo potenti, dum videre potuerunt, quanti Principes ipsum suum nominatissimum domicilium cultui Divino, Monachisque Divi Benedicti cesserint?

Translatio Monasterii Schlechdorff.

Impetraverant Canonici Regulares Schlechdorffenses à Celsissimo Antistite nostro facultatem, Monasterium suum, hactenus ob magis magisque imminen-

tem

tem lacum Cochelensem in loco palustri constitutum, & ruinis suis propediem incubiturum, in collem vicinum perquàm amoenum transferendi: & jamjam ad tanti operis molem situs erat descriptus, omniaque ita disposita, ut lapis primarius solemni ritu poni, atque novo ædificio initium posset dari. Deliberatione facta, eccui potissimum deferendus esset honor benedicendi primum illum lapidem, in quo inter alia etiam nomina omnium non solum Canonicorum Schlechdorffensium, verum etiam omnium vicinorum Ascetarum Benedictoburanorum atque Ettalensium tunc viventium descripta fuere reposita? Cum placuisset neminem alium exorare quàm Reverendissimum Magnum, Monasterii Benedictoburani Abbatem, quippe cujus Monasterii primis Abbatibus & fundatoribus primam etiam Schlechdorffii fundationem in acceptis merito ferebant, die 17. mensis Augusti loci Decanus Augustinus de Schlechten cum quodam suo Collega Canonico ad dictum Monasterium sese contulit, ac Reverendissimi sui D. Præpositi, totiusque Collegii nomine Reverendissimum D. Abbatem ad eam functionem Pontificio ritu in ipso Festo S. P. Augustini peragendam, humanissimè invitavit, facultate prius à Celsissimo Ordinario impetrata. Uti grata fuit singularis & exquisita illa humanitas Reverendissimo D. Magno Abbati, ita oblatum sibi, suoque Monasterio honorem verè singularem nentiquam recusavit. Itaque iis omnibus, quæ necessaria judicabantur, cum omni cura & solicitudine Schlechdorffii exactè dispositis, idem Reverendissimus D. Abbas ad Divi Augustini Festum unà cum ministris rebusque necessariis Schlechdorffium in navigio sese contulit, ubi etiam cum omni reverentia ad littus exceptus fuit.

Poterat citius dari initium festivæ functioni, nisi oportuisset exspectare supplicabunda piè ex vicinia convolantium fidelium agmina. His circa horam octavam maximo numero congregatis instituta fuit magnifica processio ex Ecclesia veteris Monasterii in supra dictum vicinum collem: ubi deinceps tota illa functio non sine summa devotissimi populi ædificatione juxta leges in libro Pontificalium Rituum præscriptas, interstrepente applausu buccinarum, ac tympanorum: atque exoneratione machinarum ærearum, admugiente insuper lætissimo vicinorum montium fremitu, fuit peracta: reditumque postea est eo, quo prius, ordine ad Ecclesiam Monasterii veteris, ubi P. Gregorius Stephan Ettalensis ad confertam populi multitudinem sermonem super eo eventu, in ipso S. P. Augustini secuto, elegantissimum habuit. Secuta est solemnis Missa, quàm accinente Musica magnifica celebravit Reverendissimus D. Abbas Benedictoburanus, nullis aliis, quàm Benedictoburanis ministris, ad aram servientibus. Summo officio subjunctus est Hymnus Ambrosianus, magnificè decantatus. Porrò reliquum diei postea inter amicissimas gratulationes, sinceras omnis prosperitatis apprecationes, gaudiorum contestationes fuit lætissimè transactum, poteratque merito recurrere in memoriam illud: *Ecce, quam bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum!*

Hoc eodem anno ad initium mensis Octobris rudes saltem muri Basilicæ Weltenburgensis una cum concamerationibus, & turrito fornice, ovatâ figurâ supra reliquum templi tectum magnificè assurgente, perfecti fuerant, nulla tamen adhuc incrustatio inducta erat. Nihilominus non contimuit sese Celsissimus Antistes noster, quo minus ad Basilicam illam consecrandam festinaret, facultate ad id jam alias à Curia Ratisbonensi impetrata. Itaque una cum illustrissimo suo Proëpiscopo, uti etiam Comite Königsfeldio Canonico, & reliquo tum Ecclesiastico tum Aulico Ministerio Weltenburgum contendit, & Dominica 2. Octobris, ejus mensis die nona, assistentibus inter alios pluribus Prælatis mitratis Dedicationem festivissimè absolvit, magnam suæ felicitatis partem existimans, quod Ecclesiam Monasterii per Bojariam antiquissimi sacris ritibus noviter initiare potuerit.

Templum Weltenburgense dedicatur à nostro Celsissimo.

Ejus-

Princeps noster salutatur ab Eminentissimo Card. Saxonico.

Ejusdem solatii partem ambiebat etiam Eminentissimus & Serenissimus S. R. E. Cardinalis Christianus Augustus, Saxoniæ Dux, S. R. J. Princeps, Hungariæ Primas, ac Cæsaris ad Comitia Ratisbonensia Legatus primarius. Hic altera statim post peractam Dedicationem die unà cum illustrissimo & Excellentissimo D. Comite Konigsfeldio, Serenissimi Electoris Bojariæ ad eadem Comitia Ratisbonensia Legato, & parte famulitii sui Weltenburgum venit, tum ut Weltenburgense ædificium, de quo fama jamjam per Bojariam & finitimas provincias percrebuerat, coram cerneret, tum ut Celsissimum Episcopum nostrum præsens complecti posset. Qui oculis suis conspexere, narrant, explicari non posse, cum quanto reciproci amoris affectu magni hi Principes Ecclesiastici in mutuos affectus convenerint, quamque suaviter ea die ibidem conversati sint. Redundavit lætitia maximè in ipsos Weltenburgenses nostros, qui, licet Monasterium antiquissimum incolant, in omnibus tamen fastis suis non legunt, tam magnos hospites in iis suarum rupium angustiis aliquando convenisse.

Episcopus noster semper memor officii sui.

Præterea eodem Anno Celsissimus noster Ecclesiam SSS. Trinitatis recens Monachii constructi Parthenonis Monialium S. Theresiæ: uti etiam Sacellum Castri Trainensis, in quo olim ipse Celsissimus primam lucem aspexit, solitis cæremoniis sacris initiavit. Ecclesias insuper Veringæ inferioris, Perwangæ, Eremitorii prope Razenhovium, Altenhusii: universim verò Ecclesias octo, aras viginti quinque in locis variis sacravit: solemnem etiam benedictionem Reverendissimæ Dominæ Mariæ Rosæ, recens electæ Altomonasteriensi Abbatissæ impendit: ter mille quadringentos octoginta duos parvulos utriusque sexus sacro Chrismate signavit. Ædificium etiam Arcis suæ Eisenhovianæ ad finem magno ære magnificè perduxit.

Eodem anno inter Serenissimum Electorem Bavariæ, & Celsissimum Episcopum ac Principem nostrum prævio tractatu instituto concepta fuit exactissima norma in administrandis bonis Ecclesiarum deinceps observanda. Ea sequenti anno jussu ejusdem Celsissimi Frisingæ publicis typis in lucem prodiit, & cum universo Clero hujus Diœceseos pro accurata notitia & observantia communicata fuit.

Februario mense Anno 1719. Clementissimus Mecænas noster, ac Cathedrale Collegium tractatum super fundatione Scholarum Frisingensium cum nostri Ordinis Bavariæ & Sueviæ Abbatibus feliciter concluserunt. Literæ illius tractatus utriusque partis subscriptionibus & sigillis communitæ tum Frisingæ, tum in quibusdam Bavariæ ac Sueviæ Monasteriis asservantur.

Eodem anno idem clementissimus Pastor Ecclesiam castri sui Burgkrainensis egregiè ampliavit, tribusque novis altaribus, tam pictorum quam sculptorum, aliorumque celebrium artificum opera faberrimè constructis splendidè condecoravit: ac demum ultimam manum ipsemet operi imposuit, dum Ecclesiam illam cum aris Divino cultui dedicavit. In inclyto Monasterio Scheftlariensi recens electo Reverendissimo D. Hermanno Abbati, Præmonstratensis Ordinis, assistentibus Mauro Andecensi, & Benedicto Schyrensi Reverendissimis Ordinis nostri Abbatibus, mitram ac pedum pastorale contulit. In Electorali recens prope Schleisshemium ædificata arte Lusthemiensi juramentum Reverendissimi ac Serenissimi Principis Clementis Augusti, U. B. Ducis &c. super obtentis eousque Episcopatibus suscepit. Farchæ, Kempfenhusii, Dattingæ & Anhusii alias quatuor Ecclesias cum aris duodecim inauguravit: quinquies mille nongentis & uni frontibus eum chrismate signum crucis impressit.

Incrementa Parthenii cultus Dorffæ.

Festa luce Divi Martini jussu Celsissimi Principis In recens constructam amplam, ac commodissimam domum montis S. Ruperti prope Dorffam introducti fuere viginti Sacerdotes Sæculares; ex quo tempore adhuc magis magisque promotus ibidem fuit cultus Parthenius, adeo, ut deinceps quotannis ultra centum millia fidelium ibi noxas confitendo eluerint, panemque Eucharisticum susceperint, & oblationes quoque ingens incrementum sumpserint. Neque diu dictus Sacer-

Sacerdotum numerus satisfacere potuit occurrentium etiam ex exteris provinciis hominum multitudini, sed paulo post rursùs advocari debuere alii Sacerdotes viginti: qui, cum in supra dicta Domo locum non invenirent, de congruis habitationibus sibi ad pedem montis in Dorffensi municipio prospicere debuerunt. Multæ gratiæ ibi prodigiose dispensatæ in quodam libello fuêre descriptæ, & pro gloria Deiparæ luci publicæ commissæ.

Diximus paulò superiùs, Celsissimum nostrum inter alias suæ Diœcesis Ecclesias hoc tempore etiam consecrâsse eam, quæ recens Monachii erectò Parthenoni Carmelitici Ordinis fuerat adjuncta. Subjungimus in compendio tum ipsius Parthenonis, tum Ecclesiæ originem, quàm serius edocti fuimus.

Anno Salutis 1705. die 20. Martii terrenis rebus piissimè valedixerat Serenissimus Bavariæ Dux Maximilianus Philippus, Maximiliani, primi Bojariæ Electoris filius secundo genitus, & Serenissimi Itidem Electoris Ferdinandi Mariæ frater: quem sequenti statim anno, Christi 1706. die 20. Junii ad tumulum secura est Serenissima conjux Mauritia Febronia, è Bullioniis Ducibus in Gallia nata. Cùm nullam sobolem suscepissent hi duo Serenissimi conjuges, bonorum suorum hæredem scripserunt Christum in pauperibus suis, ac præterea ad Divini Numinis perpetuum honorem etiam Parthenonem Carmeliticum construere decreverunt, tabulis solemnibus in eam rem ritè confectis. Ieciderat autem utriusque mors in illud tempus, quo, absente, & in Galliis morante Serenissimo Electore Maximiliano Emmanuele, Augustissimus Imperator rerum Bojariæ potiebatur. Re itaque Viennam delata curæ potissimum fuit Augustissimæ Eleonoræ Magdalenæ, Cæsaris piissimæ Matri, ut sanctum illud Serenissimorum defunctorum conjugum Maximiliani Philippi, & Mauritiæ Febroniæ propositum quamprimùm executioni mandaretur. Neque deerant Monachii fideles quidam, qui ædes suas proprias, atque ad ei spatiosam aream sponte offerrent futuræ Monasterii structuræ. Præterea eo tempore collecti Statuum Bavariæ Deputati voto sese obstrinxerant ædificandi templum in venerationem SSS. Triadis, si belli sævientis pericula absque ulteriori patriæ ruina idem Optimum Numen averteret. Atque hæc erat selectissima occasio, qua tum sacer ille Parthenon erigeretur, tum Ecclesia eidem adjiceretur. Assensum facilem præbuêre Augustissimus Josephus, & Celsissimus noster Ordinarius Joannes Franciscus. Itaque eùm operâ Cæsarei Administratoris nova structura jamjam fuisset designata, die 17. Septembris anno 1711. quatuor selectæ dicti Ordinis Moniales Pragâ venêre Monachium, ubi jussu Celsissimi Antistitis nostri in Basilica Beatissimæ Virginis ab Illustrissimo Proëpiscopo nostro Joanne Sigismundo Zellero, &c. & universo Clero festivo ritu exceptæ, & postea in ædes ad id præparatas ab Excellentissima Cæsarei Administratoris conjuge fuêre deductæ, ubi, donec surgeret novum Monasterium, religiosis sui Ordinis exercitiis sub directione RR. Patrum Carmelitarum discalceatorum interim vacare possent. Porrò pro novi Monasterii structura mandante Celsissimo nostro lapidem primarium eum præscriptis sacris cæremoniis die 21. Octobris dicti anni Reverendissimus D. Placidus Ettalensium nostrorum Abbas habitu Pontificio indutus posuit. Opere sumptibus Serenissimi Testatoris utcunque perfecto, post triennium, nempe die 6. Octobris anno 1714. piæ illæ Moniales in suum illud Monasterium solemnissimo ritu introductæ, ibique à Serenissima Maria Anna Carolina clementissimè exceptæ, & pomeridiano tempore fuêre à R. P. Provinciali reclusæ. Ecclesiam Sacri Parthenonis, primùm anno 1718. Statuum Bojariæ ære splendide perfectam, die 28. Maji Reverendissimus Antistes noster, ut jam superiùs monuimus, Divino Numini dedicavit; in qua ex eo tempore Divinæ laudes diu noctuque à religiosissimis Virginibus frequentantur.

Primordia Monialium S. Theresiæ Monachii.

§. XIV.

Acta ann. 1720. & 1721.

Scripsimus in primo hujus Historiæ Tomo pagina 68. Templum à Reverendissimo D. Ildephonso Weihenstephanensi Abbate supra fontem Divi Corbiniani magnis sumptibus constructum, fuisse à Celsissimo nostro consecratum die 16. Julii anno 1721. Ita enim nonnemo mihi retulit. Verùm viso Libro Consecrationem & Benedictionum, quas idem Celsissimus peregit, sphalma deprehendimus. Ponendus enim erat annus Christi 1720. & dies Julii decima quarta: quod Lectorem hic monere placuit. Jucundum id accidisse Celsissimo nemo negaverit, si quidem in memoriam reduxerit, quod alibi monuimus, nempe Celsissimum Principem à puero honoribus Divi Corbiniani fuisse addictissimum. Porrò facta illa consecratione idem clementissimus Princeps in inclyto illo Monasterio sumere dignatus est prandium, sub quo Weihenstephanenses nihil omisêre eorum, quæ quidem in viribus erant, ut tanto Hospiti dignè inserviretur. Alias tres Ecclesias in Aufhausen, in Eremitorio ad S. Colomannum Parochiæ Wifflingensis, & in Harescell, cum aris sex Divino cultui addixit: mille verò ducentis octoginta septem parvulis sacrum Chrisma illinivit.

Emendatur quidam error.

Die 29. Octobris Celsissimus Episcopus noster invitatus Monachium venit, & in inclyto Parthenone Angerensi præsente tota Serenissima Domo Bavarica Sacris ritu Pontificio intra chori ambitum festivissimè operatus est. Finito solemnissimo sacrificio adstitit actui æternùm memorabili, dum scilicet Serenissima Domina Maria Anna Carolina, utriusque Bavariæ & Palatinatûs superioris Ducissa &c. præsentibus Serenissimis Parentibus ac Fratribus in manus Reverendissimæ Dominæ Mariæ de Victoria Abbatissæ, ex illustrissima familia Eckheriana natæ, ipsius Celsissimi Principis nostri ex fratre consanguineo neptis, ejuratis omnibus aulæ ac sæculi lenociniis, rebus, spebusque solemnia vota animo maximo pientissimè emisit. Putasne, benigne lector, spectaculum illud in oculis aspectantium Parentum, Fratrumque, & aliorum potuisse esse siccum? Caterùm in sacra illa votorum nuncupatione novæ Moniali impositum est nomen Emmanuela Theresia: cui postea Celsissimus Antistes noster Episcopalem benedictionem impertivit: mox in aula Electorali solemni convivio adhibitus.

Serenissima Electoris filia votis solemnibus Deo se adstringit.

Eodem anno Episcopus noster urgente Mariani amoris stimulo laboriosam peregrinationem Neukirchium usque, oppidum haud procul à Sylva Bohemica situm, instituit, seque ac sua omnia cœli Reginæ filiali affectu commendavit.

Eodem anno tandem inter Imperatorem Carolum VI. & Philippum Andegavensem, Hispaniarum Regem, pax coaluit: & Sicilia Carolo: Sardinia Sabaudo demùm cessit. Sequenti anno 1721. die 19. Mensis Martii Clemens XI. Pontifex vere Maximus, rebus pro Ecclesia Dei gestis inter omnium præstantissimos Romanæ Sedis Hierarchas meritò recensendus, terris ereptus est. Eo mortuo Cardinales numero quinquaginta quinque post novendiales, ut moris est, Exequias conclave ingressi die 8. Mensis Maji, Divi Archangeli Michaelis apparitioni sacra, in Pontificem Romanum elegerunt Michaelem Angelum de Comitibus, Romæ natum ex antiquissima & illustrissima familia Principum de Comitibus *, quæ jam antehac plures Pontifices Romanæ Sedi dederat. Is Innocentius XIII. dici voluit. Sacrum Triregnum die 18. ejusdem Mensis in Basilica Vaticana novus Pontifex suscepit.

Graveson in Histor. Eccl.

* Conti.

Innocentius XIII. PP.

Autum-

Autumnali tempore cùm ferias literarias agerent Frisingenses Studiosi, P. Henricus Hardter, ad S. Emmerammum Ratisbonæ professus, SS. Th. D. & Lycæi Frisingensis Regens, ibidemque Sacrorum Canonum Professor, defuncto sæpiùs memorato Reverendissimo D. Wolffgango Michaelfeldensium Abbate, ad ejusdem Monasterii mitram evocatus est.

Celsissimus Antistes noster eo anno castri Burgkrainensis reparationem continuavit: Arcis verò Zeilhovianæ restaurationem feliciter absolvit. In novis sacris excursionibus eo Anno Pfaffenhovianam, Riedenhovianam, Wampergensem, Kapfingensem, Holzhusianam, Vilsensem, & Eizelstorffensem tum Ecclesias tum Sacella: iisdemque & aliis in locis viginti tres Aras Deo dicavit.

Fatis hoc anno concessit Reverendissimus & Illustr. D. Christophorus Heinricus Baro in & à Sandizell, Dominus in Mallshausen, Münster, Riedheimb & Stadl, Cathedralium Ecclesiarum Augustanæ & Frisingensis Canonicus Capitularis, qui in hypogæo Cathedralis hujus Ecclesiæ Divis Alexandro & Justino novam aram erexit, aliquot florenorum millia ad vasa & ornamenta sacra eidem Basilicæ obtulit, ac insuper tria sacra hebdomadaria perpetuo persolvēda assignatis cōgruis proventibus ordinavit. Mors Sandizellii Canonici.

§. XV.

Decernitur celebratio festiva Anni millesimi ab inchoata prima fundatione hujus Diœceseos.

NOn ignorabat Celsissimus Princeps, initia hujus Episcopatus vel ad annum Christi 716. vel 724. esse referenda. Pro Anno 716. militabat ea ratio, quòd eo anno S. Corbinianus, primus fundator, Romæ à Gregorio II. Pontifice, ex ordine nostro assumpto, fuerit ordinatus Episcopus. Verùm pro anno 724. pugnabat aliud grave momentum, nempe quòd, licèt S. Corbinianus An. 716. jam fuerit in Episcopum inunctus, nulla tamen certa Ecclesia aut regio: sed generalis tantùm potestas ei fuerit commissa Evangelii sementem ubi ubi terrarum occurreret occasio, spargendi, rudes docendi, populos ad fidem convertendi: Anno verò 724. ipse à Grimoaldo Duce invitatus Pontificale munus Frisingæ exercere cœperit: qui annus etiam erat quinquagesimus, ex quo sua Reverendissima Celsitudo Presbyteratus Ordinem suscepit. Deliberationes.

Hæc omnia certa erant, & extra omnem controversiam posita. Illud verò adhuc Celsissimi animum suspensum tenebat, num annus ille verè *memorialis* publica quadam festivitate esset celebrandus, vel potiùs dissimulandus, tum ne vanitas aliqua irreperet, tum ne Cathedrali Ecclesiæ sumptus nimii accrescerent?

Verùm non deerant sapientes consiliarii, qui argumentis validissimis Celsissimo suaderent ac persuaderent, gratitudinis leges omninò postulare, ut Deo, omnis boni authori, à decem sæculis hujus Episcopatus conservatori, & insuper anni à suscepto Presbyteratu quinquagesimi largitori, non privata, sed publica gratiarum actio persolveretur. Festivitatem illam publicam primario cessuram ad honorem Supremi Numinis: deinde ad laudem Deiparæ, hujus Ecclesiæ ab annis mille patronæ: uti etiam Divi Corbiniani, ceu primi ejusdem Ecclesiæ fundatoris. Et licet etiam gloriæ pars aliqua in Celsissimum esset redundatura, id tamen non obstare debere, cum ejus rei exempla luculentissima ac plurima in Ecclesia Dei præ oculis essent, quippe in qua fundationum anni sæculares festivissimè peragerentur, & Sacerdotes etiam inferiorum subselliorum decurso quinquagesimo à suscepto Presbyteratus Ordine anno jubilum publicum instituere solerent. Eam festivitatem excitaturam esse in oviculis fidelibus ingens gaudium solatiumque, Consilia.

quando spectaturæ essent, Pastorem suum Reverendissimum Anno suæ Cathedralis Ecclesiæ millesimo, Sacerdotii verò sui quinquagesimo publicè, &, quàm fieri posset, magnificè Deum laudantem. Bonos omnes esse animitus congratulaturos, neque esse hominem, rationis usu præditum, qui indignum esse dicere aut vellet, aut posset, tametsi etiam ad celebrandas illas suavissimas memorias ingentes sumptus fierent. Hæc, & his similia Celsissimo Consiliarii optimi identidem suggessere.

Energica hæc argumenta & stringentia momenta pervicere fluctuantem clementissimi Antistitis animum, ut tandem manus daret. Itaque quæstio, *an?* fuit decisa, placuitque decernere, Annum Christi 1724. omninò esse publicè celebrandum.

Verùm his successit quæstio, *quomodo?* quibus scilicet modis ea festivitas peragenda esset?

Conclusum fuit mense Martio Anni 1722. primò curandum esse, ut Acta Frisingensia à tempore ingressus Divi Corbiniani usque ad Annum Christi 1724. conscriberentur. eo enim pacto accessuram esse Divo Corbiniano gloriam debitam: Episcopatui existimationem maximam. Merita tot optimorum Antistitum, hactenus vix uni vel alteri aut tertio mortalium cognita, coram universo orbe esse coruscatura: pietatem, liberalitatem, ipsaque etiam nomina eorum, qui à tot Sæculis in Cathedralem Ecclesiam fuerint benefici, reditura esse in novam lucem ac meritissimam gratamque seræ posteritatis memoriam: universæ literariæ reipublicæ, ac maximè Historiæ ex antiquissimis tabulariis ac pretiosis documentis obventurum esse ingens commodum lumenque: & in his omnibus Deum potissimum glorificatum iri.

Hæc, ut diximus, Mense Martio fuêre constituta: placuitque Celsissimo ac Clementissimo Principi indignam hanc meam tenuitatem Frisingam, ubi aliàs jam aliquot annos exegeram, iterum evocare. Itaque mandante Reverendissimo meo D. Abbate Magno, Frisingam me contuli, ac die 13. Aprilis in Dei nomine arduo Operi primam manum admovi, postquam à Clementissimo Principe, ab Excellentissimo & illustrissimo D. Francisco Sigismundo Antonio Eckher, Barone à Kapfing, & Liechteneck, Domino in Kalling, Serenissimorum Coloniensis & Bavari Electorum Camerario, postea etiam posterioris Electoris Consiliario intimo, Celsissimi Principis nostri Nepote, Aulæ Mareschallo, Consiliario itidem intimo, atque Dominii Burgkrainensis Præfecto &c. subsidia, & documenta, in insignem ordinem redacta, mihi fuêre clementissimè consignata: quibus, temporis decursu, juxta multiplices preces meas, etiam accesêre alia numerosa monumenta non solùm è vicinis Bojariæ, verum etiam aliarum provinciarum Monasteriis, virisque clarissimis, de quibus passim hactenus grato animo mentionem ingessimus.

Die 22. ejusdem mensis Aprilis novum literarium Instrumentum accepit Reverendissimus ac Celsissimus Episcopus & Princeps noster. Is annis præcedentibus in Ecclesia inclyti Monasterii Neocellensis, magnis sumptibus reædificata, aram summam magno suo ære splendide erexerat. Hinc, ne obligationi contractæ deessent gratissimi DD. Canonici Præmonstratenses, datis literis ultrò condixerunt, se pro Reverendissimo Episcopo Joanne Francisco anniversario officio supplicatutos esse Divino Numini pro Ejus regimine in seros annos protrahendo: post Ejus verò obitum anniversariam memoriam in Choro atque ad aras perpetuò celebraturos esse.

Eventus mirabilis prope Scheffrlariam.

Prope inclytum Monasterium Scheffrlariense die 5. Junii circa mediam quartam pomeridianam, sereno cæteroquin undique cœlo, subitò visebatur in aëre parvula, neque, uti æstimari eminus poterat, ultra 5. pedes longa nubecula, tota translucida, quæ à septentrione in meridiem veloci cursu primùm ferebatur: postea tamen ad eam aëris partem, quæ solem in meridie ibi excipit, delata substitit: ubi bis terve in gyrum rotata fragorem ingentem, qualis è tormentis grandioribus æneis exoneratis audiri solet, edidit. Hunc fragorem decem aut duodecim

decim bombi minores, qnales sclopeta manualia emittunt, fuêre secuti. Demùm audiri fuerunt strepitus tres, quasi conserti milites fistulas suas ferreas aut in hostem, aut in salutationis officium exploderent. Durantibus hiscè tonitruis è nubecula identidem lapides, fuscum colorem referentes, non lineâ rectâ, sed obliquâ, quasi ingenti turbine fuissent agitati, ceciderunt, forma omnes similes, nisi quòd alii fuerint aliis majores, tres ferè communis libræ quadrantes pondere æquantes, uti oculis conspeximus. Post mirabilem illum eventum è nubecula visus est fumus cæruleus sursum ascendere. Nemo aspectantium erat, qui effectum illum insolitum explicare posset; veluti res eadem aliorum, ad quos postea fama pervenit, etiam doctissimornm virorum ingenia torsit. Interim nemini hominum, uti nec ipsis agris aut arboribus quidquam nocumenti fuit illatum.

Cæterum eodem anno Celsissimus noster die 5. Julii recens electo Reverendissimo D. Aquilino, Undenstorffensium Canonicorum Regularium Præposito, assistentibus eidem Reverendissimis DD. Liebhardo Firstenfeldensi Abbate, & Ivone Diessensium Canonicorum Regularium Præposito, solemniter benedixit, & eidem mitram ac baculum pastoralem attribuit. Mense verò Octobri eadem gratia authoritate Apostolica, in hac Cathedrali Ecclesia condecorare voluir Reverendissimos DD. Abbates Maximilianum Schyrensem, & Jacobum Lacopium Neocellensem, quibus Abbates Ildephonsus Weihenstephanensis, & Hermannus Schefftlariensis adstitere. Idem Reverendissimus D. Jacobus Lacopius primus erat, qui inter Præpositos ejus loci titnlum Abbatis cum mitra suscepit. Recens benedictos DD. Abbates unà cum iis duobus DD. Præsulibus, qui festivis cæremoniis cooperati fuerant, Celsissimus Princeps prandio suo clementissimè adhibuit: vicissim die seqnenti, 19. Octobris, in Monasterio Neocellensi, ubi quatuor aras prius sacraverat, honorificentissimo convivio humillimè exceptus. **Benedictiones trium Præsulum.**

Inter hæc semper animo vigilantissimi Episcopi nostri inhærebat *solicitudo omnium Ecclesiarum* suæ Diœcesos. Hinc iternm factis sacris itineribus Ecclesias Obetweilbacensem, Pischeltorffensem, Dietrami-cellensem S. Martini, Hechenbergensem, Montis Calvariæ prope Tölzium, Lengriessensem, Sacellum Hochenburgense, Ecclesiam Huppenbergensem, Geroldtsriedensem, Bergeusem, Forsterensem, Wettingensem, Thannensem, Hörgersdotffensem, Sacellum fidelium defunctorum Dorffense, & B.V.M. Kallingense: rursus Ecclesiam Bierbacensem: hisque & aliis in locis universim aras quinquaginta & unam usui sacrorum ritè celebrandorum ex more Catholico adaptavit: sacrum Confirmationis ceroma septies mille nongenti sexaginta duo parvuli ab Eo accepere. Cum Kallingense supra dictum Sacellum recens ab Excellentissimo Nepote suo, Illustriss. D. Francisco Sigismundo Antonio Eckher, cujus meritissimos titulos jam sæpius retulimus, magnis sumptibus, & opere verè mirando in Deiparæ honorem erectum sacraret Celsissimus Antistes, occnrrebat memoriæ Viri illius Excellentissimi, quòd ipso tempore ageretur annus quinqnagesimus, ex quo idem Celsissimus egerat Paranymphum, quando illustrissimus ejus Dominus Parens Oswaldus Udalricus Eckher, cujus illustria munia itidem supra recensuimus, perillustrem Dominam Annam Rosinam, Baronissam de Goden &c. matrimonio sibi junxit. Itaque cùm etiam ex ea quinquaginta annorum memoria jnbilus occurreret, piè acclamatum fuit: *Ante annos quinquaginta Celsissimus fratri suo Udalrico conjunxit Annam Rosinam, Francisci parentem: hodie verò utriusque filio Francisco in arce sua junxit Mariam Deiparentem:* illam matrem *naturæ*, hanc matrem *gratiæ*. **Ecclesiarum & Altarium consecratio.**

Ad splendidum illud sacellum ædificandum permovit virum illum Illustrissimum sculpta quædam Deiparæ effigies: quæ cum ex castro Kallingensi bis suisset translata in vicinam Ecclesiam Massclspergensem, bis ad sedem antiquam mirabiliter reversa est, prout jnrati testes asseverarunt. In eodem suo Castro idem Vir Excellentissimus magno ære, & sanctè pio ingenio pro subditis sive pauperibus, sive decrepitis, sive alio infortunio afflictis amplam domum erexit, & ingenti charitate snbsidia omnis genetis præparavit. Picturæ sacelli intentionem luculenter explicant.

Celsissimus eodem anno ædificium castri sui Lacopolitani feliciter ad finem perduxit: Collegio verò S. Andreæ privilegia, jam ab Antecessoribus dudum concessa rursus stabilivit: ab Augustissimo denique Imperatore Carolo VI. confirmationem eorum, quæ olim Anno 1653. à Ferdinando Cæsare fuerant concessa Alberto Sigismundo nostro obtinuit. Damus Literas sequentis tenoris.

Carl der sechste von Gottes gnaden erwehlter Römischer Kayser zu allen zeiten Mehrer des Reichs.

EHrwürdiger Fürst Lieber andächtiger. Vns ist geziemend vorgetragen worden, was auf unsere an De. Andt. wegen Dero lezteren Türckenstewer - Restantien im October vorigen iahrs gnadigst abgelassene erinnerung Sie unterm ein und dreyssigstem Decembris lezthin gehorsambst geantwortet haben;

*Nachdeme Wir nun darab vernommen, welchergestalten im iahr sechzehen hundert vier und fünffzig von Weyland unsers in Gott ruhenden Anherrens Kaysers Ferdinandi des dritten Mayest. glorwürdigster gedächtnus auf damahliger Reichs Versamblung zu Regenspurg des Hochstiffts Freysingen vormahliger Reichs- und Creys-Matricular-Anschlag auf ein drittel in simplo aus der ursache herunter gesezet und moderiret seyen, weilen desselben meiste in vnseren Oesterreichischen Erblanden gelegene güther zur Landsherrlichen hoheit und stewer-Catastris * in ordinari und extraordinari anlagen gezogen werden, folglich De. Andt. ihr quantum an vorgemelter Türckensteuer nach erwehntem auf ein drittel herabgesezten Fus völlig entrichtet hetten; Solches auch von unser Kayserl. Hoff-Cammer in nachsehung deren Acten also befunden, und vns gehorsambst hinterbracht ist ine; So erkennen Wir nicht nur der sachen befund vnd richtigkeit, sondern auch mit gnädigsten Danck, das De. Andacht unter denen erstern gewesen, welche ihr Contingent an der Türckhenstewer Gott zu ehren, vns und der gemeinen noth zu lieb mit patriotischen guten Willen und lobwürdigen eyffer völlig haben erlegen lassen, und verbleiben deroselben mit Kayserl. Gnaden und allem guten wohl beygethan. Geben zu Laxenburg den zehenden Junii Anno siebenzehen hundert zwey und zwantzig, vnserer Reiche des Römischen im eylfften, des Hispanischen im Neunzehenden, des Hungarischen und Böheimbischen aber im zwolfften.*

* i. e. libris exactionum.

Carl. m. p.

Vd. GvSchönborn. m. p.

Ad mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.

E. F. VGlandorff. m. p.

Dem Ehrwürdigen Johann Frantz Bischoffen zu Freysing unserm Fürsten und Lieben Andächtigen.

§. XVI.

§. XVI.

Renovatio Cathedralis Ecclesiæ: Electio Reverendissimi & Serenissimi Princ. Utriusque Bav. Ducis &c. Joannis Theodori in Successorem Frisingensem &c.

ANno Christi 1723. iidem, quos supra laudavimus, selectissimi Consiliarii Celsissimo Principi nostro cum submissione debita exposuere sequentia: constare nempe toti Bojariæ, imò exteris etiam quàm plurimis, qua ratione sua Reverendissima Celsitudo tempore gloriosi Regiminis sui non solum castra & arces hactenus memoratas, uti etiam Ottenburgensem partim à fundamentis erexerit, partim magnificè refecerit. Ignotum esse nemini, ab Eadem Sua Celsitudine Episcopalem hanc Aulam intus & foris in formam longè venustiorem ac commodiorem fuisse redactam, ac supellectili Principe digna ditatam. Bibliothecam qnoque Episcopalem magno novorum ac pretiosorum librorum numero fuisse instructam & auctam. Viam ex Urbe in hanc Aulam, qua antehac non sine magno incommodo currus per montem trahebantur, fuisse sublatis salebris bellissime complanatam. Sonipedum prope stabulum aulicum, in cujus medio columna marmorea ingens sustentat Æthiopem (Insigne Episcopatus) itidem marmoreum, ex cornu aquas, in montem insignibus machinis sursum protrusas, adhuc altiùs sufflantem, sapientissimo consilio fuisse constructum, quippe ubi deinceps non solum sordes equorum ablui: verum etiam in periculis aut eventu incendii aquæ necessariæ commodè hauriri in ipso monte possent. His ex Principis industria accessisse machinas æreas, & instrumenta alia, ad restinguenda incendia aptissima. Villas Episcopales omnes ad majus decus, commodum, & utilitatem fuisse reductas: officinas cerevisiarias omnes fuisse providè reparatas & auctas: utrumque hortum aulicum fuisse venustissimè excultum. Laudes Episcopi longè latéque personare ex ædificio Lycæi cum adjuncta aula Studiosorum: ex recens erecto, & munifice instructo Nosocomio atque Orphanotrophio. Porticum insuper splendidissimam, quæ ex Episcopali ad Cathedralem Ecclesiam via utrobique ex copioso lumine verè illustri inter depictas, & inferius historicis compendiis illustratas omnium Frisingensium Præsulum imagines ducit, opus esse Joannis Francisci, cui etiam amplissimum ipsius Basilicæ Cathedralis, hypogæi, & adjunctæ Divi Benedicti Ecclesiæ pavimentum marmoreum sit in acceptis ferendum. Sedilia nova insigni artificio fabrefacta, & in Cathedralem Basilicam pro populi commoditate illata à nemine non celebrari. Aras etiam aut marmoreas, aut auro splendidè fulgentes ab omnibus commendari: nec minus laudari Hierothecam fastigiatam, argento, auro, gemmis coruscantem: Statuas etiam argenteas majores & minores, lychnosque itidem argenteos ingentem majestatem Cathedrali Ecclesiæ conciliare: denique quàm plurima alia à Joanne Francisco eidem Ecclesiæ collata pretiosissima ornamenta omnibus in admiratione esse. Optari itaque amplius nihil posse, quàm ut etiam partes Cathedralis Ecclesiæ superiores, nempe muri, columnæ & fornices cum majori splendore partibus inferioribus responderent: inde enim futurum esse, ut ad majestatem Basilicæ deinceps nihil desiderari possit.

Nova consilia.

Audiit optimum consilium iterum Celsissimus Princeps, atque ad opus illud grande evocavit duos ejus artis peritissimos Viros, nempe D. Cosmam Asam, prope-

Advocantur insignes artifices.

prope Monasterium Benedictoburanum natum, jam antehac Romæ inter pictores percelebrem: & Ægidium Asam, ex iisdem parentibus prope Monasterium Tegernseense genitum: hunc, ut deinceps areas murorum, ipsiusque adeo fornicis pro picturis inferendis distingueret, & columnas etiam gypso marmorato, cui non parum auri miscendum erat, vestiret: priorem vero, ut postea easdem areas vividis coloribus picturisque sacris exornaret.

Dispositiones ad exornandam Basilicam Cathedralem. Chorus transfertur in Ecclesiam S.Benedicti. Suscepere in se grande opus peritissimi hi duo fratres Artifices, & quid primùm facto opus esset, fabris cæmentariis & lignariis explicarunt. Hinc cum necessitas postularet, ut per vastum Ecclesiæ spatium ingentes pontes pensiles sub ipsis fornicibus construerentur, fieri deinceps non potuit, ut in ea Basilica Divina peragerentur. Itaque opus erat, ut eo intermedio tempore Divinæ laudes, & consueta Sacrificia in adjuncta Divi Benedicti Ecclesia celebrarentur. Migrarunt proinde Reverendissimi & Illustrissimi DD. Canonici, & Ministri cæteri omnes ex Cathedrali Basilica in supradictam Divi Benedicti Ecclesiam ipsis Kalendis Aprilis anno 1723. ex quo tempore ibidem laus Divina usque ad finem mensis Septembris sequentis anni personuit: conciones verò, quæ alias in Cathedrali fieri solebant, pro majori populi commoditate interim in primaria Urbis Parochiali Ecclesia ad S. Georgium peragi jubebantur.

Translato eum in modum Sacro Odæo cæterisque functionibus Ecclesiasticis omnibus, fabri cæmentarii, ut moniti fuerant, super constructis pontibus pensilibus, seu transversariis longuriis, & sublíciis ad sustinendos asseres & operas fabriles stabilitis primam manum operi admoverunt; fenestrarum spatia quædam muris oppleverunt, alia in formam longè aliam, venustioremque excavarunt: quo tempore insolitus erat Cathedralis Ecclesiæ conspectus.

Multitudo deinceps cæmentariorum, & id genus operariorum effecit, ut paulo post D. Ægidius Asam manum longè artificiosiorem apponere posset.

Dum interim nos progrediebamur in condenda Frisingensi Historia, deprehendimus, sin necessarium, certe utile futurum esse, si plus quam mille & fere quingenta Instrumenta ex vetustissimis autographis exscriberentur, typis publicis cum Lectore communicanda.

Promotio Historiæ nostræ. Tantæ laborum moli cum intra arctum temporis spatium minimè sufficerent Historiographi vires, placuit Celsissimo Principi ex Monasterio nostro Benedictoburano advocare sodalem P. Leonardum Hochenauer, in antiquis documentis atque codicibus probè versatum: qui etiam Frisingæ comparuit die 3. Aprilis ejusdem anni 1723. ac deinceps omnia Instrumenta illa fideliter exscripsit, & Indices Operis magno labore concinnavit.

Annus is erat quinquagesimus, ex quo Celsissimus Princeps noster inter Canonicos Frisingenses relatus fuerat. Fuit verò idem annus vitæ ultimus fratri Illius germano, Illustriss. scilicet D. Joanni Christophoro Eckher, Baroni de Kapfing & Liechteneckh, Serenissimi Electoris Bavariæ Camerario, Præfecto Halæ Divitis; nostri verò Principis Archippocomo, qui die 10. mensis Julii in Stabulo Aulico à Sonipede quodam effero humi allisus, pedibusque ita proculcatus fuit, ut die 9. Septembris, postquam magno animo ad mortem sese præparaverat, omnibusque moribundorum Sacramentis sese præmunierat, pientissimam animam Creatori suo libens reddiderit. Ejus mors non Frisingenses solum universos, verum etiam multos alios exteros magno mœrore affecit. Exuviæ die 12. ejusdem mensis in sepultura Eckheriana, & Ecclesia S. Benedicti fuere cum pompa funebri depositæ.

(margin: Germanus Episcopi nostri fato succumbit.)

Progressus Renovationis Basilicæ Cathedralis. Interea mense Augusto, cum cæmentarii artifices intra Cathedralem Ecclesiam ea perfecissent, quæ jussi fuerant, & Dominus etiam Ægidius Asam labore suo egregiè progressus fuisset, die 20. ejusdem mensis D. Cosmas, ejus frater germanus, summo templi Cathedralis fornici supra Aram summam penicillum suum adhibuit, & initium fecit, statimque arte sua mirifica atque celeritate inexspectata omnes in admirationem rapuit. Cel-

Celsissimo Antistiti nostro eodem etiam anno multa sacri laboris materia obtigit: nam Pokornensem, Hosoldingensem, Gruebensem, Hechenkirchensem, Diepperskirchensem, Auensem, Langkampfensem, Redenbacensem, Schönaugiensem, Georgbergensem, Nidernpframensem, Zorngoltingensem, & aliam prope Zorngoltingam: item aliam prope Schwabam: rursus Pastorffensem, & Firholzensem Ecclesias: hisque & pluribus aliis in locis aras 42. Divini Numinis adorationi addixit: decies vero & septies mille nongentis septuaginta sex parvulis sacro Chrismate signum Crucis impressit. Functiones Episcopales.

Inter ingentes eos labores cum jamjam ætas zelosissimi Antistitis multum ingravesceret, & cum quibusdam corporis doloribus aliquoties conflictaretur, censuit idem vigilantissimus Pastor, de deligendo sibi successore agendum esse, ita tamen, ut priùs mens Summi Pontificis, atque Augustissimi Imperatoris: ac maximè Cathedralis Collegii assensus exquireretur. Sanè cum summus Ecclesiæ Hierarcha, uti etiam Cæsar Carolus VI. facile animadvertissent, omnem cautelam in gravi illo negotio tum à Reverendissimis DD. Canonicis, tum ab ipso Celsissimo Antistite adhiberi, & adhibitam eousque fuisse, ratum habuere Episcopi propositum. Itaque cum Imperatoris nomine Excellentissimus & Illustriss. D. Baro Michael Achatius de Kirchnern, Sac. Cæs. Reg. & Catholicæ Maj. Actualis Consiliarius Intimus &c. &c. & in Comitiis Ratisbonensibus Commissarius secundarius: nec non Excellentissimus & Illustriss. D. Joannes Georgius Comes à Königsfeld &c. &c. ad eadem Comitia Ratisbonensia nomine Serenissimi ac potentissimi Electoris Bavariæ Legatus, ceu orator ejusdem Serenissimi Electoris Frisingam venissent, præmissis omnibus, quæ præmittenda fuerant, tandem die 19. Novembris Reverendissimus ac Serenissimus D.D. Joannes Theodorus, Episcopus Ratisbonensis, utriusque Bavariæ & Palatinatus Superioris Dux &c. Serenissimi Electoris filius, quem summus Pontifex datis literis eligibilem reddiderat, consonantibus Reverendissimorum DD. Canonicorum suffragiis in successorem Celsissimi nostri Joannis Francisci electus est. Lætissimum hujus Electionis nuntium Reverendissimus & Illustriss. D. Maximilianus Franciscus Dominicus Ekher, Baro de Kapfing & Liechteneckh, Cathedralium Ecclesiarum Augustanæ atque Ratisbonensis Canonicus Capitularis, cursoriis equis usus, confestim Serenissimo Parenti Electori attulit, non clementissimè tantum admissus, verum etiam munificentissimè postea dimissus. Consilium de successore Episcopatus deligendo. Probatur à Pontifice & Imperatore. Joannes Theodorus eligitur.

Cæterum eodem anno ædificio arcis Ismaninganæ felicem coronidem Celsissimus imposuit: recens verò ampliatæ Ecclesiæ castri Burgkrainensis Corpus S. Alberti Martyris pretiosissimè exornatum solemniter intulit: velut eodem anno mense Majo RR. Patres Ordinis S. Francisci Corpus S. Paulinæ Martyris: & die 4. mensis Julii inclytum Collegium Cannnicorum S. Andreæ Corpora SS. Clementis, Modesti, & Innocentii Martyrum in Ecclesias suas solemni ac sacra pompa transtulerunt. Triumphum posteriorum trium Sanctorum Martyrum nonnemo prælo luci publicæ exposuit, suum tamen nomen ignorari voluit. Certum interim est, insigne opusculum illud uni Canonicorum inclyti illius Collegii in acceptis esse ferendum. Translationes aliquorum sacrorum Corporum.

Ad hunc eundem annum pertinet insignis atque piissima fundatio orphanotrophii, Erdingæ facta ab Excellentissima & Illustriss. Domina Maria Adelhaide Comitissa de Rivera, nata Comitissa de Preysing in Rotteneck & Ottenhoven, Vidua, cujus directionem & administrationem curæ Clericorum Sæcularium in commune viventium, approbante Celsissimo Antistite nostro commisit. Sanè qualenam sit institutum Clericorum illorum, & qua ratione Orphanotrophium illud eidem fuerit commissum, sequentem in modum edocti sumus. Orphanotrophium Erdingæ.

Institutum Clericorum Sæcularium in commune viventium sumpsit exordium in Archidiœcesi Salisburgensi Anno Christi 1640. per venerabilem Virum Bartholomæum Holzhauser, SS. Th. Licentiatum, qui multis annis Divini Spiritus instin- Institutum Venerab. Bartholomæi Holzhauser.

instinctu visionibus ac monitis internis corroboratus, pauper licèt & inops, humanisque mediis penitus destitutus, in humilitate & simplicitate, firmaque in Deum fide & fiducia opus excelsum & arduum meditatus est; quomodo nempe status Clericatus Sæcularis, à Christo Domino fundatus, & ab Apostolis observatus, successu vero temporis alicubi factus remissior, in formam sacris Canonibus conformiorem reduci, perque Constitutiones statui Sacerdotali sæculari proprias & saluberrimas conservari possit? Cumque deinceps aliquot ejusdem secum propositi Sacerdotes in Bojaria, & alibi reperisset, quorum corda Deus zelo disciplinæ Ecclesiasticæ excitaverat, & Divina Providentia ad vitam illam communem amplectendam stimulaverat, Tittmoningæ in Festo Divi Petri ad Vincula, prima hujus vitæ Clericalis fundamenta posuit, & per Constitutiones (postea, uti dicemus, à Sede Apostolica approbatas & confirmatas,) institutum in praxin feliciter redegit: cui operi & conatui paulatim Deus ita benedixit, ut, cùm laudatus Dei servus vocatus fuisset in Tyrolin ad S. Joannem in Leoggenthal, ibique non solum Parochi, verum etiam deinceps Decani munus piè obiret, multos alios socios in suam sententiam innocuo vitæ exemplo pertraxit: quorum laudabili vivendi modo motus Reverendissimus & Serenissimus Albertus Sigismundus Episcopus Frisingensis in hac Diœcesi Frisingensi non tantum iis plura beneficia contulit, verùm etiam unum ex iis, nempe Virum clarissimum jam supra laudatum D. Casparum Khünner, SS. Th. Licentiatum, antehac Collegiatæ Ecclesiæ S. Laurentii Tittmoningæ Decanum, Proepiscopum sibi delegit: qui postmodum in Episcopum Centuriensem consecratus, per unum ejusdem instituti Alumnum, sibi cohabitantem ad preces civium Frisingensium Rudimenta & Grammaticam per aliquot annos doceri voluit. Electus postea in Decanum Ecclesiæ Collegiatæ S. Viti, in excolenda hac Frisingensi vinea totus fuit.

Agnovit ex his Reverendissimus ac Serenissimus Princeps Albertus Sigismundus Instituti novi in suam Diœcesin introducti utilitatem, ac paulo post literis ad Summum Pontificem datis sequentia verba inseruit. *Nihil majori cura mihi fuit, quam ut eorum vita sit inculpata, qui in sortem Domini vocati, ejus probitatis esse tenentur, quæ non modo pusillos non offendat, sed omnes etiam ædificet. Præstiterunt id hactenus Clerici sæculares in commune viventes tanto zelo & fervore, ut nihil magis optandum esse videatur, quam sub tenui adhuc arbuscula latentes magnæ virtutis ramos in commune animarum bonum indies magis dilatari.* Hæc Pontifici Albertus Sigismundus.

Nec minorem ejusdem Instituti æstimationem habuit Reverendissimus ac Celsissimus Princeps noster Joannes Franciscus, quippe qui ejus vitæ Sodalibus non solum semper impense favit, verum etiam unum eorum, virum clarissimum D. Jo. Bernardum Krebs, Doctorem, à Secretis Consilii sui Ecclesiastici, ac postea etiam à Consiliis sibi esse voluit, ac insuper Canonicum S. Viti instituit.

Inter hæc Instituti utilitas non tantum in Diœcesi Frisingensi, sed etiam in aliis provinciis indies magis elucescebat: visumque est non paucis Magnatibus pro illius propagatione necessarium esse, ut ea vivendi norma à Summa Sede approbaretur. Certe Augustissimus Imperator Leopoldus, cum literis apud Pontificem ageret pro illius approbatione, facilè assensum impetravit, adeo ut Pontifex anno 1680. Institutum non solum ratum habuerit, verum etiam illud ipsum vicissim Cæsari, ac multis Ecclesiarum sacris Antistitibus commendaverit.

Elucet autem Instituti illius utilitas ex eo, quod Clerus ille Sæcularis, in communitate vivens paucioribus periculis sit expositus: per cohabitationem fraternam otium, ac frequentem cum Sæcularibus conversationem, ac Spiritus dissipationem proscribat, & bona Clericorum superflua, ceu patrimonium Christi, in pios ac debitos usus certius impendat: plura seminaria erigat, ac præterea pro Emeritis suis Sodalibus Domos construat: ex quo illud notabile commodum emergit, quod Patroni Ecclesiarum ab onere, ex *titulo*, ut vocant, *mensæ* contracto, plane liberentur: ipsi vero emeriti Sectatores instituti ad piam mortem sese in omni tranquillitate comparare possint. Ejus-

Ejusmodi Emeritorum Domum proprio suo ære Sodales illi Erdingæ construxerunt, ubi hactenus vivunt quatuor Sacerdotes Seniores, quibus Orphanotrophium supradictum illustrissima Fundatrix assentiente Celsissimo nostro commendavit. Cæterum Jurisdictioni Episcoporum institutum illud adeò nihil detrahit, ut, siquis Sodalium sese illi subducere vellet, eo ipso membrum instituti esse desineret.

Hæc de laudabili illo Instituto atque Orphanotrophio visum est hisce inserere.

§. XVII.

Acta anni Ecclesiæ Frisingensis millesimi, Christi 1724. usque ad Mensem Julium.

STatim ad initium anni nostri decies sæcularis, nempe die 16. Januarii, quæ erat Dominica prima post octavam Epiphaniæ, accidit, ut, cum ad conciliandum majorem decorem & uniformitatem è columna quadam Cathedralis Ecclesiæ lapis sepulchralis prægrandis à cæmentariis esset avulsus, columna ipsa, sustentandis deinceps fornicibus impar, paulatim subsidere inciperet: quod quidam equidem demùm adverterunt, alii tamen nullum exinde periculum imminere contenderunt. Inde factum est, ut nemo Principem ejus rei commoneret. Fuisse timendum ingens periculum, eventus docuit, quando die Dominica supradicta inter Missarum solemnia columna illa planè corruit, & superimpositam molem, nempe aliquam partem pergulæ, quæ Aulam precantem excipit, in ruinam traxit, duobus Sacellis, seu, ut vocant, Capellis, absque altarium tamen destructione, aut (quod stupendum) ullius hominis læsione oppressit. Superi! quantus mox in Urbe rumor percrebuit? quam inepta de eo casu fama in vicinos propagata fuit? Blaterabant aliqui, fieri non posse, ut usque ad destinatum festivitatis sæcularis tempus ruina illa sarciretur, columnæ, fornices, ac pergulæ repararentur, aut quadraturis, & picturis obducerentur. Verùm Deus optimus, qui nulli hominum, in Cathedrali Ecclesia præsentium, vel minimum damnum inferri passus est, longè mitiora consilia fovit, casu illo longè majora pericula avertit, imò perfectionem Cathedralis Ecclesiæ acceleravit. Inde enim factum est, ut penitiùs inspecta columnarum antiquarum parùm solida firmitate, curæ maximæ adhiberentur ad eas melius fulciendas. Prætetea medio illo hyemali tempore adeò serenam sine nivibus tempestatem idem Optimus Deus indulsit, ut columna, fornicesque longè firmiores breviculo temporis spatio construerentur, ac nulla prorsus mora exornandæ Ecclesiæ Cathedrali injiceretur: adeò quidem, ut multi viri prudentes censuerint, ex ea ruina factum esse, ut novus Ecclesiæ illius ornatus citius & alacrius ad omnimodam perfectionem perduceretur: id, quod omninò feliciter secutum est. Casus in Basilica Cathedrali.

Interim die 29. ejusdem Mensis Januarii Celsissimus Princeps noster Anno sui in Episcopum assumptione tricesimum ingressus fuit.

Die 7. Mensis Martii viam universæ carnis est ingressus Innocentius XIII. post cujus obitum die 29. Maji Cardinales, in varias partes antehac distracti, demum non tam humano ducti arbitrio, quam Divino afflati Numine, in Romanum Pontificem elegerunt Cardinalem Vincentium Mariam Ursinum, Archi-Episcopum Beneventanum, Ordinis Prædicatorum, natum Gravinæ die 2. Februarii Anni 1649. & in sacris undis dictum Petrum Franciscum: quod tamen nomen ingredienti sacrum Ordinem ex more mutatum fuit. Hic in Pontificatu Benedictus XIII. appellari voluit. Vicissitudo Romani Solii.

Eodem Anno Philippus V. Hispaniarum Rex, raro sanè exemplo, & miro rerum mundanarum contemptu, sceptrum Ludovico I. filio suo cessit: quod tamen Ac Sceptri Hispanici.

men ille nonnisi septem circiter mensium spatio tenuit, die 21. Mensis Augusti mundo ereptus, cum nondum ætatis annum decimum septimum explesset. Mortuo filio regni habenas rursus Philippus Pater gubernandas suscepit.

Progressus Historiæ Frisingensis.

Inter eas rerum vicissitudines Frisingæ Mense Martio, & quidem ipsa die Divo Benedicto sacra, imposita fuit ultima manus Tomo I. hujus nostræ Historiæ: quæ deinceps Typographo commissa fuit. Er quoniam ob temporis angustias, quæ Martium inter & Octobrem Menses intercessuræ erant, fieri neutiquam poterat, ut etiam Tomus II. in futura festivitate compareret, illa temporis intercapedo saltem suffectura videbatur, ut eandem Historiam nostram sermone vernaculo in compendium redigeremus, nec primos tantùm quingentos annos hnjus Episcopatus, sed etiam reliqnos quingentos complecteremur, & plebi exhiberemus. Neque defuit labori benignum Numen. Mense enim Septembri opusculum illud, Frisingensibus typis absolutum vidimus.

Varii Anni Jubilæi per Diœcesin.

Cum eodem anno ageretur dies decima tertia Aprilis, in quam Festum Cœnæ Dominicæ inciderat, Celsissimus Princeps consuetas sacras functiones in Parochiali D. Georgii Ecclesia obiit, ibidemque sacrnm Chrisma consecravit. Cathedralis enim Ecclesia ob reparationem solemnia illa non admisit; Divi verò Benedicti Ecclesia ad recitandas Horas Canonicas adhiberi solita fuit.

Cæterum eodem anno per hanc Diœcesin varia jubilæa festa fuêre celebrata. Reverendissimus D. Bernardus, Canonicorum Schechdorffensium Ordinis S. Augnstini Præpositus, qui anno 1717. post qninquaginta Sacræ Religionis annos vota solemnia publicè renovaverat, & post decem sacerdotii lustra Anno 1722. jubilæus Sacerdos ad aram steterat, hoc anno 1724. post quinquaginta Præpositura suæ annos festivitatem insignem, urgentibus suorum precibus, instituit, Supremoque Numini solemnes gratias dixit. Tölzii RR. PP. Reformati Ordinis S. Francisci centesimum à condito suo Monasterio annum verno tempore festivè peregerunt. Eodem tempore R. D. Casparus Kayn, qui Anno 1674. die 24. Martii unà cum Celsissimo Principe nostro in Ecclesia S. Benedicti Sacerdos ordinatus fuerat, sacras suas Primitias Monachii repetiit Jubilæus sacerdos. Patres quoqne Eremitæ S. Augustini post impetratam ab Hammerthalliis Tegernseensibus B. M. V. Statuam, prodigiis illustrem, numerârunt annos centum, atque ideò æstivo tempore festivitatem singularem instituerunt, Deoque ac Deiparæ solemnes gratias persolverunt. Ita annus ille verè dici poterat Jubilæus: qni tamen Frisingensi Urbi longè majorem jubilum adhuc allaturus erat.

Nova turma equestris è civibus Frisingensibus.

Eo tempore agente Illustr. D. Francisco Antonio Barone de Waldkirchen, in Schollenberg & Reithe, Serenissimi Electoris Bavariæ Camerario, Cels. Principis nostri Aulæ & Cameræ Consiliario, hujus Urbis & viciniæ Præfecto &c. turma equestris civium egregio accessu aucta est, singnliqne gregariorum novo ac per omnia consimili corporis cultu, impensis sanè non levibus, magnificè resplenduerunt, idque tum ad condecorandam imminentem festivitatem sæcularem, tum ad exornandam imposterum eam solennitatem, quæ in Festo Corporis Christi quotannis solet institui.

Placuit Celsissimo Principi ardor ille & alacritas civinm suorum; qui proinde pretiosum vexillum, è tela Damascena cocco-bombycina, inauratis floribus, & Insignibus suis magno artificio distincta, fieri curavit, ac turmæ illi equestri dono destinavit, sacrisque postea cæremoniis initiatum iisdem ritu solenni consignavit.

Completur annus quinquagesimus Sacerdotii Joannis Francisci.

In superioribus recensuimus, Celsissimum Antistitem nostrum, jam Anno Christi 1674. Presbyterii charactere insignitum, ex superveniente infirmitate impeditum, nonnisi post trimestre, nempe die 25. Junii primum Deo Sacrificium Eucharistieum ad aram Marianam Ettalensem litâsse. Itaqne recurrente eadem ejusdem mensis die hujus 1724. anni agebatur completus annus quinquagesimus, & die 25. Junii ejus rei memoria agenda erat.

Id

Id tamen palàm instituere nolebat optimus Princeps, sed festivitatem publicam ad Kalendas Octobris differebat. Placuit tamen eidem Celsissimo, recurrente die illa in hypogæo Cathedralis Ecclesiæ ad aram illius majorem, ceu totius Diœcesis antiquissimam, coram simulachro Imaginis Ettalensis sacrificium peragere, atque Deo quasi in abstruso loco, debitas gratias pro tam diuturna sui conservatione devotissimè persolvere. Verùm propositum illud non poterat à Frisingensibus ignorari, cum dudum rumor invaluisset, ac fama prodidisset, diem 25. Junii esse verè quinquagies anniversariam primi sacrificii incruenti, Deo olim ab Eodem oblati. Itaque cum ea die ex Aula hac sua in Cathedralem Ecclesiam sese conferret quinquagenarius noster Sacerdos, ingens Nobilium numerus Eundem excepit, & ad supradictum hypogæum lætè comitatus est. Ingressuro hypogæum occurrit Reverendissimum & Illustrissimum Cathedrale Collegium, atque officiosissima humanitate Eundem ad aram perduxit. Aderant ibidem Capellani Aulici omnes, etiam ii, qui jam antehac eo officio functi fuerant, parati suum ministerium Jubilæo Sacerdoti obsequiosissimè deferre. Concursus populi insuper erat valde numerosus, ita, ut, quod quasi remotis arbitris peragere cupiebat Celsissimus, ferè nemo ignoraret. Itaque sacris indumentis (non tamen Pontificiis) assumptis Reverendissimus Antistes noster sacris operari cœpit, cui sæpius memoratus Reverendissimus ac Illustrissimus D. Nepos Maximilianus Franciscus Dominicus Baro Eckher &c. ceu Presbyter Assistens primarium ministerium exhibuit. Nemo interim jusserat, ut Frisingensis Musica Aulica sacrificio illi interstreperet. Verum neutiquam defuêre partibus suis devotissimi phonasci cæterique Musici, sed humillimo erga clementissimum Jubilæum affectui abunde atque festivissimè indulserunt, quamvis ipse Celsissimus cantum neutiquam adhibuerit. Finito eum in modum sacrificio placuit Principi etiam alteri Missæ, quam mox laudatus Reverendissimus & Illustriss. D. Nepos subjunxerat, interesse, atque Divinæ Bonitati ampliores gratias devotissimo corde persolvere. Cum illud quoque Sacrificium fuisset absolutum, tandem ex hypogæo redux Celsissimus Jubilæus, vellet, nollet, admittere debuit applaudentium Reverendissimorum & Illustrissimorum DD. Canonicorum, Ministrorum Aulicorum aliorumque Nobilium, & Clericorum sincerissimas atque humillimas congratulationes: quas etiam clementissimè admisit, ac postea in convivio lautissimo amplissimoque novam applaudendi occasionem præbuit. Verùm hæc non erant nisi præludia secuturæ maximæ festivitatis, quæ ad Kalendas Octobris translata fuit.

Consilium secretum Episcopi fit publicum.

Applausus.

§. XVIII.

Acta ejusdem Anni Mensibus Julio & Augusto.

AD Mensis Julii initium, nempe die illius sexta, ex mandato Serenissimi ac potentissimi Ducis Electoris Maximiliani Emmanuelis Monachii feliciter fusum est æs campanum, ad centies centenarium pondus ascendens, quod Electoralis sua Serenitas destinavit Cathedrali Frisingensi Ecclesiæ, millesimum ab ortu suo annum paulo post celebraturæ. In ejus parte una superius leguntur hæc verba:

Campana major funditur Monachii.

I. N. R. I. miserere nobis.
Fuderunt J. M. Langenegger, & A. B.
Ernst. Monachii. M DCC XXIV.

Inferius verò:

Deo ter Opt. Max.
Immaculatæ Virgini Deiparæ
Mariæ, Patronæ Diœceseos.
S. Corbiniano Episcopo,
Cæterisque Tutelaribus Frisingensis
Ecclesiæ Jubilææ D. D. dedicat
Serenissimus Elector, Utriusque Bavariæ
Dux Maximilianus Emmanuel
Anno Christi M DCC XXIV.

Ex altera verò parte:

Consecrat Reverendissimus & Celsissimus Joannes Franciscus, Episcopus Frisingensis, S. R. I. Princeps, Anno Sacerdotii sui L. Regiminis XXX. Ecclesiæ suæ Sponsæ M.

Celsissimus portionem ex ossibus S. Bonifacii accipit. Inter hæc, cum sæpe sæpiùs considerasset eruditissimus & accuratissimus Princeps noster, Frisingensem hunc Episcopatum Authoritate Sedis Apostolicæ fuisse rum institutum tnm confirmatum à Sancto illo Germaniæ Apostolo Bonifacio nostro, veluti in Tomo I. Historiæ nostræ satè deduximus, mirum in eo desiderium exarsit obtinendi aliquid de Sacris Ejus Reliquiis. Et ecce! fuit eo ipso tempore è nostris Vir insignis, Ducalis Monasterii nostri Fuldensis Professus Capitularis, qui ultrò, nec rogatus, viam aperuit, qua aliqua ejus sacri thesauri portio obtineri posset. Itaque Celsissimus Princeps noster, ea occasione utendum ratus, mox literas dedit ad Reverendissimum & Celsissimum S. R. I. Principem Constantinum, Sanctæ Fuldensis Ecclesiæ Abbatem, Augustissimæ Romanorum Imperatricis Archi-Cancellarium, per Germaniam Galliamque Primatem, & partem aliquam sacrorum illorum lipsanorum sibi benignè donari petiit. Neque defuit petitioni Fuldensis Princeps, sed paulò post notabilem partem ex Divi Bonifacii sacris ossibus cum authentico testimonio Frisingam misit, quæ die octavo hujus mensis Julii huc delata, & cum ingenti solatio à Celsissimo nostro excepta: ac deinceps Aræ maximæ Cathedralis Ecclesiæ pretioso opere inserta fuit. Ut gratas vices Celsissimo Fuldensi rependeret Episcopus noster, paulò post aliquid ex ossibus Sanctorum Corbiniani & Nonnosi Fuldam transmisit.

Eventus mirabilis Frisingæ. Die 28. Julii cum prima turris hujus Cathedralis Ecclesiæ, quæ hactenus non nisi tegulis lateritiis operta fuerat, deinceps laminis cupreis tegenda esset, matutino quidem tempore globus cupreus deauratus (qui plus quàm duas scaphas Monacenses frumenti capiebat) summo turris fastigio impositus fuit: tempore verò pomeridiano globo illi crux ingens, itidem cuprea deaurata feliciter fuit superimposita. Antonius Paur vocabatur faber ille lignarius, qui arduum illum, periculoque plenum laborem in se suscepit. Hic re ex animi sententia peracta, à nemine monitus, cum adhuc summitati scalæ insisteret, porrigi sibi voluit vitrum, dimidiam mensuram Monacensem æquans, quod is prius Zytho impleverat. Accepto vitro rursus petiit Sclopum, quali equites catapultarii uti solent, quem antehac pulvere nitrato farserat. Tum vitrum quasi spectatoribus propinaturus elata voce clamavit: *Clementissimus meus Dominus vivat!* Et cum eo dicto poculum suum exhausit, moxque sclopum cum fragore exoneravit. Projecerat autem à se vasculum illud vitreum, quanta vi poterat, in liberam auram: cum ecce! Aëris beneficio interceptum, ac leniter per auras descendens humi tandem ita procubuit, ut nulla prorsus sui parte læsum appareret, quamvis omni sui parte esset perquam subtile, & fragile. Id cum Spectatores comperissent, ingens applausus omnium Celsissimo Principi optima quæque è casu illo felici ominantium secutus est. Vitrum illud pror-

prorsus illæsum postea oblatum est Celsissimo Principi: cui deinceps manu artificiosa fuere ex una parte incisa ipsius Celsissimi Insignia: ex altera vero parte hæc quasi loquentis, & felicitatem suam læte sibi gratulantis vitrei vasculi verba:

Vivat
Joannes Franciscus!
In Cujus Sanitatem bibens
cùm me,
Vitrum fragile,
E Summitate turris præcipitasset,
Integrum mansi, & sanum.
Anno MDCCXXIV. V. Kal. Aug.

Vitreus ille scyphus hodie in ejus rei memoriam thecæ ligneæ inclusus cautè asservatur, & aliquando familiarioribus personis exhibetur, aut etiam, Germanorum more, exhauriendus traditur.

Æs illud campanum, seu campana ingens, de qua supra mentionem ingessimus, die 18. mensis Augusti Monachio equis Electoralibus, occurrente obviam magna Frisingensis populi frequentia in hanc urbem advecta fuit: cui Celsissimus Antistes noster die 29. ejusdem mensis horis matutinis benedictionem Episcopalem adhibuit: quo facto eam mox viri quasi trecenti, dirigentibus ejusdem fusoribus DD. Joanne Matthia Langenegger, & Antonio Benedicto Ernst in altum sustulere, ubi in turrim, quæ Basilicam Cathedralem ingredientibus ad dexteram occurrit, dexterrimè illata fuit.

Eodem mense Augusto fuere à Celsissimo delecti Oratores hujus Diœcesis præcipui, qui infra octiduum festivitatis sæcularis Frisingensis in hac Cathedrali Basilica ad populum verba facerent. Quod cum honorem aliqui non potuerint admittere, nulla culpa erat penes Celsissimum, qui in faciendis invitationibus omni providentissima prudentia clementissimè usus est, novisque iis, qui sese excusaverant, alios substituere. Cæterum cum viri illi facundissimi petiissent sibi materiam ex recenti nostra Historia, Germanico Idiomate scripta, sed nondum plenè è prælo eluctata, suppeditari, votis eorum, quantum quidem erat in viribus nostris, diligenter ac fideliter satisfacere conati sumus. *Invitantur Panegyristæ ad annum Sæcularem condecorandum.*

Eodem tempore Celsissimus Princeps noster pro memoria futuræ festivitatis æternitati consecranda cudi jussit monetam auream duplicem. Prima habet valorem duodecim Aureorum per Germaniam communium: altera verò duos aureos æquat. In earum prima ex una parte in quadratura comparet S. Corbinianus cum Insignibus tum Episcopatus, tum Reverendissimi Collegii Cathedralis consuetis, ponè inserta sunt hæc verba: *S. Corbinianus, I. Fundator. I. Episcopus. I. Patronus.* In rotunditate verò circuli: *Jo. Franciscus Restaurator Ecclesiæ: Pastor Ovium: P. Pauperum.* In altera parte rursus in aliqua quadratura cernitur Deipara cum alis Apocalypticis, prout ea in ara maxima hujus Cathedralis Ecclesiæ spectatur. Prope eam figuram habentur Insignia tum Episcopatus, tum illustrissimæ Familiæ Eckherianæ. Inscriptio ejus quadraturæ sic habet: *Sub umbra aliarum tuarum.* In rotunditate: *Sacerdotii L. Regiminis XXX. anno Christi MDCCXXIV.* *Cuditur Moneta memorialis duplex.*

Altera moneta aurea ex una parte exhibet effigiem Divi Corbiniani Pallio conspicui cum Urso. Inscriptio. *S. Corbinianus.* in parte vero altera exprimuntur consueta Insignia Celsissimi nostri, sub quibus notatur: *Post mille:* in rotunditate verò legitur: *Jo. Franc. D. G. Episc. Fris. S. R. J. Princeps* 1724.

§. XIX.

§. XIX.

Acta mensis Septembris: ubi descriptio Ecclesiæ Cathedralis recens reparatæ.

IPsis Kalendis Septembris cum major illa campana sub directione sæpius laudatorum Artificum intra turrim in contignatione fuisset suspensa probè librata, & pistillo ferreo instructa, jussu Celsissimi primò pulsata fuit, & clangore suo ingenti non urbem tantum, sed & viciniam totam maximo gaudio affecit. Ejus sonus solet ad aliquot horarum spatium propagari & audiri. Cum enim Ecclesia Cathedralis in monte sit posita, turresque adhuc longè altius assurgant, nullum occurrit impedimentum, quo minus bombos suos per liberam auram longe lateque diffundat. Hæc, ut diximus, Kalendis Septembribus gesta fuere.

Festivitas Neocellæ. Die 17. ejusdem mensis, quæ erat Dominica, magnifico triumpho in Ecclesiam vicini inclyti Neocellensis Monasterii illata fuere sacra Corpora Sanctorum Ascanii & Ascaniæ martyrum. Quocirca permissu Clementissimi Principis in hac Urbe ea die nemo Concionatorum cathedram conscendit, sed universa festivitas Neo-cellæ peracta fuit. Summum Officium ibi ritu Pontificio decantavit invitatus Reverendissimus D. Ildephonsus, Weihenstephanensium Abbas. Celsissimus Princeps noster eo tempore absens in castro suo Ottenburgensi morabatur, quo illum aliqua negotia evocaverant. Redux die 18 Septembris Tomum I. Historiæ nostræ, latinè conscriptæ, à nobis clementissimè acceptavit. Exemplaria alia deinceps temporis successu inter Reverendissimos & Illustrifs. DD. Canonicos, & Aulæ Ministros fuere distributa, & ad alias quoque Aulas ac loca transmissa.

Inter hæc peritissimi illi Artifices Cosmas & Ægidius Asam laboribus suis in exornanda hac Cathedrali Basilica felicem coronidem cum ingenti omnium admiratione ac laude sua immortali imposuerunt. Certè quotquot ferè alienigenæ Frisingam veniunt, liberè fatentur, se nullibi conspexisse aliquam Ecclesiam, quæ bellissima amœnitate, picturarum venustissimè in oculos incurrentium multitudine, ac gypseorum operum mira varietate Frisingensem aut superet, aut æquet. Juvat Lectori saltem rudem aliquam descriptionem Cathedralis illius Ecclesiæ, qualis nunc est, exhibere: rudem, inquam, descriptionem. Cum enim artefactis noviter inventis, qualia magno numero in hodierna Cathedrali Ecclesia visuntur, latina aliqua propria vocabula non reperiam, aut, si (dum fortè alicubi aliqua reperi) ea adhiberem, me tam abstruse scribentem fortassis paucissimi perciperent. Porrò donec vocabula Germanica & Italica ejusmodi novorum artefactorum vera ac propria latinitate donentur, multo tempore expectandum erit. Itaque usitatis tantum vocabulis rem succinctè explicare, quantum quidem à nobis fieri potest, conabimur.

Descriptio Ecclesiæ Cathedralis hodiernæ. Ecclesia itaque Frisingensis Cathedralis dispescitur in fornices septem, totidemque subjectas areas, seu ambulacra. Inter hos fornices principem locum obtinet, qui est medius, & cæteris longè amplior sublimiorque, innixus columnis structilibus majoribus ac principalibus, longa serie dispositis. Ab his columnis ex utraque parte versus utrumque Ecclesiæ latus aliquot cubitis distantes cernuntur aliæ duæ columnarum minorum series, quæ unà cum columnis majoribus rursus duos fornices minores sustentant, & spatio intermedio aream præbent, qua Sacerdotes sacrificaturi ad aras laterales seu inferiores procedunt, & fideles sacris interesse cupientes amplum locum obtinent. Porrò post columnas illas minores utrobique adhuc usque ad murum protenditur aliud novum spacium, à cancellis usque

usque ad murum, ubi prædictæ aræ laterales ipsi muro sunt contiguæ & affixæ. Ipsæ aræ & areæ illæ teguntur novis duobus fornicibus, qui à columnis minoribus ex una, ex altera vero parte à muris sustentantur. Ita universum pavimentum Basilicæ habet quatuor series columnarum, & areas seu ambulacra quinque; totidemque fornices: majorem nempe, & quatuor minores. E pavimento illo inferiori utrinque per scalas duas, post aliquot gradus areolis interceptas, ascenditur ad alia duo ambulacra superiora, dictis inferioribus fornicibus superstructa, quorum illud, quod templum ingredientibus ad sinistram occurrit, aulam sive orantem, aut concionibus audiendis intentam excipit: alterum ad dexteram etiam plebejos admittit. Ipsa duo ambulacra superiora rursus teguntur novis duobus fornicibus, ita ut, velut diximus, universa Basilica fornices omnino septem numerer: quibus si fornicem propylæi adjunxeris, octo fornices recensebis. Omnes hi fornices, muri atque columnæ à mense Augusto Anni 1723. usque ad mensem Septembrem Anni 1724. pulcherrimis picturarum & gypseorum operum ornamentis fuere vestitæ. Hæc præmittenda videbantur. Nunc egrediamur è Basilica, statim reversuri, & omnia per ordinem contemplaturi.

Ante propylæum supra portam exteriorem, è porphyretico seu variis coloribus conspicuo marmore constructam, in oculos incurrit Statua Divi Corbiniani ex marmore pario, seu candido, jussu Reverendissimi & Serenissimi Principis & Episcopi Alberti Sigismundi sculpta cum duobus ejusdem materiæ geniis, supra portæ alas considentibus. In muro supra statuam assurgente & arcuatim desinente in columbæ figura designatur Spiritus Sanctus, seu totius luminis Christiani verum principium. Ponè consistunt duæ turres grandes, quarum universos muros inductis coloribus pictores distinxerunt, & ingenii sui inventionibus exornare studuerunt.

His perfunctoriè consideratis ingredimur propylæum Cathedralis Ecclesiæ, in quo duæ columnæ, ex lapidibus lateritiis opere cæmentitio in medio constructæ fornicem sustentant, & in tria spatia dispescunt. Medio inter columnas loco celeberrimus artifex D. Cosmas Asam Patriarcham Abrahamum: in dextera ingredientium parte Isaacum: ad sinistram Jacobum depinxit, ut hisce figuris indicarentur tres virtutes Theologicæ: & in Abrahamo, quem Scriptura *Patrem fidei* appellat, Fides: in Isaaco, Redemptoris nostri Symbolo, Spes: in Jacobo, amoris figura, Charitas reluceret: quæ videlicet virtutes templum ingressuris præprimis sunt necessariæ. Supra portam interiorem leguntur hæc verba: *Hæc est Domus Domini*: ut intrantes commoneantur, cum quonam Domino in sacra illa æde negotium sint habituri. Ad ejus inscriptionis partem dexteram cernitur parva, & coæva Statua Friderici Barbarossæ Romanorum Imperatoris, quippe qui ad restaurationem Cathedralis hujus Ecclesiæ post incendium, quod Anno Christi 1159. evenerat, liberalissimam opem contulit. Ponè comparet adstans Albertus, eo nomine inter hujus Ecclesiæ Antistites primus, ordine vero vicesimus tertius, cujus precibus exoratus idem Imperator adeo sese liberalem exhibuit.

Ex altera verò parte similis statua exhibet Friderici Augustam conjugem Beatricem, Burgundiæ Comitissam, quæ itidem ad novum Cathedralis Ecclesiæ ædificium è suo ærario notabilem summam contribuit, ac præterea pretiosissima donaria eidem Ecclesiæ obtulit, uti suo loco latè recensuimus, ac portam illam universam unà cum Regiis illis muneribus æri incisam exhibuimus. Tom. I. pag. 356.

Porrò progredientibus in ipsam Basilicam ex utraque parte spectabiles sese offerunt supra fornices inferiores viginti artificiosæ picturæ, gypso scitissimè marginatæ, singulæ duobus geniis elegantissimè stipatæ, quæ potissima Divi Corbiniani in terris facta vitamque ac mortem repræsentant. Inscriptiones in gratiam spectatorum additæ fuere sequentes, auro expressæ. I. *S. Corbinianus prædicat in Cellula.* II. *Silentio vinum effervescens servat.* III. *Precando mulam recuperat.* IV. *A Prorege imploratur.* V. *Mitra & Pallio exornatur.* VI. *Latronem prodigiosè tuetur.*

tuetur. VII. *Ursum cicurat.* VIII. *A Luitprando Rege excipitur.* IX. *Pisces prodigiis obtinet.* X. *Episcopi munus prosequi jubetur.* Et hæ quidem picturæ ad ingredientium finistram usque ad chorum occurrunt. A choro deinde ex altera parte simillima serie cernuntur aliæ decem, cum inscriptionibus sequentibus. XI. *Comes Ticini punitur.* XII. *Majis Frisingam venire compellitur.* XIII. *Grimoaldum & Pilitrudem absolvit.* XIV. *Ecclesia S. Stephani cælitus splendescit.* XV. *Fontem suscitat.* XVI. *Veneficam depalmat.* XVII. *Sanctè defungitur.* XVIII. *Frisinga Majas transfertur.* XIX. *Majis incorruptus reportatur.* XX. *Frisinga festivè recipitur.* Atque has inscriptiones esse breve ac genuinum Vitæ Divi Corbiniani compendium, ex iis facilè intelliget Lector, quæ in Tomo I. latè deduximus. Id unum adhuc monemus, superius prope supremum fornicem his picturis omnibus respondere totidem depicta Symbola, ad res gestas, & inferius penicillo expressas, commodè alludentia.

In distributione aliarum tum picturarum, tum gypseorum operum apparuit, decem areolas in supremitate præcipuarum columnarum manere vacuas: quas idcirco aut pictura, aut aliqua inscriptione explere necessarium erat. Picturarum multitudo futura erat nimia. Itaque in decem illis areolis placuit exprimere decem Sæcula Frisingensis Ecclesiæ, & in prima quidem ponere hæc verba, auro itidem expressa. *Sæculum I. Ecclesia Cathedralis fundatur.* In secunda. *Sæculum II. A fidelibus dotatur.* In tertia. *Sæculum III. Inter ignes servatur.* In quarta. *Sæcul. IV. Fortunis locupletatur.* In quinta. *Sæcul. V. Scientiis eminet.* In sexta. *Sæcul. VI. Laudes Divinas exauget.* In septima. *Sæcul. VII. Cælitus propugnatur.* In octava. *Sæculum VIII. Hæreses arcet.* In Nona. *Sæcul. IX. Fidem servat.* In decima. *Sæcul. X. Festivitatis splendore illustratur.* Quibus pauculis verbis rursus exprimere conati sumus brevissimum totius Frisingensis Historiæ compendium: quod attentus Lector facilè animadvertet.

His ita consideratis pergimus ad sacrum odæum, ubi Divinum Officium quotidie peragitur. Ibi ex utraque parte conspicimus duas subselliorum series, unam inferiorem, Clericis, hujus Ecclesiæ Ministris, destinatam: alteram altiorem, à Reverendissimis & Illustriss. DD. Canonicis occupari solitam. Distinctæ Sedes eorundem DD. Canonicorum numerantur triginta duæ. Supra earum singulas cernitur antiqua manu sculptus unus Episcopus Frisingensis, ita, ut in prima compareat S. Corbinianus: in secunda Erimbertus: in tertia Josephus; & sic cæteri per ordinem usque ad Joannem I. qui fuit inter Frisingenses Episcopos ordine tricesimus secundus. Iis omnibus sua nomina & ordo adjiciuntur. Reliqui verò Episcopi omnes, qui locum ibi non habebant, retrò summam aram jussu Celsissimi Joannis Francisci visuntur coloribus expressi, facto singulorum aliquo insigni appicto.

Porrò pars superior ipsorum subselliorum, albo colore illitorum, constat ex floribus sculptis, multo auro splendentibus: ut adeo nemo sit, qui ex aspectu sacri illius Odæi non capiat animi voluptatem planè singularem.

Præcipuum verò Cathedralis Ecclesiæ ornamentum est Ara maxima, ex quatuor columnis ingentibus, cæterisque partibus solitis splendidissimè inauratis, ac maximo artificio sculptis constans, cujus latera præter varios genios stipant duæ Statuæ ingentes Divorum Patronorum Corbiniani ac Sigismundi, itidem faberrimè elaboratæ. Nihil vero in ea nobilius reperiri potest, quàm Mulier Apocalyptica, Draconis Septicipitis furori filium suum Divina virtute subtrahens, à celebratissimo Rubensio picta, qui grandem illam iconem appellare solebat suarum picturarum *Reginam.* Et cum hæc omnia maximam omnibus admirationem pariant, semperque pepererint, grandem tamen Majestatem aræ illi conciliat velamen novum ingens, à summo fornice ex utraque parte alas suas, quas genii varii expansas tenent, demittens, auro aliisque figuris pulcherrimis verè spectabilissimum. Illud duo Asami nostri jussu Celsissimi Principis miro artificio perfecere.

Dein-

Deinceps oculi in sublime sunt attollendi. Ibi in summo fornice supra ac prope majus Altare conspicimus picturam ingentem, gypseis scutis, floribus, aliisque id genus lemniscis marginatam. Exhibet iconismus ille viginti quatuor Seniores Apocalypticos, adorantes Divinum Agnum, ceu Symbolum ac typum Eucharistici Numinis, quod in ipsa Ara majori quotidie à fidelibus adoratur, & incruento Sacrificio immolatur. Sequitur in eodem fornice alia pictura prægrandis, qua idem celeberrimus pictor oculos intuentium egregiè fallit, dum fornicem aliàs sibi ubique æqualem artificiosissimè ducto penicillo attollit, & in tholum (quem *Cupolam* vulgus appellat) transformat, omnibus, quæ ibi conspiciuntur, in opacum & in unum punctum ab obtutu reductis. Comparet in eo tholo super quatuor columnas Cœli Regina, ceu Cathedralis Ecclesiæ Domina, in throno consident, ac Divinam prolem manibus gestans, infra quam variæ virtutes ac genii depicti cernuntur. Ad marginem ejus picturæ in tribus scutis leguntur hæc verba. *Anno à partu Virginis MDCCXXIV. Cathedralis Ecclesia M. Sacerdotii Joannis Francisci Episcopi S. R. I. Principis L.* subaudi, Lector: quo Cathedralis Ecclesia tam magnificè renovata fuit.

Progredientibus oculis ulterius in summo fornice se ingerit tertia pictura, itidem ingens, in qua in bellissimo tapere exprimuntur omnia omnium Episcoporum Frisingensium Insignia, & inter hæc tres virtutes Theologicæ, Fides, Spes, & Charitas. Fides Altissimo adolet incensum, ex multis ardentibus cordibus, quæ Charitas pulcherrimâ phialâ sustinet, prorumpens. Ad ejus latus anchoræ innititur Spes vernans, quæ penes se habet Æthiopem & Ursum, nempe hujus Episcopatus & Urbis Insignia. Prope Charitatis simulacrum picta conspiciuntur Insignia Celsissimi Principis, ex renovatione Basilicæ æternitati consecrata. Inferiùs exprimuntur Insignia omnium Reverendissimorum DD. Canonicorum, qui eo Anno in vivis supererant: His omnibus indicare voluit pictor, Frisingensem Ecclesiam, ex tribus illis Virtutibus mille annis conservatam, quæ à Religione, à S. Corbiniano introducta nunquam deflexit, speratque, se etiam imposterum servatum iri.

Quartum locum occupat figura omnium maxima, in qua omnes Sancti hujus Ecclesiæ Patroni coram Divina Majestate cum magna gloria inter Angelos comparent. Divinus Pater in nube lucida se demittit. Ad alteram partem conspicitur Divinus filius, coronam auream Divo Corbiniano imponens. Eidem Divo Corbiniano Divus Sigismundus sceptrum suum regium offert. S. Nonnosus eidem præsentat ramum olivæ: similesque honores. Divi Alexander, Justinus & Lantpertus Corbiniano deferunt, eundemque venerantur ceu authorem ac Patronum hujus Cathedralis Ecclesiæ, pro qua etiam sua patrocinia conjungunt.

Quinta pictura, ovalâ figurâ formata, exhibet virtutes alias Divi Corbiniani, nempe prudentiam, Religionem, amorem ovium: Amorem Marianum, ac zelum in puniendo. Prima harum sustinet solem Christianæ doctrinæ, ex quo Religio per speculum ustorium tum fidelium corda illustrat, tum ad amorem Dei accendit. Amor ovium pastorali pedo eas ad saluberrima pascua ducit, Marianus amor devotionem firmat, zelus in puniendo, flagello atque calcari hæreses, Magiam, & Simoniam in orcum præcipitat: quod Apelles noster tam scitè effinxit, ut nemo sine stupore contemplari possit. Et harum quidem quinque ingentium & pulcherrimis fasciis distinctarum picturarum inventio ipsius potissimum Pictoris ingenio debetur. Nunc in duo superiora Cathedralis Ecclesiæ ambulacra ascendimus.

In primi fornice eodem penicillo depictam cernimus primò Virginem ab Angelo salutatam: secundò, Christi Nativitatem: tertiò Adorationem Magorum: quæ picturæ iterum venustissimis marginibus ambiuntur. In parte illius ambulacri anteriori stet ara eorundem Sanctorum Regulorum honoribus sacra. In alterius ambulacri fornice obtutui se primò infert depictus S. Sigismundus velut liberalissimus eleemosynarius. Secundò Corpus ejusdem S. Regis è puteo, in

quem projectum fuerat, rursus eductum. Tertiò sepulchrum & gloria ejusdem Sancti, unà cum prodigiis quibusdam ad ejusdem intercessionem patratis. Denique in anteriori parte ejusdem Divi ara extat: ubi etiam cernitur planta pedis, pag. 356. à Rustici reliquo pede in pœnam peccati avulsa, de qua re in Tomo I. egimus.

Porrò in fornice inferiorum ambulactorum rursus permultæ cernuntur pictæ effigies Sanctorum illorum Patronorum, qui intra cancellos in atis coluntur. Aræ ipsæ continent picturas eorundem Patronorum artificiosissimas, & ad gustum atque admirationem peritorum à variis pictoribus celeberrimi nominis formatas. Verùm plura silentio præterimus, & hic sistimus narrationem nostram, ne Lectori fastidium pariamus.

Miraculum in Dorffen. Juvat hic exprimere mirabile & fortè inauditum beneficium, quod quædam Maria Holznerin Uttendorffensis, ditionis Salisburgensis, à Thaumaturga Deipara Dorffæ, Frisingensis Diœcesis oppido, sæpius hactenus laudato, eo tempore accepit.

Virgo illa multis annis acutissimos capitis dolores passa fuerat, malumque illud omnem archiatrorum opem eluserat. Doloris acerbitas tum in alias corporis partes, tum maximè in unum fœdè intumescentem oculum adeò desæviit, ut nemo dubitaret, quin oculorum usu misera sit omninò destituenda. Certè tam horribilis erat ipsius Virginis aspectus, ut tandem in publicum prodire non permitteretur. Itaque cum de omni ope humana planè desperatum esset, Dorffam sese devotè contulit, & ad Matrem thaumaturgam confugit. Neque verò statim auxilium consecuta est, sed placuit cœlo, ut pluribus precibus Regina cœlorum pulsaretur. Itaque ægrota monita fuit, ut ex lampade, coram Deiparæ Statua ardente, oleum sibi posceret, quo cranium suum, caputque identidem liniret, plenâ fiduciâ in consolatricem afflictorum collocata de certa liberatione à tanto malo. Secuta est consilium pia Virgo, & domi oleo illo sæpiùs cranium, atrocissimi doloris sedem, inunxit. Attende, Lector, quem fructum ægrotissima Virgo retulerit? Cranium, mirabiliter à latente verme exesum, sed toties oleo illo delibutum, ab alio noviter succrescente cranio sursum efferri cœpit adeò, ut tandem misera Virgo illud propria manu à capite avulserit, novoque cranio locum fecerit, omni deinceps fœditate ac dolore, nemine non obstupescente, liberata. Suum illud antiquum cranium postea gratissimo animo Dorffam retulit, & aræ primariæ beatissimæ Virginis læta imposuit. Salisburgensis Curia, à Frisingensi Interpellata, in rei veritatem exactissimè deinceps inquisivit, testiumque juratorum examen adhibuit, qui omnes uno ore factum illud mirabile Deiparæ patrocinio in acceptis esse referendum edixere. Idipsum celebratissimi Medici fecere testatum. Ego, dum hæc scribo, non solum præ manibus & oculis habeo Autographum Protocolli, literasque Salisburgensis Consilii Ecclesiastici, Frisingam die 19. Septembris 1724. datas, verùm etiam ipsum illud antiquum cranium, quod nemo absque horrore quodam aspicere potest. Eant nunc Acatholici, & miracula Sanctis denegare pergant. Certè demonstrabunt, se non equidem cranio, sed veriùs cerebro malè constituto laborare. Cultum & invocationem Sanctorum appellare solent idololatriam. O felix idololatria, quæ à Deo tam stupendum prodigium promerita fuit!

Committere interim non possum, ut reticeam hic pia studia aliorum, qui Celsissimi Principis vestigiis in exornanda Cathedrali Ecclesia hoc ipso tempore insistere conati sunt.

Inter hos uti dignitate, ita etiam munificentia proximum Celsissimo veneramur Reverendissimum & Excellentissimum D. Proepiscopum, ejusdem Basilicæ Cathedralis Præpositum, Vicarium Generalem &c. Joannem Sigismundum Zellerum, Baronem ab & in Leiberstorff, &c. Hic jam præteritis annis Aras tres, nempe Divi Corbiniani, Divi Nonnosi, Divique Maximiliani in hypogæo Cathedralis

dralis Ecclesiæ suo ære erexerat: ac præterea multa alia ipsi Cathedrali Ecclesiæ ornamenta dono dederat, fundationem insuper verè piam fecerat pro certis sacerdotibus, qui quotidie inter sacras orationes obirent tumulos Ecclesiæ Cathedralis, peristylii, & Ecclesiæ S. Benedicti, & aspersione aquæ benedictæ piis manibus bene precarentur. Porrò iminente sacra illa festivitate millenaria idem largissimus benefactor, in Deiparæ honorem, insignem statuam argenteam, summo artificio elaboratam, multisque florenorum millibus constantem, aræ summæ imposuit, eidemque novum & ingentem splendorem adjecit, Vir jam aliàs literato Orbi à suis *Consiliis*, typo commissis, dudum notissimus.

Cathedrale quoque Collegium partibus suis neutiquam defuit, & universa Chori subsellia pretiosis tapetibus magno suo ære magnificè obduxit.

Horum exemplum munificè imitatus est Reverendissimus ac Perillustr. D. Joannes Baptista Ignatius à Pfistern in Burschenheim, SS. Th. D. Cathedr. Ecclesiæ Canonicus, Officialis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis in Monte Præpositus, qui aram primariam mox dictæ suæ Ecclesiæ adhibitâ præcipuorum artificum ac maxime D. Amiconii Itali operâ, magnis impensis novam construxit, ac perennaturam memoriam atque gratitudinem promeritus est. Revertimur modò ad aliorum actorum prosecutionem.

Augustissimus Imperator Carolus VI. eodem mense ad Reverendissimum & Celsissimum Episcopum & Principem nostrum sequentes literas, æternitate dignas, clementissimè dedit.

Carl der sechste von Gottes gnaden erwehlter Römischer Kayser zu allen zeiten Mehrer des Reichs.

EHrwürdiger Fürst, Lieber andächtiger; Dass uns De. Andt. durch dero schreiben vom sieben und zwantzigsten jüngst verwichenen Monaths Augusti in underthänigkeit berichtet, welcher gestalten Sie, mit Dero Dohmb-Capitul und ihren anvertrawten gesambten Christl. Cathol. Schäfflein, am ersten tag des schierst künfftigen Monaths Octobris, des Stiffts zu Freysingen zehenhunderte Jubel iahr, sambt der zweyten Primiz ihres funffzig iährigen Priesterthumbs, GOtt dem Allmächtigen zur hochsten ehre, Lob und Danck, feyerlichst zubegehen, verfüeget haben, und darbey weilen an eben selbigem tag unser iährlicher Geburths-tag ist, in Dero Heyl. Mes-Opfer und allgemeinen Gebett, für unser, und unseres Oesterreichischen Ertz-Hauses erhaltung, gedencken wollen; solches gereicht uns zu Kayserl. besondern gnädigisten wohlgefallen und Dancknehmigkeit.

Wie Wir nun Dr. Andacht gnädigst glück und heyl wünschen, dass sie den eintausendtiährigen wohlstands des Stiffts, von dessen ersten Fundation her, nebst der zweyten Primiz ihres Priesterthumbs, in Christlichen vergnügen und trost erleben. Also gönnen Wür Deroselben auch aus Kayserl. gemüth hertzlich und gnädigst, das Sie beydes noch länger zu der Göttl. ehre, versehen, und bey dessen unendlichen güte für uns und unser Ertz-Haus ein Vorbitter sein mögen. Wir werden hingegen, so lang Gott uns das leben verleihet, und fristet, Dero Stiffs nicht nur den Kayserl. Schutz halten, sondern auch demselbigen, und insonderheit Dr. Andacht mit Kayserl. Gnaden und allem guten wohlbeygethan verbleiben; Geben in unserer Statt Wien den sechszehendten Septembris A. siebenzehenhundert vier und zwantzig, unserer Reiche, des

Römischen im dreyzehendten, des Hispanischen in zwey und zwantzigisten, des Hungarisch- und Böhmischen aber im vierzehenten.

Carl.

Vt Christophff Henrich Gr. von Galen.

Ad mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.

E. F. V. Glandorff. m. p.

An den Bischoff zu Freysing auf sein notif. Schreiben, das Er das 10te Jubeljahr seines Stiffts, und 2te Priesterl. primiz halten werde.

§. XX.

Acta Mensis Octobris: ubi de celebratione Anni millesimi hujus Episcopatûs: quinquagesimi verò Sacerdotii Joannis Francisci Episcopi & Principis.

Visum est Celsissimo Antistiti nostro, nullo alio mense commodius peragi posse eam festivitatem, ad quam tot tantæque præparationes hactenus fuerant præmissæ, quàm Octobri, quo scilicet neque calores æstatis, nec frigora hyemis timeri poterant, ita, ut viatoribus iter huc instituturis nullum poneretur impedimentum, & insuper mensa lautior sterni posset. Itaque, postquam Mense Septembri huc invitati fuerant Serenissimi, Reverendissimi, Excellentissimi, & Illustrissimi hospites: ac insuper plena noxarum remissio, à Summa Sede iis omnibus, qui Cathedralem hanc Basilicam accessuri, & consnetam animæ præparationem essent adhibituri, per hanc Diœcesin fuerat promulgata, die ultima prædicti Mensis Septembris Chorus, qui hactenùs à die 1. Aprilis Anni 1723. in contigua Divi Benedicti Ecclesia personuerat, in Ecclesiam Cathedralem splendidissimè exornatam fuit reductus, & horâ quidem secundâ pomeridianâ non solùm campanarum omnium festivo pulsu, verùm etiam centum variarum ænearum machinarum fragore splendidissimæ festivitati initium datum fuit. Vespertinum itaque Officium in sæpe dicta Cathedrali ac millenaria Ecclesia quinquagenarius ac Jubilæus Sacerdos noster ritu, qui tantum Principem decebat, magnificentissimo peregit, cum interim ingens Reverendissimorum DD. Abbatum, aliorumque illustrissimorum hospitum numerus, & aliorum huc convolantium multitudo tanta Frisingam venisset, ut multis diversorium invenire fuerit difficillimum.

Primæ Vesperæ.

Ipsis

Ipsis Kalendis Octobribus, een die ad gratias Supremo Numini persolvendas destinata, invitata Serenissima Domus Bavarica horis antemeridianis comparuit fermè universa, Serenissimus nempe Elector Maximilianus Emmanuel, Serenissimus filius Carolus Albertus Princeps Electoralis unà cum Serenissima conjuge Maria Amalia, nata Regia Principe Hungariæ ac Bohemiæ, Austriæ Archi-Ducissa: Serenissimus Dux Ferdinandus Maria cum Serenissima Conjuge Maria Anna Carolina, nata Comitissa Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium Ducissa, &c. Reverendissimus & Serenissimus Dux Joannes Theodorus, Episcopus Ratisbonensis, superiori anno in Successorem etiam Frisingensem cooptatus &c. unà cum ingenti Excellentissimorum & Illustrissimorum DD. Ministrorum frequentia in multis curribus, quorum singulis juncti erant seni sonipedes. Serenissimi hi hospites è splendidissimo palatio Schleisshemensi digressi versus mediam undecimam limitibus Frisingensibus imminuerunt, singuli eo habitu jam induti, qualis nonnisi in summis festivitatibus adhiberi solet; id, quod præprimis in Serenissima Ducis Electoralis conjuge nemo non demiratus est. His ad dictos limites occurrerunt Reverendissimi, Excellentissimi & Illustrissimi Legati Frisingenses unà cum exquisito equitatu supra laudato Frisingensium civium, qui Serenissimos hospites sub festivo æncarum machinarum fragore, buccinarum atque tympanorum sonitu obsequiosissimè exceperunt, ac postea in Urbem & Aulam omni, quo fieri poterat, cultu exornatam, comitati sunt. Concursus spectantis populi tantus erat, qualis fortassis antehac Frisingæ nunquam fuit visus, veluti etiam non constat, unquam aliàs tot Serenissimos Bojariæ Duces Frisingæ una die convenisse. Porrò Principes illi ad hanc Aulam delati tum ab ipso Celsissimo nostro Principe, tum à Reverendissimo & Illustrissimo Collegio Cathedrali fuêre cum omni, qua par erat, reverentia decentissimè, & cum ingenti animorum jubilo excepti.

Dies 1. Octobris atque præsentis festivitatis. Adventus Sereniss. Domus Bavaricæ.

Paulò post placuit collectis Serenissimis Principibus in Cathedralem Basilicam sese conferre, ubi mox Reverendissimus & Illustriss. D. Maximilianus Franc. Dominicus Eckher, Baro de Kapfing & Liechtenekh, Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ Canonicus Capitularis, ac Parochus civitatis Fridbergensis, seu Celsissimi ac Reverendissimi Jubilæi Sacerdotis nostri ex germano fratre nepos, in sacro suggestu comparuit, & ad Serenissimos, Reverendissimos &c. aliosque numerosissimos auditores elegantissimum sermonem habuit super appositissimum Scripturæ textum: *Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Quem sermonem integrum alibi cum cæteris hujus octidui panegyricis edidimus. Eo sub discretissima brevitate eloquentissimè finito, Celsissimus noster Jubilæus assistentibus sibi non solum ordinariis e Collegio Cathedrali Ministris, verùm etiam octo mitratis ex ordine Divi Benedicti Abbatibus, ad aram principem, magnificentissimè exornatam stetit, & accinente omnis generis jucundissima Musica, atque interstrepentibus identidem minorum ac majorum tuborum ferreorum æncorumque fragore festivissimo sacrificio jubilæo Divinæ Triadi devotissimas gratias piissime persolvit, eoque peracto Hymnum Ambrosianum, non sine tenerrimo ac propemodum entheo omnium præsentium solatio subjunxit. Secutæ sunt Serenissimi Principis Electoris, & reliquorum Serenissimorum, Reverendissimorum, cæterorumque honoratissimorum hospitum, & totius Collegii Cathedralis congratulationes: post quas ad prandium, pro dignitate tantorum hospitum lautissime instructum, ventum est: ubi in Aula majore hujus Episcopalis palatii comparuêre hospites præcipui numero centum & tres: In aliis verò Aulæ tricliniis numerus longe major recensebatur, adeò, ut universim numerati fuerint hospites trecenti & octoginta, non computatis iis, qui extra aulam sumptibus Episcopi nostri opiparum prandium invenerant. De concentibus Musicis, & repetito tormentorum atque sclopetorum fragore nihil commemoramus.

Divina peraguntur. *Vide das danckbare Freysing.* *Gratulationes.* *Convivium.*

Placuit

Venatio. Placuit Sereniſſimo Electori Maximiliano Emmanueli jam horâ quartâ prandio finem imponere, & ad agitandas dorcades, vulpes, ac lepores, carbaſeis ſeptis incluſas venatum ſeſe conferre; quem ad locum paratum etiam comitatus eſt Celſiſſimus Jubilæus noſter. Dictu mirabile! Sereniſſimus Elector vig inti (circiter) globis plumbeis è variis ſclopetis emiſſis, totidem omninò feras feliciter trajecit, ita ut nullus illum ictus fefellerit. Ejus exemplum ſtrenuiſſimè ſecuti non ſolùm Sereniſſimi filii, verùm etiam Sereniſſima Maria Amalia, ingentem ferarum illarum numerum inter feſtiviſſimos Venatorum aliorumque ſpectatorum applauſus

Valedictio. dejecerunt. Finita jucundiſſima illa exercitatione Sereniſſimus Elector unà cum univerſo ſuo ampliſſimo comitatu perquàm humanas gratias Celſiſſimo noſtro Principi dixit, peramanter valefecit, & Schleiſshemium ſeſe recepit, poſtquam etiam Celſiſſimus noſter pro tam benigna viſitatione gratitudinem ſuam, qua poterat, eloquentiâ facundè teſtatus eſt. Digreſſis poſtea Sereniſſimis hoſpitibus idem Celſiſſimus noſter ſolario ob res omnes ejus diei feliciter peractas plenus, in hanc aulam rediit, & ad cœnam adhuc centum triginta hoſpites numeravit.

Dies ſecunda. Die 2. Octobris mane horâ nonâ Reverendiſſimus D. Petrus, ex vetuſtiſſima & perilluſtri Salisburgenſi familia de Gutrath, incly ti & antiquiſſimi Monaſterii Tegernſeenſis Abbas, J. U. D. Congregationis Benedictino-Bavaricæ Viſitator, & Almæ Univerſitatis Salisburgenſis Præſes, doctiſſimum juxta ac ſuaviſſimum Sermonem Panegyricum in Cathedrali Baſilica inſtituit aſſumpto è Canticis verſu illo: *Nova, & vetera, dilecte mi, ſervavi tibi*: quo ſcilicet demonſtravit, omnem decorem, quo Eccleſia Friſingenſis à mille annis inclaruit, in Joannem Franciſcum Jubilæum Sacerdotem omninò redundare, virtuteſque anteceſſorum omnium in Joanne Franciſco revixiſſe, ac nunc collectas reſplendeſcere. Oratione eum in modum feliciter terminata Reverendiſſimus D. Ildephonſus, antiquiſſimi Monaſterii Weihenſtephanenſis Abbas, totius Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præſes generalis, & Lycæi Friſingenſis Aſſiſtens perpetuus ſacris ad Aram majorem Cathedralis Baſilicæ ſub buccinarum & tympanorum applauſu operatus eſt, & quidem in venerationem Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, hujus Diœceſeos ac Cathedralis Eccleſiæ Patronæ præcipuæ, de qua decurſis decem Sæculis meritò dici poterat illud: *mille clypei pendent ex ea.* nempe ob conſervatam totidem annis Cathedralem hanc Eccleſiam atque Diœceſin. Finito illo ſummo officio trecenti ac duo hoſpites in hoc Epiſcopali palatio in prandio fuere recenſiti. Pomeridianum tempus variis honeſtiſſimis animi oblectamentis fuit impenſum. Cœnæ in hac aula accubuere hoſpites ducenti triginta duo.

Tertia dies. Tertia die Octobris in eadem Cathedrali Eccleſia, præſente univerſa aula, collectiſque ſpectatiſſimis hoſpitibus, ad populum facundiſſimè dixit R. P. Albertus Weinberger S. I. Sereniſſimæ Aulæ Electoralis Bavaricæ Eccleſiaſtes Ordinarius, qui in argumentum ſelegit verba illa *Eccleſ. 1. Ecce, hoc recens eſt; jam enim præceſſit in Sæculis.* quæ verba, licet, ut videri poſſet, paradoxa, ſummo ingenio combinavit, & eruditorum exſpectationi mirè reſpondit. Summum officium poſtea in honorem S. Corbiniani, primi Friſingenſis Epiſcopi, ſolemniſſimè fuit decantatum à Reverendiſſimo D. Petro Abbate Tegernſeenſi, qui die præterita Sacrum Encomiaſten egerat. Comparuit ea die in Cathedrali Eccleſia numerus maximus vicinorum Parochianorum, qui ſub ſacris ſignis ingenti ſerie urbem per portas varias ingreſſi hunc montem pie conſcenderunt, & Divino Officio devotè interfuerunt: id, quod etiam ſingulis diebus ſequentibus ſpectavimus. In hac aula poſtea ducenti ſeptuaginta tres hoſpites paratum opiparum prandium in-

Ludus Comicus. venerunt. Pomeridiano tempore ingenioſiſſimum opus Comicum, ſermone vernaculo compoſitum, Patres noſtri in Aula Lycæi ſui exhibuerunt.

Quarta dies. Quarta dies Octobris ſacra erat Divo Franciſco Seraphico, cujus nomen Celſiſſimus Jubilæus noſter in ſacro regenerationis lavacro ante annos ſeptuaginta quin-

que

que retulit. Felicissima ejus rei memoria Frisingam rursus excivit Reverendissimum ac Serenissimum Ducem Joannem Theodorum Episcopum Ratisbonensem, & Adjutorem Frisingensem &c. Reverendissimo ac Celsissimo Principi nostro congratulaturum. Venit ille Frisingam horâ decimâ, æneorum tuborum festiva explosione lætissimè exceptus. Deinceps in suggestu Cathedralis Ecclesiæ devotissimo erga Jubilæum nostrum Celsissimum Sacerdotem, annuam sancti Patroni Francisci memoriam recolentem animo, eloquentissimus stetit Reverendissimus D. Placidus, Ettalensium Abbas, Archidiaconus natus, SS. Th. & J. U. D. Celsissimorum S. R. I. Principum Archi-Episcopi Salisburgensis, & Episcopi Frisingensis Consiliarius Ecclesiasticus, ad communes Provinciæ Collectas Deputatus, qui in Sermonis sui thema assumpsit illud 2. *Paralip. c. 7. v. 1. Majestas Domini implevit domum Domini.* Quam majestatem desumpsit ex Jubilæo anno triplici, nempe millesimo Ecclesiæ Cathedralis, millesimo ducentesimo Martyrii Divi Sigismundi Regis, ejusdem Ecclesiæ proximi post S. Corbinianum Patroni: ac demùm quinquagesimo Sacerdotii, Celsissimi Principis nostri. Qua oratione cum energia prorsus singulari persoluta, Reverendissimus & Excellentissimus D. Maximilianus Joannes Franciscus Emmanuel Baro de Pienzenau, Serenissimi Principis Electoris Consiliarius intimus, Cathedralium Ecclesiarum Ratisbonensis & Pataviensis Canonicus Capitularis & respectivè Officialis, Insignis Collegiatæ Ecclesiæ SS. Martini & Castuli Landishuti mitratus Præpositus ritu Pontificio & magnifico summum officium subjunxit. Illud officium præcesserunt & secutæ sunt exquisitissimæ gratulationes, Celsissimo Principi nostro, Patronum nominis sui recolenti, magnis studiis factæ. In magnifico prandio comparuerunt ducenti & unus convivæ. Pomeridiano postea tempore prope hoc palatium è machina singulari ingenio fabricata ad plebejorum hominum animos exhilarandos rubei & albi coloris vina profilierunt, quibus madefieri nulli timebant, cum quilibet sibi ejusmodi imbrem sæpius exoptaret. Illud ludicrum spectaculum etiam ad recreandos hospites egregie deservlit. Ad cœnam plures, quàm ad prandium, hospites venere, nempe ducenti viginti tres.

Natalis Celsissimi. Repetitus Adventus Reverendissimi ac Serenissimi Ducis Joannis Theodori. Vina saliunt pro populo.

Die 5. Octobris R. P. Theodorus Mayr, SS. Theologiæ Magister, & RR. Patrum Prædicatorum Landishuti Prior, Concionatoris munus in Cathedrali Ecclesia dextertime obiit, in argumentum Sermonis assumens illud *Psalmi 86. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Porrò Cathedralis Ecclesiæ gloriam deinceps doctissime ob oculos auditorum posuit.

Quinta dies.

Summus Officiator hodie erat, qui heri in suggestu peroraverat. Commoda erat dies illa, qua Reverendissimus ille Præsul Placidus die suo natali eo honore ad aram summam sub Pontificali mitra compareret. Ipsum summum Officium agebatur de Venerabili Sacramento, quod aliàs ex pia fundatione Viti Adami, Frisingensis antehac Episcopi, singulis septimanæ quintis feriis celebrandum erat, ut suo loco monuimus. Secuta est magnificentissima processio & Deportatio Numinis Eucharistici per Urbem. Accurrerat tanta hominum non solum vicinorum, verum etiam peregrinorum multitudo, qualem Frisinga nullo unquam ævo vidit, & tamen nemo unus asseverare audebat, se unquam ejusmodi exquisitam magnificentiam vidisse. Nihil hic dicimus de variis geniis ordinatissime dispositis: nihil de domestico urbis equitatu: nihil de tribubus civium aliàs in Processionibus adhiberi solitis: nihil de Religiosis Familiis, & Sæculari Clero, qui maximo numero affluxerat. Omnium oculos in admirationem præcipue rapuit equitatus extraordinarius Hunnorum & Æthiopum, pretiose & appositissime vestitorum, arcubusque manualibus, armis aliis congruis, uti & Musica ejusmodi gentibus consueta, bellissime instructorum. Sed præ omnibus in stuporem spectatores traxerunt ingentes currus decem recens fabricati, in quibus præcipui Diœcesis Patroni, eorumque, uti & alia facta & fata Frisingensia memorabiliora ad vivum summo ingenio exhibita conspiciebantur. Latitudo & longitudo curruum erat plane inso-

Processio.

insolita. Machinæ iis impositæ altitudine ædificia trium contignationum usque ad stillicidia æquabant. Personæ vivæ ibidem conspicuæ, officia sua dexterrime obibant. Inscriptiones appositissimæ mysteria omnia miro artificio explicabant, & fidelium devotionem summopere excitabant. Omnia erant splendore plenissima; etiam sonipedes bombycinis dorsualibus usque ad terram demissis spectabiles, quales singulis curribus senario numero erant juncti. Nihil memoramus de clangore buccinarum, nihil de machinarum boatu, nihil de serie Canonicorum, etiam Cathedralium. Christum Eucharisticum inter satellites consuetis farissis, & ephebos facibus conspicuos sub umbella portabat Reverendissimus & Excellentissimus D. Joannes Henricus Franciscus Dominicus, S.R.I. Comes de Hochenwaldeck & Maxlrein, Cathedralis Ecclesiæ Decanus & Archipresbyter &c. quem prælata sibi Cruce Episcopali secutus est Reverendissimus atque Celsissimus Princeps noster, & hunc Reverendissimi DD. Abbates præsentes, universaque Nobilitas & reliquus comitatus Aulicus universus. Reverendissimus & Serenissimus Princeps ac Dux Joannes Theodorus &c. in ædibus Reverendissimi Illustrissimi & Excellentissimi D. Joa. Bernard. Ant. Baronis de Bodmau &c. &c. Cath. Eccl. Canonici &c. Sereniss. Electoris Bav. Consiliarii Intimi &c. totum illud festivum spectaculum (cujus potissimam partem ingenio ac labori P. Joannis Gualberti Segeri Weissenoensis, Rhetoricæ in hoc nostro Episcopali Lycæo Professoris, magno suo merito in acceptis publicè referimus) non sine singulari admiratione contemplatus est. Quo demum finito in hoc Episcopali palatio ad mensam convenere ducenti quadraginta tres selecti hospites: ad cœnam verò nonnisi centum septuaginta septem. Pomeridianum tempus Reverendissimus & Sereniss. Dux Joannes Theodorus jucunda venatione exegit.

Sexta dies. Die 6. Octobris P. Gelasius Hieber, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Superior in Aufkirchen, SS. Th. D. Encomiastes famosissimus, profunda sua facundia in Cathedrali Ecclesia cum omnium admiratione exposuit Caput sexagesimum primum Esaiæ Prophetæ, illa nempe potissimum verba: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsam decoratam corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* cujus textus eruditissima explicatione demonstravit facundissimus Orator præcipua capita, unde sibi Frisinga exultandi occasionem capere possit ac debeat. Nemo Auditorum erat, qui sibi non putaret exultandum, quod facundissimo illi Sermoni adesse sibi datum à Deo fuerit.

Eo ad finem perducto Reverendissimus D. Liebhardus, amplissimi Monasterii Campi Principum * Cisterciensis Ordinis Abbas, inclyti itidem Monasterii Waldsassensis *Pater*, ut vocant, *immediatus*, & ad Collectas Abbatum Superioris Bojariæ Deputatus, officium summum, honoribus S. Sigismundi Regis & Martyris, ceu secundarii Patroni Cathedralis Ecclesiæ destinatum, Regi Sæculorum Deo litavit Pontificio Ritu: post quod ad splendidissimum prandium, quod à piscium nobilitate, varietate & multitudine verè erat pretiosissimum, comparuere hospites ducenti quadraginta & unus. Pomeridiano tempore in theatro Lycæi Benedictini rursus in Scenis reproductum fuit opus Comicum, jam nuper exhibitum, cui, præter numerosissimos Spectatores, etiam interesse placuit non solùm Reverendissimo ac Serenissimo Duci Joanni Theodoro, verum etiam Celsissimo Jubilæo nostro Joanni Francisco. Cœnæ in hac Aula interfuere hospites centum atque triginta.

* *Fürstenfeld.*

Ludus Comicus repetitur.

Septima dies. Die 7. Octobris, horis matutinis, Reverendissimus ac Sereniss. Dux Joannes Theodorus tenerrimo affectu valedixit Seniori suo Reverendissimo Joanni Francisco, machinis æneis iterum lætissimè resonantibus. Post Ejus discessum in Cathedrali Ecclesia septimus Orator comparuit P. Josephus Maria, RR. PP. Capucinorum Guardianus Straubinganus, dudum à Celsissimo nostro invitatus, qui usus occasione diei septimi Frisingensis hujus Festivitatis, quæ aliàs etiam in Sabbatum inci-

inciderat, adhibuit thema ex Genesi: *Requievit die septimo ab omni opere, quod patrârat, & benedixit diei septimo:* bellissimè demonstravit, creationem mundi, quæ septem diebus completa à Creatore fuerat, in Cathedrali hac Ecclesia omninò resplendescere, eamque Ecclesiam ideò esse admiratione digniorem, quò post mille annos nihil decoris amiserit, cum tamen mundus iste post septem dierum spatium ex peccato Protoparentum à primævo suo decore plurimùm exciderit. Completa ea panegyri Reverendissimus D. Jacobus Lacopius Abbas Neocellensis, Præmonstratensis Ordinis, Monasteriorum sui Instituti per Bojariam, Tyrolin, & Carinthiam Vicarius Generalis atque Visitator, in Cathedrali Ecclesia ad Summam Aram Divina mitratus peregit. Prandium in hac aula postea sumpserunt hospites centum septuaginta septem. Pomeridiano tempore PP. nostri Benedictini in aula Episcopalis Lycæi exhibuerunt Comœdiam idiomate Latino elegantissimè compositam. Ad cœnam in hoc palatio sumendam convenerunt hospites centum viginti septem. Comœdia nova.

Die octava Octobris P. Gelasius Hochenleuttner Ordinis Reformatorum S. Francisci, Cathedralis hujus Basilicæ Ecclesiastes ordinarius, summus Pœnitentiarius, Provinciæ Bavaricæ Diffinitor, Celsissimo Principi à Sacris Confessionibus &c. suggestum conscendit, & montem hunc Frisingensem montem Calvariæ appellavit, quippe in quo tot Venerabiles Episcopi Cruci fuerint affixi: id quod multis ingenio plenis argumentis probavit. Ubi peroratum est, Reverendissimus atque Excellentissimus D. Joannes Sigismundus Zeller Baro in Leiberstorff &c. Episcopus Belliuensis, ac Proepiscopus Frisingensis &c. cantato festivissimo officio, subjunctoque inter æneorum tuborum lætissima murmura Hymno Ambrosiano universæ festivitati finem felicissimum imposuit. Prandio postea in Aula accubuêre ducenti viginti quinque hospites; cœnæ verò nonnisi centum atque decem. Ita demùm terminata memorabilissima solemnitate advenæ paulatim Frisingâ digressi sunt, uno ore testati: *vidimus mirabilia!* Poterant multò plura de octiduana illa festivitate hic in chartam referri: verùm existimavimus, Lectori satis fore, si prima totius rei capita perceperit. In opusculo tamen, Germanico idiomate conscripto, pleniori manu rem totam prosecuti sumus. Dies octava. Terminatur festivitas.

Substitit posthac Frisingæ Celsissimus diebus aliquot, donec omnia in statum antiquum fuêre restituta, & expedita.

Die postea 15. ejusdem Mensis Eisenhovium sese contulit, ut tot curis sese subtraheret, & salubrem aërem extra tot strepitus caperet: quamquam ne ibi quidem semper quiete agere licuit, cum statim die sequenti 16. Octobris occurrerit memoria annua suæ Nativitatis: qua occasione rursus novi gratulantium applausus fuêre auditi, non eorum tantum, quos in comitatu habebat, sed aliorum quoque, quos ex vicinia ejus rei memoria exciverat. Substitit deinceps aliquot diebus Celsissimus, ac postea Schönbrunam sese contulit, ibique Ecclesiam dedicavit, miris honoribus ab Excellentissimo & Illustriss. Domino Francisco Josepho Barone de Unertl, Serenissimi Electoris Bavariæ Consiliario Intimo &c. ceu loci Domino splendidissime affectus. Ultimâ tandem Octobris die Frisingam feliciter rediit, & Ecclesiæ suæ millenariæ etiam Sæculo undecimo gloriosè præesse perrexit, adhuc plurimum eidem profuturus. *Regi sæculorum immortali & invisibili soli DEO honor & gloria in Secula Seculorum. Amen!* Tu verò, Frisinga, *confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum Seculorum;* qui Celsissimus respirat.

In omnibus glorificetur.

MANTISSA HISTORIÆ FRISINGENSIS.

Monitum Benevolo Lectori.

Credebamus, recensitis mille Annorum Actis finem imponi posse Frisingensi Historiæ nostræ. Verum brevi subsecuta fata nos commonuêre, ut Celsissimum Principem Episcopum nostrum usque ad tumulum prosequeremur. Itaque præsentem brevem appendicem annectere devotissimæ pietatis studio constricti fuimus.

§. I.

Residua Acta Annorum 1724. 1725. & 1726.

POstquam Celsissimus Princeps noster mense Octobris Eisenhovio Frisingam sese receperat, ut supra vidimus, curæ illi fuit, ut Exemplaria Tomi I. Historiæ Frisingensis cum summis etiam Principibus communicarentur. Sane quam grato animo illa fuerint excepta, nostrum non est pluribus exponere.

Ea, quæ eodem mense secuta fuere Erdingæ, communicamus cum benevolo Lectore, prout nobiscum fuere communicata in verba sequentia.

„ Die 7. Novembris 1724., quæ fuit dies Martis, hora circiter duodecima „ meridiana in capella Domus Emeritorum Sacerdotum Instituti Clericorum sæ„ cularium in commune viventium prope Erdingam Diœc. Frising. Reverendissi„ mus & Illustrissimus D. D. Julius Henricus ex Lib. Baron. de Rehling electus „ Præpositus Berchtesgadensis S. R. J. Princeps coram Reverendissimo & Excellen„ tissimo Domino Joanne Sigismundo Zeller L. B. in Leiberstorff &c. Suffraganeo „ Frisingensi tanquam delegato Pontificio professionem fidei deposuit, & juramen„ tum fidelitatis præstitit ad S. Dei Evangelia in vim rescripti Commissionis à Sede „ Apostolica ad Eundem directi.

„ Testes fuerunt, præter adstantes quamplurimos tam de Clero ejusdem „ domus, quam alios Ministros, Reverendissimus & Perillustris Dominus Maxi„ milianus Franciscus Antonius Maria Lib. Bar. de alt- & neo- Fraunhofen Cathe„ dralis Ecclesiæ Frising. Canonicus Capitularis, & Perillustris Dominus Maximi„ lianus Ferdinandus Zeller L. B. in Leiberstorff &c. Serenissimorum Electorum „ Coloniensis & Bavariæ Camerarius, ac Consiliarius Regiminis Burghusiani.

„ Excellentissimus Dominus delegatus indutus rochetto, tunica talari ac „ mantelleto sedebat in sella ante altare ex parte Evangelii posita, & holoserico

rubro

rubro obducta, ardentibus in ipso altari quatuor cereis, Ipse verò Reverendissimus ac Illustrissimus Dominus Præpositus erat pariter indutus rochetto, ac tunica talari nigri coloris flectens super cussino holoserico rubro, ad scamnum pari panno obductum. „

Ubi tamen notandum, quod Idem Reverendissimus & Illustrissimus Princeps in mea Joannis Bernatdi Krebs SS. Theologiæ Doctoris, Consiliarii Ecclesiastici Frisingæ, insignis Collegiatæ ad S. Vitum Canonici, ac Notarii ad hunc actum specialiter requisiti, nec non Eorundem Perillustrium DD. Testium præsentia interposuerit protestationem contra verba: *Provinciæ Salisburgensis*, Juramento fidelitatis Roma huc misso inserta, ita ut eadem verba sibi aut Ecclesiæ suæ, vel Capitulo nullo unquam tempore aut modo præjudicare possint, vel debeant. „

Jta est &c.

J. B. Krebs, Notarius
juratus. m. p.

Die 25. Novembris Reverendissimus Antistes noster in Arce sua Ismaningana Reverendissimo ac Serenissimo Joanni Theodoro, Ratisbonensi Episcopo, utriusque Bavariæ &c. Duci, ac Coadjutori suo, Minores Ordines: ac die sequenti sacrum Subdiaconatus Ordinem contulit.

Ad initium subsecuti Anni 1725. In lucem Frisingæ prodiit Opusculum, cui Titulus: *Das dankbbabre Freysing:* in quo Germanico idiomate Universa Acta præcedentis Festivitatis decies Sæcularis enarravimus, & Panegyres per octiduum illud in Cathedrali Basilica habitas cum Lectore benevolo communicavimus.

Die 4. Martii ejusdem anni Celsissimus noster Reverendissimum, Sereniss. ac Eminentissimum Principem Electorem & Archiepiscopum Coloniensem Clementem Augustum &c. in Arce oppidi Schwabensis Sacerdotio initiavit: ac postea feriis Paschalibus primum Sacrificium Eucharisticum in Basilica S. Michaelis Monachii, præsentibus Serenissimis Parentibus ac Fratribus, qui in vivis supererant, omnibus, ac universa aula splendidissime culta, magnificentissime litanti mitratus adstitit. De singulari illa festivitate opusculum Monachii fuit conscriptum ac typis vulgatum: ad quod Lectorem humanissime remittimus.

Majo mense admirante universa Europa Inter Augustissimum Carolum VI. Romanorum Imperatorem, & Philippum Hispaniarum Regem Catholicum Viennæ non solum pax stabilita, sed insuper arctissimum fœdus armorumque societas inita fuit, cui deinceps etiam alii magni Principes nomina sua apposuerunt. Eo eventu permoti Rex Galliæ, & alii Reges & Principes, maxime Acatholici, Viennensi fœderi opposuere fœdus Hannoveranum. Fœdus inter Cæsarem & Hispanum.

Celsissimi Principis nostri opera dicto mense Majo turris etiam altera Cathedralis Ecclesiæ cupro tecta, & priori per omnia æquata fuit.

Mense Augusto idem vigilantissimus animarum Pastor rursus per Diœcesin sacrum iter instituit, & Ecclesias sex, aras viginti consecravit, parvulisque plus quam quater mille sacrum Chrisma illinivit.

Mensis September festivus præ aliis fuit Beurbergensibus Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini, sexcentesimum à condito suo Monasterio annum magna pietate ac studio recolentibus.

Gratia specialis Pontificia conceditur Episcopo nostro, & successoribus.

Eo tempore Celsissimus Princeps noster per suos Romæ apud SS. D. N. Benedictum XIII. impensè institit, ut sibi, successoribusque suis restitueretur facultas, Cathedralis, & Collegiatarum S. Andreæ, S. Viti, & S. Zenonis Isanæ Ecclesiarum Præposituras Canonicis Cathedralibus, uni nempe unam, pro commodiori sustentatione conferendi.

Justitiæ & æquitati consonam fuisse eam Principis petitionem Lector facilè intelliget ex iis, quæ hactenus passim in hoc nostro Opere retulimus. Ecclesia enim S. Zenonis fundationem suam primam Josepho, Frisingensium Episcopo tertio: Ecclesia S. Viti Hittoni Episcopo sexto: S. Andreæ Ecclesia Ellenhardo Episcopo decimo nono primordia sua debent, uti Ecclesia Cathedralis ipsi Divo Corbiniano primo fundatori. Præterea Præposituræ dictarum Ecclesiarum multis retro sæculis fuere collatæ ab Episcopis Frisingensibus, veluti abunde & distinctè constat ex Bulla Confirmationis Joannis XXIII. data Constantiæ VII. Januarii anno Pontificatus sui quinto, nempe Christi 1415. à nobis sub Hermanno Episcopo ad dictum annum producta. Electio quoque Episcopi ab ipso Divi Corbiniani tempore Frisingæ erat liberrima, uti demonstratur ex literis Cæsareis, Waldoni Episcopo X. concessis. Eas literas si Frisingenses eo tempore, quo Concordata Germaniæ fuere procusa, ad manum præsto habuissent, & Pontifici Nicolao exhibuissent, dubium esse vix potest, quin, sicuti Episcoporum electio mansit libera, ita etiam circa Præposituras dictarum, imò plurium aliarum Ecclesiarum nulla unquam mutatio fuisset secuta: collatio quoque ejusmodi Præpositurarum penes Episcopos Frisingenses haud dubie perpetuo libera perstitisset.

Tom. I. pag. 172.

Æquitatem ejusdem petitionis etiam facile demonstravit secutura dictarum Ecclesiarum utilitas. Si enim deinceps Præposituræ illæ conferri possent Canonicis Frisingensibus, facilè prævideri poterat, eos, ceu semper præsentes aut vicinos, longè promptiùs sua officia in dictis Ecclesiis persoluturos, ipsisque oculatius invigilaturos esse, idque non sine Ecclesiarum ipsarum majori decore, fidelium ædificatione atque applausu.

Hæc ferè sunt, quæ animum Summi Pontificis permoverunt, ut die 29. Mensis Novembris decretum ediderit, nemini alii deinceps Præposituras prædictas esse conferendas, nisi Cathedralis Ecclesiæ Canonicis, & iis quidem, qui de ipsa Cathedrali Ecclesia bene, aut *magis bene* meriti, eaque super re attestationem Episcopi fuerint exhibituri. Ita deinceps reipsa penes Frisingenses Ordinarios erit futuros Præpositos juxta merita deligere, Summoque Pontifici, uti loqui solemus, nominare: quam peculiarem Pontificiam gratiam grati posteri Joanni Francisco in acceptis referre debebunt.

Obitus Abbatis Tegernseensis.

Mense Decembri secuta est mors Reverendissimi D. Petri Abbatis Tegernseensis, de quo frequentior mentio in Historia nostra hactenus ingesta est. Ei mense Januario anni 1726. suffectus est P. Gregorius Plaichshirn, postquam is paulo antea in communi nostro studio Benedictino Philosophiam ac Theologiam docendo absolverat. Is numerosis suffragiis electus, altera statim die à Reverendissimo Subdelegato Pontificio Maximiliano Francisco Antonio Maria, Barone ab Alten- & Neuen Fraunhoven, Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Canonico Confirmationis gratiam accepit, ac postea die 24. Februarii ab ipso Celsissimo Principe nostro in Cathedrali Ecclesia Mitram Lituumque cum solemni benedictione obtinuit, Reverendissimis DD. Ildephonso Weihenstephanensi, & Magno Benedictoburano Abbatibus Mitratis sacras cæremonias condecorantibus. Convivium postea his, aliisque Reverendissimis & Illustrissimis hospitibus idem Celsissimus splendidum in hac sua Aula instruxit.

Mors Sereniss. Electoris Bav.

Dies vigesima sexta ejusdem mensis Februarii fuit suprema Serenissimo ac Potentissimo Bojorum Principi Electori Maximiliano Emmanueli, qui ad luctam ultimam magnis ac verè heroicis actibus cautissimè sese disposuit, tertio quadrante ad septimam pomeridianam morte sublatus. Filialis amoris doloris que magnitudo

tudo supervenientem Serenissimum filium, Reverendissimum scilicet ac Eminentissimum D.D. Clementem Augustum, Coloniensem Electorem &c. ita confixit, ut viribus destitutus deliquium passus sit. Funus deinceps Basilicæ RR.PP. Clericorum Regularium illatum est.

Serenissimo filio Successori Carolo Alberto &c. nomine Celsissimi Principis nostri Illustrissimus & Excellentissimus D. Franciscus Sigismundus Antonius L. Baro Eckher à Kapfing & Liechteneck, Dominus in Kalling &c. ceu Aulæ Frisingensis Mareschallus &c. officiosissimè condoluit, ac postea etiam novam Electoralem dignitatem Eidem demississimè gratulatus fuit. Successor.

Mense Martio post perbrevem Regiminis periodum ad Superos abiit Reverendissimus D. Augustinus à Schlechten, Canonicorum Regularium Schlechdorffensium Præpositus, à supra mox memorato Reverendissimo D. Abbate Benedictoburano tumulo illatus. Electioni novi Reverendissimi D. Præpositi Constantil, Celsissimi nostri nomine præsedit Reverendissimus ac Perillustris Dominus Joannes Baptista Ignatius à Pfistern in Burshenheim; SS.Th. D. Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, Officialis, ac S. Joannis in monte Præpositus, unà cum D. Thoma Passauer Doctore, & S. Andreæ Decano: qui etiam Electum eadem autoritate confirmarunt. Obitus Præpositi Schlechdorff.

Celsissimus Princeps noster ea die, quam à Cœna Domini appellamus, tricesima vice, nulla facta per totidem annos interruptione, Chrisma consecravit, omniaque cætera munia Episcopalia ad aram promptissimè persolvit.

Majo mense Reverendissimus Rotensium nostrorum Abbas Æmilianus, de instaurato Monasterio suo optime meritus, ægrotare & vivere desiit. Noviter postea electo Reverendissimo D. Corbiniano Reverendissimus D. Franciscus Antonius de Fraporta, Ecclesiæ Cathedralis Canonicus, ac Celsissimi nostri Consiliarius Ecclesiasticus &c. subdelegata Pontificia Authoritate Confirmationis robur adjecit. Mitram & baculum Pastoralem in hac Cathedrali Ecclesia contulit Celsissimus noster cooperantibus Reverendissimis DD. Abbatibus Ildephonso Weihenstephanensi, & Nonnoso Attilensi. Et Abbatis Rotensis.

Mense Julio P. Alphonsus Wenzl Mallerstorffensis, qui triginta fere annos in Cathedris Philosophicis ac Theologicis, & ultimos quidem hic Frisingæ in Lycæo nostro exegerat, quatuor præstantes Theologiæ suæ Tomos complevit, typisque vulgatos Celsissimo nostro nuncupavit.

Admodum R. D. Joannes Michael Grosskopf Parochus in Mosen, Celsissimi nostri Consiliarius Ecclesiasticus, inter Ruralium Capitulorum hujus Diœceseos Decanos Senior, quinquagesimum ab inito Sacerdotio annum feliciter expleverat. Celebranda igitur erat *jubilæa* memoria, quam ipse quidem optimus Senecio dissimulare maluisset. Verum obstitit illius votis Celsissimus Princeps, quippe cui vir ille semper erat in amoribus præcipuis, quos etiam multis præstitis obsequiis promeritus fuerat. Itaque Frisingam evocatus nutu Celsissimi die 4. Augusti in Collegiata S. Joannis Ecclesia Sacrificium suum *jubilæum* non sine egregia festivitate, voce supra senectutis suæ modum clara, Deo obtulit, ac postea mensæ Episcopali clementissime, & quidem sæpius, adhibitus fuit: quæ Celsissimi Principis gratia singularis universum, hujus potissimum Diœceseos, Clerum magno solatio perfudit.

Aliam gratiam eo mense idem Clementissimus Princeps exhibuit celebri in Bohemia Benedictini Ordinis Monasterio Cladrubiensi *. Reverendissimus loci D. Abbas Maurus dudum dolebat, Monasterium suum retrò actis temporibus, ac bello potissimum Bohemico toties devastatum, & omnibus sacris lipsanis à furore Acatholicorum fuisse spoliatum. Quemadmodum vero idem Reverendissimus D. Abbas curas omnes semper adhibuit, ut sodales sui sublimioribus scientiis egregie excolerentur, & Ecclesia quoque Monasterii, quam fieri posset, bellissime repararetur, ita etiam optabat, ut sacras quasdam reliquias eidem Ecclesiæ inferre posset. * Gladerau.

poſſet. Contigit verò, ut id data opportuna occaſione Celſiſſimo noſtro humillimè exponeretur: qui proinde optimo Abbati piiſſimè condolens, è ſuo theſauro notabiles quaſdam Sanctorum Patronorum Friſingenſium reliquias ſelegit, atque Cladrubium miſit: qua clementia Cladubrienſes noſtros ſibi arctiſſimè devinxit: quod idem Reverendiſſimus D. Abbas datis ad Principem literis humiliter teſtatus eſt.

Romæ eo anno SS. D. N. Benedictus PP. XIII. ad reſtaurandam diſciplinam Eccleſiaſticam Concilium inſtituit, ex quo plurima ſaluberrima Decreta promanârunt.

Feſtivitas in Monaſterio Ettalenſi. Menſe Septembri, & quidem in ipſo Feſto Nativitatis Beatiſſimæ Cælorum Reginæ feliciſſimè terminata fuit ex plurimis annis inveterata controverſia ſuper limitibus Comitatus Werdenfelſenſis, ac territorii inclyti Monaſterii Ettalenſis. Porrò Reverendiſſimus D. Abbas loci Placidus eo ipſo tempore maximis ſumptibus Baſilicæ ſuæ adjunxerat ſplendidiſſimum Sacellum, in quo deinceps prodigioſa Beatiſſimæ Virginis effigies aſſervaretur. Supererat tantum, ut Sacellum illud ſacris ritibus initiaretur. Itaque idem D. Abbas ſupplex invitavit Epiſcopum noſtrum, ut illuc ſe conferre, & laborem illum in ſe ſuſcipere dignaretur. Et ſane Princeps promptiſſimo animo aſſenſum clementiſſimè præbuit, gratulatus ſibi optimam occaſionem Divinæ Matri in loco ſibi ſemper acceptiſſimo ultimum vale dicendi, maxime cum etiam ſupra dicta controverſia ad partium vota ac plauſus fuiſſet tandem ſopita. Itaque, cum omnia ad iter eſſent parata, die 11. Septembris Princeps cum ſuis Iſmaningam venit: die 12. Monachii in Collegio S. J. pernoctavit. Die 13. Starembergæ prandium: Weilhemii cœnam ſumpſit, ubique cum ſumma veneratione ac applauſu exceptus. Die 14. ad fines Ettalenſis Territorii progreſſus obvium habuit Reverendiſſimum D. Abbatem Placidum cum ſuo Murnavienſium Præfecto, D. Joanne Michl J. U. D. ac reliquo ſamulitio domeſtico, à quo Celſiſſimus ad Arcem Murnavienſem obſequioſiſſimè deductus fuit. Splendido poſtea prandio ibidem finito iter profecutus eſt Ettalam usque, ubi inter æncarum machinarum applauſus, alpibus undique lætiſſime reboantibus, ſubmiſſiſſime exceptus, ac mox in Baſilicam ductus eſt, ad cujus ingreſſum Reverendiſſimus D. Abbas ſuaviſſima facundia iterum Celſiſſimum allocutus eſt, ac negotium Deiparæ exhibendum, humillime commendavit: deinceps vero Eundem ad Marianam Iconem deduxit, copioſis luminaribus undique circumfuſam, cujus aram inſuper multi illuſtriſſimi DD. Comites atque Barones, qui Ettalæ ſtudiis dabant operam, cum accenſis facibus ſplendidiſſime ſtipabant. Antiphona poſtea *Salve Regina* ſuaviſſime decantata, Celſiſſimus inter quam plurimas faces, ab illuſtribus portatas (nox enim paulatim ingruerat) in diverſorium magnifice præparatum ductus fuit, ſingulis itineris ſociis in ſua conclavia itidem diſtributis. Secuta fuit cœna opipare inſtructa.

Die 15. Septembris ibidem matutino tempore Celſiſſimus ſplendidiſſimum Sacellum noviter erectum, Dei ac Deiparæ honoribus conſuetis ritibus dedicavit. Poſtea, cum R. P. Gelaſius Hieber Ord. Eremitarum S. Auguſtini SS. Th. D. & Superior in Auffkirchen, ad confertiſſimum populum è ſuggeſtu Eccleſiæ verba mira ac profunda facundia faceret, 461. parvulos ſacra Confirmatione donavit. Subjunxit deinde officium ſummum aſſiſtentibus tribus Reverendiſſimis DD. Abbatibus Thaſſilone Weſſofontano, Magno Benedictoburano, & Placido Ettalenſi. Sub eo R. P. Virgilius Stegbuecher Monaſterii Senior, Profeſſionem jubilæam in manus Celſiſſimi ſolemniter renovavit: Celſiſſimus vero ex eodem Monaſterio tres Aſcetas ordinavit Diaconos. Functio univerſim ſex horas abſumpſit: ac tum primum ventum eſt ad prandium, cui præter Miniſtros Aulæ, alioſque numeroſos hoſpites ac venerabilem Conventum accubuere omnes illuſtriſſimi DD. Studioſi Collegii Ettalenſis. Sublata menſa Celſiſſimus aliquantulum reſpiravit: poſtea vero ab illuſtriſſima juventute ad artis nobilis regulas ſaliendo mirifice recreatus fuit.

Lubet

Lubet hic per compendium exponere Lectori, quodnam initium Illustrissimum illud Collegium Ettalæ sumpserit? Scholæ Ettalenses.

Anno 1711. ex relictis à Serenissimo Bavariæ Duce Maximiliano Philippo (de quo in superioribus egimus) bonis facta fuit fundatio pro sex juvenibus studiosis, qui deinceps in Monasterio Ettalensi alerentur, literisque ac bonis moribus probè imbuerentur. Horum optima educatio cum hospitibus identidem occurrentibus summopere probaretur, accidir, ut multi alii liberos suos Rev. D. Abbati commendarent, ibidem instituendos. Illud exemplum etiam viros illustres paulatim in sequelam traxit, qui proinde & ipsi nobilem suam juventutem eidem D. Abbati concredere cupiebant, ibidem extra Urbium strepitus, & pericula juventuti sæpe imminentia quàm optimè excolendam.

Non deerant rationes, quæ Abbatem ad facilem annutum permoverent. Nam primò locô ei ocurrebat exemplum Nobilium Romanorum, qui liberos suos curæ beatissimi Patris Benedicti olim commisêre: de quibus S. Gregorius noster sic habet: *Cœpere etiam tunc ad eum Romanæ urbis Nobiles & religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare.* Et mox subdit: *Tunc quoque bonæ spei suas soboles Eutychius Maurum, Tertullus verò Patritius Placidum tradidit.* Simillima passim maximo numero occurrunt in Annalibus Ordinis nostri, uti nemo eruditorum ibit inficias. Præterea in memoriam Abbatis venerat pium propositum Ludovici IV. Imperatoris Augusti, qui, cùm ipsum Monasterium Ettalense munificentissimè fundasset ac dotasset, ibi non Ascetas modo, verùm etiam Nobiles ali voluit, veluti suô locô monuimus. Lib. 2. Dialog. cap. 3.

Statuit itaque Rev. D. Abbas pro nobilibus in suo illo Monasterio temporis successu collegium erigere, in quo ii prima rudimenta discerent, ac deinceps paulatim humaniores etiam disciplinas, uti etiam Philosophiæ arcana: Arithmeticam, Historiam, Genealogiam, Heraldicam, Geometriam ac Musicam edocerentur: ad artes etiam cæteras, equestrem scilicet, gladiatoriam, saltatoriam, linguasque exteras discendas adhiberentur atque exercitarentur. Desperâssent multi de tanti moliminis proposito intra montes, ac in loco illo solitario executioni mandando. Verùm indefessa Abbatis industria factum esse oculis cernimus, ut hodieque præter studiosos è plebe illuc mitti solitos, ibidem singulis annis numerentur ferè sexaginta illustrissimi adolescentes Comites atque Barones, Boji, Suevi, Austrii, Tyrolenses, Palatini, Transylvani, Bohemi, Hungari, Belgæ, Itali, aliique plures, qui omnes extra Aulas & Urbes earumque syrtes positi, moribus ac disciplinis optimis adeò feliciter atque ordinatissimè imbuuntur, ut non solùm viri graves, verùm etiam magni Principes consilium fortissimi Abbatis summopere commendent. Det Optimus Deus, ut ejus præclaris vestigiis etiam successores insistant! Id certè gloriæ Dei, bonoque publico ingens incrementum adjicet. Nunc ad ordinem reliquæ narrationis regredimur.

Die 16. Septembris Celsissimus noster Ettalæ matutino tempore 668. parvulis sacrum chrisma adhibuit. Prandio finito Illustrissima Nobilitas lusum Comicum Eidem scitissimè exhibuit.

Die ejusdem Mensis 17. cùm Celsissimus Deiparæ ibi propitiæ tenerrimô affectu verè vale ultimum dixisset, Monasterioque universo bene precatus esset, Ettalâ venit in vicinum Comitatum suum Werdenfelsensem, & quidem Germicium, ** ubi usque ad diem 20. perstitit, ibique quàm plurimis parvulis Confirmationis Sacramentum administravit. Germisch.

Germicio iter ea die profecutus est Mittenwaldam; & cùm die 21. rursus simillimas pastorales curas in Ecclesia loci exercuisset, prandium sumpsit ad lacum Valleusem: deinceps ad Monasterium Benedictoburanum venit, omni, quantum quidem fieri poterat, officiorum genere exultantibus animis humillimè exceptus. Wablnsee.

Benedictoburi Princeps die 22. substitit: die verò 23. Tölzium ad cœnam venit. Die 24. cum matutino tempore varias functiones Episcopales Tölzii non sine fati-

gatione virium exercuisset, sumpto prandio ad inclytum Monasterium Tegernseense deflexit iter: cujus loci Rev. D. Abbas Gregorius cum omni suo Venerabili Conventu omnia humillimorum obsequiorum genera demississimè exhibuit.

Tegernseeâ Celsissimus Princeps primùm die 26. Setempbris discessit, ac deinceps rectâ viâ Ismaningam atque Frisingam rediit: ac die 29. Jubilæo festivissimo sacrificio Reverendissimi, Illustrissimi atque excellentissimi Pro-Episcopi sui Joannis Sigismundi &c. &c. interfuit, magnificentissimè postea in prandio habitus.

Deinceps placuit Celsissimo in castrum suum Eisenhovianum venire, ibique aliquot dies exigere, ac demùm iterum in Aulam redire, atque Jubilæi Romani, eousque in hac Dioecesi dilati, indulgentias lucrari.

Ad Annum Christi 1487. sub Sixto XLV. Episcopo Frisingensi retulimus, Sigismundum, Baronem de Fraunberg, Comitatus Haagensis Dominum, proposuisse suis sumptibus in Ecclesia S. Wolffgangi, quæ Schwindaviensis Parochiæ filia est, instituere Præposituram cum Sacerdotibus quatuor Sæcularibus: at verò propositum illud deinceps effectu suo fuisse destitutum. Piissimum illud opus post ducentos viginti novem annos hoc anno, Christi MDCCXXVI. longè felicius ad executionem perduxit Admodùm Rev. & Eximius D. Casparus Fiechtner, loci illius Parochus, & S. Wolffgangi cultor studiosissimus, quando non solùm iis, quorum suprema autoritas requirenda erat, demonstravit, posse ex ipsius Ecclesiæ annuis proventibus ibi institui Sacerdotes tres: verùm etiam paratum sese obtulit fundare alios tres Sacerdotes proprio ære suo, ita, ut in ea Ecclesia deinceps erigi posset Collegium sex Presbyterorum Sæcularium, qui ibi tum Divina peragerent, tum eò peregrinantium multitudini Sacramenta ministrarent, tum juxta dispositionem Parochi, seu Rectoris sui, animarum saluti invigilarent. Annuêre itaque laudabili intentioni non solùm Serenissimus ac potentissimus Bojariæ Elector, verùm etiam Reverendissimus ac Celsissimus Ordinarius noster Joannes Franciscus, & diu iteratas preces vigilantissimi ejus Ecclesiæ Pastoris exaudiêrunt. Itaque viri illius grandi tum solicitudini tum liberalitati in acceptis ferendum est hodiernum illud inclytum Collegium, quod æternam eidem gratitudinem semper debebit. Ex Instrumento, quod in secunda Parte plena manu offerrimus, plura Lector intelliget. N. 435.

§. II. finalis.

Terminatur vita Joannis Francisci, & Historia nostra.

Die 13. Februarii Anno 1727. tertio quadrante ante horam octavam pomeridianam in vicino inclyto Monasterio Neocellensi observatum fuit mirabile phænomenon, quo pars hujus Urbis inferior integro horæ quadrante tota illuminata apparebat. Fulgor ille posthac sese in hunc montem supra ædem Reverendissimi D. Decani Cathedralis Ecclesiæ sustulit: deinceps supra ipsam Ecclesiam Cathedralem visus fuit: ac demùm supra hoc Episcopale palatium usque ad mediam nonam constitit: ubi semel ac iterum aliquantulum quidem videri desiit, utraque tamen vice rursus comparuit, nec nisi tertia vice penitùs disparuit.

Id non solùm famuli, verùm etiam DD. Canonici Præmonstratenses Neocellenses, ipseque Reverendissimus D. Abbas dicti Monasterii oculis suis conspexere. Phænomeni descriptionem idem Rev. D. Abbas posthac Reverendissimo atque Illustrissimo Collegio Cathedrali transmisit, manu sua propria subscriptam.

Nescimus, utrum hoc phænomenon in hac urbe & monte vel unicus indigenarum plenè viderit? cum enim intra urbem nebula ingruisset, & hunc etiam montem involvisset, discerni non potuêre, quæ sursum acciderant. Non defuêre tamen, qui ex creditis quibusdam fulgetris suspicarentur, instare tempestatem adversam;

quæ

quæ fane secuta est, non in aëre quidem, sed in æde Rever. atque Illustr. Decani supra laudati, in æde proxima Rev. & Illustr. D. Sebastiani Josephi Antonii Comitis de Payrsperg, Canonici, & in hoc Palatio Episcopali, quippe quando intra breviculum tempus mors Episcopum, Decanum, & Canonicum mox dictum prostravit, & Cathedralem Ecclesiam triplici fato verè viduam reddidit, ut mox videbimus.

Celsissimus Princeps die 21. ejusdem Mensis Februarii, cum matutino tempore Sacrificio Missæ interfuisset, & postea cum Capellano suo Aulico, ac Consiliario Ecclesiastico, D. Franc. Michaele Raner, SS. Th. L. residuas preces horarias rite persolvisset, ex more ad solitum suum studium sese contulit. Cum ecce! dum ad suum propositum libros conquirit, subito sideratus, humi procumbit. Id mox advertens Amanuensis, qui præsens aderat, è vicinis conclavibus Ministros famulosque evocavit. Data deinde fuit opera, ut Celsissimus in lectisternium suum componeretur. Id ubi accidit, in somnum incidit, è quo non amplius evigilaturus erat. Periculo semper magis invalescente visum est unctionem extremam Celsissimo esse omnino impendendam. Ea etiam adhibita fuit ipsa adhuc die tertio quadrante ad septimam pomeridianam, dum interea intra & extra urbem in omnibus Ecclesiis à Clero utroque, Sæculari ac Regulari, atque universo mœstissimo populo fervidissimæ preces pro Ejus salute instituebantur. Interea Celsissimus loquelâ plane destitutus jacuit. Omnes nihilominus judicavimus, eum omnino percepisse omnia pia monita, quæ Confessarius ei in aurem suggessit. Mors Episcopi nostri.

Ea tragica scena in diem usque tertium tenuit. Interea die 22. Febr. coram lecto Celsissimi ara extemporanea fuit collocata, super qua mox tum Illustr. & Excellentissimus D. Pro-Episcopus, tum alii sacris pro Illo operati sunt. Præsentissimum periculum die subsequenti (23. Febr.) mane hora sexta fuit animadversum. Hinc ad nutum eorum, quibus rerum curæ jam tum in hoc palatio concreditæ fuerant, nempe Rev. & Illustr. DD. Canonicorum & Castellanorum Joannis Bernardi Antonii Baronis de Bodman &c. &c. & Joannis Ferdinandi Reinhardi Josephi Baronis de Poedigkheim &c. Sodalis noster P. Leonardus ad aram prædictam pro moribundo Sacrificium obtulit, versus cujus finem etiam Celsissimus in Domino placidissimè obdormivit: & mox mihi in mandatis datum fuit, ut confestim Sacrificium pro defuncto ibidem offerrem, quod etiam obsequiosissimè executus sum. Interea resonabat campana maxima Cathedralis Ecclesiæ, & mortem Celsissimi late publicabat. Secuta est compulsatio cæterarum campanarum intra & prope Urbem omnium. Superi! quantos gemitus in universa Urbe ac vicinia feralis ille clangor excitavit! quæ lamenta pauperum & pupillorum: qui gemitus opificum ac civium: quæ suspiria ac singultus famulorum fuere auditi? Vidimus viros cæteroquin fortissimos altum ingemiscentes, doloremque animi uberrimis lacrymis testantes. Nihil hic de lamentis imbecillioris sexus commemoramus. Gaudia Saturnalitia omnia mors Celsissimi præfocavit, & in tristissimos planctus convertit. Vere tunc de Frisinga nostra dici poterat, quod de Sion olim lamentatus est Jeremias: *Viæ ejus lugent: Sacerdotes ejus gementes: Virgines ejus squalidæ; & ipsa oppressa amaritudine.* Deinceps, cum sum funus Celsissimi tam celeriter pro dignitate humari non posset, opus fuit illud à chirurgis aperiri, & unguentis pretiosis condiri. Inter plura alia animadvertit vir clarissimus D. Franciscus Josephus Wilhelmi, Philosophiæ & Medicinæ Doctor, Consiliarius & Medicus Cub. Frisingensis, in vesica Celsissimi latuisse calculum, qui ferè medietatem unius digiti æquabat: ex quo nemo non facile intellexit, unde tot tamque acerbos dolores Celsissimus à pluribus annis sæpe senserit. Cæterum funus unguentis eum in modum delibutum, ac habitu Pontificio violacei coloris indutum, in propylæo Sacelli Aulici, lugubri amictu undique circumfuso, in pegmate funebri deinceps inter quam plurima luminaria fuit expositum, ubi diu noctuque Sacerdotes tum Sæculares tum Religiosi invitati mutatis vicibus preces assiduas pro defuncto persolverunt, ac matutino

tutino tempore in ara duplici, una videlicet ordinaria Sacelli, altera extemporaneè erecta, ſacrificia obtulerunt, usque dum omnia ad ſepulturam poſſent condignè præparari. Concurſus tum nobilium tum ignobilium ad viſendum ac deplorandum funus erat conſtanter admodum numeroſus.

Die 24. menſis Martii univerſum Miniſterium Aulicum Rever. atque Illuſtriſſimo Collegio Cathedrali regnanti obſequiorum & obedientiæ promiſſionem fecit.

Die 27. ſupra dicti menſis Februarii Reverendiſſimus Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus D. Joannes Henricus Franciſcus Dominicus S. R. J. Comes ab Hohenwaldeck & Maxlrein, Cathedralis hujus Eccleſiæ Decanus & Archipresbyter, Sereniſs. Electoris Bavariæ Conſiliarius intimus, qui Celſiſſimo defuncto ſemper fuerat animo conjunctiſſimus, eundem etiam ad æternitatem fuit ſecutus. Ejus funus die 3. Martii in Cathedrali Eccleſia ritu ſolemni tumulo illatum eſt.

Interea rebus neceſſariis omnibus tum in Cathedrali Eccleſia, tum foris ad imperia ac vota Reverendiſſimi atque Illuſtriſſimi Collegii accuratiſſimè diſpoſitis, die 6. Martii funus ipſius Celſiſſimi (quod, nemine non obſtupeſcente, etiamnum verum Epiſcopum & Principem Joannem Franciſcum omnino ſpirabat) pompa funebri, qualem Friſinga nunquam ſpectavit, per urbem inter copioſiſſimas ſpectantium lacrymas deductum, ac poſtea in hunc montem reportatum, in Cathedrali Eccleſia, ac pegmate in Choro ſplendidiſſime erecto fuit depoſitum. Funebre officium, aſſiſtentibus quatuor invitatis Reverendiſſimis DD. Præſulibus Ildephonſo Weihenſtephanenſi, Maximiliano Schyrenſi, Aquilino Undenſtorffenſi, & Jacobo Lacopio Neocellenſi decantavit Reverendiſſ. & Excellentiſſimus Proepiſcopus Friſing. ſæpe hactenus laudatus: qui deinceps etiam cum iisdem DD. Præſulibus coram funere conſuetos Eccleſiæ Ritus magnificè peregit, ac denique etiam funus ipſum in Hypogæo Cathedralis Eccleſiæ coram ara B. V. ab ipſo Celſiſſimo erecta, nunc pullo amictu ex omni parte exornata, inter ſtatuas quatuor Sanctorum Epiſc. Maximiliani, Ruperti, Corbiniani ac Bonifacii, ab eodem Celſiſſimo poſitas, tumulo, jam ab anno 1710. præparato, ac die 1. Septembris ab eodem benedicto, condidit, impoſita prius ejus pectori lamina ſtannea, cui inciſa fuere verba ſequentia:

Tumulo infertur.

Sera Poſteritas

Venerare oſſa arida Joannis Franciſci Epi Friſing. S. R. I. Principis, ex Baronibus de Ecker &c. huc repoſita, ut animam meritis plenam

Cœlites.

Unxit eam Dominus, & per hanc inſtauravit verè omnia in ſeipſo, animarum & pauperum curam, antiquitatem, & montem dudùm doctum, Cathedralem ſponſam, aliasque Eccleſias omni genere ornamentorum, aulam, caſtra.

Inde ſummis, infimis, omnibus venerandam, & ut exemplar in Monte hoc ſancto poſitum inſpiciendam.

Sequimini Præſules.

Rexit amore ſuos annis XXXII. diebus XXV. O. XXIII. Febr. A. Chriſti MDCCXXVII. Peracto Eccleſiæ Mº. & ſui Presbyteratus Lº. Anno, bis, jam tertio Jubilæo,

Cœlos, ut piè credimus, intravit.

Oſſa tanti SS. Corporum cultoris & Inventoris, ut & ipſa loco hoc, quo ſtas, verè ſancto transferantur, optant boni omnes, dent ſocii Cœlites!

Aliàs

Alias Inscriptiones, stilo lapidari magno ingenio concinnatas, ac prope tumulum appensas Lectori in Parte II. exhibemus. N. 436.

Prandio postea, ac Vesperis finitis Reverendissimus D. Abbas Weihenstephanensis cum Reverendissimis DD. Abbatibus Schyrensi atque Neocellensi in Cathedrali Ecclesia officium defunctorum solemniter celebravit. Postea iidem DD. Abbates, uti curribus aulicis fuerant advecti, ita tum Weihenstephanium, tum Neocellam reducti, & alias etiam à Reverendissimo ac Illustrissimo Collegio Cathedrali Regnante multa honoris significatione fuere affecti.

Die 7. Martii Tertium (ut vocamus) iterum persolvit Reverendissimus & Excellentissimus D. Proepiscopus cooperantibus tribus prædictis Abbatibus. A prandio Reverendissimus D. Abbas Schyrensis Vigilias celebravit, cæteri 2. Abbatibus operam suam jungentibus.

Die 8. Martii Panegyricum funebrem mane hora octava è suggestu Cathedralis Ecclesiæ dixit R. P. Gelasius Hochenleuttner Ord. Min. S. Francisci Reformat. Concionator generalis, Ordinarius Cathedralis Basilicæ Ecclesiastes, Poenitentiarius, & antehac Celsissimi Principis Confessarius, assumpto in thema illo Psalmi 126. versu: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Panegyricus ille postea publicis typis, quibus erat dignissimus, in publicam lucem prodiit: in quam ipsam jam prævenerat Descriptio Conductus funebris: in qua tamen descriptione ut hic aliqua emendaremus, quorumdam, quæ ordinata antehac fuerant, secuta mutatio postulavit.

Porro sermoni illi iterum summum Officium funebre Excellentissimus D. Proepiscopus, uti heri & nudius tertius subjunxit.

Die 9. Martii, quæ erat Dominica, solemnes Vigilias finitis Vesperis celebravit Rev. D. Abbas Neocellensis cum sæpe memoratis duobus Abbatibus. In his Vigiliis Primi Nocturni Lectiones cantarunt tres DD. Decani Collegiatarum Ecclesiarum S. Andreæ, S. Viti, & S. Joannis in monte: Secundi Nocturni tres Reverendissimi & Illustrissimi DD. Canonici Cathedrales: Tertii tres RRev. DD. Abbates.

Demum die 10. Martii celebratus fuit Tricesimus Celsissimi ab Excellentissimo D. Pro-Episcopo Assistentibus Reverendissimis quatuor Abbatibus Weihenstephanensi, Ettalensi, Schyrensi atque Neocellensi. Summo Officio funebri magnificentissimè persoluto, Mitratus ad eandem summam Aram Reverendissimus D. Abbas Weihenstephanensis stetit, & Missam solemnem de B. V. ex more obtulit. Et hic erat festivissimarum exequiarum Reverendissimi atque Celsissimi Episcopi ac piissimi Principis Joannis Francisci &c. &c. in Cathedrali Ecclesia finis.

Parentatum deinceps fuit per universam Dioecesin optimo Pastori amisso solennibus funebribus, inter quæ omnia facilè primum locum omnium judicio obtinuerunt ea, quæ mæstissimum Lycæum nostrum Frisingense die 17. Martii: ac die sequenti Mariana Sodalitas in aula & Congregatione Mariana magnis sumptibus, majori tamen ingenio Fundatori suo Joanni Francisco cum omnium admiratione instituerunt. Descriptio funebris illius actus seorsim typis prodiit, ut adeo opus non sit visum eam hisce inserere.

Celsissimum Principem ad tumulum brevi secutus est Illustrissimus Dominus Antonius Ecker, Liber Baro à Kapfing & Liechteneck in Kalling, ejusdem Celsissimi ex fratre consanguineo Nepos, Lacopolitani in Carniola Dominii Capitaneus, die 14. ejusdem mensis Martii extinctus, & ob ingentia merita non solum ab illustrissima cognatione, sed etiam à subditis & tota provincia Carniolæ deploratus. Die postea 23. ejusdem mensis Martii ex Affinibus Celsissimi præcoci fato ereptus est Reverendissimus Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Maximilianus Joannes Franciscus Emmanuel Baro de Pienzenaw Serenissimi Principis Electoris Bavariæ Consiliarius intimus, Cathedralium Ecclesiarum Ratisbonensis & Pataviensis Canonicus Capitularis & respectivè Officialis, Insignis Collegiatæ Ecclesiæ SS. Martini & Castuli Landishuti mitratus Præpositus. Denique ut supra descripti phænomeni

nomeni triplici vaticinio eventus responderet, die 29. Maji post paucorum dierum præviam ægritudinem fatis etiam concessit Reverendissimus, Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Sebastianus Josephus Antonius Comes de Payrsperg, Baro de Boymond, Schwanburg & Niderthor, Cathedralium Ecclesiarum Frisingensis & Aichstadianæ Canonicus, Serenissimi Electoris Bavariæ Consiliarius Intimus &c. Ita tandem Mors funeribus illis satiata pro tempore fuit, dum Celsissimo defuncto nobilem comitatum adjunxit.

Die 31. Martii Reverendissimum Cathedrale Collegium elegit Administratorem Episcopatus in Spiritualibus Reverendissimum & Illustrissimum Dominum Joannem Ludovicum Josephum Baronem de Welden in Hochaltingen & Lauphaim Cathedralis hujus Ecclesiæ Frisingensis Canonicum, & Eichstettensis Decanum: cui die sequenti 1. Aprilis in novo scrutinio adlectus est Reverendissimus & Excellentissimus Dominus Proëpiscopus Frisingensis, sæpe hactenus laudatus.

Die ejusdem mensis Aprilis 27. præmissis omnibus, quæ præmittenda fuerant, Frisinga universa Reverendissimo ac Serenissimo Principi Joanni Theodoro &c. &c. Sacramentum dixit, Personam Serenissimi sustinente eodem Reverendissimo & Excellentissimo Proëpiscopo Frisingensi: eaque dies inter festivos Urbis applausus lætissimè peracta est. Et eo quidem ex tempore Reverendissimus ac Serenissimus Princeps Joannes Theodorus felicissimum ac prudentissimum regnandi initium fecit. Superi eum in sera sæcula felicem esse jubeant!

Die sexto Maji agebatur de novo Ecclesiæ Cardinalis Frisingensis Decano deligendo. Vota unanimia conspirarunt in Reverendissimum, Illustrissimum & Excellentissimum D. D. Joannem Christianum Adamum Josephum Antoninum Mariam Comitem de Königsfeld in Zaiz- & Prackhofen Serenissimi Electoris Bavariæ Consiliarium Intimum, Cathedralis Ecclesiæ Canonicum, Scholasticum & Summum Custodem, cui urbs universa lætè applausit. Vacare tamen eo tempore cœpit officium Scholastici, quod proinde Illustrissimum Collegium in humeros Reverendissimi, Illustrissimi & Excellentissimi Domini Joannis Bernardi Antonii Baronis de Bodman in Wiex & Lendfriz, Serenissimi Electoris Bavariæ Consiliarii Intimi, Cathedralium Ecclesiarum Augustanæ & Frisingensis Canonici, Episcopalis Cameræ Præsidis &c. transtulit.

In Tomo I. hujus Historiæ sub Henrico I. hujus Sedis Frising. Episcopo §. 3. retulimus, ad lacum Vallensem* nostra ætate in fundo Benedictoburano fuisse erectum Sacellum B. Annæ unà cum Eremitorio, quod duo RR. Patres Congregationis B. Petri de Pisis unà cum Fratre quodam Laico inhabitent. Ita sanè res habebat usque ad præsentem Annum Christi 1727. quo circa Eremitas illos mutatio accidit. Cum enim lapsu temporis experientia docuisset, Eremitas illos eò loci victum ægrè conquirere posse, tandem, promovente potissimum Rever. D. Abbate Magno Benedictoburano, ac præbentibus consensum Serenissimo Electore, ac Celsissimo Ordinario, Monachium commigrârunt, ubi amplior animarum lucrandarum messis sperari poterat. Discessêre itaque ex Eremitorio suo die 20. Maji hujus anni, non modico viatico à Reverendissimo Præsule nostro donati. Porrò deinceps in populoso suburbio Monacensi, *das Lechel* dicto, cousque nulla Ecclesia decorato, habitationem sibi constituerunt, & hodie, dum ista scribimus, etiam Ecclesiam moliuntur; ubi interim in quodam Oratorio numerosus populus ad eos solet concurrere, & Divina percipere non sine insigni fructu & solatio animarum suarum. Ut verò ad lacum Vallensem singulis diebus Dominicis & Festivis Sacrum celebretur, & reliqua Divina peragantur, Reverendissimus D. Abbas vigilem & constantem curam adhibet. Diffusa totius rei gestæ Acta tum in Frisingensi, tum in Benedictoburano chartariis extant, nec Romæ ignorantur.

* Wahlsee.

Feriis literariis, postquam Reverendissimus Dominus Abbas Weissensenoënsis Joannes Gualbertus Senio & gravibus laboribus confectus terris valedixerat, R. P. Joannes Gualbertus Seger ibidem Professus, à multis annis in Lycæo Frisingensi

gensi

gensi Poëseos ac Rhetoricæ Professor, ibique à Comicis potissimùm operibus ingentem apud omnes laudem consecutus, prœmium tot laborum suorum scholasticorum retulit, mitram & lituum Pastoralem Weissenoënsem, quem Optimus Deus in seros annos conservet!

Vacabat tunc etiam ex morte Reverendissimi ac Celsissimi Principis & Archi-Episcopi Francisci Antonii Harrachii Metropolitana Sedes Salisburgensis. E tot Reverendissimis, Celsissimis & Illustrissimis Archi-Episcopalis Collegii dignissimis membris placuit Divino Numini die 4. Octobris Leopoldum Antonium Eleutherium ex vetustissima Firmianorum Baronum prosapia primum Canonicum, postea Decanum Salisburgensis Ecclesiæ; deinceps Lavantinum; postea Seccoviensem, mox Labacensem Episcopum sibi deligere, Eumque post tot Ecclesias cum incomparabili merito & laude gubernatas tandem in Salisburgensium Archi Præsulem assumere secuto immenso totius Provinciæ Salisburgensis applausu; quippe cum nemo excelsas animi Ejus virtutes, quæ ipsum etiam Carolo VI. Imperatori maximo fecere commendatissimum, ejusque arcanioribus etiam Consiliis admoverunt, non summè suspiceret, neque defuerint, qui jam olim, cum adhuc in humanioribus scholis versaretur Leopoldus (jam tum Canonicus) Ei Metropolitanam Purpuram præsagirent, ut ipsi optimè meminimus, & dulci memoria retinemus. Exaudiat Optimus Deus ardentia suspiria fidelissimorum subditorum & in lustra plurima Clementissimum animarum Pastorem ac Principem ad gloriam Nominis sui, & immensum populi solatium sospitem esse velit!

Mense Novembri ejusdem anni Viterbiensis Civitas novo, quali antehac nunquam, spectaculo fuit summè illustrata. Eminentissimus & Serenissimus Princeps ac D. D. Clemens Augustus Dei gratia Archi-Episcopus Coloniensis, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, Princeps Elector, Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus Natus, Episcopus Hildesheimensis, Monasteriensis & Paderbornensis, Utriusque Bavariæ & Superioris Palatinatus: item Westphaliæ & Angariæ Dux, Comes Palatinus Rheni, Landgravius Leuchtenbergæ, Burggravius Strombergæ, Comes Pyrmontanus &c. &c. Serenissimi ac Potentissimi Principis Electoris Bavariæ, &c. &c. nec non Reverendissimi & Serenissimi Principis & Episcopi nostri Joannis Theodori &c. &c. frater germanus, cum consecrationem Episcopalem, Palliumque Archi-Episcopale longè minoribus sumptibus in Germania suscipere potuisset, maluit tamen laboriosum iter in Italiam suscipere, & ab ipso Summo Hierarcha unctionem illam sibi devotè exposcere. Annuit piæ petitioni SS. D. N. Benedictus XIII. eumque in finem Viterbium sese contulit. Venerat etiam illuc Serenissima Domina, Domina Violanta Beatrix Hetruriæ Ducissa Vidua, Senarum Gubernatrix, Amita Eminentissimi Archi-Episcopi Electoris, Consecrationi hujus sui ex fratre, Bavariæ Electore defuncto, Nepotis interfutura. Dies nona Mensis Novembris functioni illi gravissimæ tributa fuit, qua etiam inter festivissimos applausus Viterbiensium magnificentissimo apparatu peracta est. Universa illa memoratu dignissima functio typis tum Italicis, tum Germanicis in lucem prodiit, ut adeò calami nostri operâ orbi exponi minimè indigeat. Laudes suæ Sanctitatis Benedicti XIII. PP. Max. Sacrario ac Portæ Viterbiensis Urbis & omnium animis æternum manebunt tum impressæ, tum insculptæ, & honor tum Sacræ Sedi Coloniensi, tum Serenissimæ Domui Bavaricæ exhibitus in earundem Annalibus perdurabit in Sæcula.

In omnibus glorificetur DEus!


OTTO·SEMO SER
✠HOC·TVMVLO·VIRTVTIS·HOMO·IACET·OTTO·QVIESCV
NT· ✠ OSS
A·SOLI·CREDVLO·SPIRITVS·IN·DOMINO·

N: 2.





Anno ab icarnacōe. dñi dc.xxiii
in die. Resurrecōis. eiusdē. obiit
ſactus Rupertus

N. 4


✠ WENZESL: DEI: GRACIA: ROMANORVM: REX: SEMPER: AVGVSTVS: ET: BOEMIE: REX

N. 5



N. 6.

Sigilla varia Civitatis Monacensis.

1284. 24 April.



1356.



1356 in Ascensione Domini



1402. 15 Iuni.



N: 7


Karolus . quartus . Divina Favente Clementia Romanor Imperator Semper Augustus Et Bo


+ IVSTE IVDICATE FILII HOMINVM

N. 8.





N. 9.


SIGILLUM MAIESTAT FRIDERICI · DEI GRA ROMANORU · IMPERATORIS SEMPER AUGUSTI · DUCIS AUSTRIE · STIRIE
KARINTHIE ET CARNIOLE · COMITIS DE TIROLIS ET


AEIOU

Historia Frisingensium

N. 10.


FERDINANDVS DEI GRACIA ROMANOR HVNGARIÆ ET BOEMIÆ ETC REX ARCHIDVX AVSTRIÆ DVX BVRGVNDIÆ COMES TYROLIS ETC